



8
3 M
4

Subtilissimi Scoti Doctorum
Super 3. sententiarum librú.

Tomus Primus.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI, ET PRÆSERVATIONE VIRGIN. MARIÆ AB ORIGINALI.

AVTHORE

R.P.F. FRANC.co DEL CASTILLO VELASCO,
Instituto. Minorita de obseruantia, natalitys Matritensi, munere supremæ Inquisitionis Hispaniæ Qualificatori, dignitate lectore Compluti Iubilato, officio prouinciæ Castellæ Custode.

ANTVERPIÆ, APVD PETRVM BELLERVM ANNO M. DC. XLI.



ORIENTIS, ET OCCIDENTIS

SOLIS REGI

HISPANIARVM MONARCHAE

CATHOLICÆ MAIESTATI,

PHILIPPO IV

REGVM MAXIMO





Tudiosi quique dum opera sua typis mandant, Catholica, & sacra Maiestas, studiosius ruminant,& operosius student, quem Patronum aduocent, quem aduocatum, & antesignanum tutelarem accipiant, vt sub nobilitate splendor, sub protectione presidium, & sub veneratione sacrarij secura habeatur indemnitas. Vnde si vniuersas hominum ætates à primis mundi exordijs subtili mentis acumine contemplemur, neminem pene inueniemus, qui ingenij sui monumenta in publicam lucem emittens, sub alicuius Principis, aut expectatissimi viri patrocinio non publicauerit. Hinc rerum ab hominibus ante vniuersalem orbis inundationem effectorum fertur, inuenta, custodita, & conseruata memoria. Sic Iosephus lib. 1. antiquitatum cap. 4. de filijs Seth memoriæ prodidit, qui in duabus columnis, altera latericia, lapidea altera, ea, quæ inuenerunt, scriptis commendarunt: *Seth* inquiens *imitatores sui filios habuit, qui facientes duas columnas, alteram ex lateribus, alteram ex lapidibus; in ambabus, quæ inuenerant, conscripserunt, vt si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens praberet hominibus scripta cognoscere.* Romani similiter Principibus

Iosephus 1. antiquit. cap. 4.

suis

ſuis ob egregia eorum facinora ſtatuas erexerunt: Clitarchus Alexandro, Dexter Theodoſio; alijque alijs, in quibus firmitas Petræ futuricat in gloriam, quæ in obliuionem transfert infirma memoria. Conſpiciantur innumera ſcriptorum genera, quibus improba doctorum ſedulitas initium dederat, vix vnum inuenies libellum, in cuius fronte non imploratum ſit Mæcenatis patrocinium:

Horatius lib. 1. ode 1. *Mæcenas atauis edite Regibus*
O & præſidium, & dulce decus meum

Laudabilis me Hercule, & ab omnibus continuanda conſuetudo. Hæc omnium opinione ſatis ſuperque ſufficeret, vt ego lucubrationes has meas ſtatim Maieſtati tuæ libens, ac lubens conſecrarem, vt protectionis magnitudo magnetis attractiuam virtutem oſtendat, ſtatuam erigerem, non temporis vetuſtate perituram; ſed immortalem, & numquam defecturam diuini nempe verbi Incarnationem, & ab omni labe virginis matris puritatem: quippe qui ſupremos Romanorum Dominos nominis tui, & imperij propagatione longiſſime excellis.

Vltra tu Herculeos, Athlanteóſue receſſus
Fines Hiſpani protrahis imperij

Marcellum Romanum Lyricus vates, alijs longe antepoſuit, & cecinit excellentiorem.

Horatius lib. 1. ode 12. *Creſcit, occulto velut arbor æuo*
Fama Marcelli: micat inter omnes
Iulium ſidus; velut inter ignes
Luna minores

Verum ego potiori dixerim iure:

Fama Philippi

Quis vmquam Romanorum Imperatorum Dominij ſui terminos adeò dilatauit, vt inuictiſſimus ille Carolus V.

Quid Decios, Druſoſue tuos, validoſue Camillos
Roma potens iacta, viribus aucta tuis?
Cæſarea quid geminas, ductoſque ex hoſte triumphos?
Si caput Ille vrbis, non tamen orbis erat.

A Carolo parta virtute propria conſeruaſti: ab ipſo non obtenta contractis inimicorum inſultibus ſuperaſti.

Horatius lib. 3. ode 30. *Egiſti monumentum ære perennius,*
Regalique ſitu piramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens

Poſſit

Poßit deruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum

Quid tamen (relecti potentia) referam de morum tuorum suauitate, prouidentiæ ingenuitate, prudentiæ maturitate, iustitiæ æqualitate, misericordiæ pietate, beneuolentiæ affabilitate, & altissimæ tuæ Maiestatis serenitate. Multa quidem, & magna hæc, quæ inuitus & violentus omitto, ne adulatorij sceleris arguar, & pruriens auribus videar. Alia me mouent, vt industriæ meæ, & sudoris imbecillitatem Maiestati tuæ protegendam offerrem. Et plurimum quod tibi minorum Franciscana debet religio. Quod monasteria ab imis fundamentis erecta? quot annuis sumptibus conseruata? quot Episcoporum, Archiepiscoporum, aliarumque dignitatum honores? Antiquam nostram erga Hispaniarum Reginas gratam, honorificamq; pœnitentiariam firmo decreto gratus restituisti. Quantum te occulatum ostendis circa minores fratres? quot exhibes deuotionis insignia. Vnum non omittam, regalis tui animi recenseri dignum, quod in tantum euehitur, & eleuatur fastigium, vt Primogenitum tuum, regnorumque tuorum hæreditarium successorem, similiter, & reliquam splendidissimam sobolem laico religiosissimi conuentus Complutensis nuncupati, sanctæ Mariæ de Iesu, vbi sancti Didaci corpus cum alijs eiusdem instituti viris boni odoris, & virtutum famæ requiescit. Fratri (inquam) Michaeli de husanos curandum, instituendum, educandumque primæuis in annis sponte tradideris, vt sub tutela Seraphicorum P. N. Francisci optatum gnatorum tuorum successum præsagiens, honestam educationem tibi promitteres. Nam

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

O terque quaterque beatus Princeps, quem virtus à primis cunabulis comitatur. *Virtus regna, vrbes, Prouincias temperat; fert leges, colit amicitias.* Hæc quæ in Rege gratior, & laudabilior, *qua vnum hominis bonum est, & inter vtramque fortunam superba incedit cum magno vtriusque contemptu.* Seneca Epist. 75.

Hęc pietatis tuę, & deuotionis erga religionē nostrā mirifica signa, veniat tamen nō muto tradēda silentio iustitię tuę

manifestata protectio. *Regum* enim *proprium est* (inquit D.Hieron. in caput 22.Hierem.) *facere iudicium,& liberare de manu calumniatorum vi oppressos.* Cum enim in celeberrima totius orbis vniuersitate salmentina statuto, & solemni iuris iurandi sacramento à doctoribus illius constitutum esset,se nullam aliam, nisi Augustini, & Aquinatis doctrinam defensuros, omnibus aliorum doctorum sententijs opinatiuæ solius cathedræ sustentatione relictis: Maiestas tua supremi Senatusconsulto decretum hoc reuocauit,nec iuramentum,Franciscanorum fratrum, qui Classicorum scriptorum numero alias religiones nō parum præstant,rogatū vlterius progredi permisit. *His* enim *catenus subuenimus vt eosdem non atterat damno temeritatis aliena* habetur *meminerim* cap. 6. *vnde vi*, nec in hoc iniuriam vniuersitati irrogasti; cum penes regiam Maiestatem sit leges condere,conditas mutare,& alias ferre. Sed potius iniuriam sibi factam repellisti, est enim Academiarum gloria per Oceanum vniuersitatis doctrinæ Catholicæ velas tendere.*State in vijs Domini.* Psal.117.*& interrogate semitas Dei aternales,& videte, quæ est via bona.* super quæ sic fatur

D.Zeno in Psal.117. D.Zeno *multa itaque via interroganda sunt,& in multis insistendum est,vt vnam, qua bona est, inueniamus, per multorum scilicet doctrinam vnam viam vita aterna reperturi.* Vnum & Maximum doctorem Augustinum salmantina secutura iurat. Bene,& non ad insipientiam sibi,sed cur vniuersitas est & D. Hieronymum de gratia, & libero arbitrio Ambrosium de Incarnatione, de fide, & de Spiritu sancto, Chrysostomum, & Theodoretum de Dei prouidentia scribentes non accipit, cur trinum Gregorium,Cyrillum, Athanasium,Basilium,Fulgentium,Isidorum, Damascenum, Bernardum, Anselmum, Epiphanium,& plures alios Ecclesiæ doctores,& pro Patribus ipsius natos filios supprimit? cum tamen Theologia sacra sit

Cantic.4. sicut turris Dauid, quæ Canticorum 4. *Edificata est cum propugnaculis,mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*Ibi Hebraica lectio. *in Talpioth,adificata est ad disciplinas,vel ad docendum transeuntes.* Merito Angelicū D.Thomam amplectit,sed immerito Seraphicum D. Bonauenturam repellir, Alexandrum Alensem, Scotum, Durandum, Ochamum,Gabrielem,Gregorium de Arimino,Enricum,

Richa

Richardum,& innumeros alios catholicos, pios, & veritatis fidei ſectatores,& indagatores ingenuos: *triſtiſſima quoque via,& celeberrima* (inquit Seneca lib. de vita beata) *maxime decipit: nihil ergo magis praſtandum eſt,quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem pergentem,non qua eundum eſt, ſed qua itur, dum vnuſquiſque mauult credere, quam iudicare.* Quare, & ipſe D. Thomas circa illa verba ſapientiæ 6. *Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum* affectum doctorum, intentum vt ſic reprimit,reuocatque ſtatutum præfato firmatum iuramento. *Quanto autem doctores magis multiplicantur, tanto vtilitas eorum, quæ ex doctrina prouenit, magis creſcit.* Neque enim fas eſt repellere doctores, Eccleſiæ quæ lumina,& ſi non extinguere; obnubilare tamen, præcipue luminare maius ſubtiliſſimi doctorum Ioannis duns Scoti apud Sabelicum lib. 1. exemp. ep. 3. de quo Leſleſius in prologo ſic habet. *Tanto fuit ingenij acumine, iudicij vi, doctrinæ cognitione, vt Theologiam illam reconditiorem multis ſubtilitatibus exquiſitis facillime auxerit, in quibuſque multa, quæ in obſcuro poſita latebant à tenebris acerrima ingenij perſpicientia eruit. Qui eius viam, & doctrinam conſectantur, & auidius perſcrutantur, Scotiſta ſumma tanti ingenij laude vocantur, quaſi nihil aut tanta difficultate interceptum, aut denſa caligine inuolutum, quod Scoti ingenium non potuerit penitus inſpicere, aut clare aperire.* Cui tanto doctori optime quadrant illa D. Auguſtini verba: *Ille tenet, & quidquid patet, & quidquid latet in diuinis ſermonibus, qui charitatem ſeruat in moribus,* quandoquidem de ipſo in hæc prorupit Antonius Poſſeuinus in ſuo apparatu. *Haud mirum fuit ſi ingenium doctoris ſubtilis modeſtia, & charitate praditum altiſſimos ſenſus eruere potuerit ad veritatem indagandam: numquam enim ſuam ſententiam profert in aliorum iniuriam, vel depreſſionem: quin, quorum aut errores conuellit, aut opiniones diſcutit, adeò id modeſte, & plerumque ſuppreſſo nomine facit, vt Chriſtiano pectore hauſiſſe à Domino ſapientiam certe integra mente conijci poſſit.* En quanta Maieſtati Cæſareæ tuæ Theologia ſacra, Eccleſia ſancta, celeberrima Academia, Religio Seraphica, & ſubtiliſſima Scoti doctrina debet beneficia. Hinc euenit, vt Seraphici Patres, nec non, & alij plures diligentiori poſtea cura diuerſorum litteris incumberent docto-

Seneca de vita beata.

D. Thomas in ep 6 ſap.

Sabelicus lib 1. exemp. ep. 3.

Leſleſius in Prolog.

Auguſt. de ſerm. Domini in monte.

Antonius Poſſeuinus in ſuo apparatu.

rum,& meritorum,studiorumque suorum incrementis ipsi se maiores indices euaderent.

Martialis ad Flacc.

Ingenium sacri miraris abesse Maronis
Nec quemquam tanta bella sonare tuba?
Sint Mæcenates, non deerunt, flacce, Marones
Virgiliumque tibi, vel tua rura dabunt.

At ego de tua Maiestate:

Sic sic Mæcenas, non deerunt plura, Philippe,
Agmina doctorum, quæ tua Regna dabunt.

Quid referam limpidissimam Deiparæ Mariæ conceptionem, à Scoto olim defensam, tuæ postremo protectioni acceptam? qui, qua tui Dominij propagatio per orbem longe, lateque patet, præsertim vero in celebri puræ Conceptionis, Franciscano Mantuano; nec non nobilissimo, Regioque discalceatarum sanctæ Claræ cœnobio & ipse quotannis coram solemni, & octidua festiuitate celebrandum imperasti, & in vnaquaque, vna ad minus die regali tua præsentia in celebriorem lætitiam nobilitas, & exornas. Digna me Hercule Regia Maiestate deuotio: *Sed non omnibus eodem modo data est gratia ista.* Quare ego minimus huius sacratæ religionis alumnus tantorum beneficiorum cumulis obrutus, & vt grati animi debito muneri satisfaciam, tutum, & Regium sedulitati meæ per Orbis spacia expectans patrocinium, hoc Scoticæ subtilitatis opus, veram de Deo homine, & matre ab originalis labe prorsus immuni doctrinam in gratitudinis meæ tesseram supplex offero. Si quid aliud non possum, saltim ipsa beneficiorum memoria ex animo numquam excidet: siquidem *optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Accipe igitur munusculum à grato animo proueniens, dextræ tuæ potentiæ protege, vt obtrectantium linguas illæsum euadat. Vale salutifere, & beatitudinaliter in infinita secula viue.

Bernardus sup. Cant.

Chrysostom hom. 25. super Matth.

Fr. Franciscus de Castillo Velasco.

AD

AD LECTOREM.

*P*lentissime lector, optime potueram typis mandare materias, quæ spectant ad primum sententiarum nostri subtilissimi doctoris Ioannis Duns Scoti; cuius doctrinam quasi verissimam amplector; tamquam profundissimã veneror; & velut acutissimam explanare intendo. Sed periculo factus sapiens alieno, quod plurimos, & doctissimos viderim, qui quatuor sententiarum libros exponere attentantes, & à primo exordientes, breuique immatura morte præpediti, aut saltem deficientibus viribus, & salute ad tam immensum studium requisitis, vel sumptus impressioni necessarios supplere non valentes, vlteriùs progredi nequiuerunt. Sicque ab illo, quod magis expositione indiget cupiens incipere tertium sententiarum aggredior, in quem, quasi in corollam mille floribus fragrantissimam, & arte elegantium pactam omnes cæterorum trium doctrina reducuntur: quandoquidem id, quod in illis dispersum conspicitur de Christo benignissimo saluatore coniunctim pertractatur; atque ita licebit videre materias de Trinitate, dum de verbi personalitate agitur; de Prædestinatione, visione, gratia, &c. vbi de illis, quibus Christi capitis nostri humanitas gauisa est, disputatur, Propter quod omnium difficillimus, & grauissimus hic tertius apparet, quia maximum petit studium omnium principiorum concordia, & quæ per reliquos Theologiæ tractatus diffusa sunt hoc vnico adunantur. Bonum etiam mihi visum est ordinem inter distinctiones Scoticas seruatum omittere: Verùm illius mentem, & doctrinam per disputationes, & quæstiones à recentioribus thomistis agitari solitas propugnare; tum, vt nos intelligant scholastici thomistæ cùm suo ordine, & methodo materias pertractamus; tum, quia difficultatum multitudo, & copia, quas de nouo excitant moderni thomistæ, postulat ne illas à nostris scriptis relegemus: præcipue videndo quid de illis implicite, vel explicite senserit Scotus; quidue secundum illius solidissimam doctrinam defendendum sit & tenendum. Cum etiam nostra sacra Religio hanc Scoti doctrinæ defensionem intenderit, vt habetur nostrarum institutionum Generalium capite 4. loquendo de studio §. cæterum quia, vt ex illius sententiarum cum cæterorum oppositione clarius veritas eluceat & patescat. Propter quod Principem

cipem habere destitit Seraphicum doctorem diuum Bonauenturam, aliosque non paucos scientia & sanctitate eminentes. Vnde mihi visum est illius materias explicare, ordine apud modernos Thomistas (legitimos, nec ne) magis communi, & recepto; vt vna sententia sese alteri opponente doctrinisque in certamen concurrentibus constet euidenter quis rationi, & veritati proprius accedat, qua nobis omnibus scopus attingendus proponitur, quam, cum quis assecutus fuerit facillimum erit, cum auctorum, & Principum scholasticorum citationibus, quas semper adducimus, sua scripta videre, & sine passione cognoscere quantum in illa assequenda profecerit. Quia mihi semper maxime conuenire visum est, omnium scripta veritati magis debere, quam variarum sectarum auctoribus deseruire. Applicui, & supposui in hoc tomo materiei de Incarnatione materiam de præseruatione Virginis Mariæ à peccato originali propter maximum concatenasionem, quam in serie decretorum Dei inter se habent, & quia tam à Scoto, quam à reliquis scholasticis diseritur in 3. sententiarum. In meis quidem scriptis quam plurimos tibi occurrere errores non dubito, sed etiam, si homo fueris, te mihi necesse est condonare; quod, si lapsus fuerim, non est dubium, quin contigerit inconsulto, tibique certissimum, & indubitatum esse vellim me semper inscribendo, quod videbatur optimum elegisse. Rogo te vt si quo modo, tibi vtilia fuerim, mihi tuis ad Dominum precibus id persoluas. Vale.

CAR-

AD AVCTOREM.

Carmen.

Subtilem quæris doctorem? quæris acutum?
Quis, precor, vt Scotus mentis acumen habet?
Vallibus vt montes præsunt, vt montibus aër,
Sic inter doctos eminet ingenio.
Austerum poscis Francisci dicta sequentem
Appetit in cunctis æmulus esse Patris
Hic pauper, simplex, humilis, parere paratus
Non terrena sapit semper ad alta volat.
An dubitas sanctum cui paruus fixit IESVS
Oscula, vel castum cui pia virgo fauet?
Annuit oranti famulo, validéque Tuenti
Dum concepta fuit quod sine labe fuit:
O virtus laudanda viri penitusque stupenda!
Qui summo Ecclesiæ culmine dignus erat
Mortuus hic tamen est, superas conscendit in arces
Atque beatorum credo quiete frui
Proh dolor! è viuis abijt; quid dico? reuixit
Hæredemque sibi substituisse patet
Castillo Pater est nulli pietate, secundus
Assecla Francisci, quin imo Filius est
Filius est, inquam, sancti generosa propago
Regula viuendi, norma pudicitiæ
Qui, quos natalis dederat, contempsit honores
Lucraturus eum qui sine fine manet
Erigit hic mentem subtilis more Ioannis.
Atque Incarnatum comprobat esse Deum
Vt penetrant Aquilæ nubes, cælosque volatu
Ardua sic penetrat mente secreta Dei
Nec satis est, Christi Matrem defendit acute
Peccati dicens non Tetigisse luem,
Huius ope Tutus, solitoque innixus Achilli
Obstruit aduersis omnibus ora suis
O vermen sanctum, proles fæcunda minorum
Quo viuit Scotus, quo viget ordo Seraph
Tu Patriæ lumen, Francisci gloria Patris
Tu decus & nostræ Religionis honos
Eia age rumpe moras? opus hoc, captosque labores
Perfice nam merces lausque perennis erit
Perge modo Christi castæ seruire parenti:
Sic Franciscus eris, Scotus & alter eris.

F. Franciscvs Clement Lotharingvs, Compluti Sacræ Theologiæ studens humilisque discipulus in singularem amoris Tesseram lectori suo dicat.

Ad eumdem

ACHROSTICHON.

Fæmina, Serpentis consensit credula fraudi
Radicemq; hominum corrupit labe perenni
Ante virum statuens vetitum super omnia fructum
Non aduertit Adam, sed spe delusus inani
Conniuet vxori, dominiq; Tremenda recusat
Iussa segni, præcepsque ruit, perditque sequaces.
Sedit iudicium, Triadis, mandante corona
Consilijque Pater, sacras destinat ad arces
Virginis Aligerum, prompte qui nuntia ferret
Se Dominum Regemque orbis, verbumque parentis

De virtute Dei pariturum, sicque salutem
Esse recepturos homines, finemque beatum

Cum nascente Deo, cuius confixus amore
Auolat in cælos animo, similisque Ioanni
Supremos penetrat verbi Castillo recessus
Tantaque de Christo reserat tamquam abdita pandit
Illius vt flammis Totus videatur adustus
Lucis enim radios diffundit solis ad instar
Lumine qui replet, mentes, animosque serenat
O vtinam Talis semper luceret Apollo.

Fr. Franciscus Clement Lotharingus.

Ad eumdem

EPIGRAMMA.

Non Deus acceptat diuisum cordis amorem
Aut nihil aut Totum quærit adesse sibi
In medio positus quid agis? vel quæso quid optas?
Hinc vocat alma Parens, filius inde trahit
Accipe Mariam, pignus dum gestat in Aluo
Sic Tibi, natus erit quæ tibi mater erat.

Fr. Franciscus Clement Lotharingus.

Reuerendo admodum, ac toto orbe terrarum ſplendidiſſimo P. Fr. Franciſco Caſtillo huius almæ prouinciæ Caſtellæ cuſtodi ampliſſimo, & in celeberrima Complutenſi Academia Lectori Iubilato, ſapientiſſimo ſuo Magiſtro in egregium illius opus de Incarnatione Achroſticon carmen F. Vrbanus Serrier Lotharingus.

D. D. D.

F*rancisci*	F*undens*	F*æcundo*	F*onte*	F*luenta,*
R*imantes*	R*oſeo*	R*eparaſti*	R*ore*	R*uinas:*
A*bſtruſa,*	A*ſtriferas,*	A*cuens,*	A*ſcendis*	A*d arces,*
N*oſtræ*	N*arrando*	N*aturæ*	N*ubere*	N*umen.*
C*onticuere*	C*hori,*	C*onſueto à*	C*armine*	C*eſſant;*
I*ntus*	I*nauditis*	I*ntenti*	I*llapſibus:*	I*gne*
S*idereo*	S*ucci*	S*cotici*	S*ignante*	S*aporem*
C*ælicolæ*	C*antu*	C*elebrant,*	C*itharitiſq;*	C*anoris,*
V*erbum*	V*nire viro,*	V*atem*	V*irtute*	V*alentem,*
S*icq; ſuper*	S*olio*	S*uperûm*	S*tellante*	S*edentem.*
C*ōgaudent*	C*ætus:*	C*æleſti*	C*uncta*	C*othurno*
A*fflata*	A*ſpirant,*	A*nimiq;*	A*rdoribus*	A*ſtant*
S*plendenti*	S*coticis,*	S*anctum*	S*ublime*	S*onanti*
T*itani*	T*ibijs:*	T*enebroſaq;*	T*artara*	T*antis*
I*ctà iacent*	I*aculis,*	I*terumq;*	I*mpugnat*	I*nanè*
L*uciferi*	L*atebroſa*	L*ues tua*	L*incea*	L*atè*
L*umina,*	L*ucentem*	L*apſis,*	L*uſtratio*	L*ucem,*
O*ſtupor,*	O*rbis decus*	O	O*rnatus*	O*limpi.*

Oden

Ad insignem tractatum de Immaculata Deiparæ conceptione à Reuerendo P.Fr.Francisco del Castillo editum Fr. Vrbanus Serrier.

D.D.D.

Qualiter velox, aquilæ volatus
Regia nubes superas adæquat,
Et fruens Phœbi radijs micantis,
Deserit ima.
Ac velut carus nimium Ioannes
Cæteros inter Domini ministros,
Eminet cunctis, Triadis supernæ
abdita pandens.
Non secus fulges studio, sequaces
Ante subtilis reliquos Magistri,
Ipse Doctorum veluti supremum
Occupat arcem.
Namque, vt audaces animos repressit
Virginem verbum gremio gerentem
Nesciam labis iaculo volentes
Lædere culpa.
Sic eam primo reparas nitori,
Dum potens soluis ratione fraudes
Hostium, & prudens inimica recti
Dogmata damnas.
Hinc procul sæui fugiat deinceps
Dæmonis promens stygia minister
Arte compactas, iterum doloso
Pectore fraudes.
Inuidos aussus pudeat moliri,
Dum decus cæli rutilat Maria,
Et soli Castillo iubar serenat
Nubila Auerni.
O Poli splendor soboles, parensque,
Filio terris parili fruentes,
Satagit gratis data, qui referre
Munera vtrique.
Pergite ô Diui cumulare vestris
Gratibus, donis, meritisque plenis:
Non hic ingratus, sed amicus æqui,
Reddet abunde.
Luminum summo iubilus parenti,
Compari virtus soboli, potestas
Pneumati Sancto, Triadi perenni
Gloria sæclo.

Eiusdem

Eiusdem ad eumdem Epigramma.

Castillo æthereis genus hoc mortale cateruis
Nectis, & Angelico cedis adesse choro:

Dum summis imum, celsi virtute tonantis,
Vnitum Scotico concinis eloquio.

Ergo age, fœlici tibi cedet fœnore, namque
Quem facis esse hominem, te dabit esse Deum.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ totius Hispaniæ vtriusque Siciliæ, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, Ne quis pręter PETRI BELLERI Bibl. Antuerpiensis voluntatem, librum, cui titulus R.P.Fr. FRANCISCO del CASTILLO VELASCO, *Ordinis minorum, S. Francisci de obseruantia: de verbo Incarnato, deque præseruatione Virginis ab originali peccato, & de Fide, Spe, & Charitate,* intra decennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve exponat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno 1640. die 9. Martij.

Signat

STEENHVYSE.

Censura R. P. Fratris Gasparis de la Fuente lectoris Iubilati & cœnobij Complutensis sancti Didaci meritissimi Guardiani.

De mandato Reuerendi admodum P.N. Fratris Ioannis Merinero lectoris Iubilati, nec non, & huius almæ castellæ Prouinciæ Seraphici P.N. Francisci de obseruantia Prouincialis, Tractatum istum de ineffabili Incarnationis mysterio ab eruditissimo Patre Fr. Francisco del Castillo Velasco, quondam in hoc minorum Complutensi cœnobio Primariæ sacræ Theologiæ lectore, nunc iam Iubilati laureola insignito, supremi sanctæ Inquisitionis Regalis senatus qualificatore, eiusdemque Prouinciæ custode dignissimo. Attentus legi, ruspans perlegi; quid sententiam sincere dicam, & breuiter, opus istud, & doctrinam commendat, & Doctorem, Doctorem prædicat pium, modestum, & eruditum, non transcriptorem reprahendit, vt plures, sed eximium exaltat scriptorem, castis, nam ita, & examinatis verbis, non quod ex tollida emulatur contentio, sed quid fidelis sensus Catholicæ famuletur veritati producit, vt idem Spiritus, & pietas, quam à tanto ebibit Magistro subtilissimo doctorum, quasi ab vno fonte scaturire videatur; Doctrinam etiam commendat, nam plures opiniones, quas solum, quia antiquas antiquatas aliquorum Recentiorum occitantia, & veluti de tenebris consepultas autumabat, ab eisdem tenebris, tamquam ab iniustis vendicat Possessoribus, lucique restituit meridianæ: & quod summi studij est, ornatum recentiorem non despicit, nec grauem antiquorum puritatem in minimo lædit, aut violat, quare has lucubrationes, omnibus fore gratissimas non dubito, præcipue Complutensibus, qui, quod scriptum semel inspexerint, sæpius in palestra irrefragrabiliter defensatum memorabuntur. Typis ergo, dignas iudico, reputoque communi vtilitati, & seraphicæ familiæ consentaneum tantum virum compelli, vt reliquos sui ingenij partus prælo mandaturus festinet, in hoc Complutensi sancti Didaci cœnobio.

Fr. Gaspar de la Fuente.

Appro-

Approbatio R. P. Fr. M. Chrysostomi Cabero Cathedram philosophiæ moralis in vniuersitate Complutensi moderatoris.

Commissione Domini, D. Ferdinandi Ballesteros, & Saauedra Ecclesiæ Magistralis Complutensis Abbatis, nec non Vicarij generalis in tota Toletana diœcesi; Disputationes de Incarnatione verbi, & deiparæ præseruatione, à sapientissimo Patre Magistro fratre Francisco del Castillo Velasco, in Seraphici sancti Francisci venerando conuentu sacræ Theologiæ *prælectore; in conspectum edendas, proferendasque in lucem, auide euolui: & inueni librum, dum sacræ paginæ, conciliorum, & Patrum testimonia explanat; auctoritate grauem, in scholasticis allegandis fidum, in opinionibus refellendis perspicacitate acerrimum, nobilitate benignum, religione modestum, Habet iam Scotica doctrina Castellum recens vndequaque munitum, quo facile Scotistæ valeant aduersantium opinionum tormentis percutere muros, aliorumque impetus reprimere facile; in quo nihil fidei* O*rthodoxæ reperio dissonum: sed omne Catholicæ est conditum Catholicæ quæ Reipublicæ perutile. E Republica igitur erit, vt mandetur prælo, typisque excudatur. In hoc Complutensi Colllegio D. Bernardi die* 23. *Martij, anno Domini* 1638.

Fr. Chrysostomus Cabero.

Facultas R.P. Ministri Prouincialis.

Frater Ioannes Merinero lector Iubilatus, & huius sanctæ Prouinciæ Castellæ Regularis obseruātiæ Seraphici Patris nostri sancti Francisci Prouincialis Minister, Patri fratri Francisco del Castillo Velasco supremæ Inquisitionis Castellanæ qualificatori, lectori Iubilato, & huius supra dictæ nostræ sanctæ Prouinciæ *Custodi; salutem, & pacem in domino sempiternam, cum vestra Paternitas ex duobus Tomis in tertium sententiarum, Primum de Incarnatione verbi, & præseruatione Virginis à peccato Originali ediderit, quem ex commissione sibi à nobis delegata Pater frater Gaspar de la Fuente lector Iubilatus, & nostri Conuentus S. Mariæ de Iesu Complutensis Guardianus approbauit; eumque non parum rei Litterariæ, &* T*heologiæ Scholasticæ Professoribus progressu censuimus exiturum, quapropter vestræ Paternitati facultatem facimus, quatenus oblato, primum consilio regio dicto libro, ab eoque licentia obtenta, possit eum typis mandare: Datum in hoc nostro conuentu sanctæ Mariæ de Iesu Complutensi vigesimo Martij anno Virginei partus* 1638.

Frater Ioannes Merinero.
Minister Prouincialis.

LICENTIA ORDINARII.

Nos doctor Dominus de Narbona Vicarius generalis in audientia curiæ Archiepiscopalis Complutensi, & in omni Archiepiscopatu Toletano, &c. tenore præsentium Patri fratri Francisco del Castillo Velasco Religioso ordinis Seraphici Patris sancti Francisci, supremæ consilij sanctæ Inquisitionis qualificatori, Theologiæ lectori Iubilato, & Prouinciæ Castellæ Regularis obseruantiæ custodi; licentiam impertimur quatenus in hoc dicto loco, & quolibet alio, siue intra, siue extra huiusmodi Archiepiscopatum, possit imprimere primum Tomum à se compositum, super tertium sententiarum Scoti, qui inscribitur de Incarnatione verbi, & præseruatione Virginis à peccato originali: supposito quod nobis constat secundum censuram Reuerendi Patris fratris Chrysostomi Cauero religiosi Cisterciensis sancti Bernardi, cui fuit remissus ex commissione Domini Domini Fernandi Vallesteros de saabedra nostri prædecessoris in officio, maximæ eruditionis, & vtilitatis futurum: nec quidquam in eo inueniri, quod nostræ sanctæ fidei aduersetur, & bonis moribus contradicat; Datum Compluti die octauo Martij, Anno Domini 1638.

Dominus Ioannes de Narbona.
Vicarius Generalis.

INDEX

INDEX OMNIVM, QVÆ CONTINENTVR IN HAC MATERIA DE INCARNATIONE.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine Incarnationis, eiusque possibilitate, existentia, conuenientia, & necessitate. fol. 3.


VÆST. I. *Vtrum nomen Incarnationis sit exactum.* fol. 3.

QVÆST. 2. *Vtrum possibile fuit naturam humanam vniri verbo.* fol. 4.

QVÆST. 3. *Vtrum prædicta Incarnationis possibilitas solo lumine naturali possit cognosci.* fol. 7.

QVÆST. 4 *Vtrũ Messias iã venerit.* fol. 10

QVÆST. 5. *Vtrum Messias verus fuerit homo, & verus Deus.* fol. 12.

QVÆST. 6. *Vtrum intellectus creatus viribus naturæ relictus valeat cognoscere mysterium hoc iam existens.* fol. 15.

QVÆST. 7. *Vtrum Incarnationis mysterium fuerit omnino, & vndequaque conuenientissimum.* fol. 18

QVÆST. 8. *Vtrum verbi diuini Incarnatio fuerit necessaria.* fol. 21.

DISPVTATIO II.

De satisfactione puri hominis. fol. 25.

QVÆST. 1. *Quid, & quotuplex sit satisfactio.* fol. 25.

PARS. I. *De duplici priore conditione ad rigurosam iustitiam.* fol. 30.

PARS. 2. *De alijs conditionibus requisitis ad rigurosam iustitiam.* fol. 31.

QVÆST. 2. *Vtrum purus homo condignè possit Deo satisfacere pro proprio, & à se commisso peccato mortali.* fol. 35.

QVÆST. 3. *Vtrum purus homo possit de condigno satisfacere pro suo peccato veniali.* fol. 47.

QVÆST. 4. *Vtrum purus homo possit pro peccatis aliorum condignè satisfacere de potentia Dei absoluta.* fol. 50.

DISPVTATIO III.

De satisfactione exhibita à Christo Domino. fol. 55.

QVÆST. 1. *Quo pacto fuerit satisfactio Christi condigna.* fol. 55.

QVÆST. 2. *Vtrum satisfactio Christi fuerit infiniti valoris.* fol. 63.

PARS. I. *Impugnantur diuersi philosophandi modi, quibus merita Christi,* fol. 69.

PARS. 2. *Adstruuntur esse simpliciter infinita in esse moris in quo fit satis argumentis in contrarium adductis.* fol. 72.

QVÆST. 3. *Vtrum in satisfactione Christi intercesserit propria, & specialis iustitia.* fol. 76

QVÆST. 4. *Vtrum Christi satisfactio fuerit de toto rigore iustitiæ.* fol. 83.

DISPVTATIO IV.

De motiuo, & fine cuius gratia Incarnatio prædestinata est. fol. 89.

QVÆST. 1. *Vtrum Incarnatio verbi diuini ita sit à Deo prædestinata in redemptione generis humani à peccato originali, vt si Adamus non peccasset, Christus ex vi præsentis decreti, & prædestinationis non venisset.* fol. 89.

PARS 1. *Impugnatur præfata sententia media.* fol. 93.

PARS 2. *Scoti sententia tamquam verissi-*

ma propugnatur prius doctrinali explanatione, fol 95.
PARS 3. *Sententia Scoti ex actis probationibus solidatur*, fol. 101.
PARS 4. *Argumentis in contrarium pro prima & tertia sententia adductis sit satis*, fol. 107.
Quæst. 2. *Cuius peccati remedium fuerit principale motiuum aduentus Christi vt Redemptoris, quo deficiente, ipse non veniret vt Redemptor*, fol. 110.

DISPVTATIO V.

De Incarnatione, seu vnione hypostatica secundum se considerata. fol. 114.

QVÆST. 1. *Vtrum terminus totalis ad quem vnitionis, seu actionis Incarnatiua fuerit, vel vnica natura, vel duplex persona*, fol. 114.
Quæst. 2. *Vtrum propter prædictam vnionem duarum naturarum in persona verbi Christus sit persona vere & proprie composita*, fol. 119.
Quæst. 3. *Quis sit formalis terminus ad quem, & à quo Incarnationis*, fol. 121.
Quæst. 4. *Vtrum per Incarnationem producatur vnio formalis & an ipsa sit absoluta, vel relatiua, substantialis, vel accidentalis*, fol. 124.
Quæst. 5. *An hæc vnio sit omnium maxima, tam in ratione vnionis, quam in ratione doni*, fol. 133.

DISPVTATIO VI.

De vnione hypostatica ex parte personę terminantis. fol. 136.

QVÆST. 1. *Vtrum persona verbi terminauerit naturam humanam ratione alicuius absoluti, An solum ratione relatiuæ proprietatis*, fol. 137.
Quæst. 2. *Vtrum plures diuinæ personæ possint simul, & immediate assumere eamdem numero naturam*, fol. 143.
Quæst. 3. *Vtrum vna persona diuina plures possit assumere naturas*, fol. 149.
Quæst. 4. *Per quid constituatur persona seu suppositum creatum in ratione personæ*, Fol. 153.
Quæst. 5. *Vtrum subsistentia totius sit simplex, vel composita*, Fol. 161.
Quæst. 6 *Vtrum persona creata possit ad se sumere alienam naturam*, Fol. 163.

DISPVTATIO VII.

De vnione hypostatica ex parte naturæ terminatæ. fol. 166.

QVÆST. 1. *Vtrum qualibet natura sit terminabilis à persona verbi*, Fol. 166.
PARS 1. *An natura Angeli assumi potuerit à verbo*, Fol. 166
PARS 2. *An natura substantialis irrationalis assumi potuerit*, Fol. 167
PARS 3. *An natura accidentis possit assumi à verbo*, Fol. 168
PARS 4. *An partes substantiales possint à verbo terminari*, Fol. 169
Quæst. 2. *Vtrum natura humana existens cum propria personalitate sit assumptibilis à verbo*, Fol. 170
Quæst 3. *An verbum assumpserit omnes partes essentiales naturæ humanæ*, Fol. 173
Quæst. 4. *An verbum assumpserit partes integrantes, sanguinem, humores, & ea, quæ tam ad ornatum, quam ad naturæ necessitatem pertinent*, Fol. 176

DISPVTATIO VIII.

Circa ordinem, quem habuit verbum in assumptione totius naturæ humanæ, & in assumptione suarum partium. fol. 181

QVÆST. 1. *Vtrum fuerit aliquis ordo assumptionis inter totam naturā, & partes eius*, Fol. 181
Quæst. 2. *Vtrum verbum diuinum prius assumpserit vnam partem, quam aliam*, Fol. 183
Dubium, *Appendix, an organizatio corporis Christi præcesserit tempore animationem eiusdem*, Fol. 185

DISPV-

DISPVTATIO IX.

De causis Incarnationis. fol.187.

QVÆST. 1. *Quænam fuerit causa efficiens Physica principalis Incarnationis, & an habuerit aliquam causam instrumentalem, vel dispositiuam,* fol. 187.

QVÆST. 2. *An humanitas Christi potuerit mereri substantiam Incarnationis,* fol. 190

QVÆST. 3. *Vtrum Christus meruerit, aut mereri potuerit substantiam Incarnationis,* fol. 193

QVÆST. 4. *Vtrum antiqui Patres meruerint, vel mereri potuerint substantiam Incarnationis,* fol. 196

QVÆST. 5. *Vtrum Christus meruerit sua Incarnationis circumstantias,* fol. 198

QVÆST. 6. *An beatissima virgo meruerit maternitatem Dei, quam habuit,* fol. 200

QVÆST. 7. *An Patres antiqui meruerint reliquas Incarnationis circumstantias,* fol. 206

DISPVTATIO X.

De vnitate & pluralitate Christi. fol.208

QVÆST. 1. *An in Christo fuerit vnica tantum existentia,* fol. 208

QVÆST. 2. *Vtrum Christus sit aliqua duo appellandus,* fol. 211

QVÆST. 3. *Vtrum in Christo sit vna voluntas, & vna operatio,* fol. 213

PARS. I. *In quo fit satis tribus dubijs fortis ex quodam errore,* fol. 214

PARS. 2. *Quid sit operatio Christi theandrica,* fol. 216

PARS 3. *An in Christo fuerit contrarietas voluntatum,* fol. 218

Finis mysterij Incarnationis.

DISPVTATIO XI.

De gratia Christi prout est quidam homo singularis. fol. 219.

QVÆST. I. *Vtrum in anima Christi fuerit gratia habitualis,* fol. 219

QVÆST. 2. *Ad quid fuerit necessaria gratia habitualis in anima Christi,* fol. 221

QVÆST. 3 *Qua certitudine gaudeat in anima Christi fuisse gratia habitualem,* fol. 227

QVÆST. 4. *Vtrum gratia habitualis Christi Domini fuerit infinita,* fol. 229

QVÆST. 5. *Vtrum gratia habitualis Christi potuerit augeri,* fol. 232

QVÆST. 6. *Vtrum in Christo Domino reperta fuerit gratia actualis,* fol. 236

DISPVTATIO XII.

De virtutibus, & donis atque gratijs gratis datis, quæ fuerunt in anima Christi. fol. 238.

QVÆST. I. *Vtrum fides virtus theologica fuerit in anima Christi,* fol. 238

Quæst. 2. *Vtrum spes virtus theologica fuerit in Christo,* fol. 241

Quæst. 3. *Vtrum in Christo Domino fuerint virtutes morales,* fol. 245

Quæst. 4. *Vtrum in Christo fuerint omnia omnia dona Spiritus sancti,* Fol. 249

Quæst. 5. *Vtrum in Christo fuerint omnes gratia gratis datæ,* Fol. 253

DISPVTATIO XIII.

De gratia Christi prout est caput Ecclesiæ. fol. 256

QVæst. I. *Vtrum Christus sit caput omnium hominum,* Fol. 256

Quæst. 2. *Vtrum Christus in quantum homo sit caput Angelorum,* Fol. 258

Quæst. 3. *Quæ gratia sit gratia capitis in Christo,* Fol. 260

DISPVTATIO XIV.
De merito Christi Domini nostri. fol.262.

QVÆST. 1. *An per omnia opera Christus Dominus meruerit*, fol. 262
PARS 1. *An Christus Dominus meruerit per actum dilectionis Dei super omnia*, fol.263
PARS 2. *An Christus Dominus meruerit ad opera ad quæ tenebatur ex præcepto, an non*, fol. 268
Quæst. 2. *Quo tempore Christus Dominus meruerit*, fol 270
Quæst. 3. *Vtrum Christus Dominus aliquid sibi meruerit*, fol.273
Quæst. 4. *Vtrum Christus Dominus meruerit Angelis gratiam, & gloriam essentialem*, fol.277
Quæst. 5. *Quid Christus Dominus nobis meruerit*, fol. 284
Quæst. 6. *De diuersis Christi Domini appellationibus*, Fol.287

DISPVTATIO XV.
De scientia animæ Christi. fol.289.

QVÆST. 1. *Vtrum in Christo fuerit scientia beata ab instanti suæ conceptionis*, fol.289
Quæst. 2. *Quæ, qualis, & quanta sit scientia beata animæ Christi*, fol. 291
Quæst. 3. *Vtrum in Christo fuerit scientia in proprio genere, & quotuplex fuerit*, Fol.298
Quæst. 5. *De obiectis scientiæ per se infusæ, quæ fuit in anima Christi*, Fol. 302
PARS 1. *Vtrum Christus per scientiam per se infusam nouerit obiectum increatum*, Fol.302
PARS. 2. *Vtrum Christus per hanc scientiam nouerit obiecta sensibilia, & materialia*, Fol.308
PARS 3. *An Christus per hanc scientiam nouerit obiecta supernaturalia*, Fol. 311
PARS 4. *Vtrum Christus per hanc scientiam cognouerit singularia determinata sub quauis temporis differentia*, Fol.312
PARS 5. *Vtrum Christus per hanc scientiam cognouerit futura contingentia*, Fol.313
PARS 6. *De numero obiectorum, quæ Christus cognouit per hanc scientiam*, Fol.317
Quæst. 5. *Vtrum in scientia per se infusa animæ Christi detur habitus distinctus à speciebus*, Fol.320
Quæst. 6 *De his, quæ pertinent ad actum scientiæ per se infusæ*, Fol.324
PARS 1. *An omnia, quæ Christus cognouit per hanc scientiam, cognouerit simul unico actu secundo*, Fol.324
PARS 2. *Vtrum Christus potuerit uti hac scientia cum collatione & discursu*, fol.325
PARS 3. *Vtrum Christus vsus fuerit hac scientia cum conuersione ad Phantasmata*, fol.326
PARS 4. *Vtrum actus scientiæ per se infusæ Christi excedat actum eiusdem scientiæ Angelorum*, fol. 327
Quæst. 7. *De scientia per se acquisita animæ Christi Domini*, Fol. 326

DISPVTATIO XVI.
De potentia Christi Domini. fol.336.

QVÆST. 1. *An humanitas Christi verbo vnita habuerit omnipotentiam*, Fol.336
Quæst. 2. *Qua virtute Christus fecerit miracula, an physica, an vero morali*, Fol.338
Quæst. 3 *Vtrum Christus secundum quod homo fuerit Rex temporalis omnium regnorum*, Fol.341
Quæst. 4. *Vtrum Christus fuerit peculiariter Rex Iudæorum*, Fol.343
Quæst. 5. *An homo Christus habuerit dominium rerum omnium*, Fol.344
QVÆST. 6. *De sacerdotio Christi Domini*, Fol.345
PARS 1. *An sacerdotium Christi profuerit etiam ipsi Christo*, Fol.346
PARS 2. *Qua ratione Christus sit sacerdos in æternum*, Fol.347
PARS 3. *Quare Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, Fol.348

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De filiatione, prædestinatione, & subiectione Christi. fol.349.

QVÆST. 1. *Vtrum Christus in quantum homo fuerit formaliter filius Dei adoptiuus, an tantum naturalis,* Fol.349
PARS 1. *Refertur sententia negans cum suis fundamentis,* Fol.350
PARS.2. *Explanatur error felicis, & Elipandi,& quid contra ipsos fuerit definitum,* Fol.353
PARS 3. *Ostenditur, quod retenta vnitate suppositi diuini Christus secundum quod homo est formaliter filius Dei adoptiuus,* Fol.359
PARS 4. *An Christus secundum quod homo sit formaliter filius Dei naturalis,* Fol.365
PARS 5. *Fit satis argumentis contra adoptionem,& pro filiatione naturali factis,* fol.384
QVÆST.2. *Quomodo Christus sit prædestinatus filius Dei,* fol.384
QVÆST.3. *Vtrum Christus in quantum homo verè, & strictè fuerit seruus Dei,* fol.388
QVÆST.4. *Vtrum Christus in hac vita mortali vere orauerit ad Deum,* fol.393
PARS.I. *Vtrum omnis Christi oratio in terris fuerit exaudita,* fol.393
PARS.2.*Vtrum Christus nunc in cælo existens verè oret pro nobis,* fol.394

DISPVTATIO XVIII.

De defectibus assumptis in humanitate à Christo. fol.397.

QVÆST.1. *De impeccabilitate Christi secundum naturam humanam,* fol.397
Quæst.2.*Vtrum Christus assumpserit, vel assumere potuerit ignorantiam,* fol.401
QVÆST.3. *Vtrum defectus corporales, quos assumpsit Christus in humanitate fuerint ipsi Christo voluntarij,* Fol.403
Quæst.4 *Vtrum Christus assumpserit defectus corpori, & animæ communes,* Fol.405
PARS 1. *An in Christi humanitate fuerit fomes peccati,* Fol.406
PARS 2. *An,& quomodo fuerit in Christo tristitia,* Fol.407
PARS 3. *An in humanitate Christi fuerit dolor,* Fol.411
PARS 4. *An in humanitate Christi fuerit timor,* Fol.412
PARS 5.*An in Christo fuerit verè & propriè actus admirationis,* Fol.413
PARS 6. *An in Christo fuerit ira, & quid sit dicendum de cæteris passionibus,* Fol.414

DISPVTATIO XIX.

De modo, quo debemus loqui in hoc mysterio. fol.415.

QVÆST.1. *Qua ratione idiomata naturæ humanæ & diuinæ ad inuicem communicentur in Christo,* Fol.415
Quæst.2. *Qualiter dicatur Deus factus est homo, & homo factus est Deus,* Fol.419
Quæst.3. *Vtrum absolutè Christus, & sine addito possit dici creatura,* fol.420
Quæst.4. *Quæ enunciationes fieri possint cum nota reduplicationis,* fol.422

DISPVTATIO XX.

De adoratione Christi Domini. fol.424.

QVÆST.1. *Ad quam virtutem spectet adoratio,* fol.424
QVÆST.2 *Per quem actum exhibeatur formalis adoratio,* fol.427
Quæst. 3. *Qualiter latria, qua Christum adoramus respiciat ipsum Deum,& hominem,* fol.430
Quæst.4. *Vtrum humanitas Christi Domini per se, & præcisa à verbo diuino possit adorari, & qua adoratione,* fol.434
QVÆST.5. *De adoratione eorum, quæ specialiter referuntur ad Christum,* fol.438

PARS 1.

PARS 1. *Qua adoratione Virgo Maria est adoranda, vt Mater Christi,* Fol.438
PARS 2. *Quomodo adorandum sit nomen Iesus,* Fol.442
PARS 3. *An crux Christi Domini debeat adorari,* Fol.443
PARS 4. *Vtrum imago Christi debeat adorari, & qua adoratione,* Fol.445
QVÆST. 6. & VLTIMA, *de adoratione Christi Domini in Eucharistia,* Fol.453



DE VERBO INCARNATO.

PROOEMIVM.

De abditiſſimo Incarnationis myſterio, ineffabiliq́ue duarum naturarum, diuinæ ſcilicet & humanæ conſortio in Chriſto Ieſu Domino noſtro, proprietatibuſq́ue & affectionibus à tali vnione proficiſcentibus diſputaturo, adſit ipſe altiſſimus noſtræ intelligentiæ Scopus, & huius materiei ſplendidiſſimum & nobiliſſimum obiectum; quod ſicut & rationales creaturas ſuâ diuinitate colluſtrat, ſuo pretioſiſſimo effuſo ſanguine perficit, & tamquam vnico & ſingulari remedio conſolatur & recreat; ita partem iſtam reliquas ſacræ Theologiæ partes (ea quæ de Triadis altiſſimo myſterio diſputat, excepta) grauitate antecellere facit, ſublimitate præponi, & dignitate præire. Materia quidem ſcientiæ non indigna, ſed potiùs ipſi ſatis proportionata, licèt enim ſit contingens & ſingularis, de quibus non eſt ſcientia, quatenus tamen ſub reuelationem cadit, & quaſi vniuerſalem habet naturam hypoſtaticè vniendi, materiam ſciendi continet neceſſariam. Circa cuius inueſtigationem, vtpote grauibus, ac perobſcuris inuolutam difficultatibus, cùm ſit (vt verbis vtar Cyrilli Alexand. ad Reginas) *quaſi ænigma ſacratiſsimum, quod ſummâ potiùs veneratione ſuſcipiendum eſt, quàm humani iudicij trutina ſubiiciendum*, ne latum (vt aiunt, vnguem ab Eccleſiæ dogmatibus, antiquorumq́ue Patrum placitis diſcedam.

De hac materia agunt Scholaſtici cum Magiſtro in tertio Sent. ad 1. vſque ad 23. vbi Scotus noſter Theologorum omnium facilè princeps, cuius ſubtiliſſimis ſententiis inhærere,

cuius piissima scripta omni industriâ, summaque diligentiâ rimari in animo est: *Quosdam enim dedit Deus Doctores*, inquit Apostolus ad Ephes. 4. *vt non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, quare inter cæteros subtilissimum, pientissimum, simulque veracem Scotum seraphica elegit religio. Agunt insuper Alexand. Alens. 3. part. à quæst. 1. vsque ad 25. vbi D. Thomas per 26. quæstiones, & 4. contra Gentes à cap. 27. vsque ad 49. Recentiores Thomistæ tomo primo in tertiam partem, Scotistæ in tertium Sent. apud quos videri possunt quamplures Patres Ecclesiæ, de hoc agentes mysterio. In cuius explicationem eam obseruabimus methodum, vt primò Disputationes proponam, sub quibus examinabo Quæstiones; & si opus fuerit, diuidam in Partes. Faxit etiam Virgo Deipara (de cuius erit immaculatâ puritate latus sermo) Catharina martyr & virgo, seraphicus Pater noster Franciscus, & B. Didacus aduocatus, negotium hoc perficientes.



DISPV-

DISPVTATIO PRIMA
DE
NOMINE INCARNATIONIS, EIVSQVE POSSIBILITATE, EXISTENTIA, CONVENIENTIA, ET NECESSITATE.

VTimur in ſcholis nominibus pro rebus, vnde prior eſt in qualibet materia de nominibus diſputatio, vt notis terminis ad notionem reliquorum ſit acceſſus. Poſteà de his quæ continentur in titulo diſputationis tanquam de proœmialibus agemus; pertinent enim ad illas quæſtiones, an ſit, & propter quid ſit, quæ inter quatuor de qualibet re aſſeruit Ariſtoteles ſecundo poſt Cap. 5. eſſe ſcienda.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm nomen Incarnationis ſit exactum.

1. NOn defuêre aliqui nimiùm Latini, qui vocem hanc Incarnationis, quòd latina non ſit, reprehendunt, imò interdum Catholici (vt refert Athanaſius ſerm. de Sanctiſſ. Deipara) illâ vti formidabant, ne diuinum Verbum ſolam carnem ſine anima aſſumpſiſſe, cùm Apollinari & Arrio ſentire viderentur.

2. Sed in hac re Dico primò, Non eſt fugienda vox Incarnationis, propter nouitatem ipſius. quod Probo primò ex Cicerone lib. 3. Academicarum quęſtionum, vbi ait quòd nouis rebus noua ſunt nomina imponenda, ſed hoc myſterium nouum eſt, imò vt ait Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 1. *Eſt nouum omnium nouorum, & ſolùm ſub ſole nouum, per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas, & ſapientia;* ergo ad illud ſignificandum non debemus fugere nouum nomen. Et confirmatur quia propter hoc Patres Concilij Niceni vſi ſunt hac noua voce *homoſium*, ad ſignificandum conſubſtantialitatem Patris & Filij; & tam Patres quàm Theologi Scholaſtici vtuntur nouo nomine *tranſubſtantiationis*, ad Euchariſtiæ myſterium ſignificandum, ergo eodem modo hac noua voce Incarnationis, vti poſſumus, ad hoc nouum myſtrium ſignificandum.

Secundò Probo, quia licèt hæc vox in principio Ecclefiæ noua eſſet, quando myſterium hoc nouum erat, tamen poſt tot dies, menſes & annos iam non noua, ſed antiquiſſima exiſtit, ergo iam modò non eſt fugienda, quia noua, maximè cùm illâ vſi fuerint Eccleſiæ Patres, tam Græci, quàm Latini, qui videri poſſunt apud Suarez in Præfat. ad 3. partem tom. 1. Imò illâ vtitur Concilium Nicenum, dicens in Symbolo fidei. *Et incarnatus eſt*, &c.

Dico ſecundò, per vocem Incarnationis, non ſignificatur Verbum aſſumpſiſſe ſolam carnem, ſed etiam totam naturã humanam aſſumptibilem. Probo, per vocem carnis ſecundùm communem modum loquendi SS^z non ſolùm ſignificatur altera pars naturæ humanæ, ſed etiam tota natura humana; quando per vocem Incarnationis, non ſolùm ſignificatur Verbum aſſumpſiſſe cárnem, ſed etiam totam naturam humanam. Antecedens patet Geneſ. cap. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Lucæ 3. *Et videbit omnis caro Salutare Dei.* Ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo;* in quibus locis, & in aliis pluribus, quos breuitatis causâ omitto; caro ſignificat totam naturam humanam: vnde Ioan. Euang. cap. 1. ſignificauit hoc myſterium, dicens: *Et Verbum caro factum eſt.* 3.

4. Ex his patet ad rationes dubitandi, quia hæc vox Latina est, à Latinis inuenta de nouo, vt nouum significaret mysterium, sicut in qualibet arte contingit, quia dum nouis officia vtuntur instrumentis, nouis etiam vtuntur nominibus ad illa significanda.

5. Insuper patet hanc vocem non esse fugiendam, quia per figuram synecdochen pars sumitur pro toto, & sic in communi vsu SS. caro significat totum hominem, & consequenter Incarnatio dicit assumptionem totius naturæ humanæ assumptibilis, quod indicauit Cyrillus in Scholiis de Incarnatione cap. 24. quare alij Patres Ecclesiæ vtuntur hac voce *corporationis*, seu *incorporationis*, quia pars sumitur pro toto. Immò hac voce *Incarnationis*, commendatur nobis hoc maximum beneficium assumendi Deum naturam humanam; sicut per vocem carnis significatur debilior & infirmior pars ipsius, & quæ magis videbatur remouenda, & non vnienda diuinæ naturæ: vnde Paul. 3. ad Timot. ait: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne*. Pluribus aliis nominibus significatur hoc mysterium, quæ vel sumuntur ab effectu, vel à causa, vel à conditionibus aut proprietatibus ipsius; quapropter dicitur diuina apparitio, diuina dispensatio, Dei descensus, missio Filij, Messiæ aduentus, exinanitio Dei, &c. de quibus latè agit, & ex Scriptura probat Matthæus Kellisonius super 3. partem D. Thom. tom. 1. in principio de nominibus Incarnationis; nobis autem sufficiat probasse nomen Incarnationis, exactum fuisse ad hoc mysterium significandum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm possibile fuerit naturam humanam vniri Verbo?

1. QVOD factum est, certum est possibile fuisse, quia aliàs non fuisset factum, si fieri repugnaret: vnde solùm agimus in præsenti, de modo non repugnanti, quo fuit facta vnio naturæ humanæ ad Verbum, siquidem de fide est fuisse factam, & quomodo nulla fuerit repugnantia, neque ex parte naturæ assumptæ, neque ex parte Verbi assumentis, neque ex parte vnionis.

Vt autem hoc ostendamus. Nota primò ex infrà dicendis, quòd quælibet substantia eo ipso quod substantia est, præcipuè si sit completa, habet annexum quemdam modum per se existendi; hoc est, taliter extra causas habet suum esse, quod independens omnino formaliter sit ad sui esse, & ad sui conseruationem ab alio, & sic non indiget quod ab alio sustentetur vt existat; quod aliter contingit in accidenti, nam naturaliter, & secundùm propriam naturam nequit esse, nisi ab alio sustentetur, & pendeat in fieri & conseruari: vnde fit vt semper sit in subiecto, nisi interueniat potentia Dei absoluta; modus substantiæ dicitur subsistentia, modus accidentis inhærentia nuncupatur. 2.

Nota secundò quod modus iste substantiæ, scilicet existere per se; & modus iste accidentis, scilicet existere in alio, realiter distinguuntur à substantia & accidenti in indiuiduo, quorum sunt modi, quia de potentia absoluta separari possunt, hoc est substantia & accidens possunt esse sine illis, quia supplentur à Deo altiori modo. 3.

Quibus suppositis, sic ostendo ex Scoto quæst. 1. huius 3. sent. possibilitatem hanc, quia non repugnat ex parte naturæ humanæ, cùm enim substantialis & completa sit, debet terminari hoc modo existendi per se, & consequenter ei non repugnat quod singularis sit, & quod vniatur hoc modo, qui reddat illam existentem per se, quod præstat Verbum diuinum, seu personalitas Verbi, ex eo quod substantia est. Neq; similiter repugnat ex parte Verbi, quia Verbum est vltimus terminus incommunicabiliter & per se existendi ex tribus, quos habet natura diuina. Præterea non repugnat ex parte vnionis, quia huius repugnantia solùm oritur ex parte extremorum; ergo interueniente potentia Dei absoluta non repugnabit, sed fuit possibile naturam humanam vniri Verbo: vnde in hoc cõsistit mysterium Incarnationis, quod humanitas Christi careat proprio modo existendi per se, seu propria subsistentia, quam deberet habere, si non vniretur Verbo, vt existat per se, seu sub- 4.

ſubſiſtat ea ſubſiſtentia quâ exiſtit per ſe, ſeu ſubſiſtit Verbum diuinum. Secundò, oſtenditur hæc non repugnantia reſpondendo ad argumenta in contrarium

5. Sed contrà primò, quia vnio iſta videtur imperfectionem ponere in diuino Verbo, ergo repugnat. Antecedens probatur: Arguit in ipſo potentialitatem, compoſitionem & limitationem, quia modò Verbum reddit perſonam humanitatem Chriſti, quam anteà non reddebat. Ex quo videtur eſſe actum, & formam ipſius illiq́; inhærere, quod totum arguit compoſitionem & limitationem & potentialitatem, & ſic imperfectionem. Præterea per vnionem aſtringitur illi, & quaſi limitatur. Ergo, &c.

6. Reſpondeo, quòd Verbum, quando reddit ſubſiſtentem naturam humanam, non comparatur cum illa tâquam forma informans illam, hoc enim diceret veram compoſitionem, cuius extrema componentia habent ſe vt actus & potentia, & ſic inuolueret imperfectionem; ſed comparatur tamquam terminus illius dependentiæ, quam habet natura humana à propria ſubſiſtentia: vnde ſicut etiamſi filius ſit terminus patris, vt Patris, non tamen eſt forma patris; & etiamſi Creator ſit terminus creaturæ, non tamen eſt forma ſeu actus formalis creaturæ; neque propter hoc eſt in prædictis terminis mutatio, quæ dicat imperfectionem. Ita neque in Verbo, ex eo quod ſit terminus dependentiæ naturæ humanæ inquãtum perſonabilis: ex quo patet quòd potentialitas, mutatio & imperfectio ſolùm verificantur de natura humana, in qua inhæret, ſeu ineſt vnio hypoſtatica, non de Verbo quod ſolùm terminat talem vnionem, per quam non limitatur Verbum, cùm nihil amittat propriæ virtutis.

7. Contrà ſecundò, ſicut de Verbo diuino dicitur incarnare, ita dicitur incarnari, quod ſignificat paſſionem; & etiam dicitur eſſe vnibile, quod ſignificat potentiam; ergo repugnat ei talis vnio. Reſpondeo ex Scoto *ſ. ad argumenta* hæc dici grammaticaliter de Verbo, quia talis actio, paſſio & potentia ſolùm verificantur realiter de natura humana, quia ſcilicet ſuper eam tranſeunt prædictæ mutationes, & potentiæ, non ſuper Verbum; non aliter ac Deus dicitur Cognoſcibilis & Cognitus, ex eo ſolùm quòd ſit terminus noſtræ cognitionis poſſibilis & actualis, quæ mutationes & potentiæ tranſeunt & inhærent in noſtra potentia, & non in Deo, licèt denominent ipſum Deum.

Contrà tertiò, aliter ſe habet Verbum nunc, quàm priùs, quia modò reddit naturam humanam perſonam, & anteà non: præterea modò dicitur, & eſt verè & formaliter homo, & anteà non; ergo mutatur. Reſpondeo, quòd in vera & propria mutatione, quæ in aliquo præſuppoſito ſubiecto neceſſariò debet fieri, aliàs non erit vera & propria mutatio, reperitur ſubiectũ cum actu, & cum potentia, quæ perficiatur per actum, quia hoc eſt de intrinſeca ratione motus & mutationis ex dictis in phyſicis, eſt enim actus entis in potentia ſecundùm quod in potentia ad actũ: vnde cùm in Verbo non reperiatur potentia vera, quæ perficiatur per actum, quia infinitum in perfectione non poteſt magis perfici: hinc eſt quod non mutetur eâ mutatione, quæ eſt vera mutatio, & dicit imperfectionem. Quod ſi nimiùm inſtes, quod aliter ſe habere nunc, quàm priùs eſt mutari, etiamſi non ſit in ſubiecto potentia ad actum. Reſpondet benè Valencia to. 1. ad 3. partem, quæſt. 3. in reſponſione ad argumenta, quod quæſtio hæc de mutatione erit de nomine, ſed vt conformemur commmuni doctrinæ Patrum & Scholaſticorum, vox mutationis ſemper à Deo eſt releganda. 8.

Contrà quartò, quia perſonalitas Verbi non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, vt aſſerit Scotus in hac Quæſtione, quia non continet virtualiter omnem perfectionem cuiuſcumque perſonalitatis creatæ; ergo nec poteſt præſtare naturæ humanæ, quod ſua propria perſonalitas præſtaret. Et confirmatur quia in doctrina Scoti in præſenti, quæ ſuſtinet diuinas perſonalitates non eſſe formaliter infinitas, perfectiori modo continentur perſonalitates creatæ in eſſentia diuina, quia formaliter infinita, quam in perſonalitatibus diuinis, & tamen nequit eſſentia diuina ſupplere perſonalitatem crea- 9.

 tam;

tam; ergo neque poterit supplere personalitas Verbi.

10. Respondeo ad totum hoc ex eodem Scoto rationem propter quam Verbum terminat dependentiam naturæ humanæ ad personari non esse aliquam virtualem continentiam Verbi personalitatum creatarum, sed esse independentiam personalem, quam formaliter habet persona Verbi, & propter huius rationem potest supplere quamlibet dependentiam personalem cuiuslibet naturæ creatæ, & propter huius defectum essentia diuina etiamsi virtualiter & eminenter contineat non supplet, neque supplere potest, quia ipsa formaliter non est independens personaliter, sicut est quælibet persona in diuinis.

11. Contrà quintò, quia etiamsi non repugnet hæc vnio ex parte Verbi, repugnat tamen ex parte naturæ humanæ, quæ non in communi, sed vt singularis est debet assumi: vnde Damasc. lib. 3. cap. 1. dixit: *Quod Verbum assumpsit naturam in atomo*, id est singularem, sed eo ipso quod natura sit singularis, existit per se, & est independens ab alio sustentante; ergo est persona, & consequenter nequit personari ab alia.

12. Respondeo ex dicendis infrà disp. 6. quæst. 4. dum agamus de eo in quo formaliter consistat personalitas & subsistentia, quod diuersa est formalitas (siue sit negatiua, siue positiua) qua natura constituitur indiuidua, singularis ab ea, qua constituitur in esse personæ, quia illa dicit in diuisionem à se, & diuisionem à quolibet alio indiuiduo eiusdem speciei, in quo formaliter conueniunt etiam indiuidua accidentium cum indiuiduis substantiæ: hæc autem dicit incommunicabilitatem, seu non posse communicari alteri tamquam sustentanti, in quo natura substantialis completa non conuenit cum accidenti: vnde licèt Verbum assumpserit naturam humanam in indiuiduo, non tamen assumpsit illam subsistentem & personatam; quia non sunt idem formaliter esse naturam indiuiduam, & esse subsistentem per se, seu existentem.

13. Contrà sextò, quia hæc vnio videtur repugnare ex parte vtriusque extremi, scilicet ex parte Verbi, & naturæ humanæ, quia quæ ad inuicem vniuntur, aliquam debeat seruare proportionem, sed finiti ad infinitum nulla est proportio; ergo, &c. Et confirmatur, quia plus distant inter se Deus & creatura, quàm duo contraria, scilicet albedo & nigredo; sed hæc non possunt inter se vniri; ergo neque illa. Respondeo ad Argumentum, distinguendo de proportione: Nulla est proportio quantitatiua, qualis est dupli ad dimidium, concedo: Nulla est proportio ordinis, qualis requiritur inter naturam personabilem & subsistentiam personantem, nego, propter rationem & doctrinam supradictam in ostensione veritatis eius.

Ad cõfirmationem respondetur, rationem propter quam non possunt vniri contraria, non esse propter distantiam, quia magis distant (vt inquit Scotus) superficies & albedo, quàm albedo & nigredo; quia illa non solùm differunt specie, sicut hæ; sed etiam genere & prædicamento; & nihilominùs superficies & albedo vniuntur inter se, non tamen albedo & nigredo: vnde oppositio inter illas reperta est, quæ tollit vnionem, natura autem humana & personalitas Verbi non sunt opposita, licèt inter se nimis distent. 14.

Contrà septimò, quia etiam videtur repugnare ex parte ipsius vnionis, nam vel vniri personalitatem diuinam cum humana natura est reuerà illam reddere indistantem & proximam huic, & sic omnis natura humana existens est vnita personæ diuinæ, quia nulla distat ab illa, cum persona Verbi sit vbique per præsentiam, potentiam & essentiam; vel est alio modo vtramque coniungere, qui modus non videtur perceptibilis, quia non apparet quomodo quid creatum alliget diuinum esse cum esse humano. Respondeo, vnionem formaliter non esse solùm reddere indistantem naturam humanam à Verbo, vt benè probat argumentum; sed esse specialem coniunctionem, & ligaturam, quæ licèt creata sit formaliter in se, tamen talis est naturæ constitutæ à Deo, quod habeat pro formali effectu vnire naturam humanam cum personalitate Verbi, vt personalitas Verbi reddat naturam humanam personam. Et non est mirum quòd non satis percipiatur modus istius vnionis, cùm ipsa sit ineffabilis, supernaturalis, & excedens vires nostras; 15.

nostras; neque reperiamus exemplum in omnibus simile, vt possit nobis satis notificare, vt benè plures Patres.

16. Inquires pro complemento Quæstionis, quodnam sit exemplum verosimilius in naturalibus, & huic mysterio magis accommodatum, vt percipiamus illud? Et respondeo inter alia illud esse præcipuum, quod adducitur à Scoto, vbi suprà §. de 1. d. scilicet de subiecto & accidenti, quod in accidenti est duplex habitudo ad subiectum, vna tamquam forma ad materiam, quam informat, & ista habitudo includit imperfectionem in subiecto, quia arguit in eo potentialitatem ad perfici saltem accidentaliter; alia habitudo est ad subiectum tamquam ad sustentans ipsum accidens, quia hoc non existeret, neque esset in rerum natura, nisi subiectum conseruaret & sustentaret ipsum in se, & ista habitudo non dicit imperfectionem; sed potiùs perfectionem, quia arguit in subiecto virtutem ad substantificandum accidens, sicut arguit in accidenti indigentiam ad sustentificari, & ista habitudo est prior ex natura sua quàm illa, quia hæc causalis est vera; ideò accidens petit inhærere in subiecto, & informare illud, quia sustentificatur ab illo, dependentia ergo quâ natura humana per vnionem dependet à Verbo, est valdè similis huic secundæ habitudini, & dependentiæ, quam habet accidens ad subiectum à quo dependet vt sustentificetur, licèt sit differentia, quia hæc non reperitur sine priori habitudine, nam accidens non sustentificatur à subiecto, nisi inhærendo illi; at verò natura humana non inhæret Verbo, sed solùm modo mirabili vnitur & coniungitur illi, quia ab illo est omnino remota omnis imperfectio, qualis est inhærentia & informatio.

17. Etiam est optimum exemplum vnio materiæ & formæ, non quæ vnificantur, quia hæc includit imperfectionem, cùm ipsa sit informatio & receptio, sed qua vniuntur in actu primo, vt causent totum, quia ratione huius materia & forma sunt ad inuicem indistantes, & proximæ, & alligatæ, vt statim communicentur ad inuicem, vna informando, & altera recipiendo, ita quod in actu primo materia respicit tamquam terminum formam, vel econtrà per relationem extrinsecus aduenientem spectantem ad prædicamentum, *Vbi*, ratione cuius formaliter prædictæ partes redduntur vnitæ, vt posteà quasi vnificentur & conueniant in esse totius, per ipsas scilicet materiam & formam, & per causalitates earum constituti; quare meritò Scotus 1. quæst. 3. asseruit quòd totum distinguitur realiter à partibus etiam simul sumptis & vnitis, quia scilicet partes in actu secundo iam constituentes totum, includunt vnificationem, quam non habebant, dum erant vnitæ in actu primo, vt olim dicebamus in artium lectura: vnde venit intelligendum illud Athanasij exemplum in Symbolo, sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus, Id est, sicut per illam vnionem fit ex anima rationali & carne homo, ita per hanc ex Deo & homine Christus, licèt exemplum non teneat in omnibus, quia per illam vnionem fit homo solùm in actu primo, per hanc autem fit Christus etiam in actu secundo, exemplum autem arboris insertæ, quod adduci à recensioribus solet, non philosophicum est, sed humanum, & cõditionibus proportionatum.

QVÆSTIO III.

Vtrum prædicta Incarnationis possibilitas solo lumine naturali possit cognosci?

VTilissima est Quæstio hæc contra Porphirium, Celsum, Tulianum, & alios Philosophos relatos à Medina lib. 1. de recta in Deum fide, ideò negãtes possibilitatem Incarnationis, quia intellectus illam capere non valet. Quare oportet inquirere quid possit intellectus creatus suis viribus relictus circa illam. 1.

Dico primò: Non potest ratione aliqua euidenti ostendi ab intellectu creato impossibilem esse Incarnationem. hæc conclusio cõmunis est apud Theologos in præsenti. Et fidelibus ex eo patet, quia si de fide est possibilem esse Incarnationem; ergo talis possibilitas erit certa & omnino vera, ergo eius oppositum, scilicet impossibilitas incerta, & omnino falsa; ergo nõ potest demonstrari 2.

strari ratione naturali. hæc vltimâ consequentia probatur, quia reliqua per se patent. Nam de ratione euidentiæ est, quod ex veris procedat, & quod verum inferat. Et confirmatur, quia licèt mysteria fidei sint supra naturam, non tamen sunt contra naturam, ergo intellectus naturalis ex vi proprij luminis non potest circa illa inferre falsitatem, licèt ex defectu luminis non valeat aliquando inferre veritatem ad talem cognitionem.

3. Contra infideles autem sic probatur, quia vel impossibilitas Incarnationis ostenditur ex eo quod non sufficiat intellectus creatus solo lumine naturali ad consequendam ipsius possibilitatem, vel quia euidenter ostenditur impossibilitas illius; sed neutro modo ostenditur, ergo nullo modo. Minor quantum ad primam partem sic probatur, quia euidens est plurima etiam naturaliter esse possibilia, quæ tamen nos non assequimur: prætereà euidens est etiam diuinam potentiam superare nostram cognitionem, sicut eius natura & sapientia infinitè excedit nostram; ergo ex eo quod viribus naturæ non assequamur possibilitatem Incarnationis, non ostenditur èius impossibilitas. Secunda autem pars ex eo probatur, quia nullum fit argumentum in contrarium, cui non fiat satis, vt patet ex solutiòne illorum in Quæstione antecedenti; malè ergo negant infideles Philosophi, etiamsi solo lumine naturali ducantur, possibilitatem huius mysterij.

4. Dicò secundò: Licèt non possit euidenter ostendi impossibilitas Incarnationis, non tamen potest euidenter ostendi ab intellectu creato, etiam angelico viribus naturæ relicto possibilitas illius. hæc conclusio etiam est communis apud Theologos in 3. d. 1. vbi Scotus ibidem Marf. art. 2. dub. 2. Suarez tom. 1. in 3. partem disp. 3. sect. 1.

5. Et probatur primò, quia Paulus ad Ephes. 3. vocat hoc mysterium *inuestigabiles diuitias Christi, & Sacramentum absconditum à sæculis in Deo.* Et idem repetit ad Coloss. 1. & 2. ad Corinth. vbi Ambrosius ita concludit: *Abscondita est ergo Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est non humana ratione possibilis, sed spiritus efficaciâ credibilis;* & idem dixit etiam de Angelis lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 5. & August. epist. 3. ad Bolus. de hoc mysterio finiens sermonem, sic ait: *Fateamur ergo Deum aliquid posse, quod non fateamur inuestigare nos posse;* quæ verba vsurpauit Concilium Toletanum 11. Et addidit: *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile, si exemplo non esset singulare.*

Secundò probatur ratione, quia ad cognoscendum euidenter istam possibilitatem deberet intellectus euidenter cognoscere potentiam obedientialem naturæ rationalis, & omnipotentiam Dei, cùm ab vtraque pendeat prædicta possibilitas per se, sed neutram potest etiam angelicus intellectus euidenter cognoscere naturaliter, cùm vtraque sphæram ipsius excedat naturaliter; ergo prędicta possibilitas non potest euidenter ab ipso naturaliter ostendi. 6.

Tertiò, quia nulla est causa naturalis, per quàm à priori possit demonstrari, nec vllus effectus per quem à posteriori; ergo nullum est medium naturale per quod possit euidenter ostendi possibilitas talis. 7.

Quartò, quia ad istam cognitionem euidentem deberet euidenter cognosci non solùm vnio hypostatica in se, sed etiam vt terminata per verbum, sed verbum est obiectum voluntarium, & non naturale, vt latè in materia de visione; ergo nequibit naturaliter cognosci. quæ argumenta etiam probant, vt benè vidit Suarez intellectum creatum suis viribus relictum, etiam neque probabili assensu definitè iudicare posse, Incarnationem esse possibilem; sed si fingamus in talem quæstionem incidere, scilicet an posset Deus & homo vniri, vel suspensurum fore iudicium, vel si vellet proferre fortè erraturum, iudicando esse impossibile. 8.

Sed contra hanc secundam conclusionem argumentor primò ex prima, quia vt patet ex illa, ratio naturalis non iudicat euidenter Incarnationem esse impossibilem; ergo iudicat esse possibilem euidenter. Consequentia probatur, quia inter contradictoria non datur medium. Respondeo, concedendo antecedens, & negando cõsequentiam. ad cuius probationem dico, quòd etiãsi possibile & impossibile sint contradictoria, & etiamsi in hypothesi, quod habe- 9.

beret

beret intellectus naturaliter iudicium hoc: Incarnatio non est impossibilis, deberet naturaliter & necessariò inferre aliud iudicium, scilicet ergo Incarnatio est possibilis: nego tamen quòd intellectui proponatur naturaliter, neque possibilitas, neq; impossibilitas Incarnationis, quia sicut Incarnatio est entitas quoad substantiam supernaturalis, ita cognitio illius debet haberi aliquomodo supernaturaliter, & saltem per reuelationem alicui factam, & sic naturaliter nequit habere intellectus iudicium circa possibilitatem, nec circa impossibilitatem illius. quod si post propositionem huius obiecti supernaturalem vellet naturaliter proferre iudicium verum, deberet hoc modo proferre: *Incarnatio est possibilis, vel impossibilis*; quia circa affirmationem solius possibilitatis, vel solius impossibilitatis, non potest nisi iudicium suspendere, cùm excederet sphęram naturalem ipsius, vltra quam nec tenet, neque euidenter potest illud proferre; vel si iudicium vellet proferre, forte & verisimilius est quòd erraret.

10. Dixi autem notanter quod in hypothesi, quod haberet naturaliter hoc iudicium: Incarnatio non est impossibilis, deberet naturaliter & necessariò inferre hoc iudicium; ergo est possibilis, quia omnino falsum existimo quod aliqui respondent, scilicet non debere inferre hoc iudicium necessariò, licèt possibile & impossibile sint contradictoria, quia iudicium de prima propositione, & iudicium de secunda non sunt contradictoria, sed contraria, inter quæ datur medium, scilicet suspendere iudicium. Quia contrà est, nam alias nullam inferret intellectus cõtradictionem, quia inter iudicium de vno contradicto, & iudicium de alio posset dari suspensio iudicij, semper enim intellectus versatur circa cõtradictoria per actus positiuos, v.g. ex hoc iudicio, *Aër non est priuatus luce*, non posset proferre hoc iudicium; ergo *aër est cum luce*, quia posset dari suspensio iudicij, licèt esse priuationem lucis, & esse lucem sint contradictoria; quod est falsum, cùm in istis non debeant attendi actus intellectus, quia semper sunt positiui, sed obiecta eorum actuum, quorũ alterum sit positiuum, alterum priuatiuum.

Contrà secundò, quia Angelus comprehendit naturam humanam; ergo cognoscit in illa obedientiam, seu non repugnantiam, vt assumatur à Verbo. Respondeo comprehendere quidem illam quãtum ad naturalia, scilicet quantum ad prædicata essentialia, & passiones, imò & potentiam obedientialem in ordine ad Deum, vt agentem naturalem; non tamen in ordine ad illum, vt agentem supernaturalem, quia ad huius notitiam requiritur saltem reuelatio. 11.

Contrà tertiò, quia euidens est Angelo Deum posse efficere, quidquid non implicat contradictionem, sed etiam est euidens illi non implicare contradictionem, quòd Deus fiat homo, quia naturaliter illi cõstat, quòd Deus est subsistens, & independens personaliter, & quòd subsistentia naturæ humanæ realiter est ab illa separabilis, sic potest inferre quòd sit natura humana vnibilis de potentia Dei illius subsistentiæ & personalitati. Respondeo concedendo primam partem argumẽti, & negando secundam, quia dato casu quod Angelus cognosceret naturaliter subsistentiam incõmunicabilem, & indepẽdentiam personalem, tamen stãdo in solo lumine naturali nesciret quomodo fieri posset talis Incarnatio, & personatio à Verbo absq; informatione & compositione, quæ repugnat Verbo. Deinde licèt sciret subsistentiam creatam separabilem esse à natura humana, nesciret tamen an posset conseruari sine illa, cùm sit modus intrinsecus illius, licèt non essentialis, sicut nequit naturaliter cognosci, quòd quantitas possit esse sine figura, quæ tamen realiter distinguitur ab illa. 12.

Contrà quartò, quia Angelus potest naturaliter euidenter cognoscere resurrectionem hominis, v.g. esse possibilem; ergo & Incarnationem. Respondeo, negando antecedens, quia licèt resurrectio non sit supernaturalis quoad substantiam, sicut Incarnatio, est tamen supernaturalis quoad modum, & sic fieri ipsius pendet ab aliquo supernaturali: vnde eius possibilitas (non dico pro nunc eius existentia, quia de hoc infrà) non noscitur naturaliter, sed solùm reuelatione. 13.

Contrà quintò, intellectus naturali- 14.

ter potest euidenter soluere argumenta contra possibilitatem Incarnationis, vt intendit facere Scotus, vbi suprà, & de his, quæ contrariantur cuilibet mysterio fidei, affirmat posse fieri D. Thomas 1. parte, quæst. 1. art. 8. ergo poterit etiam euidenter attingere ad eius possibilitatem. Respondeo cum Caietano & Suare vbi suprà dupliciter posse solui euidenter argumenta: Primò, positiuè, hoc est, euidenter ostendendo, quòd principia, ex quibus procedunt, falsa sunt, & eorum contradictoria vera, & vt sic nego antecedens. Secundò, negatiuè, hoc est, negando principia, quia non conuincunt euidenter intellectum, & semel negata non poterunt euidenter probari, licèt non euidenter constet, quòd illorum contradictoria sunt vera, & vt sic concedo antecedens, tamen ex illo non sequitur quod possit euidenter attingere ad possibilitatem, quia non valet, non mihi probas euidenter, quòd sit impossibile hoc mysterium; ergo in se est possibile, quia esse possibile illius in reipsa non dependet à probationibus euidentibus alicuius Philosophi, sed à suis intrinsecis principiis, sicut & esse futurum, & existens illiùs.

15. Contrà sextò, ratione naturali est hoc mysterium euidenter credibile; ergo & euidenter possibile. Respondeo: Ex diuerso Capite sumitur credibilitas & possibilitas, quia credibilitas sumitur ex auctoritate dicentis: vnde propter hanc etiam res impossibilis creditur, possibilitas autem sumitur ex principiis intrinsecis illius, quæ in Incarnatione naturaliter non constant, præterquam, quod modò non admitto, quod euidens credibilitas possit solùm ratione naturali haberi, cùm sumatur aliquando ex miraculis, aliquando ex aliis notis & signis supernaturalibus, sed hoc spectat ad materiam de fide, vbi Disputatione quintâ latior redibit sermo.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Messias iam venerit?

1. MEssiam iam venisse, articulus est fidei. Colligiturque ex verbis Ioan. 11. quia cùm Samaritana dixisset Christo: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, dixitq; ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum.* quare nullus fidelium de hoc dubitat? dubitant tamen infideles, & proterui Iudæi: vnde contra ipsos præsens instituitur Quęstio: contra Iudæos auctoritatibus noui Testamenti non possumus vti, quia illud non admittunt, sed probanda à nobis est pars affirmatiua auctoritatibus veteris Testamenti, quod admittunt.

Neque dubium est etiam apud infideles Iudæos iam venisse, & in carne extitisse illum hominem nuncupatum Iesum, omnes enim per traditionem certam & historiam acceperunt, & eorum historiographus Iosephus lib. 18. Antiquitatum cap. 8. memoriæ prodidit, vbi grauissimum de illo reddidit testimonium, sed negant illum fuisse verum Messiam. 2.

Contra quos sic argumentor: Ille est verus Messias, in quo omnia, quæ Deus per suos Prophetas prædixit, vt cognosceretur, euenerunt, sed omnia hæc euenerunt in homine illo Iesu; ergo ille est verus Messias. Maior huius Syllogismi admittitur ab omnibus. Minorem probauit Christus Matth. 11. cùm Ioannes misisset ad illum nuntios, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quibus respondit: *Cæci vident, claudi ambulant*, &c. ac si diceret: Videte, quomodo in me impleantur ea quæ per Prophetas dicta sunt, & videbitis quòd ego sum Messias. 3.

Sed insuper patet veritas huius Minoris ex adimpletione prophetiarum, quia Genes. 49. dicitur: *Non auferendum sceptrum de Iuda, donec veniret qui mittendus erat.* quibus significatur verbis eo tempore Christum venturum, quo sceptrum & potestas regia auferentur à tribu Iuda, cõstat autem hoc sceptrum perseuerasse in tribu Iuda, à Dauide vsque ad captiuitatem Babylonicam, & in ipsa captiuitate durasse in Zorobabel, & post captiuitatem permansisse vsque ad tempora Machabæorum, qui erant de tribu Iuda secundùm lineam maternã: & posteà in iudicibus & Concilio Zanedrini, saltem nullus alienigena regnauit in Iudæa ante Herodem Idumæum, qui abstulit illis principatũ, & regnauit inter illos: vnde factum est, 4.

vt

vt aliqui suspicarentur Herodem esse Messiam, qui dicti sunt Herodiani. Præterea Danielis 9. dicitur ab Angelo Gabriele post hebdomadas 70. à reædificatione templi Ierusalem fore vngendum Sanctum Sanctorum, quomodocumque autem hebdomadæ istæ (annorum) computentur, iam transactæ sunt: de quo legendus est Gaspar Sanchius super hoc 9. cap. Danielis, & Salianus tom. 5. anno mundi 3609. & tomo 6. anno 4086. deinde Aggæi 2. promittitur post modicum tempus venturum desideratum cunctis gentibus. Legite hæc, & plura alia apud Auctores, qui contra Iudæos scripserunt, nostrum Nicolaum de Lyra in fine Glossæ ordinariæ, Paulum Burgensem in scrutinio Scripturarum, Petrum Galatianum lib. 4. de Arcanis fidei Catholicæ, Porchetum 1. parte victoriæ, Suarium 3. p. tom. 1. disp. 1. per quatuor integras sectiones, & Hurtadum Valmasedanum tomo de Deo homine disp. 7. à sect. 2.

5. Præterea ortum Messiæ futurum esse ex Virgine, dicitur Isaiæ 7. & tali loco, scilicet Bethleem Michæas 5. & eo tempore, quo pax esset in vniuerso orbe Isaiæ 2. Micheæ 4. Zachar. 9. Prænuntiatus est eius præcursor (qui fuit Ioannes Baptista) Malachiæ 3. & Isaiæ 4. prædicatio Messiæ, eiusque doctrinæ confirmatio magnis miraculis Isaiæ 35. & 61. quòd futurus erat pauper, & tamquam Rex ingressurus Ierusalem super asinum dicitur Zachariæ 9. passio eius, mors, tenebræ solis, & alia signa, quæ in ipsa contigerunt Psal. 21. 40. 68. Isaiæ 53. Ieremiæ 11. Amos 9. Zachariæ 12. & 13. & sæpè alibi, sepulchrum eius futurum gloriosum dicitur Isaiæ 11. quòd descenderet ad inferos, liberaretque iustos captiuos ibi existentes Ecclesiast. 24. Zachariæ 9. Resurrectio à mortuis Psal. 3. & 15. Ascensio in cælum Psal. 67. & Micheæ 2. Emissio Spiritus sancti Ioel. 2. Vocatio Gentium Isaiæ 49. Reprobatio Iudæorum Ieremiæ 19. sed hæc omnia impleta sunt in Christo Iesu, quod negare non possunt, cùm plurima viderint, alia experientia didicerint, reliqua miraculis confirmata cognouerint; ergo ille est verus Messias; ergo iam venit.

Patet insuper veritas hæc ex Iudæorum captiuitate, & dispersione, quæ iam per mille & sexcentos ferè annos durauit absq; Angelorum cõsolatione, & absque Prophetarum vaticinio, vt in aliis antiquis captiuitatibus habebant, quod est signum satis manifestum iam derelictos à Deo fuisse, & frustrà expectare Redemptorem. Vnde eleganter Hieronymus epistola ad Dardanum, ait, *Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui ante oblitus fuit, nunc per tanta spatia temporum non adducitur, vt soluat captiuitatem, & vt verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum, ob quod facinus, & tam execrabile scelus auertit à te oculos suos? Ignoras? memento vocis parentum tuorum: sanguis eius super nos, & super filios nostros: & hic est heres, venite, occidamus eum: & nostra erit hereditas: & non habebimus Regem, nisi Cæsarem: habes quod elegisti, vsque ad finem mundi seruiturus es Cæsari, donec gentium intret plenitudo, & qui quondam eras in vertice, verteris in caudam.* 6.

Sed contrà obiiciunt Iudæi, quia multa alia signa allata sunt à Prophetis de aduentu Messiæ, quæ in Christo non sunt impleta; ergo ille non fuit verus Messias promissus. Antecedens probant pluribus erroribus intelligentiæ Scripturarum. Pro quibus nota duos esse præcipuos errores ipsorum, quibus intellectis facilis est solutio eorum, quæ contra prædictam veritatem obiiciunt. 7.

Primus error eorum est, quòd multa, quæ de aduentu Messiæ dicta sunt, vel spiritualiter, vel metaphoricè iuxta litteræ corticem intelligunt. Vnde decipiuntur expectantes Messiam diuitem, & multas diuitias ipsis afferentem, qualiter depingitur ab Isaia 6. Ioële 3. Amos 9. sed hoc debet intelligi spiritualiter, cùm alibi depingatur pauper, humilis, vir dolorum, & sciens infirmitatem. Similiter decipiuntur expectantes tunc habitaturum lupum cum agno, Pardum cum hœdo, vt dicitur Isaiæ 11, & templum Hierosolymitanum, & montem illum, in quo fundatum erat supra omnes montes esse altiùs eleuandum, vt dicitur Isaiæ 2. quod totum moraliter, & quantum ad spiritualem pacem debet intelligi. 8.

9. Quartus error est quia non distinguunt duos Messiæ aduentus, alium ad saluandum, alium ad iudicandum, illum in humilitate, hunc in gloria & maiestate, quare cùm vtroque modo prophetatur, non valent percipere prophetias, imò quidam eorum decepti sunt duos fingentes Messias, vnum pauperem, alium diuitem, &c. sed de his erroribus videatur Suarez, vbi suprà, qui citat plures Patres & Auctores latè, & ex professo agentes contra ipsos.

10. Sed obiicies, si diuersa loca S. Scripturæ diuerso modo intelliguntur, alia scilicet iuxta literalem sensum, alia iuxta metaphoricum, alia iuxta spiritualem; ergo non habetur contra infideles Iudæos efficax argumentum ex Scripturis. Cõsequentiam probo, quia ad hoc vt ex adimpletione ipsarum Messiæ aduentus probaretur, deberent omnia loca eodem modo intelligi, aliàs quilibet posset pro suo captu sic, vel sic intelligere, vel deberet esse aliquis locus S. Scripturæ, qui diceret talia loca esse literaliter intelligenda, & talia metaphoricè, & talia spiritualiter, sed hîc non reperitur; ergo.

11. Respondeo, negando cõsequentiam, ad cuius probationem dico, quòd cùm non possit adimpleri vna prophetia de aduentu Messiæ, & non alia, aliàs in aliqua Deus esset mendax, quod nefas est dicere: hinc est, quod cùm prophetiæ, quæ de tempore aduentus illius, & plures aliæ, quæ (Deo sic volente) semper liberaliter ab omnibus intellectæ sunt, adimpletæ sint, vt suprà diximus, & non possit vsque modò differri illarum adimpletio, quod consequenter sit necessariò. dicendum reliquas esse adimpletas, quod cùm non contigerit in sensu literali, fortè, quia sic parum, vel nihil vtilitatis afferrent, sequitur Deum non promisisse in tali sensu, sed mysticè, vel metaphoricè, & sic fore intelligendas: vnde per scripturas literales efficaciter argumentamur contra Iudæos, ad reliquas verò per sensus, qui possunt illis accommodari, respondemus, quia nequeunt aliquæ adimpleri, & aliquæ non, quod etiam efficax est argumentum contra ipsos.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Messias verus fuerit homo, & verus Deus?

Triplex est infidelium genus, primum hæreticorum, qui vetus & nouum Testamentum admittunt: secundum Iudæorum, qui solùm credunt aliquas Scripturas ex veteri Testamento: tertium paganorum, qui solo lumine naturali rationis ducuntur: vnde diuerso modo contra ipsos veritas probanda est. 1.

Dico primò, Messias in lege promissus, qui etiam venit, est verus homo. 2. Conclusio hæc est de fide tenenda, neque contra Iudæos indiget probatione, nihil enim certius ab omnibus illis existimatum est, quippe omnes supradictæ prophetiæ hoc continent, & omnes aliæ in quibus dicitur: Messias filius Dauid de semine Abrahæ, ex femore Iacob, & aliæ similes: indiget tamen probatione contra Manichæos, & alios hæreticos, qui eum esse verum hominem negabant, sed cùm admittant etiam Testamentum nouum, facillimè id probatur ex Ioan. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Et ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum*, &c. *multò magis gratia Dei in gratia vnius hominis Iesu Christi.* Et frequentia sunt alia testimonia, in quibus narratur Christi origo secundùm carnem, conceptio eius, & natiuitas: dicitur Filius Virginis, comedere, ambulare, obedire, loqui & mori, & alia plurima, quæ vel falsa sunt (quod non admittent prædicti hæretici) vel tantùm in verum hominem conueniunt. Denique finis ipse redemptionis hoc satis conuincit, quo argumento passim vtuntur Patres, nam si non esset verus homo, nec exemplum attulisset, neque remedium. Neque in contrarium possunt aliquid obiicere, nisi quod hinc fieri videtur Christum non esse verum Deum, quod iam probo.

Dico secundò: Prædictus Messias etiam est verus Deus. Est etiam articulus fidei, & illum probo primò ex veteri Testamento contra Iudæos illum 3.

negan-

negantes. Et primo argumento, quo Christus vsus est contra eos, inquirens ab eis, cuius Filius debuerit esse Messias? ad quod responderunt, quod Dauid, existimantes, quod solius Dauid: vnde insurrexit Christus dicens, Quomodo ergo Dauid vocat eum in spiritu Dominum dicens, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; ac si clariùs diceret, Quomodo Dauid, si est Pater Messiæ, vocat suum Filium Dominum, & ita constituit æqualem cum Deo, vt idem nomen, quod Deo præstat, dicens, *Dixit Dominus*; præstet similiter Filio, dicens, *Domino meo* (quod vt clariùs intelligeretur dici de Christo paraphrasis Chaldaica, vt Galatinus refert lib. 3. transtulit, *Dixit Dominus Verbo suo*) Insuper ipsum æqualem in sede cum ipso constituit, dicens: Sede à dextris meis. quo argumento deberent nunc Iudæi obmutescere, sicut tunc illi fecerunt. Præterea Psal. 2. dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et 2. Reg. 7. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Et Isaiæ 9. *Paruulus Filius datus est nobis*, &c. *& vocabitur nomen eius admirabilis Consiliarius, Deus fortis*, &c. Et cap. 35. *Deus ipse veniet & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum*, &c. Vnde Athanas. lib. de Incarnatione Verbi post medium, Cyprian. lib. 2. contra Iudęos cap. 7. Euseb. lib. 6. de Demõstratione cap. 21. notant, *Deus ipse*; & dicunt, *Non nuntius, non legatus, sed ipse Deus*. Et cap. 45. introducit Isaias Patrem æternum loquentem cum Messia, & dicentem: *Transibunt ad te, & adorabunt te, & in te orabunt*. Et subdit: *Quia in te est Deus, & non est Deus absque te, verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*. Denique innumera possemus referre testimonia, quæ breuitatis causâ omitto. Et quia hæc ita clara sunt, vt nulla possint tergiuersatione celari. Legatur Medina in Introductione ad 3. partem quæst. 3. & Suarez disput. 4. sect. 3.

4. Sed possunt in contrarium obiicere Iudæi ex Deuteron. cap. 14. vbi, cùm illi petiissent à Deo, quod ipse non illis loqueretur, dixit Dominus Deus ad Moysen: *Benè omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis similem tui*; sed Moyses non erat Deus, & illi petebant, quod non loqueretur illis Deus; ergo cùm Propheta iste sit Messias, vt interpretati sunt Petrus & Stephanus Actorum 4. & 7. sequitur quòd Messias nõ sit Deus. Respondeo ex Tertull. lib. 4. contra Martio. cap. 22. & Irenæo lib. 3. cap. 12. Aug. quęst. 16. contra Faustum cap. 15. & 18. ibi dici Messiam similem Moysi, primò in natura, quia futurus erat homo: secundò in officio, quia Propheta, Legislator, & Mediator inter homines ac Deum, non verò oportet vt in omnibus aliis conditionibus futurus esset omnino similis, aliàs non fuisset redemptor, nec natus ex Virgine, nec in similibus perfectionibus Moysen superasset. Quod autem videatur annuere petitioni suæ, quod non loqueretur illis Deus, sensus est, non locuturum eo modo, quo anteà, quasi per diuinitatem, signis, & prodigiis, & tonitruis illam indicantibus, sed humanâ voce per humanam naturam ex eorum genere assumptam. Deinde possunt obiicere quæ Arriani obiiciunt contra diuinitatem Verbi, sed hoc spectat ad materiam de Trinitate: deinde quæ argumentantur probantes eumdem non posse esse verum Deum, & verum hominem; sed contra hæc iam egimus, & inferiùs agemus.

Secundò, probo ex nouo Testamento eamdem veritatem contra Carpocratem, Cherinthum, Euionem, Theodotianos à Theodoto, vel Theodotione deriuatos, Samosam, Photinum, Artemonem, & alios hæreticos negantes Christi diuinitatem, qui sub propriis nominibus videri possunt in Prateolo & Sandero lib. 7. de Visibili Monarchia. hæresi 8. & 13. in nostro Castro Verbo Christus hæresi 1. Et primò producam testimonia noui Testamẽti, vbi ea, quæ in veteri tribuuntur Deo, asseruntur de Christo, quia Isaias cap. 6. de Vero Deo dicit: *Vidi Dominum sedentem*, &c. quod de Christo exponitur Ioan. 12. & c. 45. Isaiæ dicitur, *Mihi curuabitur omne genu*; quod applicatur Christo ad Rom. 14. & Num. 21. Populus murmurat contra verum Deum, & tamen Paulus 1. ad Corinth. 19. dicit eam murmurationem fuisse contra Christum, & alia plura. 5.

Secundò, producam ea testimonia noui Testamenti, in quibus expresse asseritur. Paulus enim ad Coloss. 2. ait: *In eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*. Ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus est* 6.

 ei

ei ex semine Dauid secundùm carnem. Et cap.9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est Deus super omnia benedictus*, & totum Caput 1. & 2. ad Hebræos hanc veritatem confirmat. Et Christus de se Ioan.8. ait: *Antequam Abraham fieret ego sum*. Et cap. 1. *Ego & Pater vnum sumus*. Et idem Ioan. epist. 1. cap, 15. *Hic est verus Deus*; & tandem sufficiat, quod idem Ioan. cap. 2. postquam dixerat, quòd *Deus erat Verbum*, ait: *Et Verbum caro factum est*; quod dicitur fuisse ab illo euangelizatum contra aliquos hæreticos, iam tunc id negantes.

7. Sed obiicies errorem damnati Erasmi, qui negat ex prædicto loco posse probari Verbùm esse Deum, ex eo quod cùm afferitur Verbũ esse Deum, in Græco additur articulus eleuans significationem, vt denotetur significari verus Deus; ac si latinè diceretur, Verbum erat apud ipsum Deum: deinde verò cùm dicitur, *Deus erat Verbum*, tollitur prædictus articulus; ergo etiamsi Verbum sit caro factum, non est ipse Deus caro factus. Respõdeo quòd non semper, vbi est sermo de vero Deo, ponitur ille articulus, vt patet inferiùs in eodem cap. ly. *Deum nemo vidit vmquam*; & ly. *Fuit homo missus à Deo*. Præctereà, quia in aliis locis, cùm dicitur Christus Deus, additur articulus ille, vt Ioan. 20. ad Rom. 9. Deinde dico ibi non esse factam repetitionem articuli, ne videretur esse sermo de eadem persona, quia cùm dicitur, Verbum erat apud Deum, intelligitur apud Patrem; cùm autem dicitur, Deus erat Verbum, non significatur quòd Pater erat Verbum, sed quòd Verbum habeat eamdem diuinitatem, quam habet Pater.

8. Ex his ergo satis contra hæreticos conuincitur, quòd quamuis Christus sit verus homo, simul tamen sit verus Deus, quod deberent fide credere, & captiuare intellectum proprium in obsequium fidei, ne ratione libertatis intellectui præstitæ facultas errãdi præstaretur. Neque enim in contrarium aliquid momenti ex Scripturis obiiciunt, sed solùm quòd non capiunt hoc mysterium, quod mirum non est in hominibus, qui suas argutiunculas præferunt reuelationi diuinæ.

9. Postquam probauimus contra Iudæos & hæreticos, Messiam verum esse hominem & Deum, inquirimus pro complemento quæstionis, quomodo hæc veritas possit probari contra Paganos, cùm isti solùm ratione naturali ducantur, & non attendant ad Scripturas. Respondeo quòd licèt non possit ratione naturali euidenter probari veritas huius mysterij, quia cùm sit supernaturale, ratione solùm naturali non cognoscitur, sed solùm fide creditur. Vnde Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 41. propterea existimat dixisse Paulum se plus omnibus laborasse, quia cùm esset Apostolus Gentium, qui sacras Scripturas non admittebant, Christum esse Deum & hominem, difficiliùs persuaderi poterant; tamen euidenter negatiuè eorum argumenta soluuntur, vt suprà dixi, & insuper euidenter probari potest, quòd talis veritas sit credibilis. Ratio est, quia, vt diximus in fine Quæstionis tertiæ, ex diuerso capite sumitur euidentia veritatis, ac euidentia credibilitatis, quia illa sumitur ex principiis intrinsecis rei, quæ, quia in præsenti est res supernaturalis, excedit vires naturales ingenij: hæc autem sumitur ex auctoritate dicentis, quæ auctoritas probatur euidenter in Christo Domino ex pluribus miraculis, quæ in confirmationem propriæ doctrinæ, & prædictæ veritatis ipse patrauit, & fideles eius quotidie patrarunt, & patrant. nam cùm procedant à virtute infinità Dei, si illa non efficeret in confirmationem testificantis, & veritatis testificatæ, sequeretur Deum contra veritatem aliqua machinari, quod nefas est dicere, & contra ipsam rationem naturalem testantem Deum, quia summè sapientem, & summè bonum, & summè veracem.

Prætereà eadem credibilitas comprobatur pluribus aliis signis & notis, 10.
quibus omnes veritates fidei nostræ credibiles redduntur, vt suo loco videbimus, sed inter ea illud præcipuè contra Paganos confirmat, quòd hoc mysterium, sicut & alia tanto tempore, antequam fuisset Christianorum nomen, esset à Prophetis pronũtiatum, & præcipuè à Sybillis, quibus si credunt, habemus intentum; si verò non credant, nequeunt tamen affirmare, quòd à Christianis sint fictæ prædictæ prophetiæ, & sic cùm videant illas iam

adim-

adimpletas, coguntur confiteri hanc fidem esse à Deo profectam, qui nec falli, nec fallere potest, & sic euidenter esse credibilem. Vrget hoc eleganter Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 46. Hieron. super cap. 16. Isai. & Theod. orat. 10. de Prouidentia. Videantur Scholastici in materia de fide.

11. Sed obijcies: Sybillæ, vt ex pluribus Patribus refert Castro lib. 4. Diuinarum cap. 15. prædixerunt hoc mysterium, & tamen illæ fuerunt Gentiles; ergo cùm illud cognouerint, antequam esset, multò magis Gentiles nunc illud cognoscent, quando iam est. Respondeo quòd nòn prædixerunt illud ratione naturali, cùm hoc mysterium pendeat à voluntate Dei, quæ absque reuelatione nõ cognoscitur, antequam existat, quia vt inquit Paulus ad Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Sed prędixerunt, vel ex eo quòd legerunt libros Prophetarum, quibus fidem saltem humanam adhibuerunt, sicut in simili dixit Aug. lib. 10. de Trinitate cap. 18. de his Philosophis, qui in suis libris insinuarunt aliqua de Verbi generatione, vel ex eo quod diuinitùs instructæ sunt, quod verisimilius apparet: numquam tamen ratione naturali ductæ, quia per hanc nullus intellectus creatus ex se mysterium hoc, neque quantum ad eius possibilitatem, vt Quæstione tertiâ probauimus, neque quantum ad eius futuritionem, vt in præsenti; imò neque quantum ad eius existentiam, vt iam probo, valet percipere.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm intellectus creatus viribus naturæ relictus valeat cognoscere mysterium hoc iam existens?

1. PRo decisione Quæstionis nota primò quòd intellectus creatus, vel est omnino separatus à materia, sicut intellectus angelicus; vel est sibi similis in operatione, vt intellectus animæ separatæ, & animæ coniunctæ corpori glorioso; vel est coniunctus corpori corruptibili, quod aggrauat animam; Quæstio ergo hæc non procedit de intellectu in hac vltima acceptione, quia eùm vt sic non intelligat, nisi dependenter à sensibus & phãtasmatibus, & non detur sensibile, seu phantasma repræsentans vnionem hypostaticam, & ipsum Verbum non valet sic percipere hoc mysterium. Est ergo difficultas de intellectu in reliquis acceptionibus accepto.

Nota secundò, quòd cognitio seu intellectio huius mysterij potest esse multiplex, vel arguitiua, & mediata, quâ cognoscitur conclusio deducta ex præmissis, & hæc est euidens aut probabilis pro qualitate præmissarum; vel immediata, quâ cognoscitur obiectum, non medio alio obiecto priùs cognito, sed per se, vel per speciem sui, quæ iterùm diuiditur in intuitiuam, quæ repræsentat rem vt pręsentem ipsi intellectui, & in abstractiuam, quæ repræsentat rem, non vt potentiæ præsentem; & de his omnibus procedit quæstio. 2.

Nota tertiò, quòd per hoc, quod est cognoscere solùm viribus naturæ, seu naturaliter non excludens alia requisita, sed includens, quòd concurrat etiam obiectum, seu species obiecti, & omnia alia ad intellectionem necessaria: vnde in præsenti dubitamus, an ea omnia, quæ ad prędictam cognitionem requiruntur, contineantur in quantum ad eam concurrunt, intra limites naturæ? an verò saltem aliquod egrediatur ab illis? 3.

Dico primò: In hac Quæstione Angelus (& eadem est ratio de anima separata, & corpori glorioso coniuncta) potuit cognoscere euidenter euidentiâ morali; & in attestante, cognitione naturali arguitiua mysterium Incarnationis. ita insinuat Scotus quæst. 4. Prologi, & tenet expressè 3. dist. 20. q. vnicâ §. *ad primum* in fine. D. Thom. 3. p. q. 44. art. 4. vbi Suarez tom. 2. disp. 31. sect. 2. concl. 3. Hæc conclusio probatur, quia Angelus euidenter naturaliter cognoscit, quod quidquid Deus suâ auctoritate confirmat est verum; insuper eodem modo cognoscit, quòd id, quod Christus affirmabat præcipuè se esse hominem, & etiam se esse Deum & Filium Dei, Deus suâ auctoritate confirmabat: nam cognoscit, quòd vera miracula (qualia cognouit ea, quæ fecit Christus) non poterant fieri, nisi virtute diuinâ; 4.

diuina; ergo euidenter inferebat esse verum id, quod Christus affirmabat, scilicet se esse hominem & Deum, sed hæc est cognitio arguitiua euidens in attestante, vt dicunt Theologi in materia de fide; ergo prædictâ cognitione, Angelus naturaliter potuit euidenter cognoscere mysterium hoc.

5. Ex hoc autem potest inferri dæmones potuisse illud sic cognouisse, nisi diuina voluntas voluerit illis occultare, quod facere potest, sicut & facit in cogitationibus cordium, & in aliis: vnde Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei, cap. 21. ait: *Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit.* Ex quo plures Auctores, qui videri possunt apud Suarium, vbi suprà sect. 3. post conclusionem primam asserunt, quòd licèt tempore infantiæ impeditus sit dæmon, ne Christum agnosceret de facto (vel ob eam causam, ne mortem eius impediret; vel ob eam, ne maturiùs, quàm diuina prouidentia disposuerat, interficeret) tamen postquam Christus cœpit prædicare, permissus est agnoscere ipsum esse Christum, & consequenter Deum & hominem, vt illi ex Scripturis constabat, & per miracula euidenter colligebat, vnde clamabant, Marci 1. & Lucæ 4. *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene, venisti perdere nos? scio te, quòd sis Sanctus Dei.* Et Marci 5. & Matthæi ac Lucæ 8. *Vocabant dæmones Christum filium Dei altißimi.*

6. Neque obstat, quòd verba dæmonis non faciant fidem, quia potuit dicere, vel per adulationem, vel vt daret occasionem peccandi, nam licèt hoc verum sit, tamen in præsenti id dixerunt dæmones, quia verè id sciebant, vt colligitur ex Scriptura dicto cap. 4. Lucæ, vbi ait: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Ita tenet noster Lyra in prędictis locis. Abulens. in 4. Matthæi q. 22. Ambin. 1. ad Corinth. cap. 2. Aug. in quæstionibus noui & veteris Testamenti q. 66. & alij plures Ecclesiæ Patres.

7. Neque cōtradicit Scotus in 4. d. 10. q. 4. §. ad argumenta, vbi dicit, quòd *Dæmones non permittuntur videre mysteria gratia, & mysterium Incarnationis.* Primò, quia Scotus non loquitur de cognitione arguitiua euidenti, vt nos loquimur; sed si de aliqua de euidenti intuitiua, quia loquitur vt videre. Secundò, quia non loquitur de mysterio Incarnationis, quantum ad substantiam illius, sed, quantum ad aliquas circumstantias, scilicet, quòd reliquerit claustrum Virginis incorruptum. Tertiò, quia non asserit, quòd semper non cognouerit; sed potiùs insinuat, quòd hoc fuerit in natiuitate, & posteà per multum tempus, quod & nos docuimus suprà cum ipso Scoto. Quartò, quia, quantum ad actualem carentiam cognitionis Christi, non videtur loqui Scotus ex propria sententia, sed ex sententia Magistri Barronis in margine citati. vnde vtitur his verbis. hoc supponitur, & non affirmat.

Sed obiicies illa verba Pauli 1. ad Corinth. 2. *Si cognouissent, numquam Dominum gloria crucifixissent*; ergo illum non cognouerunt. Respondeo primò à multis non intelligi de dæmonibus, sed de principibus Iudæorum. Ita Orig. hom. 2. in Cant. Tertul. lib. 3. contra Marcion. cap. 6. & plures alij. Secundò, licèt intelligatur de dæmonibus, vt intelligit Scotus in prædictis locis, & plures alij cum Suar. vbi suprà sect. 3. tamen non debet intelligi, quòd semper ignorauerint dæmones Christi diuinitatem, & ipsum esse Deum & hominem; sed quòd ignorauerint mysterium absconditum in Christi passione & morte, scilicet salutem & reparationem hominum, euersionem imperij ipsorum, & maximam Dei gloriam in ea contentam. Vnde sic explicat Scotus in 4. Sent. *Si enim cognouissent, numquam Dominum gloria crucifixissent*, id est, *nūquam me redimi eius morte procurassent*; quia licèt Sanctas de hoc loquentes vidissent, sed vsque ad euentum propter earum antiquitatem fortè non intellexerunt, & tantus erat in Christum ardor inuidiæ & superbiæ, quòd cæco impetu ipsum impugnarent & expugnarent. 8.

Quod autem per vxorem Pilati voluerit dæmon Christi mortem impedire, nō malo angelo, sed bono attribuunt plures Ecclesiæ Patres, vt causam suam magis Pilatus iustificaret, & fidem nostram magis confirmaret. Ita super 27. Matthæi, Orig. Hilar. Hieron. & Aug. serm. 121. de Tempore, si tamen malo angelo tribuamus cum Scoto in 3. citato 9.

tato dicendum est hoc fecisse, quia diuinitatem in Christo cognoscens, timuit effectum futurum propter dicta Scripturarum, quæ formidabat non omnimodè percipiens.

10. Maior est in præsenti difficultas de cognitione clara huius mysterij in se immediata, siue intuitiua, siue abstractiua, vel mediata euidenti, siue à priori, siue à posteriori. Et communiter tribuitur Scoto in prædicto loco pars affirmatiua, quæ tamquam temeraria, imò & erronea notatur à Cabrera in præsenti q. 1. art. 1. disp. 4. §. 1. à n. 10. sed immeritò profectò, vt statim dicemus. Cuiuscumq; autem sit probatur, quia Angelus naturali lumine potest euidenter cognoscere Christi Domini humanitatem carere propriâ subsistentiâ creatâ, sicut eodem lumine potest talem subsistentiam cognoscere, nam ex Arist. 2. de Anima cap. 10. textu 103. visus est luminis & tenebrarum, auditus soni & silentij, id est, ad eamdem potentiam pertinet cognitio luminis, & eius priuationis. Insuper euidenter eodem lumine cognoscebat non habere aliam subsistentiam creatam, quia ipse cognosceret, sicut & propriam; ergo euidenter cognoscebat, quod hæc humanitas Christi subsisteret subsistentiâ increatâ.

11. Dico secundò: Angelus naturali lumine, & absque reuelatione non potuit cognoscere aliquâ cognitione clarâ, & euidenti mediatâ, vel immediatâ mysterium Incarnationis in se, etiam postquam existens fuit. Ita D. Thom. 1. p. quæst. 57. art. 5. vbi communiter Thomistæ, Vasquez tom. 2. disp. 214. cap. 3. Molina disp. 1. Valen. disp. 4. puncto 4. ad 3. & 4. qui omnes loquuntur ibi vniuersi de omnibus mysteriis gratiæ; & in speciali de hoc probatur. Mysterium hoc non potest in se, & quantum ad suam substantiam, naturaliter cognosci, nisi cognoscatur naturaliter natura humana, vnio, & Verbum in seipsis; sed Verbum, & quælibet persona diuina non potest solùm viribus naturæ cognosci, cùm sit obiectum voluntarium, & supra omnem creatam naturam; ergo neque mysterium Incarnationis. Maior ex eo patet, quia ex illis essentialiter hoc mysterium cõstat.

12. Ad rationem in contrarium respondeo, quòd in sententia, quæ constituit rationem formalem personalitatis, & subsistentiæ creatæ in duplici negatione immediatè secuta ad naturam indiuiduam, Angelus non cognosceret carentiam talis negationis; quia hæc debet cognosci per positiuum cõtrarium. In sententia verò, quæ illam constituit in aliquo positiuo. Concedo totum antecedens, & nego consequentiam, quia cùm non cognosceret naturaliter esse possibile naturam humanam vniri personæ diuinæ, vt suprà diximus, posset suspicari, quòd virtute diuinâ sibi occultabatur propria & creata subsistentia illius naturæ: numquam tamen posset cognoscere naturaliter, quod subsistebat subsistentiâ diuinâ; quia non habebat medium naturale, vt hoc inferret, cùm Verbum non esset illi naturaliter cognoscibile.

Obiicies primò, Scotum in 4. suprà cito §. ad argumenta, vers. ad 3. de malis angelis, vbi ait, quòd quicumque Angelus malus, si absolutè permittatur vti suâ potentiâ cognoscitiua naturali, potest intelligere mysteria gratiæ iam existentia, quòd etiam videtur ibidem asserere de mysterio Incarnationis, & hoc expresè probat per totam illam quæstionem de existẽtia corporis Christi in Eucharistia, ergo nostra conclusio est contraria Scoto. Respondet Faber in 4. disp. 43. cap. vlt. quod loquitur de mysteriis gratiæ supernaturalibus, non tamen inuoluentibus ordinẽ ad aliquod increatũ, vt inuoluit mysterium Incarnationis ad Verbum, de quo mysterio quantum ad substantiam non loquitur Scotus, sed de aliqua circumstantia, vt suprà asseruimus in 2. solutione, & id non ex propria sententia, vt dixi in 4. quæ solutio pro nunc sufficiat, quia an reliqua mysteria gratiæ sint naturaliter ab Angelo cognoscibilia, prout naturaliter opponitur modo supernaturali cognoscẽdi, an verò prout opponitur solùm modo contingenti & libero, & naturaliter idẽ est quòd necessario, alibi disputabo, & mẽte Scoti aperiam. 13.

Obiicies secundò, quòd si propter aliquam rationem mysterium hoc non esset ab Angelo naturaliter cognoscibile, maximè, quia non cognoscit naturaliter Verbum, quod est terminus vnionis hypostaticæ, sed in sententia Scoti in 14.

in 2. d. 3 q. 9. Angelus (imò & homo in statu naturæ integræ) habere potuit naturalem notitiam claram saltem abstractiuam Trinitatis; ergo etiam habere potuit notitiam Verbi, & consequenter huius mysterij. Respondeo quòd illa notitia non est naturalis, nisi pro quanto non est de his, quæ pertinent ad ordinem gratiæ & gloriæ, vt ibi Scotus se explicat, & pro quanto collata est illis specie impressa ad habendam illam notitiam, non liberè, sed naturaliter, & independenter ab obiecto motiuo libero; & insuper collata est inter reliqua dona, quæ in eius creatione naturali accepit, & pertinebat ad maiorem perfectionem naturæ intelligentis, sed absolutè talis notitia est supernaturalis, quia dicit ordinem ad agens supernaturale, scilicet ad speciem impressam Trinitatis, imò ad illam, vt ad agentem supernaturaliter, quod requiritur ad rationem supernaturalitatis ex Scoto in 1. quæst. 1. Prologi, §. antequam litt. n.

15. Ex his debetis inferre, quòd neque anima Christi in statu absolutè glorioso, hoc est post resurrectionem, potuit ex puris naturalibus clarè cognoscere mysterium hoc in se per cognitionem abstractiuam, aut intuitiuam: neque euidenter per rationem à priori, vel à posteriori, sed sicut Angelus solùm per arguitiuam cognitionem, euidentem euidentiâ in attestante, vt suprà diximus, benè tamen illud cognouit supernaturaliter ab instanti suæ conceptionis per visionem beatam, vel per species infusas, de quibus infrà dicemus disp. 15. q. 1. 2. & 4. p. 3.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Incarnationis mysterium fuerit omnino & vndequaque conuenientissimum?

1. Res est facilis, pro cuius expeditione nota conueniens in præsenti dici respectiuè, quod scilicet alicui bonum est, siue vtile propriè sit, siue non, sed tamen decens, aptum, & quadrans absque vllo inconuenienti, quo sensu res creatæ licèt Deo vtiles propriè non sint, possunt tamen esse illi conuenientes, quidquid contrà fortassis tantùm de nomine contendant aliqui Recentiores.

Pars affirmatiua huius Quæstionis est communis & vera. Imò & certâ fide Catholicâ, eo ipso quod fides doceat hoc mysterium à Deo fuisse peractum: *Et omnia in numero, pondere & mensura Deus disponat*, Sapientiæ 11. Id frequentissimè Patres Ecclesiæ testantur, qui apud Recentiores videri possunt. Nobis enim vnus pro multis August. tom. 3. lib. 13. de Trinitate cap. 10. audiendus est, vbi contrà malè sentientes de conuenientia huius mysterij, ait: *Parum est sic refellere, vt istum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, & diuinæ congruum dignitati; verùm etiam vt ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.* Hæc Augustinus. 2.

Vt autem veritatem istam ratione confirmemus, distingui debent illius plures quasi partes, cùm enim conueniens respectiuè, seu in ordine ad aliquid accipiatur, oportet modò seorsim probare, conueniens fuisse hoc mysterium diuinæ personæ, humanæ naturæ, reparationi humani generis, ac denique toti vniuerso, quibus omnibus conuenientissimum fuit. 3.

Primò ergo conueniens fuit Deo, non quia illi propriè vtile, sed quia decens & consentaneum, quod primò probatur, quia ex Dionys. cap. 4. de Diuinis nominibus, bonũ est diffusiuum, seu communicatiuum sui (quod debet intelligi de bono, vt sic, & in communi accepto) ergo bonum infinitum debet esse infinitè diffusiuum sui; ergo Deo, qui est infinitè bonus ratione talis bonitatis conuenit summè communicari, quod fit per Incarnationem, quæ fuit summa saltem intensiuè, quia perfectissima, & cum natura non irrationali (in qua aliqua appareret indecentia, vt si Verbum vniretur cani) sed cum natura rationali, licèt extensiuè possent aliæ diuinæ personæ, & ipsa persona Verbi, similiter aliis naturis se communicare. 4.

5. Et confirmatur, quia nullum est ens, quod scilicet vel in genere causæ efficientis, vel exemplaris, finalis, materialis, aut formalis sese alteri non communicet, sic enim Angelus (in quo videtur hæc doctrina posse deficere) aliis creaturis sese per motum localem communicat; ergo hoc etiam conuenit Deo ad extra, quod fit strictiùs, quia per Verbum, quasi in genere causæ formalis communicatur, terminando naturam humanam; vnde Paulus ad Coloss. 2. ait: *In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id est realiter, & non in vmbra, substantialiter & perfectè, & non modo imperfecto.

6. Secundò probatur (& est ratio, sicut & præcedens D. Thom. in præsenti quæst. 1. art. 1.) quia per Incarnationem diuina attributa & perfectiones maximè elucent, charitas quidem, dilectio, & beneficientia; ergo homines cum quibus ita strictam vnionem Deus iniuit (quod est charitati maximè proprium) vt verissimè dicatur Deum esse hominem, & hominem Deum. Item, *Quia si probatio dilectionis exhibitio est operis*, vt aliquando dixit S. Gregorius in Incarnatione, *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dares*. Ioan. 3. *Vnde gratulabunda pariter, & admirans Ecclesia clamat: O inestimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, Filium tradidisti!* Elucet sapientia, quæ per hoc mysterium diuinam iustitiam cum misericordia absque vllius præiudicio, imò (si fas est ita loqui) cum vtriusque fœnore ita composuit, vt verissimè Psal. 84. dicatur: *Iustitia & pax osculatæ sunt*; & D. Paulum, Christum appellantem *Dei sapientiam*, 1. ad Corinth. 1. sic expendit Anselm. lib. 2. cur Deus homo cap. 20. & in hæc prorumpat verba: *Quid misericordius intelligi valet peccatori? vnde te redimas non habenti Deus Pater dicit: Accipe vnigenitum meum & da pro te*. Et paucis interiectis: *Quid etiam iustius, quàm vt ille cui datur pretium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum*. Sic enim sapientia diuina vtramque fecit amplexari in Incarnatione Filij Dei.

7. Elucet similiter omnipotentia, quæ tam dissita extrema, finitum, scilicet cum infinito, forte cum debili, cum corruptibili incorruptibile coniunxerit, quâ ratione Apostolus, vbi suprà, Christum Dominum appellat *Dei virtutem*, quæ satis in Deo resplendet, quòd per eamdem naturam, quam diabolus vicerat, victus sit, vt magnus Leo olim expendebat, sicque poteris de reliquis attributis probare, adductis etiam in confirmationem SS. & Patrum testimoniis.

Secundò, conueniens fuit naturæ assumptæ, quod ex eo probatur, quia longè inde fuit, & multis in partibus meliorata natura, quatenus perfectiori terminatur subsistentia, summo afficitur honore, adoratur latriâ, meretur infinitum, hominum & Angelorum Caput homo ille constituitur, ac denique innumeris gratiæ donis supernaturalibus insignitur, imò & ipsam diuinitatis plenitudinem imbibit, vt ex Apostol. suprà retulimus. Quare pulchrè August. tomo 7. lib. 1. de Prædest. cap. 15. post medium inquit: *Prædestinata est ista natura humana tanta, & tam excelsa, & summa subiectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet.* 8.

Tertiò, conueniens fuit toti vniuerso, sed in illo præcipuè homine, in quo reliquæ creaturæ, quantum ad suas perfectiones continentur, vt hom. 29. in Euangelia dixit Greg. quapropter *microcosmos*, hoc est, paruus mundus solet nuncupari. Primò, quia inde visibili Christi Domini fruuntur magisterio: secundò, quia vnius indiuidui honos in reliqua eius naturæ indiuidua non potest aliquo modo non redundare. 9.

Cedit etiam in totius vniuersi vtilitatem, & gloriam ad quam natiuitatis, & personandi varietas multum conducit, licèt enim anteà esset generatio ex viro sine femina, vt externa generatio Verbi, & ex viro & femina vt nostra, quæ communis est, & neque ex viro & femina, vt nostri protoparentis Adami, non tamen erat ex femina sine viro, quæ in Incarnatione reperta est: & licèt vna persona in vna natura esset communis in nobis, & plures personæ in vna natura, vt Trinitas in indiuidua Dei substantia vniuersum collustrarent, non tamen vna æternaque persona Verbi in duabus naturis, diuina scilicet & humana decorabatur, quod per Incarnationem accepit: ac denique, quia sicut accrescit 10.

crescit vniuersæ curiæ, ac toti regno honor maximus ex Regis præsentia, ita toti vniuerso honos, & pulchritudo accrescit, ex eo quod Christus Dominus homo & Deus *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, Baruch. 3. Vnde Paulus ad Ephes. 1. ait instaurari omnia in Christo, *siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt*.

11. Quartò, conueniens fuit generis humani reparationi & redemptioni, quod ex dictis liquidò patet, necessum enim est illud in hunc finem fuisse conuenientissimum, in quo maximè concurrit diuinarum perfectionum manifestatio & ostensio, ad hoc enim Filius naturalis Dei à Deo datus est, Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*.

12. Nonnihil etiam de cõuenientia temporis, in quo executa est Incarnatio, operæpretium est cum D. Thom. in præsenti art. 5. & 6. tractare, quæ prægi non decuit ante peccatum, quia peccati medicina est, & medicina ante morbum præberi non debuit, neque statim post peccatum, tum vt morbi grauitas, & remedij necessitas magis innotescerent, & inde auidior ipsius excitaretur cupiditas, tum propter Incarnati dignitatem, cuius aduentum decuit tot retrò sæculis Prophetarum vocibus repetitis decantari, nec denique in finem mundi differri debuit, serò enim medicina paratur, cùm mala per longas differuntur ætates, neque enim diuina ostenderetur virtus saluans, non solùm per fidem futuri, sed etiam præsentis ac præteriti Redemptoris, neque breui tempore satis tam eximij beneficij fructus innotesceret.

13. Sed contrà prædicta sunt suo ordine argumenta. Et primò, quia indecens erat, & consequenter inconueniens est ordinare id quod perfectius est, scilicet diuinam personam Christi Domini, sanguinem & vitam in id quod minus perfectum est, scilicet peccati remedium, & mundi salutem, præsertim cùm videri possit medium hoc suo fine frustratum, aut minùs plenè assequitur, cùm plures homines damnentur. Et confirmatur, quia conuenientius fuisset personam diuinam naturæ angelicæ, vtpote nobiliori, & Deo simi-liori vniri, quàm naturæ humanæ minùs nobili, tot laboribus & ærumnis, imò & ipsi morti subnoxiæ.

Ad argumentum respõdeo indecens esse ordinare id quod est magis perfectum in id quod minùs tamquam in finem vltimum, non verò tamquam in finem non vltimum, vt sic enim substantia ad suas operationes ipsa imperfectiores ordinatur, quod in præsenti contingit, quia finis vltimus Incarnationis non est peccati remedium, & mundi salus; sed Dei gloria, & ostensio attributorum, & perfectionum illius, qui finis, etiamsi plures damnentur, consequitur, imò etiam & finis non vltimus, quia quòd ipsi non vltimatè consequantur salutem pro ipsis stat, non pro redemptione Christi, quæ de se sufficiens est vt saluos ipsos faceret. Ad confirmationem respondeo, ideò naturam humanam & non angelicam apprehendisse Deum, vt magis eius maiestas & potentia cõmendaretur: *Quia infirma mundi elegit Deus, vt fortia confunderet*, 1. ad Corinth. 1. Item vt per eamdem naturam, quæ fragilitate suâ, & dæmonis impulsu corruerat, repararet, & diabolum deuinceret. Item vt omnes creaturas, tam materiales, quàm spirituales in homine materiali simul & spirituali, & non in Angelo solùm spirituali honoraret, sicque totum vniuersum, vt suprà diximus. Item propter plures alias congruentias, quæ videri possunt apud Suarez disp. 4. sect. 1. 14.

15. Contrà secũdò, diuina attributa per Incarnationem potiùs fuerunt depressa, & (si fas est ita loqui) iniuriâ affecta, tum quia bonitas & magnificentia magis commendarentur, si humani generis debitum Deus omnino remisisset: tum quia videtur contra iustitiam ab innocente Christo, totiusq́; culpæ expertæ satisfactionem exigere: tum quia contra liberalitatem est prodigalitas, quod in eam salutem tot labores & opera impendisset, cùm minimum Dei hominis opus ad salutem integram instaurandam satis esset; ergo Deo conueniens non fuit Incarnatio. Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dico, quòd magis resplenduit bonitas & magnificẽtia Dei, in eo quod donaret nobis Filium suum, *Cùm adhuc peccatores & inimici essemus*, vt ait Paulus

ad

ad Rom. 5. quàm si gratis condonaret delicta. Præterea, quia si sic fieret misericordia & iustitia, non ita mutuassent, cum vtriusq; fœnore sibi manus, cùm non interuenisset ex parte peccatoris satisfactio Christi ad resarciendam iustitiam. Ad secundam dico esse veram, nisi à Domino vitæ, vel ab innocente voluntariè in se transferente debiti obligationem fiat, quo iure in humanis iustè à fidei iussore exigitur debitum, *Christus autem oblatus est, quia ipse voluit*.

16. Ad tertiam notare oportet, quòd liberalitas & prodigalitas iuxta qualitatem personarum debent attendi: vnde donum, quod respectu hominis plebeij esset prodigalitas, talis non esset respectu Regis & Imperatoris, sed potiùs liberalitas ordinata, incarnati ergo Verbi & Regis maximi liberalitatem valdè decuit, quòd eius donum fuerit superabundans, *Vt vbi abundauit delictum* (ad Rom. 5) *superabundaret & gratia*.

17. Contrà tertiò, natura humana habet appetitum naturalem ad creatam subsistentiam, & illa priuata fuit per subsistentiam Verbi; ergo Incarnatio saltem naturæ humanæ non fuit conueniens. Respondeo in doctrina Scoti q. 1. prologi *s* ad quæst. litt. *n*. & alibi sæpe etiam fuit in illa appetitus naturalis ad vnionem hypostaticam, sicut & ad quamlibet formam supernaturalem, & sic non mãsit sub illa personalitate violenta, quia non contra principium passiuum naturæ in ordine ad quod sumitur violentia ex Scoto, vt diximus 2. ph. disp. 1. q. 2. sicque non fuit illi disconueniens, sed potiùs conuenientissima, quia mansit subsistens subsistentiâ perfectissimâ, imò infinitâ, saltem materialiter.

18. Contrà quartò, conuenientius fuisset assumere plura humanæ naturæ indiuidua, quàm vnum, ergo non fuit conuenientissimo modo peracta Incarnatio. Respondeo, negando antecedens, potiùs enim sic prouisum est vnitati Capitis in Ecclesia, & maiori perfectioni monarchicæ gubernationis. Alia solent obiici, quæ probant impossibilitatem huius mysterij, & sic inconuenientiam & dissonantiam illius, sed ad illa iam diximus quæst. 2.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Verbi diuini Incarnatio fuerit necessaria?

Relictis pluribus diuisionibus necessitatis, quantum ad præsens attinet, duplex est necessitas, alia absoluta & simpliciter talis, alia verò ex suppositione, & secundùm quid. Prima est, quâ aliquid absolutè nequit non esse, sicut repugnat non esse Deum: secunda est, quâ aliquid, licèt absolutè potuerit non esse, tamen supposito alio cum quo habet necessariam connexionem non potest non esse, qualiter homo absolutè posset non moueri, sicut non currere, tamen supposito quod currat, necessariò mouetur, ideò solet etiam vocari necessitas simplex ex suppositione, quia supposito cursu est simpliciter necessarium, quod moueatur. In præsenti ergo non est quæstiò de prima necessitate, quia nullus fuit qui affirmaret Incarnationem fuisse sic necessariam, sed de necessitate ex suppositione. 1.

Et primò à Recentioribus refertur Raymundus Lullius in fide discipulorum eius asserentium, quòd affirmauerit Incarnationem fuisse necessariam ex suppositione, quòd Deus voluerit efficaciter mundum creare, quia ad naturam tanti & tam maximi Opificis spectabat, vt eo ipso, quod semel intra se constituit mundum fabricare, & aliquid extra se producere, vt eligeret quod optimum erat in eo genere, qualis erat nobilissima vnio hypostatica Christi, & quasi vltimam manum per entitatem mundo imponere. 2.

Sed contrà primò, quia non tenetur Deus res ad extra ita perfectas producere, sed potiùs ipse est talis naturæ, quòd semper possit producere meliores creaturas eis, quas produxit: vnde posset alios meliores Angelos, & alium meliorem mundum creare, nec enim est exhausta eius potentia in creatione istius. Secundò, quia licèt id quod vult Raymundus ita esset, tamen Verbi Incarnatio, cùm sit ens omnino supernaturale, non pertinet ad naturam vniuersi; & sic ad eius perfectionem, & 3.

& vltimam manum non esset necessaria.

4. Secundò, refertur Anselmus in suo dup. lib. Cur Deus homo, & præcipuè in 1. cap. 12. 16. & 17. & in 2. cap. 4. Richardus de sancto Victore lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. Athanas. lib. de Incarnatione Verbi fol. 2. Cyril. Alex. lib. 5. thesauri cap. 7. in medio, quod omnes videntur asserere, quod supposito lapsu, & peccato primi hominis necessum fuit Deū incarnari. Imò & mori, ad ipsius reparationem, & sedium, quæ Angelis peccantibus vacauerant restaurationem; quæ sententia hoc vnicum habet fundamentum, quia id necessum est respectu Dei, quod indecens esset illud non facere, sed indecens esset (vt ait Athanas.) bonitati Dei, quod creatura ab ipso facta in interitum abiret ob diaboli aduersus homines fraudem, & indecens esset (vt ait Richard.) quod diabolus homini perpetuò improperaret, nihil ipsum habere iuris in eo quod possideret, scilicet si iustificaretur à peccato sine vllo merito & satisfactione, & similiter quod homini sic iustificato numquam deesset conscientiæ propriæ remorsus; ergo supposito lapsu primi hominis necessaria & non libera fuit Deo sua Incarnatio. Præterea indecens esset (vt ait Ansel.) numerum Angelorum, vtpote perfectissimarum creaturarum non reparare, quod nequibat fieri in eadem natura angelica, quia hæc nequit Deo reconciliari per pœnitentiam, ratione inflexibilitatis proprij arbitrij, neque fieri poterat per alios Angelos de nouo creatos, tum quia non essent æquè perfecti, ac priores, quia si perseuerassent in gratia, esset, quia præuidebant vindictam in prioribus, priores autem non sic præuiderunt, & sic qui perseuerauerunt solùm fuit amore solius Dei, non autem timore pœnæ, tum quia noua creatio Angelorum repugnaret perfectioni primæ creationis, ergo cùm etiam indecens esset hominem non reparare, & hæc reparatio debuerit fieri per condignam satisfactionem, quia indignum est Deo culpam relinquere absque poena, aliàs eodem modo esset apud Deum, & qui peccauerat, & qui non peccauerat, sequitur quòd necessariò Verbum debuit fieri homo, vt moriendo (quod repugnat Angelo) homines & Angelos repararet, cùm absq; morte nullus illorum reparari posset. totum hoc colligitur ex Anselmo in vtroque libro suprà citato ab Auctoribus, videatur Vasquez in præsenti disp. 1. cap. 2.

Tertiò, referuntur alij Ecclesiæ Patres, qui videntur asserere alio modo non potuisse Deum hominem lapsum ad pristinum statum gratiæ reuocare, nisi talis mediator, nempe Verbum incarnatum existeret, licet non dicant, neque insinuent necessum fuisse Deo hominem reparare. Ita Virgilius lib. 5. contra Eutichetem, Ambros. in illud ad Hebr. 9. *Et ideò noui Testamenti.* Leo serm. 1. & 5. de Passione, & alij plures relati à Recentioribus in præsenti. 5.

In hac re dico primò, etiam supposito lapsu, & peccato primi hominis non fuit simpliciter necessum Deo hominem reparare; itaque & liberè reparauit, & liberè posset non reparare. Hæc conclusio comunis est apud omnes. Ita Scotus in 3. dist. 20. q. vnicâ, §. ad istam quæst. Ibidem D. Bona. q. 1. Cabrera in præsenti quæst. 1 art. 2. vbi asserit, quòd sit hæc conclusio Patrum, S. Scripturæ, ac fidei maximè consentanea. Vasquez vbi suprà cap. 3. Suarez disp. 4. sect. 2. Et in conclusione secunda addit negari non posse sine temeritate, & fidei incommodo. Medina q. 1. art. 2. & dub. circa primam conclusionem ait oppositam esse temerariam & erroneam. Faber in disp. 48. cap. 2. 6.

Probatur autem primò ex SS^a. quia Sapientiæ 12. dicitur: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Et Ieremiæ 12. *Numquid sicut figulus illud non potero vobis facere domus Israel*; ergo liberum fuit Deo hominem lapsum reparare. 7.

Sed respondet Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 5. SS^æ. testimonia intelligi de libertate antecedenti, quâ Deus liberè voluit hominem creare, & peccatum illius permittere, quo supposito necessum fuit illum reparare. 8.

Sed contrà primò, quia si nullus potest Deo imputare, quòd pereant nationes ab ipso iam factæ, vt dicitur in præcitatis verbis; ergo potuerũt perire, non solùm quòd Deus decreuit illas fore, & permisit peccare, sed etiam post- 9.

postquam iam sunt, & peccant. Secundò, quia figulus non solùm potest formare aliquod vas liberè, sed si frangatur, liberè etiam potest non redintegrare; sed Deus vocat se figulum, vbi suprà; ergò. Tertiò, quia reparatio hominis non habet necessariam connexionem cum lapsu, non enim sequitur cecidit, ergo resurgit, sicut sequitur currit, ergo mouetur. Neque ex eo quod non resurgat, sequitur aliqua positiua indecentia in Deo, cùm nihil ad extra tribuat illi intrinsecum aliquod emolumentum, aut nocumentum; ergo non fuit illi necessarium, quòd hominum lapsum repararet, sed etiam post lapsum fuit illi liberum reparare, imò & posset illum punire, nullam cum illo habens misericordiam.

10. Dico secundò, dato quod fuisset simpliciter necessarium Deo hominem reparare, non tamen ad id fuit necessaria Verbi Incarnatio. Hæc conclusio est etiam communis, & habetur apud præcitatos Auctores. Et probatur primò ex locis SSæ in quibus opus Incarnationis commendatur tamquam opus dilectionis, misericordiæ, & liberalitatis Dei, quæ omnia libertatem planè sonant, aut supponunt Ioan. 3. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum*; ergo Incarnatio fuit opus libertatis Dei, licèt supponeremus, quòd reparatio hominis esset simpliciter necessaria.

11. Secundò probatur ex Patribus Athanas. serm. 3. contra Arrian. 5. ante finem foliis, sic ait: *Poterat etiam sine vllo aduentu Christi solummodò loqui Deus, & soluere maledictionem eternam, spectandum est istic, quod hominibus sit vtile, non quod situm sit in viribus Dei.* Et August. lib. 9. de Agone Christi, cap. 11 *Sunt* (ait) *stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.* Et plura alia habet 13. de Trinitate cap. 3. Leo Magnus, Emissenus, Greg. Bernardus, & alij plures relati à Vasq. vbi suprà.

12. Tertiò probatur ratione, quia si propter aliquam causam Incarnatio esset necessaria, maximè vt hominum reparatio fieret ex perfecta iustitia; sed hæc vel potuit fieri ab alia pura creatura, iuxta ea quæ dicemus sequenti disput. vel si non potuit sic fieri, sed necessariò ab aliqua persona diuina incarnata erat facienda, non erat tamen simpliciter necessaria, quia potuit Deus gratis omnino condonare debitum, cùm enim sit supremus Dominus nulli faceret iniuriam. Præterea cùm ipse sit offensus, potest remittere offensam. Præterea cùm sit supremus Legislator, potest legem illam, morte morieris, dispensare quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, imò fortassis cum aliquo sic dispensauit. Præterea posset ab vnoquoque hominum aliquam satisfactionem vel pœnitentiam exigere, illaque esse contentus, imò & per acceptationem antecedentem (iuxta ea quæ dicenda sunt disp. sequenti) ad æqualitatem satisfieri; ergo dato, quòd fuisset necessaria hominum reparatio, non tamen fuit necessaria Incarnatio Verbi.

Ex hoc patet non esse indignum Deo 13. (vt suprà ait Anselm.) culpam relinquere absque pœna; quia cùm sit supremus Dominus & Legislator, & nihil ad extra augeat vel minuat eius perfectionem, optimè id potest præstare, imò si de facto id præstaret, eo ipso esset bonum & dignum Deo: in hoc enim distinguitur Deus à creaturis, quod in creaturis bonum velle procedit ex eo quod habet aliquod bonum obiectum, tamen in Deo potiùs obiectum est bonum, quia Deus illud vult. Præterea quia condonare iniuriam omnino esset bonum, si fieret ab homine particulari, & sic multò magis si fieret à Deo. Præterea licet Iudex particularis non posset id facere, etiam remissa iniuria ab homine læso, tamen Princeps qui vices tenet cōmunitatis iustis de causis potest id facere, quantò magis Deus, præsertim in casu, quo tota communitas hominum deliquerat.

Dices: Omnia opera Dei ad extra 14 sunt misericordia & veritas, hoc est, iustitia, iuxta illud Psal. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas*; si autem Deus gratis remitteret offensam, licèt esset misericordia, non tamen iustitia. Respondeo: In omni opere ad extra non seruat Deus perfectissimam iustitiam, neque ita sunt intelligenda prædicta verba, sed dicitur seruare iustitiam,

tiam, quia omnibus rebus dat debitum absque eo quod ipse sit debitor, quare dicitur iustitia latè, ostendit enim suam misericordiam, dando esse creaturæ; & ostendit iustitiam, dando accidentia debita tali essentiæ. Vnde si Deus omnino gratis remitteret offensam, in quo ostenderet misericordiam, similiter ostenderet iustitiam, retribuendo ea quæ consequuntur ad gratiam, quâ remisit offensam; & si absque gratia remitteret, ostenderet iustitiam in conseruando hominem impunitum, cùm iniustitia esset hominem iam non peccatorem punire.

15. Dico tertiò: Licèt ad talem hominis reparationem esset simpliciter necessarium Verbum diuinum incarnari, non tamen mori. Hęc cōclusio etiam communis est apud præfatos Auctores. Et probatur, quia suppositâ Christi incarnatione vna eius operatio ad satisfactionem, & generis humani reparationem sufficere poterat, vel ex se, vel ex acceptatione diuina, iuxta ea quæ in sequentibus sunt tractanda. Vnde non necessitatis, sed decentiæ fuisse dicitur hoc opus: *Decebat* (inquit Paulus ad Hebr. 2.) *eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per passionem cōsummari*; ergo mors Christi etiam suppositâ Incarnatione non fuit simpliciter necessaria ad hominum reparationem, sed merè libera, & pendens solùm ab ordinatione diuina.

16. Ex dictis patet ad fundamētum sententiæ contrariæ, quòd nil sit eorum, quæ adducuntur, indecens positiuè (vt benè ait Suarez) respectu Dei, licèt negatiuè hoc non esse, ita decens posset cōcedi; sed si Deus aliter faceret, etiam esset decens positiuè, vt suprà diximus. Neque enim horum hominum irreparatio bonitati ipsius derogabat, cùm posset alios creare, & ipsos beatificare; neque Angelorum similiter sedes irreparare, quia poterat vel vacuas relinquere, vel pro de nouo creatos homines implere, vel per ipsos Angelos ad pœnitentiam reductos, aut liberè condonatos; vel per alios Angelos, quos gratia Dei posset ita perfectos, imò perfectiores quàm primos efficere, quod non derogaret primæ creationi, sed solùm horum, & Angelorum peccantium malitiæ deputaretur, non ipsi Creatori, cui nil ad extra derogat.

Necesse ergo habemus, piè & benignè prædictos SS. Patres interpretari, 17.
vel quod loquantur de necessitate immutabilitatis, quam habet Deus supposito decreto, quo decreuit hominem reparare, & per hoc medium reparare, quia id quod est quando est, necesse est esse. ita exponūt Anselmum D. Bonau. & Alexander Alensis vbi suprà, quia ipse lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 5. & 17. non admittit in Deo aliam necessitatem, licèt Vasquez vbi suprà hac solutione non contentus sit; vel quod loquatur de necessitate secundùm quid, & ad melius esse; vel quod loquatur de necessitate & decentia more humano, in quo id quod vtilissimum & conuenientissimum est, decens & necessum dicitur, quo dicendi modo vocatur etiam Incarnatio ab aliis Patribus vnicum & singulare medium ad nostram reparationem.

Dico quartò: Licèt Verbi Incarnatio & Christi mors non fuerit simpliciter necessaria ad hominis lapsi reparationem, fuit tamen vtilissima ad illam. 18.
Hæc conclusio statuitur contra Abailard. & alios hæreticos apud D. Bernard. epist. 190. negantes diaboli potestatem in homines, quare solùm asserebant fuisse vtilem, vt homines Verbi doctrinâ instruerentur, non tamen vt eriperentur à diaboli potestate, quam negabant. Sed contra eos opposita veritas est fidei dogma, vt optimè suprà prosequitur D. Bernardus. Et probatur ex Paulo ad Tim. 2. *A quo* (diabolo) *captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Ad Coloss. 2. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Et Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et Paul. ad Rom. 8. *Christus pro nobis mortuus est*, &c. & alibi sæpè: vnde iure optimo hæc veritas definitur in Trid. sess. 6. de Iustificatione cap. 1. & 2. & idem deniq; passim testantur Patres; interim videatur Vasquez disp. 1. cap. 1. Valencia disp. 1. quæst. 22. puncto 1. Kellisonius de Incarnatione quæst. 1. art. 2. dub 1. & 2.

Quæres quænam sit hæc diaboli in hominės potestas, à qua per Christum sunt liberati. Et respondeo breuiter 19.
non

non solùm esse potestatem eos puniendi propter peccata, sed etiam cum ratione peccati homines amiserint gratiam sanctæ cogitationis, subditi ac obnoxij sunt pluribus tentationibus, & incursibus eius, à qua potestate liberati sunt à Christo, qui illis meruit actualem & habitualem gratiam, quæ potestas non imperialis, & iusto titulo acquisita fuit à dæmone, sed tyrannica per seductionem primorum parentum, & Deo permittente fuit obtenta. Ideoque Deo habenti imperialem potestatem, & non diabolo, debuit pretium sanguinis à Christo nos captiuos redimente offerri.

DISPVTATIO II.

DE SATISFACTIONE PVRI HOMINIS.

ASseruimus in præcedenti Quæstione Verbi Incarnationem, & eius mortem non fuisse simpliciter necessariam, supposito lapsu primi hominis ad eius reparationem, non tamen ex professo fuimus locuti de qualitate reparationis; an scilicet esset solùm de congruo, an de condigno, siue æquiualens, vel an de toto rigore iustitiæ; ideò illi Quæstioni affinis est Disputatio præsens, de qua Scholastici agunt in 3. d. 20. vt sciamus quid in hac re possit purus homo, vt deinde in sequenti Disputatione sciamus an fuerit simpliciter necessaria Verbi Incarnatio ad hos fines, vel solùm vtilis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit satisfactio?

1. PEr plurimam diuersorum philosophandi diuersitatem, obscura apparet, quæ in hac & sequenti Disputatione tractantur; ideò hanc doctrinalem præmittimus Quæstionem, vt per notitiam quidditatis, & diuisionum satisfactionis, facilis ad ea pateat aditus. De Satisfactione puri hominis agit Scotus in 1. d. 17. q. 1. §. *Sed tunc est vlteriùs*, & in 2. d. 27. q. 2. §. *Ideò alia est operatio*, & in 3. d. 18. q. vnicâ in ista q. & d. 19. §. in ista quæst. & in 4. d. 15. q. 1. §. *Quantum ad istum ergo artic.* & quodlibet 17. art. 2. & de Christi merito, quod pro nobis satisfecit, agit in 3. d. 18. 19. & 20. & in 4. d. 5. citatâ.

2. Satisfactio ergo in communi accepta sic definitur ab Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo*, epist. 19 & 20. & clariùs & breuiùs à Scoto (quem communiter sequuntur Auctores) in prædicto 4. Sent. §. Respondeo litt. A. Satisfactio *est redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti*, cuius definitionis particulas singulas seorsim probat sic Scotus, quòd sit *redditio*, quia non est absolutè datio, seu donatio, illa enim particula *satis*, posita in satisfactione insinuat, & denotat, quòd illud quod datur, est in ordine ad illud quod fuit receptum; quòd sit *voluntaria*, quia si esset inuoluntaria, non esset satisfactio, sed satispassio, qualiter in inferno damnati pro peccato veniali satispatiuntur in doctrina Scoti, sed non satisfaciunt; quòd sit *æquiualentis*, hoc est, quòd æquiualeat illud quod redditur ad illud, quod fuit acceptum, quia aliàs non redderet satis; quòd sit *aliàs indebiti*, id est, non alio titulo debiti, quia vnâ solutione, v. g. vt quatuor non possunt satisfieri duo debita vt quatuor, quia cuilibet horum debetur satisfactio vt quatuor. Quæ definitio æquè accommodatur (inquit Scotus in fine prædicti §.) satis-

factioni, quæ fit pro iniuria per peccatum illata; ac satisfactioni, quæ in commerciis & contractibus humanis fit pro lucro recepto: quod debet maximè notari prodiendis ex eius sententia in hac & sequenti disputatione.

3. Vnde à Recentioribus triplex adstruitur satisfactio: Prima, in qua omnes prędictæ differentiæ, seu conditiones (& aliæ in illis implicitè contentæ, vt infrà dicemus) reperiuntur, & hæc vocatur *ex toto rigore iustitiæ*. Secunda, in qua non reperitur vltima conditio, scilicet *aliàs indebiti*, & hæc dicitur *satisfactio condigna, seu ad æqualitatem*, quia licèt id, quod redditur, sit aliàs debitum, est tamen æquiualens in valore debito, cui fit satis. Tertia, in qua etiam deficit quod sit æquiualens id, quod redditur, & hæc dicitur *satisfactio imperfecta, seu de congruo*, quia si acceptatur à creditore, solùm est ex voluntate creditoris liberaliter remittentis partem debiti. A nobis tamen sunt solùm adstruendæ duæ satisfactiones, condigna scilicet, & congrua, cùm omnes conditiones præfatæ, & quas inferiùs adducemus, pertineant ad æqualitatem satisfactionis, & consequenter satisfactio condigna, & satisfactio de toto rigore iustitiæ, quòd enim id, quod est æquiualens, sit aliàs pro alio debito debitum, non tollit quominùs pro hoc debito sit æquiualens, & æquale, vt in exemplo adducto, quòd solutio vt quatuor sit pro duobus debitis, vt quatuor, debita, non tollit quominùs sit æqualis pro vno vt quatuor: vnde merito antiqui Scholastici huius vocis non meminerunt.

4. Sed pro maiori declaratione satisfactionis secũdo & tertio modo acceptæ à Recentioribus (de primo enim modo agemus in fine huius Quæstionis per duas integras partes, in quibus probabimus primam & secundam acceptionem esse eamdem) Nota primò, quòd æquiualentia rei, quæ redditur ad rem pro qua redditur est duplex ex Arist. 5. Ethic. alia quâ vna æquiualet alteri secũdùm proportionem geometricam, quæ est proportio inter duas proportiones, & hac satisfactione satisfacit, qui diuidit præmia militibus, vel personis vnius reipublicæ, quia sicut se habet in præmiatione Petri respectu Ioannis, ita à proportione se habet in præmiatione Pauli respectu Francisci, nam sicut duplo maius præmium reddit Petro, quàm Ioanni, quia duplo maius meritũ habebat, ita quadruplo maius reddit Paulo, quàm Francisco, quia respectu illius quadruplo maius meritum habebat. Alia verò est æquiualentia, quâ vna res æquiualet alteri secundùm proportionem arithmeticam, quæ est proportio quantitatiua; quâ, v. g. quatuor modij tritici æquiualent aliis quatuor, vel centum argentei æquiualent in valore ad 8. cados olei attentâ illius æstimatione, per primam exercetur iustitia distributiua, per hanc verò secundam iustitia commutatiua, licèt hæc etiam requiratur ad primam, quia per eam datur præmium iuxta quantitatem meriti, vt habet expresse Scotus in 4 d. 4. 6. q. 1. art. 1.

Sed pro intelligẽtia doctrinæ Scoti Nota secundò, quòd æquiualentia ista arithmetica potest oriri ex duplici capite, primò, ex natura rei, quâ ratione quatuor modij tritici æquiualent aliis quatuor æquè perfectis in substantia & qualitate: secundò, ex acceptatione, quæ se habet per modum legis & pacti, quâ ratione modò æquiualet dimidia quantitas metalli Vellionis (propter nouam legem signatam per impressionem noui sigilli) ad vnum panem, v. g. pro quo anteà duplicata quantitas reddebatur, ita vt quod anteà 8. nummi valebant, modò valent, ac si essent 16. vnde si talis acceptatio, & lex cadat super materiam nimis vilem, vt aliquãdo propter occurrentes necessitates solet contingere, ostenditur potentia absoluta principis; si tamen cadat super materiam magis perfectam, & aliqualiter dignam, vt argenteam, vel auream, ostenditur potentia ordinaria ipsius. Notanter dixi, quòd æquiualentia ista secunda oriatur ex acceptatione, quæ se habet per modum legis & pacti, quia si solùm sit particularis voluntas, quâ priuata persona, vel etiam persona principis, vt particularis, vult aliquando acceptare aliquid pro integra solutione debiti, vltra id quod ex natura rei, vel ex lege, seu acceptatione cõmuni habet valoris, vt, si creditor, cui debetur centum modij tritici, vel centum nummi, dimittat omne debitum pro solutione 5.

50. nummorum, vel modiorum, potiùs est solutio creditoris gratuita, & misericordiosa debiti, quàm æquiualens satisfactio debitoris. Vnde facilis & clara apparet distinctio inter satisfactionem perfectam, & de condigno; & imperfectam, & de congruo: Prima enim est, vbi intercedit æquiualentia arithmetica inter datum & acceptum, siue talis oriatur ex natura rei, siue ex acceptatione antecedenti, & per modum legis. Secunda, vbi talis non intercedit; & si intercedat, non est ex lege, sed ex particulari voluntate, & remissione creditoris.

6. Neque obstat, si dicas, quòd Princeps in tali lege non addit valorem monetæ, sed taxat id, quod valet iuxta valorem metalli; nam contrà est, primò, quia diuersi Principes pro eodem tempore diuersum valorem præstant eidem monetæ, vt nũmus argenteus, qui in Hispania, valet vt 8. in aliis regnis valet vt 10. ergo vel aliquod regnum ex illis fallitur in taxatione talis monetæ, vel possunt illi dare diuersum valorem moralem, prout eis oportuerit, iuxta contractus & commercia regnorum, Contrà secundò, quia valor moralis condignus, seu æqualis non attenditur solùm iuxta entitatem physicam rei, sed etiam iuxta æstimationem communem; sed hanc potest dare Princeps, vt caput communitatis, vt patet in taxatione tritici, quæ diuersa solet esse pro diuersitate voluntatis illius; ergo. Et confirmatur, quia plus æstimatur officium æqualiter cum alio onerosum, quod maius habet beneficium, v. g. Archidiaconatus in Ecclesia maiori Toletana, quàm in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali minori; ergo valor moralis non solùm crescit ex bonitate rei, sed etiam ex Principe communi lege acceptante, & similiter ex statuente officium cum maiori beneficio.

7. Hinc venit intelligendus Scotus in suprà citatis locis, vbi ait, quòd opera hominis iusti rectitudinem habentia ex obiecto & circumstantiis, & elicita ex gratia sunt meritoria de condigno vitæ æternæ, ex acceptatione, pacto, & promissione Dei; non enim vult Scotus, quòd acceptatio præstet operi sic elicito totum valorem, taliter quòd etiam excludat valorem intrinsecum, vt imponit illi Suarez 3. p. d. 39. sect. 1. & Vasquez disp. 4. cap. 4. & disp. 5. cap 1. & parte 2. disp. 214. cap. 5. & 6. sed solùm vult, quòd cõpletiua ratio meriti sumatur ex acceptatione Dei. ita expresse habet in 1. d. 17. q. 2. §. *Sed tunc est vlterius*, & alibi sępè vt inferiùs magis explicabitur; putat enim & benè Scotus, quòd nulla creatura ex se sola potest Deum obligare, & adstringere, vt teneatur ad aliquod; & sic indigere eius voluntate, vt obligetur, quia sicut ex eo quod est prima omnium causa, nullum est ens, nullum bonum à priori, nisi quia ipse vult; ita nullum est meritum à priori, nisi quia ipse vult, & acceptat illud ad præmium, & sic à priori; ideò aliquod opus est meritorium respectu Dei, quia acceptatur ab illo, non econtrà.

Quare obserua, quòd ratio meriti se 8.
habet in opere, sicut forma absoluta in materia, & sicut relatio in fundamento; acceptatio enim passiua, proueniens ab acceptatione actiua Dei, est quædam relatio ad præmium, & ad præmiantem, quasi inhærens in bonitate & rectitudine operis, & dans illi formaliter completiuè esse meritorij: vnde sicut compositum absolutum & relatiuum non est completè tale, nisi à forma, hoc tamen non excludit materiam vel fundamentum; ita meritum completè habet esse ab acceptatione passiua, non tamen excludit bonitatem operis meritorij, sed potiùs partialiter includit illam, nisi velis, quòd prædicta acceptatio non comparetur tamquam forma respectu rectitudinis intrinsecæ habentis se vt materiæ & fundamenti, sed quod comparatur tamquam forma partialis complens tamen & vltimatè perficiens priorem formam, sicut in corpore quanto se habet profunditas respectu superficiei, & superficies respectu lineæ, & sicut in qualitate se habent gradus vt 8. ad gradus vt 4. vt sic enim tam valor intrinsecus quàm acceptatio habebunt rationem formæ, & adæquatè constituunt formam meriti, partialiter tamen habente se priori vt inchoatiua, & posteriori vt completiua, & vtraque vt forma respectu operis habentis se vt materia, sicut se habent supradictæ quantitates, vel qualitates cum substantia corporea.

9. Neque similiter vult Scotus, quòd acceptatio semper supponat totum valorem (vt ipsum interpretatur Lorca disp. 7. quem sequitur quidam Recentior in manuscriptis) taliter, quòd acceptatio Dei solùm præstet operi ex gratia facto ius, ratione cuius teneatur Deus ex iustitia reddere mercedem pro qualitate operis, supponat tamen in opere valorem condignum, & æqualem præmio, quia licèt hoc existimem ego esse verum, vbi id quod redditur non potest esse maius bonum, quàm id pro quo redditur, vt contingit in satisfactione Christi Domini (de qua tunc agebat Lorca) quia id quod in retributionem ipsius datur non potest excedere valorem meriti ipsius, nam licèt non sit simpliciter infinitum, neque physicè, neque moraliter (vt cum Scoto in propria quæstione dicemus) est tamen infinitum secundùm quid, & summum negatiuè, & retributio quæcumque excogitabilis sit, non potuit aliam habere infinitatem, neque excessum; sed si loquamur in casu quo retributio possit bonitatem operis meritorij excedere, vt de facto contingit in retributione, quâ Deus præmiat per visionem, & fruitionem beatam, opera nostra, supra quæ potest esse excessus in visione & fruitione, saltem in intensione, perpetuitate, & securitate; tunc dicendum assero quod in doctrina Scoti acceptatio non solùm præstat ius iustitiæ, sed etiam aliquem valorem, quo æquale reddatur moraliter meritum cum præmio, imò ex eo quod præstat ius, præstat valorem, quia constituit meritum æquale cum præmio, semper enim præmium (vt inquit Scotus) est maius bonum bono meriti. Et ratio est, quia si præmiare esset reddere æquale pro æquali, premiare potiùs esset commutare vnum bonum pro alio, quàm præmiare: quapropter communiter apud nos vocatur præmium in commutatione monetæ, aureæ, vel argenteæ, id quod vltra eius quantitatem datur in materia vellionis, vt si das centum, dantur tibi centum & triginta, quæ triginta vocantur propriè præmium propter excessum, quem habent in valore extrinseco, prouenientem ab acceptatione communi.

10. Hinc fit, quod vbi in Scriptura proponitur nobis beatitudo in præmium propriè loquendo, & non lato modo acceptum, proponitur vt superans in valore intrinseco labores nostros; ita 1. ad Corinth. 9. proponit gloriam ad similitudinem brauij eorum, qui simul currunt, vt præcurrenti conferatur, quod si in valore compararetur cum valore cursus etiam citissimi & acceleratissimi nimis excedit, nam labor efficiendi in platea vnum cursum etiam velocissimum, si secundùm valorem intrinsecum perpendatur, non habebit valoris vnum regale, datur tamen in præmium pignus habens valoris plusquam centum regalium, in ordine ad quod acquiritur ius ex suppositione, quod sit in præmium propositum, & ex suppositione cursus velocioris; ergo ex eo est, quod præmium sit propriè dictum, & communiter vocatum est maius bonum, quàm bonum meriti: vnde idem Paulus ibidem epist. 2. ait quòd *numquam auris audiuit, neque oculus vidit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Et ad Roman. 8. ait: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; & nihilominùs ex communi consensu Theologorũ in materia de gratia, per merita facta in gratia, seu per passiones huius temporis, vt oportet perpessas, meremur illã de condigno habentes ius ad ipsam. Et iterùm: *Modicum & momentaneum hoc æternum gloriæ pondus operatur.* Perpende illud verbum *pondus* dictum de gloria, & quod sit *æternum*, & hoc per contrapositionem ad omne opus meritorium totius vitæ, quod appellatur *modicum & momentaneum*: quibus omnibus accedit commune proloquium Theologorum, *Deus semper præmiat vltra condignum, & punit citra condignum*; quod non asserunt ex eo, quòd Deus semper ex mera liberalitate det aliquem gradum gloriæ vltra debitum ex iustitia; quia licèt hoc aliquando efficiat Deus, sed non semper facit, sed ex eo quod, eo ipso quod Deus præmiat, id quod dat in præmium, habet maiorem valorem moralem, quàm meritum pro quo dat. Hanc autem distinctionem acceptationum, quarum altera solùm præstet ius iustitiæ; altera verò non solùm ius, sed etiam valorem aliquem colligo ex Scoto in 4. d. 15.

q. 1.

q. 1. §. *quantum ad istum*, vbi distinguit duplicem satisfactionem æquiualentem, aliam simpliciter æquiualentem, aliam verò æquiualentem ex diuina acceptatione, sed nulla est condigna, licet sit æquiualens secundùm doctrinam Scoti (imò & plurium aduersariorum) nisi per acceptationem diuinam, vt latè probabimus disp. sequenti, q. 1. ergo acceptatio in satisfactione condigna, & æquiualenti simpliciter, solùm tribuit ius; & in satisfactione cōdigna, & æquiualenti ex acceptatione, non solùm tribuit ius, sed etiam aliqualem valorem.

11. Quod autem acceptatio diuina non solùm præstet ius nostræ satisfactioni, & nostris operibus meritoriis, sed etiam præstet valorem, imò ex eo quod præstet ius, præstet etiam valorem, relictis aliis locis Scoti, euidenter meo videri probo ex d. 17. in 1. q. 2. §. *Sed tunc est vlterius* infrà, vers. *In hoc est ratio meriti*, vbi probat, quòd ante acceptationem diuinam opus nostrum meritorium non habet æqualem dignitatem cum præmio ex intrinseca bonitate, quam habet ex suis principiis, ex eo quod præmium semper est maius bonum merito, & iustitia stricta non reddit melius pro minus bono, sed æquale pro æquali; ex quo infert, quòd requiratur acceptatio ad constituendam talem iustitiam: vnde sic argumentor, Acceptatio ex Scoto constituit talem iustitiam, sed iustitia ex eodem Scoto non reddit melius bonum pro minori bono, sed æquale pro æquali; ergo cùm acceptatio operis meritorij ad præmium non supponeret in bonitate operis, vt ait Scotus, æqualitatem cum illo, sequitur, quòd acceptatio, quæ ex Scoto præstat iustitiam, similiter præstet æqualitatem in valore, & sic addat aliquem valorem, vt similiter cum præexistenti, meritum sit æquale in valore cum præmio.

12. Quod iterùm confirmo ex eodem Scoto, quia paulò pòst ait, quòd aliquando Deus præmiat ex mera liberalitate vltra id, ad quod de communi lege esset actus acceptādus: vnde si communis lex, hoc est, acceptatio æterna, quā Deus omnia merita nostra præmiat (vt habet Scotus paulò antè) acceptat meritum vt duo, ad præmium vt tria (semper enim præmium est maius bonum bono meriti, vt inquit Scotus) & acceptaret iterùm Deus tale meritum iam exhibitum ad præmium vt quatuor, ille alius gradus esset ex liberalitate: ex quo sic infero; ergo ex Scoto duplex potest reperiri valor in opere meritorio, vterque procedens ab acceptatione Dei, alius præmiabilis ex liberalitate, vtpote quia additus fuit ex acceptatione speciali subsequenti more liberali; & alius præmiabilis ex iustitia, vtpote debitus ratione acceptationis antecedentis habentis se per modum legis communis, statuentis pro tanto merito tantum præmium; sed hic vltimus valor vt æqualis est cum præmio non supponitur ex parte operis, vt intendit illic probare Scotus, & tamquam cōclusionem infert communem doctrinam Theologorum, scilicet quod semper Deus præmiat vltra cōdignum, hoc est vltra dignitatem actus habitam ex natura sua, & bonitate intrinseca ipsius, vt ipse explicat; ergo acceptatio habens se per modum legis, non solùm præstat ius, sed etiam valorem.

Et si obiicias: Si opus meritorium vt duo ratione acceptationis redditur meritorium vt quatuor, sequitur quòd Deus præmiet non solùm opus, sed etiam suam acceptationem. Respōdeo, negando sequelam, quia acceptatio dat operi valorem in genere causæ formalis: vnde est ratio valendi, non tamen valet, sicut albedo est ratio formalis dealbandi, & tamen non est alba. Præterea, quia hoc argumentum, quod fit de valore prouenienti, extrinsecè ab acceptatione posset fieri similiter de valore intrinseco operis, ad quod eodem modo debet responderi, scilicet quòd non valeat, sed sit ratio valendi. 13.

Vnde non debetis intelligere, quòd acceptatio antecedens præstat maiorem valorem operi meritorio, augendo intēsionem, vel rectitudinem illius, quia hoc solùm potest fieri à principiis intrinsecis operis, sed ex eo quod dat illi maiorem appretiationem, & æstimationem, pro quanto maius præmium est illi statutum, quàm sua bonitas postularet, quia cùm non sint condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & acceptatio Dei illas facit condignas, seu meritorias de condigno illius gloriæ, 14.

talis acceptatio præstat illis maiorem acceptationem, quam ex se haberent sine illa, & sic maiorem valorem, sicut superiùs diximus de officio æquali cum alio in labore, habente tamen maius beneficium; quod habeat maiorem valorem, quia maiorem æstimationem.

15. Neque similiter debetis intelligere, quòd acceptatio hæc sit consequens ad opera meritoria, quâ Deus in executione vult illa tantâ, vel tantâ gloriâ præmiare, vt videtur imponi Scoto à Vasquez, vbi suprà, quia hæc acceptatio consequens non complet (in sententia omnium) meritum in ratione meriti, cùm sit actus, seu exercitium iustitiæ cõmutatiuæ, quo in executione Deus præmiat iuxta æqualitatem meriti, imò & potest esse executio liberalitatis, quâ Deus non attẽdens ad qualitatem operis vult præmiare; sed debet intelligi de alia acceptatione antecedenti æternâ (vt habet Scotus 2. Sent. nuper citato) habenti se per modum legis statuentis quantitatem præmij pro quantitate meriti, quam distinctionem docet Rada super 3. Sent. contro. 13. art. 2. Pytig. d. 13. q. vnicâ, art. 1. & d. 20. q. vnicâ, art. 3. Faber disp. 48. cap. 3. & communiter omnes Scotistæ; sed præfata doctrina clarior apparebit ex his, quæ in sequentibus quæstionibus dicenda sunt, quòd autem non detur tale pactum, seu acceptatio antecedens, habens se per modum legis (vt impugnat Vasquez) refutabimus quæstione 2. sequenti, & ostendemus dari ex Scriptura.

PARS PRIMA

De duplici priori conditione ad rigorosam iustitiam.

16. Egimus hucusque in communi de conditionibus requisitis ad satisfactionem congruam, & ad condignam, quæ vocatur ex iustitia, modò venit agendum de his, quæ pertinent ad satisfactionem de toto rigore iustitiæ, vt cum Recẽtioribus loquamur, ad quam vltra omnes illas conditiones positas in integra definitione, alij requirunt alias, & sic primò examinabimus duas in hac parte, vt in sequenti examinemus reliquas; prima ergo conditio est, quòd satisfactio fiat ex bonis propriis satisfacientis, hanc conditionem assignat D. Tho. in 4. d. 13. q. 1. art. 2. ad 2. & 3. vbi Capr. art. 3. ad 1. Aureoli contra primam cõclusionem, Durand. in 3. d. 20. q. 2. num. 6. ibi Richard. art. 1. q. 4. & 5. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 20. ante §. 1. Caiet. q. 1. art. 2. Sotus de Natura & gratia cap. 6. Medina eod. de Satisfactione, &c. 3. p. q. 1. Suarez 3. p. tom. 1. disp. 4. Sect. 6. §. secunda cõditio, Vasq. disp. 8. cap. 1. 4. & 5. Valen. disp. 1. q. 1. pun. 5. Albertin. to. 1. principio primo phylosophico, q. 18. dubit. 3. Cabr. disp. 4. §. 4. n. 66. Vaga 7. in Trident. cap. 9. Lorca d. 8. num. 19.

17. Quòd autem bona sint propria debet intelligi de proprietate acquisita, non solùm ratione libertatis, quâ actus liber à voluntate elicitur, sed etiam ratione iuris, & dominij moralis acquisiti aliqua lege, siue naturæ, siue diuina, siue humana. Insuper addunt aliqui, quòd taliter debent esse propria, quòd non sint etiam propria creditori, & sic vtriq; cõmunia. Aliqui verò id negant.

18. Sed hac distinctione sic iudicandam rem censeo, quòd si debitum contractum est per aliquod vtrique commune satisfiat de rigore iustitiæ, si fiat satis per aliquod vtrique commune, vt contingit inter homines habentes æquale & commune ius ad aliquam rem; v. g. habent duo homines duo mancipia ipsis communia occidit vnus vnum; adæquatè satisfacit alteri pro eo, si donet absolutum & insolidum dominium alterius, & qualiter Religiosus, qui ab altero Religioso furatus fuit, v. g. librum, sufficienter satisfacit dando ei similem alium librum, qui eo ipso, quòd ipsius esset, erat sub dominio vel communitatis, vel Pontificis, & consequenter cõmunis vtrique; & reperitur in peccato & merito, quæ, quantum ad physicam entitatem iure naturæ sunt sub dominio hominis & Dei, cùm iure naturæ taliter sint vtrique propria, vt ipsis imputentur, & possint ea conseruare, & per actum oppositum destruere, si velint, quibus signantur dominium morale. Et ratio est, quia si aliquid est ablatum in ratione dominij, æquè restituitur eo modo, quo restitui debetur; tamen si debitum erat insolidum sub domi-

dominio creditoris, vt communiter contingit in contractibus humanis, & in furtis, satisfactio non potest esse æqualis, si fiat per aliquid vtrique commune, quia non restituitur ei dominium integrum, quod fuerat ablatum; & notanter dico: *Si aliquid est ablatum in ratione dominij*; quia reputo verum id quod ait Suarez disp. 4. sect. 6. scilicet quod in satisfactione iniuriæ non fit translatio dominij, si fiat per obsequia opposita iniuriæ, tum quia hæc est impossibilis inter creaturas, nam mea actio non est tua, neque potest non esse mea, tum quia satisfactio ista non habetur ratione summissionis, & reuerentiæ, quam exhibet iniurians, vt satisfaciat, non ratione translationis dominij, hæc enim solùm attenditur in satisfactione pecuniæ: vnde conditio hæc potiùs spectat ad satisfactionem condignam, quæ reddit æquiualens, quàm ad satisfactionem de toto rigore iustitiæ (si hæc est alia & distincta) ideò Scotus illam non apposuit, quia implicitè continebatur in illa particula definitionis, scilicet *æquiualentis*.

19. Secunda conditio est, quòd satisfactio fiat ex bonis alio titulo non debitis creditori. Hanc conditionem præter citatos pro prima assignant Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 19. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 54. Est tamen inter Auctores differentia in explicatione huius conditionis: Vasquez enim in præsenti disp. 8. cap. 6. intelligit illam de indebitis quouis alio titulo, siue religionis, siue gratitudinis, &c. Suarez verò disp. 4. sect. 6. post tertiam conditionem intelligit de aliàs indebitis ex obligatione iustitiæ.

20. Sed vt res explicetur, notat optimè Albertin. suprà citatus conditione 3. quod aliquando nouus titulus importat nouum debitum, aliquando tamen solùm addit nouam eiusdem debiti obligationem. Exemplum prioris sit, si Petrus debeat Ioanni centum ratione furti, & centum ratione mutui. Exemplum posterioris fit, si quis ex voto teneatur adire Romam, & rursus ad id accipiat suum stipendium ab alio; item si dies ieiunij sit dies Quadragesimæ, & vigiliæ, vbi non est diuersum debitum, sed noua eiusdem debiti obligatio: itaque quando nouus titulus cadit super nouam materiam (cuius nouitas secundùm prudẽtem rationem attentis omnibus, quæ occurrunt, debet iudicari) siue contrahatur ex iustitia, vt si debeas ex furto decem, & ex mutuo decem, siue contrahatur ex iustitia, & ex voto; vt si debeas alicui decem; & sex ex furto, & alia 16. ex voto emisso dandi illi totidem eleëmosynæ, siue contrahatur ex aliis virtutibus, tunc semper debitum est nouum; quia sicut recta ratio iudicat debitam esse diuersam materiam, & non eamdem, ità iudicat debitum esse nouum, tamen quando nouus titulus cadit super eamdem materiam, vt si tenearis adire Romam ex iustitia, & rursus ex voto seu religione, & tenearis ieiunare in quodam determinato die ex duplici præcepto, tunc non est censendum nouum debitum, sed noua eiusdem debiti obligatio, quia tunc quasi fit vnum debitum, cùm vna materia sit debita ab vtroque. Ita Albertin. vbi suprà, & insinuat Suarez sect. 6. & alij docti Recentiores.

21 Quibus præmissis respondeo, prædictam conditionem fore intelligendam de indebitis alio titulo, qui inducat nouum debitum, quia cum hoc cadat super diuersam materiam, non potest vnica & eadem materia esse vtriq; æqualiter æquiualens, si tamen non inducat diuersum debitum, sed solùm nouam obligationem eiusdem debiti, benè potest esse satisfactio de rigore iustitiæ per aliquid etiam aliàs debitum, quia tunc quasi identificantur debita in identitate materiæ, & per solutionem illius fit satis vtrique, sed hæc etiam conditio pertinet ad æqualitatem satisfactionis, & implicita est in illa particula, quæ asserit quòd sit *redditio æquiualentis*, & explicita in illa, quòd sit *aliàs indebita*.

PARS SECVNDA

De aliis conditionibus requisitis ad rigorosam iustitiam.

22 Tertia conditio est, quòd satisfactio non supponat gratiam creditoris, si enim quis debet centum, & creditor contentus manet, si solùm illi 50. soluantur, talis solutio non est de rigore

rigore iustitiæ, vel si eidem debitori creditor det gratis illa centum eâ intentione vt illi satisfaciat: vnde non vult in illum transferre dominium, sed solùm accommodare pecuniam, vt iterùm ad se reuertatur, non intercedit rigor iustitiæ, vt omnes vnanimiter conueniunt.

23. Sed dissidium est inter Auctores, an si tali animo, & tali intentione, scilicet transferendi dominium, darentur debitori illa centum, scilicet gratis darentur, an posset ex illis soluere de rigore iustitiæ? Negat Vasquez disp. 8. cap. 1. quia illa gratuita donatio moraliter esset remissio debiti: alij verò ex eo quod talis solutio quomodocumque sit tandem innititur gratiæ in principio collatæ, quæ semper est contraria iustitiæ. Affirmant verò Suarez disp. 46. & Albertin. vbi suprà, quia cùm debitor verè constituatur dominus illius pecuniæ, transferendo statim pecuniam, & dominium illius in creditorem, restituitur in integrum id quod fuerat debitum.

24. Hæc vltima sententia mihi semper visa est verior propter rationem allatam, quia in rei veritate, si attendatur natura solutionis, & satisfactionis omnimodè æqualis, circa quam est nostra disputatio nihil aliud requiritur, quia duo dedit creditor debitori, scilicet pecuniam & dominium insolidum illius, quando mutuum accepit, & eadem duo præstat modò debitor creditori, & sic redintegrat in totum illud, quod accepit. Quare si creditor det debitori talem quantitatem, etiamsi illam det cum desiderio & intentione, vt sibi soluatur debitum, dummodò det cum absoluta translatione dominij, adæquata & rigorosa erit posteà satisfactio.

25. Vnde non obstat, quod obiicit Vasquez, quia licèt gratuita donatio pecuniæ moraliter censeatur remissio debiti, quando accommodatur debitori pecunia, ex qua soluit sine translatione dominij, non tamen cēsetur talis, quando simul cum pecunia etiam transfert dominium, quia moralitas non est contra rei veritatem, sed iuxta eam, est autem rei veritas, quod debitor iam constitutus verus dominus pecuniæ per illius redditionem redintegrat in totum illud, quod debuerat, quandoquidem poterat reseruare sibi pecuniam, vt verus dominus illius, & nō soluere.

Neque similiter obstat, quod tādem seu in radice innitatur gratiæ prædicta solutio, quia cùm sint diuersæ actiones, gratuita donatio pecuniæ facta à creditore, & redditio talis pecuniæ facta à debitore, licèt in prima esset, & exerceretur omnimoda gratia; in secunda potuit interuenire, & interuenit omnimoda iustitia. Quod quidem confirmo duobus exemplis, quibus non possunt accommodari euasiones, quas aliis exemplis præstant aduersarij: Primum sit: Gratuitò quis conuenit cum alio circa emptionem & venditionem alicuius rei, sine qua conuentione neque esset, neque posset esse contractus (siue habeat se conuentio, vt conditio essentialis, siue vt ratio formalis completiua illius) esset autem talis conuentio gratuita, quia nullus contrahentium teneretur ad eam habendam, & nihilominùs post talem conuentionem satisfactio contractus est ex rigorosa iustitia, aliàs non interueniret rigor iustitiæ in emptione & venditione, quæ fiunt in plateis, & in mercantium tabernis, quod nullus admittit; ergo nil obstat illi, quod tandem innitatur gratiæ. Secundum sit: Pater emancipauit filium, & non solùm dedit ei in re, & irreuocabili donatione suam partem legitimam rei familiaris, sed etiam ex 3. & 5. dedit illi alias partes, in qua donatione mera gratia interuenit, quia iuxta leges posset saltem huic numero filio non dare, posteà mutuo accepit à patre aliquid, vel aliquid illi furatus fuit, nullus est qui possit negare, quòd illud potest ex rigore iustitiæ satisfacere ex partibus tertij & quinti gratuitò acceptis à patre, cùm reddat integram rem debitam, & integrum dominium rei, & ridiculum esset dicere, quòd si accedens filius ad aream, vt solueret patri furtum, fortè acciperet pecuniam à bursa, in qua habebat partem ex 3. & 5. gratuitò acceptis, & fortè non acciperet pecuniam ab alia, in qua habebat non gratuitò accepta, talis solutio non esset de rigore iustitiæ, qualis esset, si accepisset, & soluisset ab alia; ergo nil obstat ad satisfactionem de rigore iustitiæ, quod tandem 26.

seu

seu in suo principio reducatur ad gratiam. hæc etiam conditio significata est in definitione, cùm pertineat ad æquiualentiam.

27. Quarta conditio est; quòd persona offensa acceptare teneatur talem satisfactionem, de qua conditione agit Suarez disp. 4. sect. 5. §. 2. *explicare oportet*, vbi plurima congerit, & magis fusè & confuse Ragusa disp. 22. vbi duplicem distinguunt acceptationem, aliam negatiuam, hoc est, non respuere datam satisfactionem; aliam positiuam, quâ actu positiuo admittit illam, & dicunt sufficere primam, neque esse necessariam secundam, quia satis est ad rigorem iustitiæ, quòd creditor non possit respuere satisfactionem, quia cognoscit illam esse condignam & æqualem debito, licèt de facto non admittat, solùm quia non vult admittere.

28. Sed his etiam à nobis est addendum, quòd licèt non requiratur acceptatio positiua subsequens, requiritur tamen acceptatio antecedens in satisfactione proueniente ex contractu, quia talis acceptatio, vt suprà diximus, & inferiùs dicemus, est quæ saltem præstat ius iustitiæ, & sic potiori ratione requiretur ad rigorosam iustitiam. Et notanter dixi, in satisfactione proueniente ex contractu, quia quando satisfactio fit absque illo, vt cùm quis furatur, & restituit, cùm non antecesserit aliqua acceptatio, vel pactum inter ipsos, de rigore iustitiæ debitor satisfacit, dummodo integrè restituat ablatum, etiamsi posteà positiuè non acceptetur. Prætereà addimus; hanc conditionem requiri ad naturam satisfactionis in actu primo; non tamen in actu secundo, quia hæc prout in actu secundo dependet à positiua acceptatione subsequenti, licèt in conscientia securus existat, qui sic in actu primo satisfecit. hæc conditio etiam continetur in præfata particula definitionis.

29. Quinta conditio est, quòd satisfactio fiat ad alterum. Ita prædicti Auctores cum Arist. 5. Ethic. cap. 1. quia iustitia est ad alterum, & sicut nullus potest sibi esse debitor, aut iniuriosus, ita neque satisfactor. Solùm est difficultas pro dicẽdis circa Christi Domini satisfactionem, an hæc alteritas sit intelligẽda absolutè, de distinctione personarũ adæquata, aut saltem inadequata? vnde aliqui apud Albert. suprà citatum dixerunt sufficere quòd distinguantur tamquam includens & inclusum. Pro hac conditione tenent aliqui requiri realem distinctionem naturarum, licèt non personarum.

Sed clariùs nobis dicẽdum est, quòd sufficiat moralis distinctio, & alteritas fundata in diuersis dominiis & iuribus, etiamsi sit omnimoda identitas personarum, imò & naturæ. Et ratio à priori est, quia iustitiæ ratio formaliter solùm exigit adæquationem iuris læsi super aliquam rem, vel actionem: vnde quia in tutore possunt esse duo iura, nam fortè pupillus debet illi, & sic habes ius creditoris contra pupillum, & similiter ratione administrationis, & quasi dominij est debitor, quia est tutor pupili, etiamsi sit vna persona potest sibi ex iustitia rigorosa satisfacere; similiter Petrus est pars in duplici contractu ex his, qui dicuntur contractus societatis, & vna pars debet alteri, potest sibi ipsi soluere, quia debitor est ex vna parte, & creditor ex alia ratione diuersorum iurium. Vnde Scot. in 4. d. 14. q. 2. §. in ista q. litt. D, vers. *nec obstat*, agnoscit in vno homine pœnitente rationem ministri Dei legislatoris ad puniendum se, & similiter agnoscit, quòd sit reus, seu rationem rei, qui debet puniri, quæ est diuersitas moralis personarum pro cura diuersa. Hæc autem conditio continetur in definitione in illa particula, *est redditio*, quia ibi insinuatur esse ad alterum moraliter, vt diximus, distinctum. 30.

Sexta & vltima conditio est, quòd in satisfactione iniuriæ eadem debeat esse persona satisfaciens, quæ fuit iniurians. hanc conditionem aliqui requirunt, quia in vindicatiua iustitia pœna statuta reo iniurianti non potest solui ab alia persona, vt tradunt Couarr. & alij apud Suarez disp. 4. sect. 6. sed non debet intelligi, quòd vindicatiua ex natura sua aliter facere non posset, sed quòd cõmuniter id debeat sic fieri, quia communiter non est alia persona, quæ velit pro reo satisfacere, etiãsi possit ad æqualitatem, vt potest facere Rex, vel aliquis 31.

aliquis nobilis pro aliquo homine plebeio.

32. Vnde cum communi sententia dicendum est non esse requisitam talem identitatem, & vnitatem personæ, dummodo possit iniuria reduci ad æqualitatem, quia commutatiua iustitia, ex qua satisfactio rigorosa procedit, solùm æqualitatem respicit, licèt enim inter Scholasticos sit disputatio, an persona minùs nobilis possit ipsa de con digno, & ad æqualitatem satisfacere pro iniuria commissa contra personam nobiliorem, de qua infrà agemus; tamen apud omnes est conuenientia, quòd si persona satisfaciens est nobilior, vel saltem æquè nobilis cum persona offensa, quòd pro se, vel pro alia possit ad æqualitatem satisfacere. Quare non fuit necessarium in definitione hanc apponere conditionem.

33. Omnes prædictæ conditiones tam satisfactionis condignæ, quàm de rigore iustitiæ (quæ vna & eadem) supponunt aliam conditionem implicitè ab omnibus admissam, scilicet quòd inter personam debitricem, seu satisfacientem, & personam creditoris, seu cui fit satis possit reperiri vera & propria iustitia, quam Arist. 5. Ethic. cap. 2. & 6. non admittit in filio respectu patris (intellige non emancipato) & è contrà, quia filius est pars patris, & in mancipio respectu domini; & è contrà, quia omnia quæ habet mancipium sunt domini, & in vxore respectu viri, quia vir est caput mulieris, quare solùm in illis admittit iustitiam, & iniustitiam per similitudinem ad eam, quæ vera est, & reperitur inter liberos & æquales, quorum vnus non est subditus alteri, vt inter duos ciues eiusdem ciuitatis, ideò iustum ciuile ab Aristotele vocatur, & hæc iustitia per similitudinem vocatur à Scholasticis iustitia potestatiua, id est inter eos, quorum vnus habet potestatem in alterum.

34. Hanc iustitiam potestatiuam solùm, & non iustum ciuile admittunt in Deo respectu nostri, Vasquez 1. p. disp. 85. & 1. 2æ. disp. 225. & 3. p. disp. 7. Lorca disp. 8. de Incarn. Faber in 3. disp. 48. cap. 3. & in Opusculis lib. 4. disp. 43 c. 2. de Iustitia fol. 8. Soto lib. 3. de Iustitia & iure q. 5. art. 4. ad 1. Azor. 3. p. lib. 1. cap. 10. & Smisinch tit. 3. disp. 4. q. 4. & 5. num. 55. quorum fundamentum est, quia nihil habemus proprium, cuius dominium non sit etiam commune cum ipso Deo. Insuper omnis nostra satisfactio nititur in gratia actuali, habituali, & acceptatione ipsius. Addo ego: Neque potest etiam de sua potentia absoluta omnimodè transferre tale dominium in nos, quia sicut non potest non esse Deus, ita nequit non esse Dominus omnium; & addit Suarez tom. 1. de Gratia lib. 7. c. 14. à num. 54. tale dominium Dei erga nos habere se, sicut dominium veri Domini erga mancipia.

Quare dicendum nobis est, quòd sicut iustitia, quæ reperitur inter patrem & filium, & inter dominum & seruum, est solùm potestatiua & similitudinaria ex Aristotele, si inter se vt tales comparentur; tamen si comparentur vt æquales, siue hoc habeant ex gratia, vt contingit in emancipatione respectu filij, & in donatione absoluta alicuius rei respectu mancipij; siue non habeant ex gratia, vt contingit in dominio, quod habet filius circa bona castrensia, vel quasi castrensia; & in operibus supererogationis, quæ potest habere mancipium, tunc inter eos reperitur vera & propria iustitia, cùm habeant verum & proprium dominium; ita similiter inter homines & Deum solùm reperitur iustitia potestatiua, si vt domini & serui, si vt patres & filij comparentur; tamen si comparentur vt æquales, quod quidem habent homines ratione gratiæ habitualis, quæ sicut ipsos constituit amicos, ita suo modo constituit æquales, & ratione liberi arbitrij, ratione cuius habent dominium & ius morale (licèt non exclusa dependentia ab ipso Deo) in suas actiones, & ratione acceptationis æternæ habentis se per modum legis, & pacti donantis ius iustitiæ, licèt totum hoc habuerint gratiosè, & ex mera liberalitate Dei, nihilominùs vera & propria inter eos intercedit iustitia ad similitudinem illius, quæ reperitur inter ciues, quorum vnus nihil ab alio gratiosè recepit. 35.

Et licèt Aristoteles non ita clarè loquatur de iustitia inter hoc modo inæquales, non est mirum, quia tunc suo tempore non erat iure Atheniensium 36.

rece-

receptum, quod posteà iure Cæsareo fuit introductum, scilicet filius non emancipatus posset aliquod habere dominium, imò locutus fuit de filio paruo, & non separato à patre, verba sunt expressa ipsius, quæ adducit Vasquez 1.p.tom.1.disp.85.cap.5. Sanchez to.2. de Matrimonio lib.7.disp.24.à num.22. Molina de Iustitia & iure tom. 1. tit. 2. disp. 38. quòd autem inter Deum & homines reperiatur vera & propria iustitia, supponit Scotus in 1. d. 17. q.2. §. *hic potest dici*, & in 4. d. 14. q. 2. §. *in ista*, quæst. paulò ante litt. G. tenet expresse Suarez disp. 4. sect. 7. ad obiectionem vltimam, & to.4.disp.2.sect.3. num. 6. & de Religione tom. 1. lib. 3. cap.7. num. 11. & in Opusculis de Iustitia Dei sect. 2. num. 9. & à fortiori debent tenere omnes, quotquot asserunt Christum satisfecisse ex iustitia speciali, & iustis in gratia decedentibus deberi gloriam, non solùm ex fidelitate, sed etiam ex iustitia.

37. Ex quibus debetis deducere quòd iustitia de toto rigore, seu rigor iustitiæ dupliciter potest accipi in satisfactione pecuniæ, siue iniuriæ (de vtraque enim eodem modo loquitur Scotus, & vtrique eamdem attribuit definitionem, vt vidimus in principio Quæstionis) Primò, prout rigor iustitiæ excludit omnem gratiam, etiam antecedentem, & vt sic non reperitur inter homines & Deum, cùm omnia sua gratiosè habeant ab illo, quare diximus solùm reperiri iustitiam potestatiuam. Secundò, prout rigor iustitiæ excludit gratiam in ipsa actuali satisfactione interuenientem, quæ gratia non excluditur, quando debitor actualiter in satisfactione vel remittit partem debiti, vel adiuuat aliqua pecunia non transferens dominium illius; vt sibi adæquatè soluatur debitum; benè tamen excluditur gratia actualis, quando filius satisfacit pro debito vel furto ex aliàs gratiosè acceptis à patre, & seruus ex aliàs gratiosè acceptis à domino, quia illa gratia solùm fuit in radice; & vt sic rigor iustitiæ propriè dicitur, quia adæquatam & adamussim æquiualentem satisfactionem exposcit.

38. Quare in hoc sensu, qui verus & proprius est, coincidat satisfactio de toto rigore iustitiæ cum satisfactione condigna siue perfecta: vnde hæc easdem poposcit conditiones, ac illa, vt vidimus in tota hac quæst. & partibus eius; quia omnes conditiones eò tendunt, vt constituant æqualitatem rei ad rem, & sic meritò in principio quæstionis non admisimus triplicem satisfactionem; sed duplicem, scilicet condignam & congruam, vt sic autem inter homines & Deum potest reperiri talis condigna seu rigorosa iustitia, cùm in actuali satisfactione, vt actuali possit nulla reperiri gratia; & notanter dixi vt actuali, propter auxilium concomitans; quod solùm se habet materialiter, & per accidens in ratione gratiæ (dato, quòd sit gratia indebita, quia puto quòd sit debitum voluntati iam excitatæ, vocatæ, & per auxilium existens in intellectu præuentæ) quia solùm dat valorem actui, ex eo quod supernaturale est, non ex eo quod gratia est. Legatur Albertin. tom. 1. princ. 1. philosophico, q. 18. theologicâ, dubit. 3. difficult. 2. Faber à disp.43. & deinceps, & hoc sibi vult Vasquez suprà citatus, & infrà in quæst. sequenti citandus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm purus homo condignè possit Deo satisfacere pro proprio, & à se commisso peccato mortali?

1. PER purum hominem non intelligimus hominem destitutum gratiâ, & aliis donis supernaturalibus, vt malè intellexit Caietanus; sed cum communi sententia intelligimus hominem destitutum naturâ diuinâ, seu non habentem vnionem hypostaticam cum illa, sicut Christus; quare hominem sic acceptum hominem nudum appellauit Basil. & aliquando Cyril. purum & communem hominem. Notanter autem in titulo Quæstionis loquimur de condigna satisfactione ad distinctionem rigorosæ excludentis omnem gratiam antecedentem, in quo sensu iustitia rigorosa communiter accipitur à Recentioribus; non ad distinctionem iustitiæ rigorosæ, quæ solùm excludit gratiam creditoris actualem in ipsa satisfactione, quia, vt modò diximus, hæc eadem est cum condigna satisfactione.

2. Deinde non loquimur de quocumq; actu, sed de actu satisfactorio elicito propter motiuum supernaturale, cumque auxilio gratiæ, non de actu ex viribus naturæ, & cum auxilio ordinis naturæ, circa motiuum honestum naturale. Neque enim Scotus ex eo quod sępè dicat hominem ex viribus naturæ cum concursu generali posse se disponere ad iustificationem, debet à Suarez in præsenti disp.4. sect.11. & Vasquez 1.p.disp.91.cap.10. inuolui cum errore Pelagij, non enim ad talem dispositionem negat Scotus auxilium Dei speciale, vt Pelagius, licèt illud appellet concursum generalem, id enim necessarium est de fide ex Patribus & Conciliis Milleuitano can. 5. Arausicano can. 14. Trident. sess.6. de Iustificatione cap.5. can.3.

3. Hoc autem auxilium speciale appellauit Scotus concursum generalem: Primò, quia communiter & omnibus hominibus datur, vt patet ex ipso in 1. d.46. ad 1. principale, vbi explicans illam propositionem, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, inquit, eam esse veram de voluntate antecedenti, quia Deus vult vnicuique homini, quantum est ex se, *illa communia adiutoria antecedentia ad salutem omnium, quibus quilibet potest sufficienter benè viuere, & saluari.* vnde patet appellasse illud communia adiutoria. Secundò, quia concursus Dei ad actum voluntatis, quo homo se disponit ad iustificationem, verè potest dici concursus generalis causæ primæ, quia licèt sit gratia in radice, & indebitus naturæ, vt sic consideratæ, sicut sancta cogitatio antecedens fuit gratia, & indebita, tamen illa sancta cogitatione semel habita, debitus est voluntati talis concursus, vt se determinet, sicut debitus est illi cõcursus generalis ad quemlibet alium actum naturalem circa obiectum ab intellectu propositum, sicque appellandum fore, docet Faber in Opusc. lib.4. disp.14. q.2. cap.2. & 3.

4. Quòd autem Scotus nõ neget auxilium Dei speciale, latè traditur à Scotistis in materia de gratia, pro nunc autem videatur quæst. 21. quodlibetica, vbi ponit prouidentiam Dei specialem ad merita præsentia & futura; & in 1. d. 44. q. vnicâ parum post litt. E, vers. *Aduertendum tamen est*, vbi ponit gratiam præuenientem, vt homo non peccet, sicut Rex potest aliquem pręuenire, ne faciat homicidium; & in 2. d. 37. quæst. vnicâ, § *Sed iste modus*, vbi docet, Deum nullum peccatorem, quantumcumque peccatis oppressum, suo auxilio destituere; & in 3. d. 19. q. vnicâ, ait Christum meruisse omnibus, qui primam gratiam recipiunt, collationem illius, Pelagiani autem, & Semipelagiani hanc docebant conferri nobis ex meritis nostris, ex viribus naturæ elicitis, cùm ergo collatio primæ gratiæ ex Scoto habeatur multis in locis per dispositiones nostras elicitas cum auxiliis specialibus, vt Patres docent; & secundùm Scotum in 4.d.2.q.1. § *ex his duobus*, & § *id sequitur*, Christus nobis meruerit eorum collationem, falsò imputatur Scoto negasse specialia Dei auxilia ad tales dispositiones, vt conferatur nobis prima gratia.

5. Neque loquimur de potentia Dei absoluta, quia vt sic certissimum est apud Scotũ in 1.d.17.q.2. § *de 2. art.8.* quòd potuisset Deus actum ex motiuo honesto merè ex puris naturalibus elicitum, tamquam meritorium de condigno vitæ æternæ, & tamquam de condigno satisfactorium pro peccato mortali acceptare (quidquid velint in contrarium aliqui Scotistæ) quia per acceptationem Dei dantis ius iustitiæ potest compleri in esse talis: ad hoc autem, vt talis actus non se habeat, vt merum signum, satis est, quòd ex parte sua habeat aliquam bonitatem & dignitatem, quod enim hæc de facto debeat esse supernaturalis, solùm exigitur ex ordinaria potentia Dei ordinante dispositiones eiusdem naturæ cum formis ad quas disponunt, ni aliud sit verum, scilicet sufficere, quòd procedant à gratia, hoc est, à dono in debito naturæ.

6. Quare nil obstat, quod obiiciunt, scilicet talem actum habere se, vt signum, quo posito Deus ex fidelitate orta ex sua acceptatione teneatur reddere pręmium, vel remittere culpam, non tamen ex iustitia, quia contrà est primò, quòd merum signum non potest appellari meritum, cùm possit reperiri in actione non libera; inquit autem Scotus in prædicto loco, quòd potuisset Deus talem actum acceptare, vt meritorium;

torium; ergo. Confirmatur, quia ibidem asserit talem actum non acceptari à Deo (intellige de facto) quia actum ex puris naturalibus esse meritorium appropinquat errori Pelagij, & insuper requirit habitum gratiæ superaturalem, vt acceptetur propter testimonia SS.ª & Patrum; sed sic est, quod Pelagius non dicebat, actus bonos merè naturales futuros esse signa, sed vera merita de condigno, & SS.ª & Patres requirunt habitum gratiæ supernaturalem, vt de facto sint talia; ergo Scotus non loquitur de tali actu, ad quem tamquam ad signum Deus teneatur ex fidelitate reddere præmium, vel remittere culpam, sed de actu vt meritorio de condigno ratione acceptationis, ad quem Deus teneatur ex iustitia.

7. Contrà secundò, quia si actus bonus ex motiuo honesto merè naturali elicitus, v. g. dandi eleëmosynam propter subleuandam miseriam pauperis, fieret ab homine iusto virtualiter, vel actualiter ordinante talem actum ad finem supernaturalem ex imperio charitatis (quæ est conditio ad meritum de condigno requisita) talis actus non solùm esset meritorius de cōdigno vitæ æternæ, ratione virtualis, vel actualis ordinationis charitatis, & ratione habitualis gratiæ existentis in homine, sed etiam esset partialiter meritorius talis præmij ratione propriæ, & intrinsecæ bonitatis naturalis, quam actus haberet ex motiuo honesto naturali, vt ferè omnes in materia de gratia fatentur; ergo si de potentia absoluta Deus suppleret in actu per suam acceptationem antecedentem, & habentem se per modum legis æternæ, & pacti dantis ius iustitiæ, vt in humanis contractibus dat pactum iuxta dicta à nobis quæst. 1. ordinationem charitatis, & respectum ad habitū gratiæ, eodem modo ac tunc, esset de condigno meritorius talis præmij; ergo nō repugnat actui ex motiuo honesto naturali elicito, quod de potentia absoluta sit ratione acceptationis de condigno satisfactorius, & meritorius.

8. Neque video, quòd contra hoc possint Thomistæ obiicere, nisi quod passim Vasquez, & alij conclamant, scilicet acceptationem Dei non se habere per modum pacti, quia nullibi apud SS.ᵃᵐ pactum hoc reperitur, neque obligat, nisi ab vtraque parte contractus acceptetur, quæ acceptatio etiam non inuenitur in SS.ª Respondeo primò, sufficere, quòd habeat se per modum legis, vt det ius iustitiæ, neque requiritur acceptatio expressa vtriusque partis, cùm imponatur à Principe, in quo omnis communitas conspirat. Secundò, etiam habere se talē acceptationem per modum pacti, quod vt obliget sufficit, quòd implicitè admittatur, si enim Dominus vineæ publicaret, quòd laboranti per diem integrū in vinea se tantam pecuniam daturum ad hoc vt ad id teneretur ex iustitia sufficeret, quòd aliquis absque alia expressa pactione pergeret ad vineam, & per diem integrum laboraret. Ita Faber in 3. disp. 48. cap. 3. hoc autem pactum passim est expressum in SS.ª vnde Exodi 14. vbi Deus dedit decem præcepta Decalogi, dixit Deus ad Moysen: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israël pepigi fœdus, quod non potest esse, nisi de præmio reddendo pro illorum obseruatione;* & quòd ipsi populus eius essent, & ipse esset eorum Deus benefaciens, & præmia largiturus. Et Lucæ 10. *Magister quid faciendo, vitam æternam possidebo? Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Et alibi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et de satisfactione habetur Ezechielis 18. *Quoties ingemuerit peccator peccatū suum, non recordabor amplius.* Vnde August. serm. 18. de Verbis Apostoli dicit: *Debitor factus est nobis Deus, non aliquod accipiendo, sed quia ei placuit promittendo; illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* quid clarius?

His suppositis est nobis loquendum cum omnibus Auctoribus de potentia ordinaria, secundùm quam inquirimus an purus homo per actum bonum supernaturalem & elicitum cum auxilio ordinis supernaturalis possit de condigno satisfacere pro suo peccato mortali? & non loquimur de omnibus actibus fidei, spei, timoris, & aliis sic elicitis, sed solùm de contritione & dilectione charitatis, quia extra Sacramentum solùm isti causant gratiam iustificantem, & debitum peccatorum remittentem. 9.

Prima sententia asserit posse purum homi- 10.

hominem perfectè, & adæquatè, & de condigno satisfacere per talem actum pro proprio peccato mortali. hæc tribui solet Alexandro 3. p. q. 1. memb. 5. art. 1. Richardo in 4. d. 19. art. 1. q. 4. Caietano 3. p. q. 1. art. 2. dub. 1. Palud. in 3. d. 20. q. 1. art. 2. Becano Louaniēsi art. 6. contra Lutherum, Scoto nostro in 4. d. 15. q. 1. art. 2. quos omnes excusat, & ab hac sententia distare asserit Lorca disp. 4. Cuiuscumque autem sit fundamentum esse potest, quia tantum bonitatis & conuersionis ad Deum reperitur in contritione & in actu charitatis, quantum malitiæ & auersionis à Deo potuit esse in actu peccati, sed hoc sufficit ad æquiualentiam satisfactionis, ex dictis quæst. 1. ergo purus homo posset de condigno pro suo peccato mortali satisfacere.

11. Secunda & communis Theologorum, & vera sententia negat posse purum hominem per tales actus adæquatè, & perfectè, seu de condigno satisfacere pro proprio peccato mortali. ita D. Thom. in præsenti q. 1. art. 2. ad 2. & q. 85. art. 3. ad 2. Suarez disp. 4. sect. 9. Valencia disp. 1. q. 1. punct. 5. §. 3. Vasquez disp. 2. cap. 2. Cabrera cap. 11. 12. & 13. Pesantius q. 1. art. 2. disp. 4. Lorca vbi suprà, & apud ipsos D. Bonauentura in 3. d. 20. art. 1. q. 3. & 4. Durand. ibid. q. 2. Capr. in 4. d. 5. q. 1 art. 1. & 3. Gabr. d. 16. q. 1. art. 1. notabili 3. Almain. d. 5. q. 1. art. 2. Ferr. 4. contra Gentes cap. 54. Sotus 3. de Natura & gratia cap. 6. Bega. lib. 15. in Trid. cap. 4. Ioan. de Medina cod. de Pœnitētia tit. 3 q. 1.

12. Neque contradicit Scotus loco suprà citato, sed potiùs pro hac debet referri sententia, quia ibi in fine illius §. expresse decernit, quòd absque gratiâ iustificante non potest in homine reperiri pro proprio peccato, vel alieno, satisfactio, quæ sit æquiualens, nec simpliciter, nec in diuina acceptatione; loquens enim de necessitate passionis Christi, quæ de facto est ad habendam gratiam habitualem, subdit hæc verba: *Sine qua gratia (scilicet habituali) nulla potest esse satisfactio omnino, quia neque æquiualens aliquo modo, nec simpliciter, nec in diuina acceptatione.* Ex quibus verbis sic argumentor: Cum gratia iustificante de facto iam homo non est peccator, sed iustus, sed ad hoc vt satisfactio sit æquiualens, & condigna, requirit gratiam iustificantem; ergo homo non habens illam, qualis est peccator non poterit ex sententia Scoti pro suo peccato condignè satisfacere, sed de homine sic existenti in peccato procedit Quæstio præsens; ergo Scotus expresse conuenit cum sententia in communi.

Quod ergo ibi in illo §. intēdit Scotus, vt bene notat Hugo Cauellus, est quod de potentia Dei absoluta posset homo cōdignè satisfacere pro suo peccato mortali per gratiam iustificantem non habitam ex meritis Christi, sed solùm ex mera voluntate Dei, quæ profunderetur propter actum attritionis, tamquam propter meritum de cōgruo, causaretque statim contritionis actum, essetq; talis actus condigna satisfactio (intellige in actu primo) pro peccato illi opposito, quia quantum est ex se redderet satis, quod enim ratione gratiæ inueniret culpam iam remissam est illi per accidens, sicut est per accidens quod non acceptetur positiuè satisfactio à creditore, dummodo à debitore reddat satis, vt cum Recentioribus diximus suprà parte 2. conditione 4. 13.

Licèt omnes supracitati Auctores conueniant in hac sententia, differunt tamen in assignāda ratione illius. Caiet. Soto & Ferr. ex eo probant illam, quia contritio procedit à gratia, & sic habet valorem ex gratia creditoris; satisfactio autem quæ innititur gratiæ creditoris, non est cōdigna. Sed contrà, quia si aliquid ante solutionem debiti datur gratis, si eius dominium etiam transfertur in eum, cui datur, posteà sortitur rationem proprij, sicut quælibet alia propria res familiaris in eo, qui accipit; sed post collationem gratiæ, iam gratia habitualis translata est in dominium habentis illam, vnde illi, & non alteri imputatur, quòd ipsam amittat, & ei computatur tamquam propria, vnde ille potest illâ, sicut re familiari vti, in vsus gratiæ accommodatos, imperans, scilicet & eliciens cum illa potentiarum actus per formalitatem charitatis, & per reliqua dona illi connexa; & insuper satisfactio per contritionem est actio distincta æquiualens in reliquo valore, debito contracto per peccatum, nil autem ampliùs requiritur ad condignam satisfactionem, vt diximus 14.

mus parte 2. condit. 3. ergo quod procedat ex gratia non tollit condignitatem.

15. Capreolus probat ex eo quod satisfactio debet fieri ex aliàs indebitis, opera autem omnia nostra sunt Deo aliàs debita titulo creationis, & pluribus aliis titulis. Sed contrà primò, quia talis actus contritionis potest esse opus supererogationis, ad quod non tenemur, vt benè obseruauit Scotus in 4. suprà citato. Secundò, quia dato quòd teneremur, prædicta diuersitas titulorum non afferret secum nouum debitum, sed nouam obligationem eiusdem debiti, quæ vt diximus parte 1. condit. 2. non tollit condignam & rigorosam satisfactionem. Tertiò, quia in tantum nouus titulus tollit condignam satisfactionem, in quantum tollit æqualitatem rei per quam fit satis ad rem pro qua fit, sed quòd contritio omnino benè circumstātionata sit aliàs debita non tollit ab illa, quòd eius bonitas æquiualeat malo offensæ; ergo ratione diuersi tituli nulla est repugnantia, vt sit condigna satisfactio.

16. Durandus & Almainus probant ex eo, quia sicut homo non potest condignè Deo gratias agere pro beneficiis acceptis; ex Aristotele enim 8. Ethic. cap. vlt. *Diis, parentibus atque magistris æqualem gratiam referre non possumus.* ita similiter Deo non poterit homo condignè & ad æqualitatem satisfacere.

17. Sed contrà primò, quia hæc non est probatio à priori, vel à posteriori, sed ab exemplo, & tali, quod potiùs difficultatem auget, quàm comprobet veritatem. Secundò, quia maxima intercedit disparitas; si enim non potest quis condignè Deo gratias agere, ideò est, quia in ipsamet gratiarum actione nouum à Deo recipit beneficium, pro quo tunc gratias non agit, sed constituitur de nouo debitor gratias agendi pro illo; tamen in satisfactione non contrahit nouum debitum, pro quo debeat de nouo satisfacere, quia in tali satisfactione non peccat, sed potiùs meretur.

18. Ideò aliam constituit Durandus rationem, quæ talis est: Homo non potest Regi aut reipublicæ satisfacere condignè pro debito, quo merebatur corporalem mortem, quia in bonis illius præstantissimum bonum est vita; ergo neque Deo pro debito, quo mortem merebatur spiritualem. Sed contrà, quia hæc probatio etiam est ab exemplo. Prçtereà quia etiam falsum assumit, potest enim homo talia patrare facinora pro Rege, vel pro republica, v.g. liberare eos à morte, & ab inimicorum insidiis, vel tanta multiplicare & cumulare beneficia, vt non solùm æquiualeant pro debito contracto, sed etiam superabūdanter satisfaciat. Prætereà dato, quòd pro morte corporali non posset esse adequata compensatio, quia vita est præstantius omnibus beneficium; tamen pro vita spirituali posset ex auxilio Dei esse adæquata satisfactio, quia per actus supernaturales ab homine iusto elicitos æquiualentes in dignitate & valore morali, indignitati & morti spirituali per peccatum contractæ.

Anselmus 2. *Cur Deus homo* cap. 6. 19.
Ricard. Victorin. lib. de Incarnatione cap. 8. D. Bonau. supra D. Thom. q. 1. ad 2. ex eo probant, quia persona, contra quam fit offensa, est infinita; & sic peccatum est infinitum ratione illius, pro quo non potest fieri satisfactio, nisi à persona infinita, & consequenter homo finitus non potest satisfacere adæquatè; crescit enim offensa ex dignitate personæ, contra quam fit, vt habetur, lege, *aut facta*, §. persona, ff. de pœnis; & lege, *sed sic*, §. quædam. Vnde grauior cæteris paribus iniuria est, si colaphis impingatur ab ignobili nobilis vir, quàm si plebeius, grauior si fit Dux, grauissima si Rex; & decrescit satisfactio ex indignitate personæ irrogantis iniuriam, quia principium ignobile non potest nobilem producere effectum, quod totum docuit Arist. 5. Ethic. ad Nicoma. cap. 5. in principio, vbi ait: *Si quis magistratum gerens percusserit quempiam, non decet eum repercuti; & si quispiam eum, qui magistratum gerit, percusserit, is non solùm repercutiendus est, verùm etiam supplicio afficiendus*; videatur Couarruuias variarum resolutionum cap. 9. à num. 2 & Hurtado Valmasedanus, qui tom. de Incarnatione per totam Disputationem nonam latè persequitur hoc argumentum.

Thomistæ communiter hanc tradūt 20.
rationem, sed diuerso modo illam defendunt;

fendunt; alij enim putant, quòd peccatum, ratione personæ offensæ, sit simpliciter infinitum, sicut persona ipsa offensa. Sed contrà primò, quia inter peccata mortalia est maxima inæqualitas, quæ non esset, si omnia essent simpliciter infinita, quia duo possumus in peccato considerare: Primum est ratio malitiæ, & hæc nō est maior, quàm bonitas opposita, scilicet rectitudo, quæ secūdùm rationem deberet inesse actui, quæ finita est, & licèt talis malitia priuet Deo, qui est infinitus simpliciter, solùm priuat illo, quatenus est à nobis participabilis, est autē modo finito participabilis secūdùm gratiam iustificantem. Secundum est ratio offensæ, quæ vel non est formaliter distincta à ratione malitiæ, vt plures tenent; vel si est formaliter distincta, vt tenent alij, habet se vt propria passio consecuta ad rationem malitiæ, & sic caret infinitate simpliciter sicut illa; ergo ex nullo capite peccatum est simpliciter infinitum. Secundò, quia si peccatum ratione offensi Dei est simpliciter infinitum; ergo contritio, & actus charitatis, ratione Dei amati, & dilecti; erit simpliciter infinita, quod est falsum, etiam secundùm aduersarios.

21. Sed obijciunt primò, quia pœna peccati mortalis est simpliciter infinita, quia in æternum durat. Secundò, quia peccatum mortale ita est Dei offensiuum, vt pro nulla re mundi, imò neque pro omnibus simul, si essent infinitæ simpliciter est patrandum. Tertiò, quia ita Deo aduersatur, quòd quantum est ex se Deum destrueret, si posset, & infinitam in eo causaret tristitiam, si capax esset illius; ergo peccatum ratione Dei infiniti est simpliciter infinitum.

22. Respondeo ad 1. cum Scoto in 3. d. 19. q. 1. ad 3. argumentum, quòd pœna inferni non est infinita intensiuè, sed extensiuè, quia tantum debet durare, quantum peccatum perseuerat & durat, & quia in damnatis semper perseuerat, ideò similiter pœna, sed hoc non est esse simpliciter infinitum, sed secundùm quid, sicut præmium in Beatis, & consequenter neque meritum cōdignum in viatoribus, quod est causa illius, est simpliciter infinitum, quia in æternum durat, circa hoc videatur disp. 15. q. 2. vbi agimus de quantitate scientiæ Christi. Ad 2. respondeo: Etiam peccatū veniale pro nulla re mundi est committendum, quia recta ratio hoc exposcit propter reuerentiam, & obsequium debitum tanto Deo. Vnde Paulus ad Rom. 3. inquit: *Non sunt facienda mala, vt veniant bona*; & sic non probatur ex hoc capite infinitas simpliciter, sed solùm quòd sit contra rationem. Ad 3. respondeo, id esse falsum, quia licèt qui mortaliter peccat in illa actione non constituat Deum pro vltimo fine illius, tamen affectu suo non vult Deum non esse vltimum creaturarum finem, & licèt nimiâ malitiâ aliquis expresè & directè id vellet; tamen sicut actus oppositus, quo Deum vellet esse, & amaret, esset finitus, ita similiter talis inordinata volitio esset finita, neque causaret infinitam tristitiam, quia læsio, quam habet Deus à peccatis, non est in bonis intrinsecis illius, sed in extrinsecis, scilicet in obedientia, in honore & cultu debito, quæ non sunt infinita simpliciter, & dato quòd illam haberet, ab illis non periret Deus, quia cùm infinitæ sit virtutis, etiam poterit illam tollerare.

Alij verò, vt noster Vega, & Suarez, vbi suprà, non putant peccatum ratione offensæ personæ esse simpliciter infinitum propter rationes suprà positas, inquiunt tamen habere peccatum tantum pondus grauitatis, & tam magnum excessum ratione personæ infinitæ, contra quam commissa est iniuria, quòd licèt non sit simpliciter infinita; est tamen infinita secundùm quid, in quantum numquam potest satisfactio puri hominis, & quodcumque bonum opus illius attingere ad tale pondus grauitatis, & excessum: vnde inquiunt, quòd licèt iniuria non crescat ex infinitate personæ secundùm mensuram arithmeticam, & secundùm æqualitatem rei ad rem; crescit tamen secundùm mensuram geometricam, & secundùm proportionem, & sic numquam à persona finita potest compensari, quia ratione finitatis personæ compensatio illius eodem modo decrescit. 23.

Sed contrà, quia licèt ratio sic formata primo quidem aspectu sit speciosè 24.

ciosè composita, vt inquit Vasquez disp.2. cap.3. & ad popularem sensum sit valdè accommodata, & licèt aliquando ratione dignitatis personæ offensæ crescat iniuria, & ratione indignitatis personæ satisfacientis decrescat satisfactio, nullus enim id negare potest iuxta suprà traditas probationes ex iure ciuili, & ex Aristotele, & habet expresse Scotus in 3.d.19.quest. vnicâ, *§. ad 1. principale*, ante litt. G, tamen satisfactio & contumelia non solùm crescunt,& decrescunt ex parte personarum, sed etiam ex parte obiectorum, & aliarum circumstantiarum; ergo ex istis poterit crescere satisfactio, & iniuria decrescere,taliter quòd proportionentur, & ad æqualitatem redigantur. Vnde cum Gabriele Vasquez sic argumentor, peccatum in humanis, aut irrogat alteri iniuriam propriè, & damnum, quòd ex iustitia restitui & resarciri debeat; aut non irrogat illi propriè iniuriam, sed solùm quadam communi ratione, quæ iniuria communis in sola transgressione mandati Principis & Domini consistit; sed neutro modo persona offendens & satisfaciens taliter constituunt inæqualitatem, quòd resarciri adæquatè non possit;ergo peccatum in Deum infinitum adæquatè & condignè satisfieri poterit à puro homine, etiamsi persona finita sit. Maior non indiget probatione; minor probatur discurrendo per singula, & primò probabimus de prima, & statim de secunda.

25. Primum probatur, quia, aut iniuria & offensa propria, & quæ per iustitiam resarciri debeat in hominibus, est *in bonis vitæ*, vt cùm quis alterum occidit, & hæc sicut non potest satisfieri à persona superiori, sic neque ab inferiori: vnde non sumitur impossibilitas à ratione personæ, sed propter defectum boni, quo tale compensetur damnum, & propter defectum subiecti, cui compensetur, quia morte defuit; aut est *in bonis fortunæ*, & quæ pecuniâ æstimantur, vt sic quæuis persona etiam vilissima potest pro furto Regi ad æqualitatem satisfacere, imò quo ditior fuerit persona videtur iniuria minor; aut est *in bonis famæ*, vt cùm vilis persona famam Principis per falsum testimonium denigrat, sed si vilis persona dicat se mentitum fuisse, & falsum dixisse, quo omnino infirmet, atque irritet falsum testimonium, vt reuerà fieri potest, nihil obstabit vtilitas personæ, vt adæquatè satisfaciat, quòd si pœna talionis puniatur, hoc non est propter inadæquatam satisfactionem, sed propter populi exemplum; aut iniuria & offensa propriè est *in bonis honoris*, vt cùm ignobilis nobilem fuste percutit, aut alapâ,aut verbis contumeliosis afficit, in quo casu per contrariam actionem,scilicet exhibendo signa submissionis & reuerentiæ, quibus honorem præstet propter honorem ablatum non adæquatè satisfacit propter personarum inæqualitatem, cùm inter homines nullius momenti esse censeatur plebeium hominem, & infimæ notæ prostratum, & humiliatum apud nobilissimum existere, tamen aliqua potest offerri occasio, in qua vilis persona adæquatè, imò & superabundanter nobili satisfaciat, vt si nobilis esset in euidenti mortis periculo, à quo cum simili periculo liberaretur à vili in satisfactionem honoris ablati,cùm vita maius bonum sit,quàm nocumentum illatum; ergo nil obstat inæqualitas personarum ad cōdignam & adæquatam satisfactionem pro iniuria & offensa propriè, & quæ per iustitiam resarciri debeat, & consequenter si Deus in bonis extrinsecis illius taliter lædatur,quòd per iustitiam resarciri debeat, nil obstabit infinitas, & dignitas illius, quominus ab homine finito per actum excellentissimæ charitatis adæquatè resarciri possit, iustitia enim commutatiua cum arithmetica sit, solùm attendit quantitatem rei ad rem,legatur etiam Faber disp.45.cap.2. & disp.47. etiam cap.2.

Secundum probatur,aut etiam iniuria non est propria, sed communis, & quæ solùm in transgressione mandati consistit, & vt sic multò debilior est ratio contraria. Primò, quia in tali transgressione non solùm non est maior iniuria ratione vilitatis personæ, sed potiùs est multò minor,sicut maior est, quo à magis nobili persona patratur, vt communi hominum æstimatione habetur. 26.

Secundò, quia subditus adæquatè Regi pro transgressione mandati satisfacit, 27.

facit, vel luendo pœnam impositam per legem, vel alio modo se in obsequium Regis offerendo, ita vt pœniteat facti, & emendationem proponat in posterum, imò & pœnæ solutio non tam est pro offensæ satisfactione, quàm pro Reipublicæ, & aliorum exemplo; ergo ex quocumque capite desumatur in humanis iniuria ad æqualitatem resarciri valet, & consequenter in diuinis, non obstante inæqualitate personarum.

28. Et confirmatur primò, quia Deus per peccata, quæ communiter contrahuntur, non læditur in bonis intrinsecis illius, neque in extrinsecis expresè & directè, nisi fortè quòd expresè contemnitur, & nomen eius blasphematur; sed hoc adæquatè resarcitur, si contemnens irritet contemptum & blasphemiam, sicut qui famam Principi falsò testimonio abstulit, adæquatè compensat, si mentitum se fuisse dicat; ergo, &c.

29. Et confirmatur secũdò: Iniuria, quâ inuisi Deo constituimur, siue formaliter sit ipsa macula peccati, siue quid distinctum ab illa aufertur per formam iustificantem, qua amici & Deo grati constituimur, & constituit in nobis respectu Dei æqualitatem, vt de condigno, & absque acceptatione secundùm aduersarios mereamur vitam æternam, quæ saltem ex circumstantiis maius bonum est, quàm fuit malum peccatum, v. g. blasphemiæ; & tamen non constituit nos infinitos, sicut Deus, sed relinquit finitos; ergo nihil obstat finitas & infinitas personarum ad condignum meritum, & consequenter neque ad condignam satisfactionem, quæ pro peccatis se habet per modum meriti.

30. Ex his patet ad rationem aduersariorum, licèt enim in humanis in bonis honoris non possit esse adæquata satisfactio ex iustitia, attentâ inæqualitate personarum, tamen attentâ æqualitate rei ad rem, hoc est operis satisfacientis ad iniuriam pro qua fit satis (quæ æqualitas etiam inter inæquales, vt diximus, personas potest reperiri) benè potest esse adæquata: ita similiter contingit in diuinis, cùm opera nostra bona, per quæ fit satisfactio, crescant in valore morali ex obiecto & circumstantiis, sicut iniuria creuit ratione personæ offensæ, quod præcipuè reperitur in actibus contritionis & charitatis habentibus Deum infinitum simpliciter pro obiecto.

Tandem Vasquez ex eo probat communem sententiam, quia in satisfactione puri hominis intercedit gratia creditoris, quâ partem debiti remittit; cùm enim ad illam sit per se necessarium auxilium Dei speciale, & per peccatum tam originale, quàm actuale contraxeramus (ex communi doctrina Scholasticorum & Patrum, quæ latè traditur in materia de gratia) non solùm debitum carendi iustitia, & amicitia Dei, quæ habetur per gratiam habitualem, sed etiam debitum carendi omni auxilio Dei, & sanctâ cogitatione, quibus talis iustitia & amicitia acquiritur, eo ipso, quod tale auxilium nobis gratis confertur, pars debiti necessariò remittitur, vbi autem in ipsa solutione interuenit actualis remissio debiti secundùm aliquam partem non potest esse ex iustitia æqualis & adæquata satisfactio ex dictis in 1. quæst. 31.

Sed contrà primò, quia in auxilio requisito ad satisfactionem duo possumus considerare: Primum, quòd sit gratia, & donum indebitè datum, & hoc est verum, sed hoc non tollit condignam satisfactionem, vt etiam docet ipse Vasquez disp. 2. cap. 5. num. 51. & disp. 8. c. 3. n. 34. quia aliàs tolleret condignam satisfactionem Christi, & in nobis meritum cõdignum gloriæ, cùm necessariò poscant auxilium. Secũdum, quod possumus considerare est, quòd talis collatio auxilij sit partialis remissio debiti, & hoc est falsum: vnde probata hac falsitate, etiam manebit probatum, quòd licèt collatio auxilij sit gratiosa, tamen talis gratia non pertinet per se & formaliter ad condignam satisfactionem, neque auferret ab illa rationem æqualitatis, sed solùm se habet concomitanter, & merè materialiter. hoc autem probabitur, si attẽdamus ad debiti naturam ex peccato contracti. 32.

Quare cum Lorca sic argumentor: Primò, debitum formale carẽdi auxilio potiùs est pœna peccati, quàm ipsum peccatũ, quia incurritur, & ortũ habet ex illo, sed modò nõ agimus de cõdigna solutione pœnæ, sed de cõdigna solutione culpæ, vt omnes vnanimi consensu fatentur; ergo etiamsi collatio auxilij esset 33.

esset gratuita debiti remissio quantum ad pœnam, nihilominùs non est partialis remissio satisfactionis, quæ solùm respicit culpam. Et confirmatur, quia post gratuitam collationem talis auxilij adhuc manet tota essentia peccati, & tota eius malitia, nam antequam per gratiam vel contritionem destruatur, semper perseuerat; ergo illa collatio auxilij non fuit partialis remissio talis malitiæ.

34. Vnde nihil obstat, quòd discipuli eius respondeant, scilicet per collationem auxilij auferri debitum formale, seu dignitatem formalem carendi illo, ex eo quòd hęc non possit consistere cũ collatione auxilij, licèt non auferatur debitum radicale, seu radicalis dignitas, cùm hæc sit ipsa culpa: hoc, inquam, non obstat, quia licet totum hoc esset verum, tamen solùm probat, quòd Deus remittat partem debiti, quod sit pœna; non partem debiti, quod sit culpa. Præterquam quòd falsum est quod assumunt, scilicet collationem auxilij esse gratuitam remissionem debiti, quia debitum hoc non est carentia physica auxilij: aliàs homo in statu innocentiæ, imò & Christus Dominus quando illis actualiter non dabatur auxilium (quia fortè pro tunc non operabantur) punirentur aliquâ pœnâ, quod est absurdum; sed debitum ortum ex peccato est dignitas quædam moralis, vt priuetur peccator talibus auxiliis, quod quidem semper manet, dum peccatum, quod est causa illius, perseuerat; quia sicut propria passio non aufertur, nisi ablatâ essentiâ, ita neque talis dignitas, nisi ablato peccato, quia est proprietas quarto modo illius; quare per collationem auxilij licèt auferatur carentia physica illius, tamen non aufertur dignitas moralis carendi illo, sed tale auxilium confertur verè indigno, vereque indignus auxilij perseuerat peccator post collationem & receptionem illius.

35. Secundò sic argumentor: Homo per peccatum contraxit non solùm debitum carendi auxilio ad operationem bonam requisito, sed etiam carẽdi omni beneficio gratuito tam intrinsecum, quàm extrinsecum in ordine ad finem supernaturalem, quia ad inimicitiam Dei totum hoc consequitur; sed Incarnatio Verbi fuit verum beneficium hominibus collatum, vt redimerentur à peccatis (quod præcipuè est verum in sententia Vasquez asserentis hoc fuisse totale motiuum decreti Incarnationis) ergo in collatione huius beneficij dimissum est à Deo debitum carendi hoc beneficio; sed Christus Dominus non potuit satisfacere pro hoc debito, quia supponitur antequam posset esse satisfactio pro illo; ergo sicut neque homo, ita neque Christus Dominus potuit condignè pro mortali peccato hominum satisfacere, quod est absurdum.

Tertiò sic argumentor ad hominem, 36. quia ipse sustinet, quòd contritio est satisfactio adæquata; etiamsi elicita à gratia (quæ in sua opinione antecedit aliquâ prioritate contritionem) talis gratia remiserit totum debitum; quia ad hoc, inquit, quòd satisfactio sit talis, actualiter non requirit, quòd de facto remittat debitum; sed sufficit, quòd homo efficiat ex parte sua; quòd satis esset ad remissionem debiti; ergo similiter etiã per collationem auxilij requisiti ad cõtritionem aliqua pars debiti esset remissa, hoc non obstaret, quominus contritio esset cõdigna satisfactio, cùm homo eliciens illam ex parte sua efficeret, quod ad remissionem debiti satis esset. Vidit Vasquez argumentum hoc, & respõdet quòd contritio potest non procedere à gratia habituali, & sic potest non supponere debitum remissum; ab auxilio autem semper & necessariò procedit, & sic semper supponit debitum partialiter remissum. Sed contrà, quia argumentum factum non nititur in eo quòd contritio procedat necessariò ab auxilio, vel à gratia, sed in eo quod dicit, posse esse actualiter satisfactionem, etiamsi ipsa supponat debitum iam remissum. Ex quo optimè infertur nihil obstare, quòd per collationem auxilij supponatur remissa pars debiti, quominus contritio sit actualiter condigna satisfactio, & sic nihil ad rem, quòd contritio procedat necessariò ab auxilio, & non à gratia.

Sed obiicit nobis, quia si collatio auxilij nõ obstat ad cõdignam satisfactionẽ, 37. sequitur, quòd purus homo satisfaciat cõdignè pro suo peccato mortali, quia ex nullo alio capite potest cõtritio deficere à ratione cõdignæ satisfactionis, tum

tum quia ipsa est forma iustificans, tum quia licèt non esset forma iustificans ex natiua sua virtute, nihilominùs est dispositio tanti valoris, quòd etiamsi noua Dei actio requiratur ad infundendam gratiam habitualem, vt deleatur culpa, tamen non requiritur nouus Dei fauor, quia quod de nouo gratia habitualis infundatur, debetur contritioni ex iustitia, tamquam condignæ satisfactioni, cùm bonitas illius æquiualeat malitiæ, & deformitati peccati, & illa tantum conuertat ad Deum, quantum peccatum ab ipso auertebat.

38. Respondeo negando sequelam: Et ad primam probationem dicemus infrà ex quo capite proueniat, quòd contritio hominis peccatoris, seu existentis in peccato non sit pro ipso condigna satisfactio. Nego autem pro tunc, quòd contritio sit forma iustificans, vt latè traditur à Recentioribus in materia de gratia; dato autem, quòd hoc esset verum, implicationem infero contra Vasquez, quia ipse cum communi sententia dicit, quòd satisfactio talis deberet esse per modum meriti: vnde consequens est, quòd respectu deletionis culpæ se habeat per modum causæ efficientis, & non per modum causæ formalis, quia præmium comparatur cum merito, tamquam effectus cum causa sua efficienti. Prætereà nego etiam, quòd contritio sit dispositio talis, cui ex iustitia debeatur gratia iustificans, vt latè etiam negatur à Recentioribus in materia de gratia. Videatur ibi Lorca disp. 36. & in præsenti disp. 4. pro nunc sufficiat dictum Concilij Trid. sess. 6. cap. 8. vbi declarans verba Pauli, quibus ait, nos gratis iustificari, inquit: *Declarat sancta Synodus in eo sensu accipienda esse, quem perpetuus Ecclesia Catholica sensus tenuit, scilicet ideò nos gratis iustificari, quia nihil eorum, qua iustificationem pracedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Ex quo infertur, quòd contritio, quæ antecedit infusionem gratiæ, non meretur illam ex iustitia.

39. His omnibus impugnatis dicendum est nobis, eam esse veram, & fundamentalem rationem, quare homo purus non possit pro suo peccato mortali satisfacere per contritionem, quia cùm se habeat per modum meriti, & meritum non sit condignum absque gratia habituali, quæ reddit personam habentem acceptam apud Deum, & actus eius acceptabiles, vt benè Scotus noster in 1. d. 17. q. 1. § ad solutionem huius quæstionis, litt. G, & latè traditur in materia de gratia. hinc fit, quod non posset peccator, dum peccator est, & gratiâ priuatus pro suo mortali de condigno satisfacere, deficit enim illi conditio acceptabilitatis, etsi reliquas omnes conditiones habeat; contritio verò elicita ab homine existenti in gratia iam supponit debitum peccatorum remissum per illam, quod tollit à contritione elicita ab homine iusto, quòd sit actualis satisfactio in actu secundo, non verò tollit quòd sit in actu primo, & quòd habeat veram naturam condignæ satisfactionis, quia ad hanc sufficit, quòd reddat satis, vt ait Vasquez, & tenet Scotus in 4. Sent. sæpè cit. vbi definit satisfactionem; quòd enim in actu secundo remittat debitum, pertinet ad naturam effectus, non ad naturam causæ.

Ex quibus venit necessariò dicendum, quòd si de potentia absoluta in eodem subiecto simul essent gratia & peccatum, vt probabile censet Scotus, tunc homo habens gratiam, si ex illa eliceret, contritionem satisfaceret in actu secundo, & in effectu pro suo peccato mortali. ita colligitur ex Scoto in 3. d. 20. q. vnicâ, § *contra illud quod dicit in fine*, vbi habet hæc verba: *Prætereà videtur (de possibili dico) quòd quilibet potest satisfacere pro se, quia si data fuisset cuilibet homini prima gratia sine meritis, sicut modò, licèt quilibet sit filius iræ, cuilibet tamen dat primam gratiam sine meritis propriis, & tunc meretur beatitudinem, igitur potuit etiam meruisse deletionem culpæ.* In quibus verbis probat Scotus, quòd de potentia Dei post acceptam gratiam posset peccator mereri deletionem culpæ, sicut post acceptam gratiam meremur de facto beatitudinem; ergo supponit quòd simul essent gratia & peccatum, & quòd per opera elicita ex gratia posset mereri de cōdigno remissionem culpæ; loquitur enim de hoc genere meriti, vt probet non fuisse simpliciter necessariã Incarnationem Christi ad nostram reparationem, quod satis subtiliter & verè dictum est, quia cùm 40.

cùm gratia habitualis non præstet acceptationem apud Deum subiecto cui inhæret, & operibus eius physicè, sed tantùm moraliter, ratione scilicet diuinæ voluntatis liberè acceptantis hominem, vel Angelum affectum tali forma, & similiter opera eius, posset optimè Deus de sua potentia absoluta separare has duas acceptationes, quæ de facto, & de lege ordinaria imbibitæ sunt in gratia, & acceptare opera elicita ex tali gratia ab homine peccatore, absque eo quod pro tunc acceptaret subiectum, scilicet talem hominem, & posteà mediis illis operibus sic acceptis, & consequenter æqualibus malitiæ peccati non solùm in bonitate, sed etiam in valore morali propter prædictam acceptationem remittere illi peccatum de condigno, & sic acceptare subiectum in ordine ad beatitudinem, dando illi ius ad gloriam: vnde tunc opera bona iniquorum probaret Altissimus, licèt de facto non ita contingat, & mediis ipsis tamquam satisfactione condigna sibi à peccatoribus exhibita eos sibi reconciliaret, id est, remitteret offensam, quæ remissio est quid morale, quod superadderetur gratiæ præexistenti, sicut modò est quid morale superadditum, vt latè à Scotistis, imò & à pluribus aliis Auctoribus traditur in materia de gratia, asserentibus gratiam habitualem non iustificare physicè, & ex natura rei, sed tantùm moraliter.

41. Ex hoc venit intelligendum, quare de facto opera bona elicita ex auxilio gratiæ ab homine peccatore, licèt ex tali auxilio elicita sint, & licèt habeant æqualitatem cum peccato in bonitate morali, & licèt habeant acceptationem Dei, iuxta illud Ioëlis 18. *In quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum eius ampliùs non recordabor*, non sint de condigno satisfactoria, & meritoria remissionis culpæ; & ratio est, quia non procedunt ab homine grato, nam iuxta illud 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus*; vnde post talia opera promittitur tamquam noua gratia, & misericordia remissio culpæ, Ioëlis 2. *Conuertimini ad me ex toto corde vestro, & conuertar ad vos, quia benignus & misericors est.* Et ad Rom. 3. dicuntur peccatores *iustificari gratis per gratiam Christi.* quod explicat Cōcilium Tridentinum sess. 6. de Iustificatione cap. 18. *Ideò gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsa iustificationis gratiam promerentur.*

Ex hoc patet ad rationem pro primâ sententia opposita; quòd licèt in actu contritionis reperiatur tantum bonitatis & conuersionis ad Deum, quantum malitiæ & auersionis à Deo erat in peccato; tamen valor moralis, qui sumitur ex æstimatione & acceptatione, non est æqualis, quia contritio peccatoris solùm est de congruo meritoria gratiæ remittentis culpam, at verò peccatum mortale est de condigno demeritorium gratiæ & gloriæ. 42.

Sed contrà obiicies primò: Satisfactio est via & medium, vt debitor cum creditore reconcilietur; ergo frustrà requiritur ad hoc vt sit condigna, quòd priùs persona debitrix sit cum creditore reconciliata per gratiam. Respondeo antecedens esse verum, vbi acceptatio satisfactionis non dependet à gratia debitoris, vt fortassis contingit in humanis; non verò vbi dependet ab illa, vt contingit nobis respectu Dei. 43.

Contra id quod diximus, quòd contritio peccatoris, seclusa illa conditione, scilicet acceptabilitatis, per gratiam habet omnes alias conditiones requisitas ad condignam satisfactionem. Obiicies, quia per collationem auxilij, licèt Deus non remittat partem debiti, adiuuat tamen ad solutionem illius; quia dando auxilium confert aliquod, sine quo non posset esse integra & adæquata satisfactio: quando autem creditor dat partem debiti absque translatione dominij, vt videtur contingere in donatione gratuita auxilij, vt sibi adæquata fiat solutio, non potest esse condigna satisfactio, cùm in illa interueniat gratia creditoris; ergo. Respondeo quòd auxilium concomitans, quod in ipsa reperitur satisfactione, & de quo potest esse difficultas (quia auxilium antecedens iam antecedit ipsam actualem satisfactionem, & sic non est partialis remissio debiti) non est gratia formaliter, sed solùm in radice, ratione scilicet sanctæ cogitationis, quæ fuit merè gratis data. Et ratio huius est, quia debetur voluntati ex natura rei, & ex influxu, quem causa prima debet præ- 44.

stare secundæ, eo ipso quod ex tali sancta cogitatione mouetur ad actum circa obiectum ab ipsa propositum, & sic tale adiutorium non est formaliter indebitum, quod requiritur ad hoc, quòd sit gratia formaliter. Quare diximus in principio quæstionis cum Fabro debere appellari concursum generalem. Præterea dato quòd esset gratia formaliter, non probat argumentum, quia in quantum gratia est, non reddit condignam satisfactionem, sed in quantum talis concursus supernaturalis est, quia hic eleuat actum, & reddit proportionatum gratiæ iustificanti: vnde prædicatum gratiæ solùm se haberet merè concomitanter & per accidens, aliàs neque homo posset condignè mereri gloriam & augmentum gratiæ, neque Christus posset de condigno satisfacere, cùm ad totum hoc requiratur auxilium; quando autem creditor coadiuuat, & dat partem solutionis debiti absque translatione dominij, illa pars non concomitanter, & per accidens, sed per se spectat ad satisfactionem, & sic tollit ab illa condignitatem.

45\. Contra id verò quod diximus, quòd satisfactio hominis existentis in gratia non reddit suum effectum, quia reperit debitum iam remissum per gratiam. Obiicies secundò, quia peccata semel confessa potest quis iterùm confiteri, & ab illis iterùm sacramentaliter absolui; ergo & pro peccato iam remisso potest quis per subsequentem contritionem satisfacere. Et confirmatur, nam plures Sancti, etiam habitâ reuelatione circa remissionem suorum peccatorum, adhuc pro illis satisfactionem offerebant, Dauid enim per singulas noctes rigabat lacrymis lectulum, Petrus ad galli cantum peccatum negationis semper amarissimè flebat, Magdalena spatio triginta annorum pro peccatis à Christo remissis pœnitentiam egit. Ad argumentum respondeo, quòd in gratia sunt duo consideranda, & quòd sit forma remissiua culpæ, & quòd sit forma actualiter remittens culpam; quando ergo absoluitur, quamuis à peccatis iam remissis, illa verba, *Ego te absoluo*, idem valent; ac, *Ego impono tibi*, Sacramentum absolutionis; seu, *Ego do tibi gratiam remissiuam culpæ*, non actualiter remittentem. Ita D. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. & hoc similiter suo modo contingit in contritione elicita ab homine iusto, quia illa de condigno meretur augmentum gratiæ remissiuæ culpæ, sed non remittentis actualiter, quia inuenit iam remissum. Ad confirmationem dico vtilem esse satisfactionem post peccata remissa, non vt actualiter remittat, sed ad remissionem pœnæ, ad præseruandum à peccatis, ad augmentum gratiæ, & consecutionem gloriæ, & vt quis in posterum cautior euadat; in eo autem, cui non est facta talis reuelatio, cùm nesciat an odio vel amore dignus sit, vtilior est, vt disponat se ad remissionem, si fortè non fuit dispositus. Quare Eccles. 5. dicitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Ex dictis debetis inferre, quòd licèt contritio hominis puri existentis in peccato non sit pro illo satisfactoria de condigno, quia deficit illi, quòd sit æquiualens defectu acceptationis Dei prouenientis ex gratia, est tamen satisfactoria de congruo pro peccato, quia ad congruentiam hanc non requiritur æqualitas valoris, vt diximus quæstione primâ; sed satis est, quòd creditor acceptet illud, quod in se habet aliqualem acceptabilitatem, vt contingit in præsenti. Vnde Deus inquit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Nos conuertimur ad Deum per contritionem, ille conuertitur ad nos per collationem gratiæ remittentis culpam; neque enim in humanis, vt congruum sit quòd creditor remittat debitum, requiritur aliud, nisi quòd debitor efficiat in satisfactione illius id quod potest, quod respectu Dei facit homo eliciendo contritionem. 46.

Vnde non sunt audiendi Medina 3. p. q. 1. art. 2. & alij, ita strictè de merito congruo loquentes, quòd negent illud nostris actibus elicitis cum auxilio supernaturali antecedentibus ad remissionem peccati, & consequenter negantes contritioni, quòd sit de congruo meritoria gratiæ, & satisfactoria pro culpa, cùm locutiones SS. & Conciliorum possint saluari, & intelligi de merito condigno, quia de condigno, neque peccator ex iustitia, sed gratis iustificatur, neque opera antecedentia iustificationem promerentur illam, neque similiter merita condigna 47.

digna Christi excludunt nostras dispositiones.

QVÆSTIO III.

Vtrùm purus homo possit de condigno satisfacere pro vno peccato veniali?

1. IN hac Quæstione non loquimur de satisfactione pro pœna, sicut neque in præcedenti, sed de satisfactione pro culpa, quia tamen culpæ veniali fit satis in humanis per solutionem pœnæ debitæ tali culpæ, vt si quis pro culpa leui semel debeat vapulare facta tali vapulatione fit satis prædictæ culpæ. Oritur difficultas, an in diuinis, seu in culpa veniali contra Deum commissa, ita contingat? & hoc siue homo sit in statu peccati mortalis, siue sit in statu gratiæ.

2. Sed quia in present materia Auctores communiter non agunt de hac difficultate, sed illam differunt ad materiam de pœnitentia virtute, vbi Scotus in 4. d. 21. q. vnicâ, vtrumque censuit probabile; putat enim quòd homo tam in vita, quàm post vitam, siue existens in Purgatorio, siue in inferno potest satisfacere pro culpa veniali non remissa, soluendo pœnam temporalem ipsius, per cuius solutionem etiam remittatur culpa ipsa, quæ satisfactio non se habet per modum reconciliantis, & meriti condigni, quia ad hoc indiget gratiâ iustificante, sed per modum satispatientis, vt ipse docet, & similiter sustinet probabiliter contrarium, quia diuersa debet esse solutio culpæ à solutione pœnæ in diuinis propter dicta Sanctorum; & sic ex solutione pœnæ non inferri per se solutionem culpæ, sed pendere à diuersis principiis, ideò & nos omittimus illam: interim videatur Faber in 2. part. Opusc. disp. 40. cap. 2.

3. Disputamus ergo de satisfactione hominis puri pro peccato veniali quantum ad culpam, non quantum ad pœnam; & tamquam certum supponitur ab omnibus nobiscum sentientibus antecedenti Quæstione, quòd pro illa non potest homo existens in peccato mortali de condigno satisfacere per satisfactionem reconciliantem, & habentem se per modum meriti, quia cùm ad condignitatem ipsius requiratur gratia iustificans ex supradictis, nequit haberi ab homine existenti in peccato, & nondum iustificato.

Neque modò requirimus, an satisfactio hominis iusti pro tali culpa debeat procedere ex auxilio Dei, si talis culpa fuit contra præceptum naturale, an sit satis, quòd fiat per proprium actum, honestum, naturalem; & viribus naturæ elicitum, virtualiter tamen imperatum à charitate, quia hoc pertinet ad materiam de gratia; neque an sufficiat fieri pro qualibet culpa veniali per actum virtutis oppositum, quia hoc spectat ad materiam de pœnitētia virtute. Sed inquirimus, an contritio supernaturalis elicita ab homine iusto sit condigna & perfecta satisfactio pro remissione peccati venialis, quæcumque illa sit forma remittens illud, de qua in materia de pœnitentia virtute; pro nunc enim supponimus esse distinctam ab ipso actu meritorio, per quem efficienter remittitur. In qua responde. 4.

Prima sententia negat hominem iustum posse per contritionem pro peccato veniali satisfacere, cui sententiæ adhæsisse dicitur Cumel 1. 2. qu. 114. art. 5. disp. 2. conclus. 4. D. Thom. 3. p. q. 87. art. 4. in corpore. D. Bonauent. in 3. d. 20. q. 4. sed hic loquitur de peccato mortali, illam defendit Petrus Soto in Institutione Sacerdotum de Pœnitentiæ Sacramentis lectione 18. addens oppositum esse magis humanum sensum minùs dignè de Deo, & eius gratia sentientem, quàm sententiam Christianam dignam pietate, vult omnemque iustitiam hominis erga Deum è medio tollere, vt ostendunt sua argumenta infrà in solutione illorum adducenda. 5.

Secunda communis & vera sententia affirmat posse condignè hominem iustum pro veniali culpa satisfacere. Ita Auctores, qui, vt suprà vidimus, hoc idem sentiunt de peccato mortali. Illam expresè tenent Vasquez in præsenti disp. 3. c. 3. Suarez disp. 4. sect. 11. concl. 1. Lorca disp. 5. supponit Aluarez disp. 3. post conclus. 3. n. 11. apud quos Mag. in 4. d. 21. & 26. Paludanus d. 16. q. 1. à num. 27. Richard. d. 17. art. 1. 6.

q. 7. D. Thom. 3. p. q. 72. art. 3. ad 3. & clariùs 1. 2. q. 72. art. 5. in corpore, vbi ait, quòd ſicut leuis ægritudo reparari poteſt per principium vitæ, ita venialis culpa per virtutem gratiæ, quæ eſt vitæ ſpiritualis principium, citarique debet Scotus, qui, vt vidimus Quæſtione antecedenti, docuit contritionem elicitam ex gratia eſſe condignam de ſe ſatisfactionem, etiam pro mortali, niſi aliàs reperiretur remiſſum. vnde conſequens eſt, quòd hoc multò magis ſentiat de veniali.

7. Vaſquez probat ſententiam iſtam, quia in ſatisfactione per contritionem elicitam ab homine iuſto pro peccato veniali nulla intercedit gratia creditoris, cùm in bonitate & valore morali ſit illi quantum ad ſuam malitiam & iniuriam æquiualens, imò & ſuperabundans, magis enim ad Deum conuertit, quàm veniale auerterat peccatum, hoc enim non tollit ab homine gratiam, illa verò confert illam, imo eſt, inquit, gratia actualiter iuſtificans ex ſua natura. inſuper in collatione auxilij nulla eſt condonatio debiti, quia peccatum veniale nullum inducit debitum carendi auxilio ad reſurgendum ab illo.

8. Lorca verò inſurgit cōtra Vaſquez, & probat non loqui conſequenter, quia quælibet iniuria inducit debitum carendi auxilio ad reſurgendum ab illo, quare ſicut hoc dixerat, vt vidimus Quæſtione antecedenti, de peccato mortali, ita debuerat dicere de veniali. Reſpondent aliqui pro ipſo diuerſam rationem, quia aliàs poſſet Deus ex iuſtitia perpetuò denegare auxilium, quo homo mundaretur à veniali, & conſequenter priuare illum in perpetuum conſecutione vitæ æternæ, ad quam habet ius ratione gratiæ habitualis, cùm vitam æternam ingredi non poſſit anima cum aliqua ruga aut macula.

9. Sed contrà, quia licèt gratia det ius ad hereditatem, non tamen dat ius ad omnia requiſita ad hereditatem, aliàs daret illud ad habendam finalem perſeuerātiam, quod eſt abſurdum, quia aliàs eſſet Deus iniuſtus, ſi habenti gratiam habitualem denegaret auxilium efficax ad perſeuerandum, ſine quo non perſeuerabit, & conſequenter nullus qui reciperet gratiam, ſiue per baptiſmum, ſiue per contritionem poſſet condemnati; ergo ex eo quòd habeat homo per gratiam ius ad hereditatem, non habet illud ad auferendum impedimenta peccatorum venialium. Quare firma ſtat impugnatio Lorcæ. hoc autem quod Vaſquez ait, quòd collatio auxilij ſit partialis remiſſio debiti, & quòd contritio ex natura ſua ſit forma iuſtificans, Quæſtione antecedenti impugnata ſunt à nobis, & ſic non indigent nouâ impugnatione.

Vera ergo huius ſententiæ ratio eſt, 10. quia in collatione auxilij nulla creditoris intercedit gratioſa remiſſio debiti, cùm hoc remitti non poſſit, niſi priùs ſit culpa remiſſa: & inſuper contritio ab homine iuſto elicita habeat maiorem bonitatem, quàm peccatum veniale habuit malitiam, cùm hæc fuerit leuis, & habet maiorem valorem, quia cùm ſit opus amici per gratiam habuit maiorem acceptabilitatem apud Deū, quàm peccatum illi diſplicuerat, ad condignam verò ſatisfactionem ſolùm requiritur perfecta & adæquata æquiualentia. Et confirmatur primò, quia in humanis peccatum, quod non diſſoluit amicitiam, ſoluitur per veram demonſtrationem amoris; ergo ſimiliter in diuinis per contritionem, quæ eſt vera amoris demonſtratio. Secundò, quia contritio talis de condigno meretur augmentum gratiæ & gloriæ, quantò magis remiſſionem culpæ venialis.

Sed contrà arguit Soto, & primò 11. quia communiter Concilia, SS.a & Patres aſſerunt remiſſionem peccati eſſe opus diuinæ miſericordiæ & gratiæ; nam ad Rom. 4. dicit Apoſt. ***Quòd ad gratiam Dei pertinet, vt Deus alicui non imputet peccatum.*** Et Gloſſa ibi exponit de veniali, & Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione cap. 11. dicit: ***Iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax dimitte nobis debita noſtra;*** ergo dum venialia ſibi remitti poſtulant iuſti, planè ſignificant gratiæ neceſſitatem ad illorum remiſſionem, ſicut ſæpè contra Pelagium obſeruant in ſimili Eccleſiæ Patres; ergo talis remiſſio non fit à Deo ex iuſtitia per condignam noſtram ſatisfactionem. Et cōfirmatur, quia remiſſio denotat condonationem abſque æquali ſolutione debiti. Reſpondeo primò ad argumentum cum Lorca, quòd prædictæ locutiones

tiones intelliguntur de mortali, non de veniali. Secundò, quia licèt intelligantur de veniali, loquuntur aliquando de gratia habituali, aliquando de gratia actuali, requisita ad hoc, quòd actus, quibus iusti satisfaciunt, sint condigni, ratione cuius remissio significatur quasi gratuita, sed non formaliter, & in se, quia vt sic est ex iustitia, sed in radice, sicut gloria, licèt detur ex condignis meritis, dicitur gratia in radice, quia consequenter per gratiam; & per hoc patet ad confirmationem, quia cùm solutio peccati venialis fundetur in radice in gratia creditoris, dicitur remitti, licèt ex iustitia soluatur. Tertiò, respondeo, quòd cùm incertum sit, an per alios actus imperfectiores contritione consequamur ex iustitia remissionem peccati venialis illam iusti postulent tamquam gratuitam, aut saltem petere vt verè excitentur ad eliciendam veram contritionem, quæ est peccati venialis ex iustitia remissiua.

12. Contrà secundò, quia venialis culpa est infiniti Dei offensa, ergò ita crescit ex infinitate, vt satisfactio personæ finitæ non adæquet illam in valore, cùm hæc similiter decrescat ratione suæ finitatis. Respondeo eodem modo, quo ad simile argumentum diximus in Quæstione antecedenti, quòd licèt crescat iniuria ratione personæ offensæ, & decrescat satisfactio ratione personæ satisfacientis, tamen actus ex obiecto & circumstantiis potest ita crescere, quòd compenset talem inæqualitatem, quod maximè apparet in contritione, cùm versetur circa obiectum infinitum, scilicet Deum.

13. Contrà tertiò, quia quamcumque satisfactionem pro veniali oblatam à iusto potest Deus respuere, & non acceptare, cùm sit supremus Dominus; ergo non est condigna, quia in humanis ea satisfactio, quæ est æquiualens, & condigna, non potest respui à creditore, neque non acceptari ab ipso. Respondeo, quòd de potentia absoluta posset Deus respuere & non acceptare satisfactionem, vt benè Suarez disp. 4. sect. 12. post conclus. 2. quidquid in cōtrarium velit Vasquez disp 3. cap. 2. n. 11. & cap. 3. n. 4. quia cùm sit supremus Dominus posset non obligare se, neque ad id aliquâ lege vel ratione teneretur, sed id quod vellet facere, eo ipso, quod ipse vellet, esset bonum, & posset talem contritionem exigere ob alios titulos honoris, scilicet cultus & reuerētiæ sibi debitæ, & non acceptare pro peccato ex iustitia: nulla enim creatura ex se habet iustitiam erga Deum, nisi quia ipse velit, quòd creatura ex operibus sic elicitis habeat illam; sed de potentia ordinaria non potest respuere, quia eo ipso quod hominem existentem in gratia acceptauit expresè in vitam æternam, implicitè acceptauit eius opera in satisfactionem impedimentorum ad illius consecutionem, qualia sunt peccata venialia, imò hoc expresè cōtinetur in Scriptura iuxta illud Danielis 4. *Eleemosynis redime peccata tua.* Et Matth. 32. dicitur mulieri peccatrici, & ad Christum iam conuersæ, *remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum*; & sæpè alibi. In humanis autem contractibus, qui dependent ex conuenientia & pacto eodem modo contingit, quia absolutè possent non conuenire partes contractus; tamen suppositâ conuenientiâ tenetur creditor satisfactionem debitoris æqualem acceptare, si tamen non dependeant satisfactiones à pacto antecedenti, sicut contingit in restitutione, vel pecuniæ, vel honoris ablati; est dispar ratio, quia in humanis non habet creditor supremum dominium, sicut Deus, & alias satisfactio est condigna ex natura sua; & sic non potest à creditore respui. Dices: Ergo posset Deus de potentia absoluta peccatum veniale pœnâ æternâ punire, etiam suppositâ contritione, quia posset illam non acceptare. Respondeo negando sequelam, quia peccato veniali solùm correspondet pœna temporalis, quare secundùm iustum eius iudicium, etiamsi non acceptaret contritionem pro satisfactione illius, tamen non puniret in æternum, sed alio modo remitteret.

Ex quibus deducitur primò, quòd homo iustus possit satisfacere, etiam de rigore iustitiæ pro suo peccato veniali, sumpto rigore, non prout excludit omnem gratiam antecedentem, sed prout excludit omnem gratiam actualem in ipsa satisfactione, quia cùm hæc sit condigna, & ex se æquiualens, omnem gratiam 14.

tiam actualem creditoris excludit, in quo sensu rigorem iustitiæ debere accipi diximus quæst. 1. p. 2. in fine: alter enim sensus non rigorem iustitiæ, sed etiam ipsam veram iustitiam destruit, & solùm relinquit iustitiam potestatiuam.

15. Secundò, debetis deducere malè Sotum notasse sententiam nostram tamquam humanam, & carentem Christianâ pietate, cùm talibus firmetur rationibus, tot, & tam grauissimis Auctoribus sit plausibilis, & nullo modo Dei gratiæ contraria.

16. Tertiò, deducitur non esse eodem modo philosophandum de satisfactione pro peccato originali, ac de satisfactione pro peccato veniali: non enim est leuius illo, vt apud Didacum Granados lib. de Immaculata Virginis Conceptione disp. 1. cap. 8. dixerunt aliqui, quibus omnino fauet Vigerius in Institutione cap. 18. §. 5. vers. 1. quæst. 1. licèt originale non sit voluntarium voluntate propriâ, sed voluntate primi parentis, est tamen grauius in ratione malitiæ, vt docet Bellarm. tom. 3. lib. 4. de Amissione gratiæ cap. 10. ad 3. Salmer in 5. epist. ad Rom. disp. 52. pag. 643. Cuius ratio est, quia Dei amicitiam rescindit, & subiectum Deo inimicum constituit; sicque de ipso, sicut de mortali actuali est philosophandum.

17. Quartò, quod deducitur est, quòd sicut satisfactionem condignam pro veniali solùm dedimus homini existenti in gratia, loquendo de satisfactione reconcilianti, & per modum meriti; ita consequenter debet negari homini existenti in peccato mortali, etiamsi fiat per actum contritionis, quod enim aliqui fingunt: quòd contritio in aliquo priori naturæ dat gratiam, & in alio posteriori condignè satisfacit pro veniali, est falsum, nam in duplici instanti naturæ non dantur duæ contradictoriæ simul veræ, quales essent, quòd eadem contritio esset, & non esset meritoria de condigno remissionis peccati venialis. Videatur Lorca vbi suprà.

QVÆSTIO IV.

An purus homo possit pro peccatis aliorum condignè satisfacere de potentia Dei absoluta?

Procedit ergo Quæstio præsens de homine existente in gratia, non de existente in peccato mortali, cuius opera & obsequia Deo non probari, imò & paruipendi habetur pluribus SS.æ locis Eccles. 34. *Dona inimicorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* Isaiæ 1. *Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Procedit deinde non solùm de peccatis aliorum mortalibus, sed etiam de venialibus; nam ad hæc, sicut ad mortalia etiam requiritur, quòd homo condignè satisfaciens constituatur à Deo caput morale aliorum, pro quibus satisfacit, saltem quantum ad collationem auxiliorum: & prætereà procedit de condigna satisfactione, non de congrua & imperfecta, de hac enim in confesso est ferè apud omnes in materia de gratia, posse iustum de congruo mereri alteri in peccato mortali existenti auxilia ad contritionem & remissionem illius, & tandem gratiam iustificantem, sicut de Stephano dicitur meruisse D. Pauli conuersionem ad fidem, quando pro inimicis orauit. Et tandem Quæstio procedit de potentia absoluta, quia de ordinaria conuenit inter Doctores, quòd nullus præter Dominum Iesum Christum potest alteri gratiam & gloriam mereri, & consequenter neque remissionem peccati, quantum ad culpam, quia de facto solùm Deus acceptauit pro aliorum peccatis Christi opera. Vnde Isaiæ 53. dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit, & labores nostros ipse portauit.* Et 2. ad Coloss. cap. 14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti;* & alibi sæpè videatur Augustinus tomo 7. lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 14. & tom. 9. tit. 4. & 5. in Ioannem, videatur Suarez disp. 4. sect. 7. Et notanter dixi, quantum ad culpam, quia quantum ad pœnam, licèt Suarez ibi dicat rem esse dubiam, tamen

tamen tom. 4. disp. 48. sect. 2. num. 4. affirmatiuam partem docet, tanquam communem omnium Theologorum, cuius ratio tradita est à Catechismo Pij V. in fine Sacramenti pœnitentiæ num. 61. *Ibi nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitari locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur*. Ex quo habetur Deum acceptare hominis satisfactionem, tamquam condignam pro temporali aliorum pœnâ (de quo ex instituto in materia de pœnitentia)

2. Antequam autem sententias proponam, oportet breuiter adducere notandâ aliqua dicta Suarez inter se differentia, nam in præsenti disp. 4. sect. 7. in fine negat purum hominem de potentia Dei absoluta posse condignè pro aliorum peccatis satisfacere, & in principio illius sectionis affirmat posse ex auxilio Dei aliquo modo satisfacere, & in sectione ista lib. 12. de Merito c. 16. num. 12. dicit posse de potentia Dei absoluta purum hominem mereri aliis de condigno, & ad æqualitatem gratiam tam actualem, quàm habitualem; dissident autem hæc duo vltima, cum primo loco, quia si per ly: *aliquo modo condigna*, intelligitur intercedere actualem gratiam creditoris, nullo modo erit condigna talis satisfactio, quia ad hanc requiritur, quòd nulla intercedat in ipsa creditoris gratia. Similiter si purus homo de potentia Dei potest aliis mereri gratiam actualem & habitualem, cùm hæc sit peccati remissiua, merebitur remissionem peccatorum, sed hoc est posse pro aliis condignè satisfacere; ergo videtur sibi contrarius.

3. Prima ergo sententia in hac Quæstione negat posse purum hominem de potentia Dei absoluta pro aliorum peccatis condignè, & ad æqualitatem satisfacere. Ita D. Thom. in præsenti quæst. 1. art. 2. ad 2. D. Bonauent. in 3. d. 20. quæst. 4. Medina hic quest. 1. art. 2. fol. 52. Pesantius quæst. 1. art. 2. disp. 4. conclusione 1. Cabrera disp. 12. §. 4. conclusione 2. Vasquez disp. 4. cap. 3. 4. & 5. apud quos Durand. Capreol. & Richard. citari etiam solent Ferr. 4. contra Gentes cap. 54. Soto in 4. d. 1. q. 1. art. 4. Caiet. 3. p. q. 1. art. 2. Sed immeritò, quia isti loquuntur de satisfactione ex toto rigore iustitiæ, qui rigor excludit omnem gratiam etiam antecedentem, vt nos suprà explicuimus. In præsenti autem solùm loquimur de satisfactione condigna, quæ reddit æquiualens, & vt nos dicimus de satisfactione ex toto rigore iustitiæ, qui excludit gratiam actualem, non antecedentem, sed diuersi diuerso modo probant sententiam istam.

Primò enim aliqui probant; quia cùm peccata sint infinita ratione personæ offensæ, & satisfactio sit finita ratione personæ satisfacientis, nequit ab ipsa pro aliorum peccatis exhiberi satisfactio condigna. Ita D. Thomas, D. Bonauentura, & alij pro hoc modo dicendi Quæstione secundâ relati. Deinde Suarez, & alij ibidem citati, licèt non putent, quòd offensa crescat in infinitum ratione personæ infinitæ offensæ; tamen, vt ibi dixerunt, censent ita crescere, quòd numquam possit satisfactio puri hominis esse illi æqualis; sed vtraque doctrina satis in prædicta Quæstione impugnata est, ideò hîc non adducimus impugnationes. Legantur ibi: 4.

Secundò, probant Soto, Caietanus, & alij, quia prædicta satisfactio hominis puri inniteretur gratiæ creditoris, cùm actus, quibus satisfaceret, essent de condigno meritorij ratione gratiæ Dei: illa autem satisfactio, quæ in gratia creditoris fundatur non est condigna. Sed similiter ibi responsum est ad rationem istam, & diximus, quòd quando gratia creditoris solùm est antecedens, & translata iam in dominium debitoris, non tollit, quòd satisfactio sit condigna, quia tunc talis homo ex propriis redderet æquiualens, licèt habuisset ex mera & liberali voluntate creditoris, quòd gratia, & alia dona tam supernaturalia, quàm naturalia, requisita ad tales actus, essent sibi propria, sicut diximus Quæstione prima de restitutione facta à filio & seruo, ex his quæ iam sunt illi propria, licèt quòd essent sibi propria, habuerint ex liberali & gratuita donatione patris, vel domini. Et modò iterùm confirmo, quia si filius, vel seruus satisfaceret furtum, vel quid aliud alteri personæ, quæ non esset pater, vel dominus, ex his, quæ gratiosè recepit à patre, 5.

vel domino, si tunc redderet æquiualens iuxta mensuram arithmeticam, illa satisfactio esset condigna, & ex iustitia deberet acceptari; ergo idem est necessariò dicendum, si restitutio fieret patri, vel domino; aliàs neque respectu alterius personæ erit possibilis adæquata satisfactio, quod est falsum per se patet: vnde ratio præfata aduersariorum, vt suprà notauimus, solùm probat talem satisfactionem non esse ex rigore iustitiæ, prout rigor excludit omnem gratiam creditoris, etiam antecedentem.

6. Tertiò probat Vasquez, quòd satisfactio hæc hominis puri pro aliorum peccatis solùm posset esse merendo de condigno illis auxilia, quibus disponuntur ad remissionem illorum, & merendo gratiam iustificantem, quâ formaliter mundarentur, & iustificarentur ab illis, vt fecit Christus; sed meritum cùm sit condignum, à gratia habituali non poterit esse condignum pro remissione peccatorum alterius ab ipso subiecto, in quo inhæret gratia, quia hæc ex natura sua est semen gloriæ in subiecto, in quo est aliàs beata Virgo, & Apostoli possent pro nobis de condigno mereri gratiam primam, augmentum illius, & gloriam. Quare sicut granum tritici, quod est semen tritici, non potest esse semen alterius fructus in specie distincti, v. g. hordei, etiamsi perfectissimum, & intensissimæ virtutis sit; ita gratia, quæ solùm est semen gloriæ respectu huius subiecti, non potest, etiamsi intensissima sit esse semen gratiæ, & gloriæ alterius subiecti, quia hoc esset fructus in specie distinctus.

7. Sed contrà primò, quia Christus Dominus meruit nobis prædicta auxilia, & gratiam habitualem per gratiam habitualem eamdem in specie cum nostra, vt latè dicemus contra ipsum Vasquez, dum agamus de gratia Christi; ergo gratia potest esse semen gratiæ, & gloriæ aliorum. Secundò, & à priori, quia gratia & opera bona hominis iusti possunt habere dignitatem & valorem apud Deum per acceptationem ipsius; ergo possunt habere maiorem dignitatem & valorem per maiorem acceptationem; ergo licèt de facto non acceptentur in beata Virgine, & Apostolis, quia hoc reseruatum est Christo Domino, qui omnium hominum constitutus est caput morale, tamen de potentia Dei absoluta non repugnat, quòd acceptentur pro remissione condigna peccatorum cuiuscumque alterius hominis.

Sed respondet Vasquez, gratiam, & merita non habere valorem ex acceptatione Dei, sed ex natura sua. Sed contrà, quia iam Quæstione primâ huius Disputationis probauimus hoc esse falsum, quia à priori, & tamquam à causa, ideò actus sunt meritorij apud Deum, quia acceptantur ab ipso, sicut ideò sunt entia & bona, quia Deus vult illa esse entia & bona, non econtrà: vnde gratia habitualis non est ipsa acceptatio Dei passiua, sed fundamentum, quare Deus hominem habentem illam, & opera eius acceptat, vt benè Scotus in 1. d. 17. quæst. 2. §. *ad solutionem*, vers. *dico igitur*, litt. G. vbi duplicem distinguit acceptationem in gratia, vnam communem cum aliis creaturis, quâ vult illas esse; aliam specialem, quâ subiectum ex eo quod decoratum est illa, & opera eius acceptat ad præmium & hereditatem, & hæc superuenit naturæ gratiæ, consistitque in relatione rationis orta ab actu diuinæ voluntatis acceptante, vt habet ipse Scotus ibidem §. *sed tunc est vlterius*, litt. K. 8.

Contrà tertiò, quia licèt gratia, & merita non haberent valorem ex acceptatione, tamen posset Deus de sua potentia, sicut creauit gratiam solùm dantem ex natura sua ius subiecto habenti illam, vt vult Vasquez; creare aliam formam, quæ ex natura sua daret ius alicui homini, vt sibi & aliis haberet auxilia & gratiam iustificantem, nulla enim in hoc apparet repugnantia. 9.

Contrà quartò, quia iuxta naturam gratiæ, quæ est sanctificatiua esse hominis interioris, est reconciliatrix & redemptiua esse formaliter; ergo si daretur homo in puris naturalibus absque peccato etiam originali, vel debito contrahendi illud, in quo non posset gratia præstare talem effectum formalem reconciliandi, non esset contra naturam huius gratiæ in specie, quòd effectus iste posset aliis efficienter à Deo appli- 10.

applicari, & consequenter quòd talis homo mereretur auxilia & gratiam, quibus alij homines Deo reconciliarentur. Imò etiamsi talem effectum reconciliandi præstaret (sicut modò præstat) his, qui iustificantur, posset hoc similiter habere. Dices: Ergo Adam si perseueraret in statu innocentiæ, hoc posset pro aliquo postero eius existente in peccato mortali actuali præstare: imò & quilibet alius ex his, qui modò iustificantur. Respondeo concedendo de potentia Dei absoluta, & quòd hoc non esset contra naturam gratiæ, sed iuxta eam, quòd est quod intendimus contra Vasquez. Vnde ad eius fundamentum respondemus primò hoc non esse concessum Virgini & aliis, quia reseruatum est Christo per specialem acceptationem Dei, naturæ gratiæ superuenientem; & sic nego, quòd ex natura sua sit semen gloriæ solùm respectu habentis, sicut granum tritici respectu tritici, quia hoc solùm habet ex acceptatione speciali Dei, de facto sic statuente & ordinante respectu nostri, nam de se indifferens est ad acceptationem pro vno subiecto, vel pro pluribus. Ita Faber disp. 47. cap. 2.

11. Secundò, respondeo non fore contra naturam gratiæ, quòd ex illa homo haberet non solùm ius ad reconciliandum seipsum, sed etiam alterum, vel vtrumque: vnde si per gratiam non reconciliaretur quis cum Deo, quia non indiget tali reconciliatione, posset de potentia Dei habere per illam ius, vt alter homo cum Deo reconcilietur; & idem erit si reconcilietur, quia indiget reconciliatione, si, quod debitum est gratiæ formaliter, etiam velit Deus esse debitum efficienter, quia sicut formæ coloris debitum est formaliter calefacere, etiam est debitum calefacere efficienter ligna sibi applicabilia, ita suo modo respectu gratiæ in genere causæ non physicæ, quia non est vt talis reconciliatiua, sed in genere causæ moralis, sicut debitum est formaliter reconciliare, posset iuxta naturam eius esse debitum reconciliare efficienter de condigno per opera elicita ex ipsa, non solùm proprium subiectum, sed etiam quodlibet aliud applicatum à Deo, tunc autem semen omnium horum effectuum esset.

Secunda & vera sententia affirmat posse purum hominem de potentia Dei absoluta pro aliorum peccatis condignè & ad æqualitatem satisfacere; & hoc quod dicimus de puro homine, dicimus etiam de Angelo. Ita expressè Scotus in 3. d. 19. *§. ad 1. principale*, vers. *vnde breuiter dico*, & vers. *ad 4. dico*, & d. 20. quæst. vnicâ, *§. contra illud*, & in 4. d. 15. quæst. 1. *§. quantum ad istud*. Nec obstat quod aliqui respondent, quòd loquatur de satisfactione congrua, non de condigna, quia contrà est, nam ad illam non requireret summam gratiam, neque quòd homo esset innocens, sicut Christus, neque ferè æquipararet meritum puri hominis merito Christi, neque assereret de Adamo primo parente, quòd potuisset maiori conatu Deum diligere, quàm illum offenderat, & Deum potuisse pro suo peccato tales acceptare actus; neque requireret maiorem bonitatem in actibus, quibus fieret satisfactio, quàm fuisset peccatorum malitia; maximè cùm satisfactio de congruo pro aliorum peccatis de facto reperiatur in iustis, vt supra diximus. Vnde ita cum Scoto defendunt eius discipuli: Faber vbi suprà. Pitigianus in 3. d. 20. art. 4. supponit Smising lib. de Deo; & vno tit. 3. disp. 4. quæst. 5. num. 70. in medio, licèt hîc solùm admittat condignitatem negatiuam, & ex fidelitate, non ex iustitia. Vega lib. 8. in Trid. cap. 5. & lib 7. cap. 9. tenet illam Gab. in 3. d. 20. quæst. vnicâ, & ex Thomistis Caiet. 3. p. quæst. 1. art. 2. Scotus in 4. d. 1. quæst. 5. art. 4. & lib. 3. de Natura & gratia cap. 60. circa quartam conclusionem. Ioan. de Medina codice de Satisfactione quæst. 1. & magis se in illam, quàm in contrariam inclinat Lorca disp. 6. 12.

Sententia hæc probatur primo à priori, quia acceptatio dat operibus ex gratia procedentibus non solùm rationem meriti de condigno, seu dat ius iustitiæ, sed etiam auget valorem iuxta dicta Quæstione primâ huius Disputationis, & in hac quæst. in refutatione Vasquez, sed Deus potest acceptare opera hominis iusti pro remissione peccatorũ aliorũ, quia hoc est illi liberum; ergo purus homo potest de potentia Dei satisfacere de condigno pro illis. 13.

14. Neque obstat contra istam propositionem, quod Vasquez obiicit, quòd si acceptatio præstat etiam valorem, frustrà requireretur, quòd gratia habitualis esset ita intensa, sicut gratia Christi, & quòd opera essent perfectissima ex obiecto & circumstantiis, quia totum hoc posset Dei acceptatio supplere. Respondeo enim non requiri à Scoto talem intensionem, & perfectionem vt simpliciter necessariam ; posset enim suppleri per acceptationem, vt benè probat argumentum; sed illam requirere, vt acceptatio Dei sit connaturalior, & talis ipsius prouidentia magis suauis: sicut enim in humanis, quò pulchrior est aliqua persona, eò magis est illi connaturale (licèt non debitum essentialiter) quòd acceptetur ad maiorem amorem, & ad maius beneficium, & quò magis diligit, & potiora beneficia, licèt non sint debita, sunt tamen illi magis connaturalia. Ita similiter, quò pulchrior coram Deo esset purus homo per gratiam intensam, tantò connaturalior esset illi acceptatio maior; & quò perfectiora essent eius opera, tantò suauior esset illa prouidentia specialis acceptans illa, non solùm pro remissione propriorum delictorum, sed etiam & pro aliorum.

15. Secundò, probant alij à simili, quia ex pacto Dei primus parens Adam posset transferre gratiam, & iustitiam originalem, si non peccaret, sicut transtulit carentiam & priuationem illius (quæ est peccatum originale) quia peccauit; ergo similiter ex pacto Dei posset purus homo per opera meritoria ipsius transferre auxilia, & gratiam iustificantem, vt alij à peccatis mundarentur. Et consequenter posset de condigno satisfacere pro illis ex acceptatione Dei. Hæc tamen probatio non currit in omnibus; quia Adam non transferret gratiam, vt causa efficiens meritoria, sed tantùm vt conditio, sine qua non; currit tamen in eo, quòd sicut ex speciali voluntate Dei potuit transferre iustitiam in posteros, ita posset & alius in genere causæ meritoriæ.

16. Sed obiicies primò contra nostram sententiam argumentum cōmune sententiæ contrariæ, quia si purus homo posset de condigno pro aliorum peccatis satisfacere, non esset necessaria Verbi diuini, vel alterius personæ Trinitatis Incarnatio, quod aduersari videtur pluribus Sanctorum & summorum Pontificum auctoritatibus, quas adducit Suarez in præsenti disp. 4. sect. 2. & Vasquez disp. 4. cap. 3. Respondeo, quòd cùm Patres (vt notauit Lorca disp. 6.) nullam assignent rationem propter quam pura creatura non potuisset perfectè satisfacere præter Anselmum, de quo diximus disp. 1. quæst. 8. possumus illa explicare, quòd loquantur de necessitate ex suppositione, quòd Deus voluerit, vel medicinam applicare præstantiorem, quàm morbum; & quòd bonitas meriti esset melior ad hoc, vt satisfactio esset maior, quàm offensa, vt vbi abundauit delictum, ibi superabundaret & gratia, vt habet Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. *§. quantum ad istum ergo artic.* vel ostendere nimiam suam charitatem, quâ dilexit nos, vt habet Scotus in 3. dist. 21. quæst. vnicâ, *§. ad primum principale*; vel vt ei omnino teneremur, sicut enim magis quis tenetur & obligatur esse gratior ei qui genuit, curauit & educauit, quàm ei qui tantùm genuit, ita magis tenemur Deo, qui non solùm genuit, sed per Incarnationem & educauit, & sanauit. Ita Scotus in 3. *§. tunc ad quæstionem dico*; vel, vt latiùs infrà dicemus cum Scoto ex suppositione, quòd Deus vellet redimere per satisfactionem ex se copiosam, & non indigentem Dei acceptatione, vt valor ipsius accresceret, imò & superaret delicta; non autem loquuntur de necessitate simpliciter, vt de condigno fieret satisfactio pro aliorum hominum culpis, quia hoc, vt probauimus de potentia Dei, posset pura creatura ratione acceptationis præstare.

Obiicies secundò, quia illa non est condigna satisfactio, quæ fit ex gratuitò acceptis à creditore; sed sic se habet perfecta satisfactio puri hominis, quia habet suum valorem, saltem partialiter ab acceptatione Dei; ergo. Respondeo distinguendo maiorem, vel enim acceptatio se habet per modum ordinationis, & legis antecedentis, & vt sic nego maiorem, quia licèt illa ordinatio, aut lex penderet ex 17.

mera

mera & gratiosa voluntate creditoris, tamen semel facta per ipsam acquirit debitor ius iustitiæ, vt adimplens conditionem, quæ se habet per modum meriti, sibi retribuatur merces, aut remittatur debitum: vel acceptatio est specialis, & subsequens (de qua quæstione primâ huius Disputationis) & vt sic concedo, quia tunc est gratuita partialis solutio debiti; nos autem non locuti sumus de hac secunda, sed de prima.

18 Ex quibus deducitur, quòd in casu, quo gratia, & merita condigna pro aliorum peccatis acceptarentur, talis acceptatio non esset violenta, & præternaturalis gratiæ, præcipuè summæ, quam posset habere purus homo (vt minùs benè aliqui notant Scotistæ) aliàs gratia habitualis Christi esset violenter, & supernaturaliter accepta à Deo, quod videtur falsum: quòd enim talis gratia sit in homine Deo non mutat eius intrinsecam naturam, sed potiùs esset illi connaturalis, & iuxta eius naturam; quia, vt diximus contra Vasquez, iuxta naturam gratiæ est, quòd sit reconciliatiua formaliter, quod habet annexum de facto ex acceptatione Dei, & sic ex pacto Dei potest esse reconciliatiua efficienter, licèt non physicè, vt habent formæ naturales, moraliter tamen, imò & de facto hoc habet gratia Christi dignificans eius merita, vt nobis retribuatur gratia; sicut non est contra naturam decoris, & pulchritudinis, sed iuxta eam, quòd feminæ pulchræ nimis, & decoræ ratione pulcritudinis, & decoris acceptentur earum opera, non solùm in propriam vtilitatem, sed etiam in vtilitatem aliorum, si ab illis in illorum consecutionem ordinentur; gratia autem habitualis est quædam animæ pulchritudo, vt probabimus in materia de Charitate disp. 3. quæst. 4.

DISPVTATIO III.

DE SATISFACTIONE EXHIBITA A CHRISTO DOMINO.

HVcusque nunc egimus de satisfactione etiam possibili puri hominis, vt an fuerit simpliciter necessaria, an solùm vtilis Christi Domini Incarnatio ad illam cognoscamus, & solùm fuisse vtilem, & necessariam ex suppositione decreuimus: vnde nunc de vtilitate ipsius, quantum ad satisfactionem, quam pro nobis præstitit, venit agendum, quod exactè per sequentes examinabitur Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quo pacto fuerit satisfactio Christi condigna?



1. DVo supponit, & vnum inquirit Quæstio præsens: Primò, supponit Christum Dominũ pro aliorum peccatis satisfecisse. Secundò, quòd talis ipsius satisfactio fuerit condigna; & inquirit vnum, scilicet quomodo fuerit condigna, an ex natura rei, & seclusa Dei acceptatione, an potiùs è contra non ex natura rei, sed ratione acceptationis diuinæ.

Primum suppositum statuitur contra vnum errorem pluribus, sed diuersimodè communem; qui negat Christi satisfactionem pro peccatis aliorum: hunc enim habent Iudæi illi, qui de peccati captiuitate & satisfactione nil recolentes, Christi Domini aduentum autumabant, eo præcisè esse futurum, vt eos è Romanorum iugo ereptos in pristinam reuocaret libertatem, simi- 2.

liter habet Abailard. apud D. Bernardum epist. 190. qui sicut negabat diaboli in homines potestatem; ita consequenter negabat satisfactionem Christi, vt ab illa potestate eriperentur, & solùm ipsius Incarnationem vt vtilem ad hoc, vt ab ipso, doctrinâ suâ instruerentur, docebat. Et denique habent Pelagiani, quatenus asserentes peccatum originale ab Adamo in posteros non verè, sed tantùm imitatione deriuari, nullam pro ipso Christi Domini, neque alterius satisfactionem requirebant, & asserentes peccatorem solius naturæ viribus posse à propriis actualibus peccatis liberari, satisfactionem Christi pro ipsis esse requisitam negabant; qui errores latè apud Recentiores referuntur, & refutantur.

3. Pro nunc autem sufficiat nobis contra Iudæos probare ex Psalmo 106. *Dicant nunc, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Et quòd redemptio hæc sit per satisfactionem, & inimicus sit peccatū, habetur Danielis 9. vbi promittitur Christi aduentus, vt finem recipiat peccatum, & deleatur iniquitas. Contra Albailard. verò probauimus iam disp. 1. quæst. 8. in fine. Cōtra Pelagianos latè probatur in materia de peccatis, & de gratia, sed modò probatur ex illo Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et ad Titum 2. dicit Paulus: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Et 1. Ioan. 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Vnde totum hoc definitum est in Trident. sess. 6. & decreuit Innocent. epist. 2. ad Bernard.

4. Ex quibus non debent colligere Lutherani, quòd nos non indigemus nostrâ cooperatione & satisfactione, vt à peccatis nostris mundemur, quia Christus pro nobis satisfecit condignè, nam condigna hæc Christi satisfactio fuit merendo nobis de condigno auxilia, vel sufficientia, vel efficacia, quibus disponamur ad iustificationem, & posteà gratiam iustificantem, quâ interiùs renouemur. Quare Paulus ad Hebræos dicit de Christo, *Quòd obtemperantibus illis factus est causa salutis nostræ.* Et ad Coloss. 1. dicebat: *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea;* & sic etiam operibus nostris, & nostrâ satisfactione indigemus.

Secūdum suppositum statuitur contra Durandum in 3. d. 20 q. 1. denotantem Christi satisfactionem, adhuc ex acceptatione Dei non fuisse cōdignam & æqualem, sed solùm congruam. cui adhæsisse refertur Medina codice de Satisfactione quæst. 1. §. *restat ergo.* Suppono ergo Christi Domini satisfactionem fuisse condignam & çqualem, imò & superabundantem debito totius generis humani; quare Suarez disp. 4. sect. 3. conclus. 3. ait oppositum non esse improbabile, sed nec pium, nec fidei satis consonum. Vasquez disp. 5. cap. 2. ait, numquam sibi probari potuisse. Hēriquez lib. 5. Summæ cap. 18. litt. L & M esse temerarium & impium. Alter Medina in pręsenti quęst. 1. art. 2. pag. 60. col. 1. Christum & sacras Scripturas cōculcare, sicque notant quamplures alij Auctores: vnde hoc suppposito nostra est communis apud Scholasticos sententia. 5.

Ex professo autem probat Paulus illam ad Rom. 5. vbi dicit: *Sed non sicut delictum, ita & donum: sicut enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit; & sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur multi; lex autem subintrauit, vt abundaret delictum, vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia.* Et Lucæ 9. *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Sic acutè probauit Valencia disp. 1. q. 1. puncto 5. quæstiunculâ 5. Et Isaiæ 10. *Consummatio abbreuiata inundauit iustitiam;* quod interpretatus fuit Paulus ad Rom. 9. de Christo, vt habet ibi Hieronymus, id est, operationes Christi consummatæ, & abbreuiatæ in Verbo, quod Deus fecit abbreuiatum, quasi exundantem iustitiæ, & æquitatis, seu æqualitatis fontem effunderent pro expiandis peccati sordibus cum ęquali & superabundanti satisfactione. 6.

His consonant Pontifices, & Ecclesiæ Patres; Caius Papa in epist. 1. decretali super illud Pauli ad Rom. 5. suprà citatum subdit: *Validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis;* à quo eadem verba desumpsit Leo I. 7.

in epist. 83. & serm. 12. de Passione, & ab ipsis desumpsit Agapitus in epist. decretali, quæ habetur in 2. tom. Conciliorum post secundum Concilium Toletanum, quod notauit Vasquez cap. 7. & post ipsum Lorca disp. 7. Præterea Chrysost. tom. 4. serm. 10. super prædictum locum Pauli ait: *Multò siquidem, pluraq; debebamus, Christus pro nobis soluit, tantoq; plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* Et paucis interiectis: *Nec sollicitus inquiras, quomodo scintillula illa mortis, ac peccati, tantò sit donorum super inducto mari soluta & extincta.* Hęc & plura alia videri possunt apud Recentiores.

8. Isti autem Durandus & Medina inuoluunt Scotum nostrum, quasi esset eiusdem sententiæ cum illis, sed vel ipsum oscitanter legerunt, vel percipere non valuerunt, non attendentes, quod Scotus in 3. d. 19. quæst. vnicâ, *§. in ista quæst.* post litt. B expresse dicit, quòd meritum Christi ratione personæ diuinæ habuit circumstantiam infinitam, ratione cuius congruentiam habebat, vt pro infinitis acceptaretur, quæ non esset in merito alterius personæ non infinitæ; congruentia autem idem est apud ipsum, ac apud Recentiores valor, & dignitas; non autem ab ipso Scoto sic appellatur, quia cùm non sit integer valor, vbi non est verum ius erga præmiantem (cùm hoc non possit esse erga Deum absque acceptatione, vt ipse ibidem tenet) hinc est quòd non appellet valorem, sed congruitatem. Idemque repetit Scotus dist. 20. q. vnicâ, *§. ad 1.* litt. F, & *§. tunc ad quæstionem dico*, vbi probat nostrum suppositum per illa verba psalmi: *Copiosa apud eum redemptio.* Et in 4. dist. 15. q. 1. *§. quantum ad istum ergo artic.* litt. E, habet hæc verba: *De potentia tamen ordinata non disposuit Deus sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratũ, quàm offensa eius erat sibi displicens, & tale obsequium eius est passio Christi, vel meritũ eius.* Vbi põderandum est, quod loquitur de valore meritorum, quem habent ante acceptationem, quia per illã ex sententia Scoti in tertio nuper citato solùm possunt habere valorem æqualem cum debito, siquidem pro illo solùm satisfactio acceptatur actualiter. quare cùm dicat, obsequium fuisse Deo magis gratum, loquitur de acceptabilitate, quam illud ante acceptationem habebat. Neque enim abundantia meriti potest esse ex acceptatione, quia hæc vel supplet valorem, vt in nobis, vel vt plurimum dat integrum ius ad præmium sibi proportionatum: vnde ab hac iniuria meritò liberatur Scotus à Lorca loco suprà citato nnm. 3. & 19.

His duobus prælibatis, modò venit 9. vnum cõtrouertendum, scilicet an prędicta Christi satisfactio fuerit condigna & æqualis ex propria ipsius natura, an ex Dei acceptatione, hoc est, an si in bilance penderentur merita Christi, & debitum peccatorum tam originalium, quàm actualium ab hominibus contractum, & in vna lance poneretur debitum, & in alio ponerentur merita Christi, antequam per quamcumque acceptationem à Deo acceptentur, an esset necessarium ad hoc vt lanx meritorum esset æqualis cum lance debiti, vt superimponeretur Dei acceptatio in illa simul cum merito; an verò sine illa haberet æqualitatem, imò & propter abundantiam valoris præponderaret, & declinaret deorsum.

Prima sententia negat merita Christi ex sua natura habere æqualitatem, & præponderare ad debitum peccatorum: sed, inquit, ad hoc esse necessariam Dei acceptationem. Hæc sententia tribuitur Durando & Medinæ suprà citatis, & illam videntur adstruere, quotquot ad condignitatem meriti cuiuscumque requirunt acceptationem, quare ante illam solùm admittunt in merito congruitatem. Ita Rada in 3. controuersia 13. art. 2. conclusione 7. & art. 3. paulò antè primam conclusionem, & conclusione 3. Pitig. dist. 18. quæst. vnicâ, art. 1. & dist. 20. art. 3. Faber disp. 46. & deinceps cum Scoto in 3. dist. 19. q. vnicâ, *§. in ista quæstione*, & plures alij Auctores præcipuè nominales: quorum fundamentum est ratio tradita, quia sicut non est meritum condignum respectu Dei absque acceptatione, ita non est vera condignitas, nec verus valor ante illam; & sic videtur inferri, quòd absque illa lanx meritorum Christi non potest præponderare, & grauitare deorsum. 10.

Secũda sententia per oppositũ affirmat, 11.

mat, merita Christi ex sua natura habere æqualitatem, & præponderare ad debitum peccatorum; neque ad hoc esse necessariam Dei acceptationem. Ita Vasquez disp. 5. cap. 2. quem alij Iuniores sequuntur, quorum fundamentum est, quia opera Christi erant hominis Dei, sicq; habuerunt valorem simpliciter infinitum, saltem moraliter, vel valorem, tamquam thesaurum inexhauribilem, licèt non esset infinitus simpliciter (quod est esse infinitum secundùm quid) debitum verò omnium peccatorum, neque ex obiecto & circumstantiis fuit simpliciter infinitum, neq; fuit similiter inexhauribile; quare merita Christi non indiguerunt Dei acceptatione, vt ipsorum lanx præponderaret. Quod cõfirmant pluribus SS. & Patrum testimoniis suprà adductis, & infrà adducendis, excellentiam meritorum Christi extollentibus.

12 Tertia sententia media duo distinguit in quolibet opere meritorio de condigno, etiam Christi: Primum quod distinguitur est valor & dignitas operis, & secundùm hunc valorem tenet cum secunda sententia, quòd merita Christi erant condigna & æqualia, imò & præponderabant cõparata cum debito peccatorum: cuius fundamentum est, idem quod tradidit ipsa secunda sententia. Secundum quod distinguitur est ius Iustitiæ, quod reperitur in opere meritorio, ratione cuius illi ex iustitia in ratione meriti debetur præmium, & in ratione satisfactionis debetur remissio debiti, & secundùm hoc ius tenet prima sententia, quòd merita Christi non erant condigna, & æqualia, & superabundantia absque acceptatione. Cuius ratio duplex est: Prima à priori, quia respectu Dei nullum est meritum condignum, nisi quia acceptatum ab eo, & ordinatum ad hoc præmium. Secunda à posteriori, quia si acceptatio non esset necessaria non videtur, quare Christus non satisfecit, etiam pro debito dæmoniorum, cùm eius merita essent ita excessiuè valorosa, & ipse pro suis inimicis obtulisset. Ita tenent quidam Scotistæ in manuscriptis, desumpseruntq; ex Lorca, hoc tamquam probabile approbante disp. 7. citatâ.

13. Sed antequam nostram proferamus sententiam, vt cum claritate procedamus, notatu dignum existimo, quòd sicut duplex est ius in qualibet re, vel actione, per quã potest fieri satisfactio, aut recipi præmium; ita duplex est valor in illa (& idem dico de dignitate seu condignitate, quia valor, dignitas, condignitas synonomã sunt in nostra sẽtẽtia) primum ius est in ordine ad rem, secundum est in ordine ad personam. Ius in ordine ad rem est titulus, quem acquirit actio meritoria laborantis in ordine ad rem, seu in ordine ad pecuniã reddẽdam à premiante, & hoc ius semper habetur ratione æqualitatis huius rei ad illam; quia tamen hęc nõ est semper illi æqualis ex natura rei, seu physicè, vel ex cõmuui æstimatione, seu moraliter; hinc fit, quòd aliquando fit necessaria creditoris vel premiantis acceptatio, quæ talem perficiat seu cõsummet æqualitatem: vnde ius hoc originatur ex ipsa rei ad rem æqualitate, ex quocumque capite talis æqualitas illi proueniat. Ius verò in ordine ad personam est titulus, quem persona laborans ratione laboris acquirit in ordine ad personam præmiantem, & hoc ius non originatur ex æqualitate rei ad rem, licèt illam supponat tamquam partialem rationem meriti, sed originatur ex voluntate præmiantis, ordinantis, seu acceptantis hoc meritum in ordine ad hoc præmium (& nunc non agimus an hæc iura sint iustitiæ, vel fidelitatis, quia de hoc quæstione 3. erit sermo) Ratio huius est, quia cùm res, quæ futura est, prẹmium sit sub dominio præmiantis, dependet ab eius consensu iusta illius alienatio vel donatio, & sic in laborante non potest esse ius seu titulus ad illam, nisi etiam habeat ius & titulum ad personam præmiantem, ortum ex propria ipsius voluntate: vnde etiam si aliquis laboret per vnum, & per plures dies in vinea aliena, dominus vineæ non tenetur reddere præmium laboris, nisi promisisset reddere, vel cum illo pepigisset se pecuniam tantam pro tali labore redditurum. Et hoc in simili de contractibus tenet Suarez disp. 4. sect. 5. & cum eo plures alij.

Eodem similiter modo est de valore 14.
meriti & satisfactionis philosophandum; alius est enim valor meriti ad præmium, & satisfactionis ad remissionem

nem, qui est rei ad rem, & iste attenditur iuxta æqualitatem vnius rei ad alteram, siue hæc æqualitas oriatur ex natura rerum, vel ex communi æstimatione, vt contingit in humanis, & in meritis Christi, vt infrà dicam; siue partim ex natura rei, vel æstimatione, & partim ex acceptatione Principis habente se per modum legis, vt etiam in humanis solet contingere, & de facto contingit nobis respectu Dei præmiantis nostra merita per augmentum gratiæ & gloriæ, quarum non sunt condigna, quia non sunt condignæ (vt inquit Apostolus) passiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. & tamen fiunt condignæ ex eius acceptatione, quia meremur illam de condigno, & non de congruo. Alius est valor meriti in ordine ad personam præmiantem, & satisfactionis in ordine ad personam creditoris, & iste attenditur iuxta acceptationem illius, quia nullus potest habere ius ad rem alterius, cuius est propria, nisi ipso volente, vel per acceptationem huius meriti pro illo præmio, vel per ordinationem huius meriti ad hoc præmium, vel per pactum dandi hoc præmium, si fiat tale meritum; vel remittendi iniuriam, si fiat tale obsequium, quouis modo, quo volueritis illum appellare: vnde requiri pactum ad meritum præter Scotum, & Scotistas tenent ipse D. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 4. Bellarminus 5. de Iustificatione cap. 14. Vega cap. 5. Valencia 2. tom. disp. 8. quęst. 6. parte 2. Guillelmus Parisiensis de merito cap. vnico, Gabriel Gregorius, & Ocham in tertio Sententiarum dist. 19. estque expressa sententia D. August. serm. de Verbis Apostoli, Fulgentij lib. ad Monimum in Prologo, Bernardi lib. de Gratia, & libero arbitrio; imò hoc satis clarè insinuat Concilium Trident. sess. 6. de Iustificatione cap. 16. & rationes adductæ veritatem istam demonstrant.

15. Ex quo infertur primò contra Thomistas admittentes acceptationem, vel pactum præcipuè in contractibus, talem acceptationem, vel pactum non se habere, vt conditionem sine qua non, vt ipsi volunt; sed habere se, vt vltimam rationem formalem completiuam meriti condigni, vt vult Scotus in 1. d. 17. quæst. 1. suprà sæpe sæpius citata. Et ratio est, quia meritum condignum formaliter includit duplicem respectum, ad præmium scilicet, & ad præmiantem, aliàs posset esse tale meritum in actu secundo, & in executione absque eo quod in recto includeret ordinem, & ius dominij, seu rectæ possessionis ad præmiantem, sicut habet ad præmium in executione redditum. Et confirmatur, quia non potest intelligi vera & formalis ratio meriti condigni; nisi intelligatur vera obligatio sibi retribuendi præmium; sed hęc formaliter non intelligitur, nisi intelligatur ille respectus ad retribuentem præmium; ergo de primo ad vltimum non intelligitur vera & formalis ratio meriti condigni absque illo respectu ad præmiantem.

Ex hoc infertur secundò, quòd cùm meritum condignum formaliter includat hunc duplicem respectum, si illi deficiat vltimus respectus, qui est ad personam pręmiantem, etiamsi habeat primum, qui est ad præmium, non potest absolutè dici meritum condignum, nisi cum addito, scilicet respectu rei, quæ est præmium, sed absolutè dicitur meritum congruum, & esse in statu congruitatis, quare meritò Scotus semper quādo loquitur de merito etiam Christi Domini considerato ante Dei acceptationem illud appellat congruum. Legatur in primo iam citato *§. sed tunc est vlterius*, vers. *Respondeo in hoc est.* Et in 3. d. 19. q. vnicâ, *§. in ista quæst.* vers. *quantum ergo valuit.* Quibus suppositis 16.

Dico primò: Si merita Christi, vt condigna sunt, & prout includunt duplicem respectum, ad pręmium scilicet, & ad præmiantem, accipiantur, indigent acceptatione Dei, vt ipsorum lanx sit æqualis cum lance debiti peccatorum. In quo sensu vera est prima sententia, & prout ei adhæret tertia: neque enim Auctores illarum volunt detrahere à meritis Christi abundantiam illorum, quia hæc expressa est apud SS^{am} & Patres, vt infrà dicemus, & ex eorum probationibus potest inferri solùm contendisse condignitatem formalem cuiuscumque meriti in ordine ad Deum, ab acceptatione eius prouenire. Ita tenet Scotus in 3. d. 18. q. 19. & 20. 17.

18. Hæc conclusio primò probatur ex SS. & Patribus adstruentibus Dei acceptationem, & pactum ad condignitatem meritorum Christi Psal.2.vers.8. dicit Pater æternus ad Filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes.* Et Isaias cap. 53. dicit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Dei in manu eius dirigetur pro eo quod laborauit, anima eius videbit, & saturabitur*; & huc spectat pactum, fœdus, testamentum, & iusiurãdum, quo passim in SS. promissa antiquis Patriarchis fuit Christi redemptio. Vnde Ambrof.tom.2.super verba psalmi 118. *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam*; dicens, *Quòd nos petimus, quòd suscipiamur in Christo*; subdit: *Intolerandæ autem præsumptionis videretur dicere Domino: Suscipe me, nisi promissum eius adiungeret, hoc est, vt hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus.* Præclara verba, quibus nostra satis manet probata conclusio.

19. Secundò probatur ratione sępè tradita, quia nil creatum potest inducere obligationem in Deo, nisi ipse priùs se voluerit obligare, aliàs Deus non esset supremus, & independens Dominus omnium; ergo opera Christi cùm sint quid creatum non poterunt inducere obligationem, & habere ius erga Deum, vt sibi retribuat in præmium remissionem debiti peccatorum nostrorum, nisi ipse Deus per suam acceptationem, & ordinationem ad id voluerit se obligare. Et confirmatur primò ratione traditâ à tertia sententia, quia non videtur, quare Christus non satisfecerit pro debito dæmoniorum. Secundò, quia liberæ actiones Christi Domini, quas modò exercet in cælo, non sunt ex se minùs dignæ, quàm illæ, quas in simili exercuit in terris; & tamen illæ pro remissione peccatorum nostrorum non acceptantur, cùm compleuerit redemptionem nostram, quando tradens spiritum dixit: *Consummatum est*; ergo ab acceptatione Dei dependet, quòd merita Christi sint in statu condignitatis. Quare conclusionem hanc præter Auctores citatos, excepto Vasquez, defendunt D. Thomas 1.2. quæst.114. art.2. & 3. cum quo Conradus, & Caietanus, & plures alij ibidem, Suarez vbi suprà, & in materia de gratia lib.12. de merito cap. 17. & 18. vbi loquitur de meritis iustorum, Lorca in materia de gratia disp.42.

20. Neque contra nostram conclusionem obstat primò, quòd merita Christi Domini sint Dei hominis, virilia sint, theandrica sint, quæ in idem reddunt iuxta sententiam Vasquez. Respondeo enim ex hoc non probari, quòd non indigeant Dei acceptatione, cùm sint quid creatum, & consequenter careant iure inducendi in Deo obligationem retributionis.

21. Neque similiter obstat, quod secundò obiicit Vasquez cum Auctoribus secundæ sententiæ, scilicet Christum non satisfecisse ante suam Incarnationem pro antiquis Patribus, si esset aliqualiter requisita acceptatio, præcipuè si hæc debeat se habere per modum pacti, quia hoc non potuit acceptari à Christo, antequam esset, & non inducit obligationem antequam acceptetur. Respondeo enim, quòd sicut Christus satisfecit in communi omnium Theologorum sententia pro antiquis Patribus per merita solùm præuisa vt futura; ita per pactum solùm præuisum vt futurum, & acceptandum à Christo. Et confirmatur, quia sicut in sententia Vasquez Deus dedit gratiam ex meritis Christi solùm eis pro quibus Christus se obtulit, & tamen dedit illam antiquis Patribus ante oblationem Christi in re exhibitam, sed solùm propter oblationem præuisam, ita similiter in acceptatione contingit.

22. Neq; tertiò obstat, quòd aliàs Christi satisfactio non esset de rigore iustitiæ, cùm non sit talis ea, quæ à voluntate creditoris acceptante dependet, quia dicimus, quòd quando acceptatio non est antecedens, & est aliqualis creditoris condonatio gratuita, tunc tollit à satisfactione rigorem iustitiæ; tamen quãdo acceptatio est antecedens, & non est aliqualis condonatio, sed constituit ipsam naturam meriti, seu satisfactionis, vt in præsenti contingit, cùm det illi respectum ad præmiantem, seu ad creditorem, sine quo respectu non esset formaliter completa & integra ratio meriti condigni seu satisfactionis, non tollit rigorem iustitiæ, de quo latiùs infrà in propria Quæstione.

23. Neque quartò obstat, quòd aliàs validius

lidius fuisset peccatum ad inducendam pœnam, quàm satisfactio Christi ad illius remissionem, siquidem peccatum ex se, & absque vlla acceptatione inducit pœnam. Respondeo enim, quòd si loquatur de peccato originali primi parentis, quo meruit nobis, quòd nascamur filij iræ, est falsum; nam priuatio originalis iustitiæ, quæ deriuatur in nos, ratione pacti deriuatur, quod Deus fecit cum Adamo, quòd si comederet de ligno vetito, morte (etiam spirituali) moreretur, id est, non erat transfusurus in posteros talem iustitiam. Si verò loquatur de peccato actuali, & proprio, quo quis in se inducit obligationem in pœnam damni, sensus similiter est falsus, quia etiam peccata nostra sunt ordinata ad prædictas pœnas ex voluntate & ordinatione punientis, quòd autem talis voluntas & ordinatio sit pactum, vel non sit pactum, non præstat maiorem indignationem & valorem peccato, sicut neque præstat merito maiorem dignitatem & valorem, aliquando quia æquè valorosum esset respectu præmij meritum acceptatum ad præmium vt quatuor ex ordinatione Dei, ac si esset acceptatum ex pacto. Præterea diuersa est ratio inter meritum & demeritum, quoniam omnes Theologi tradunt, quòd meritum condignum habet ius ad præmium; demeritum verò non habet ius ad pœnas, sed solùm habet subiectionem & obnoxietatem ad punientem seu iudicem, & consequenter ad eius pœnas.

24 Dico secundò: Si merita Christi accipiantur solùm prout includunt respectum ad præmium, non indigent acceptatione, vt sint in valore æqualia cum debito contracto ex peccatis tam originalibus, quàm actualibus, imò sunt nimis superabundantia; ita quòd lanx ipsorum in ima grauitaret, & excessiuè declinaret deorsum: in quo sensu est vera secunda sententia, & tertia, prout ei adhæret; estque expressa Scoti locis in secundo supposito citatis, vbi admittit in operibus Christi maiorem congruentiam, vt acceptentur à Deo ratione personæ diuinæ, quàm fuisset in eisdem operibus, si ab alia persona non infinita procederent; & asserit, quòd licèt de facto fuerint solùm merita finita, quia pro infinitis peccatis & hominibus accepta, tamen potuerunt esse infinita extensiuè, quia ratione talis circumstantiæ personæ diuinæ congruenter possent acceptari pro infinitis peccatis & hominibus extensiuè; & nos suprà reddimus rationem, quare merita sic accepta appellauerit congrua, & non condigna; & alibi iterùm asserit, quòd de facto disposuit Deus (hoc est, voluit per acceptationem habentem se per modum legis) sibi reconciliare inimicum per obsequium magis gratum, quàm offensa erat illi displicens, & quòd tale obsequium sit meritum, & passio Christi: quid clarius?

Quare meritò veniũt cõfutandi Auctores 3. sententiæ, qui ex eo probant hanc conclus. esse Scoti; quia ipse in 1. d. 17. q. 2. *§. sed tunc est vlterius.* vers. *potest dici, ait, actum meritorium esse dignum acceptari.* Ex quo inferunt: Ergo ante acceptationem est dignitas in opere meritorio in sententia Scoti; quia contrà est primò, nam diuersum, quod est, dignum esse acceptari, & dignum esse præmio; modò autem non agitur in hac conclusione contra Auctores tertiæ sententiæ de dignitate priori, sed de posteriori, & hæc per illa verba non probatur. Secundò, quia dignitas apud Scotum non semper significat statum meriti condigni, aut valorem æqualem cum præmio, quia ibidem vers. *Respondeo in hoc est ratio meriti,* admittit in operibus dignitatem antecedenter ad acceptationem, & statim requirit acceptationem, vt tale meritum dignum sit in statu meriti condigni, & habeat cum præmio æqualitatem. Tertiò, quia ibi Scotus loquitur de merito iam condigno, & accepto per acceptationem antecedẽtem, quam habet ratione gratiæ habitualis, ratione cuius Deus acceptat subiectum, & opera eius, ad quæ gratia inclinat; dicit tamen, quòd est dignum acceptari, scilicet per acceptationem subsequentem, & in executione quando Deus præmiat de facto: vnde pro eodem vsurpat, & tale meritum acceptum, & esse acceptabile, seu dignum acceptari, quare sic habet: *Vltra hoc considero & ipsam rationem meriti, quod est sic esse acceptum à diuina voluntate in ordine ad præmium, vel acceptabile esse, siue dignum acceptari;* nam ante acceptationem Scotus non admittit absolutè di- 25

gnitatem meriti in ordine ad præmium (hæc enim non potest esse completa, nisi adsit illa, quæ det ius in ordine ad præmiantem) sed solùm admittit illam in ordine ad acceptationem, & hanc dignitatem (quæ communiter solet vocari materia meriti, vel fundamentum meriti, congruentia meriti, seu meritum de congruo) admittit Scotus, & benè propter rationem suprà traditam, & nos vocamus primam partialem rationem meriti cum Scoto, quia acceptatio illa, quæ præbet ius in ordine ad præmiantem, dat aliam rationem formalem cōpletiuam in ordine, ad quam prima potest dici materia, & fundamentum iuxta ea quæ tradidimus disp. 2. quæst. 1.

26. Hæc conclusio primò probatur ex auctoritatibus SS. & Patrum adductis in secundo supposito huius Quæstionis, quæ clarè commendant excellentiam & abundantiam meritorum Christi respectu debiti peccatorum; sed excellentia & abundantia non potest haberi, vt suprà diximus, per acceptationem, quia hæc vt in plurimum dat æqualitatem merito ad præmium, & ius ad illud, & non ampliùs; nam Deus, sicut & nullus alius ordinatè agens, acceptat meritum aliquod ad præmium non conferendum, sed omnis ordinata acceptatio meriti est in ordine ad præmium conferendum, & in executione dandum; ergo talis excellentia & abundantia valoris supponitur in operibus Christi ad illam. Et confirmatur, quia actualis acceptatio Dei non est pro indeterminato numero peccatorum & hominum, sed pro determinato, quia aliàs esset talis acceptatio frustranea; ergo illa non præstat talem abundantiam, sed illam supponit.

27. Secundò probatur ex aliis locis, vbi indicatur, rationem, quare accepta fuerint Deo opera Christi, esse diuinam personam, quæ illa nobilitabat. Ex quo infertur ante acceptationem præcedere in illis tantam dignitatem, quanta deriuari deberet in illa ex persona diuina, & consequenter maiorem eâ dignitate, quæ in omnibus simul peccatis reperiri posset; nam ad Hebr. 5. dicitur: *Christus Dominus preces & sua opera pro nobis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Et cap. 7. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus.* Et cap. 10. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata; ideò ingrediens mundum, dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.*

Præterea Clemens 6. in extrauagāti: *Vnigenitus de pœnitentiis & remissionibus,* ait, *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Ecce qualiter Pontifex ex vnione sanguinis ad Verbum agnoscit excellentiam dignitatis in operibus Christi, & non ex acceptatione; & huc etiam spectant omnes Patres, qui Christum saluasse mundum asserunt, quia non solùm erat homo, sed etiam Deus, cùm tamen purus homo ex acceptatione Dei id etiam posset, sufficiat pro omnibus Cyrillus, Hieron. Catec. 13. vbi dicit: *Saluauit enim orbem, quoniam non erat simplex homo, qui passus est, sed Deus incarnatus.* 28.

Ex quibus infero rationem cōgruentiæ, quā (propter rationem fundamentalem traditam in secunda sententia, videatur ibi) confirmo nostram conclusionem, quia cōgruum erat, quòd sicut Dei misericordia resplenduit in generis humani redemptione, ita in illa Dei iustitia resplenderet; sed hæc non ita resplenduisset, sicut illa, si acceptatio etiā præstaret partialem valorem, præter eum, qui in ordine ad Deum præmiantem daret, quia præferri videretur misericordia, vbi tanta resplendet gratia; ergo dicendum est, quòd in redemptione Christi (vbi præfecta fuit, imò & rigorosa iustitia, vt infrà dicam) acceptatio solùm dedit ius, & non valorem antecedentem. 29.

Sed contra hanc conclusionem primò potest obiici, quia acceptatio Dei non solùm potest præstare ius in ordine ad præmiantem, sed etiam valoris æqualitatem cum præmio, vt patet in acceptatione Regis per sigillum ipsius in moneta significata, & in propositione magni præmij cum paruo, sed velociori cursu. Sed Respondeo totum hoc esse verum, vt diximus disp. 2. quæst. 1. tamen in operibus Christi non requiritur acceptatio, vt det valorem, sed solùm vt det ius in ordine ad præmiantem 30.

tem seu creditorem, & hoc non ex eo, quòd acceptatio non possit talem dare valorem, sed quia hic nimis excessiuus & superabundans ratione personæ diuinæ supponebatur ante illam.

31. Secundò, quia personalitas Verbi non præstat operibus Christi valorem simpliciter infinitum, neque physicè, neque moraliter, vt infrà cum Scoto nobis dicendum est; ergo solùm habet finitum valorem; ergo si acceptatio illum non multiplicat, non est quare iudicemus fuisse superabundantem respectu indignitatis peccatorum, præcipuè cùm hæc præter plurimam multitudinem & intensionem ipsorum versentur circa Deum infinitum offensum. Ex quo capite nimis crescit quælibet iniuria, licèt non crescat infinitè. Respondeo hoc ex eo esse dicendum, quia SS. & Patres tribuunt valorem prædictis operibus propter vnionem ad Verbum, & sic ante acceptationem; quare autem non sit simpliciter infinitum infrà dicetur. Præterquam quòd etiamsi non sit sic infinitus, ita persona diuina nobilitabat illum propter eminentissimam sui excellentiam, & trahit opera ipsius ad tam nobilem speciem valoris moralis, vt nihil creatum vel creabile possit illi adæquari, etiamsi omnia simul accipiantur, sicut omnes species materiales simul sumptæ non adæquant physicam entitatem hominis propter ipsius nobilitatem, neque peccatum ita vilescit propter Deum infinitum offensum, quia vilitas sit amplior, quàm priuatio alicuius creati, vt probaui disp. 2. quæst. 1.

32. Tertiò, quia si Christi satisfactio ita fuisset sufficiens & exuperans, sequeretur nostram esse omnino superfluam, quod non est asserendum. Respondeo negando sequelam, quia licèt sic potuisset Deus ordinare, quòd absque nostra aliquali satisfactione remissionem consequeremur peccatorum, tamen noluit Deus propter plures congruentias: Prima, vt ipse, qui peccauerat, aliquantulum satisfaceret. 2. vt qui per voluntatis actus erat à Deo auersus, per alios actus ipsius ad ipsum conuerteretur. 3. vt nostra reluceret in tali conuersione libertas. 4. vt reprimeremur à vitiis, & ne laxaremur peccatis, sicut etiam inquit D. Thom. quodlibet 2. q. 1. art. 2. in corpore: *Quælibet Christi actio libera sufficeret pro adæquata hominum redemptione, tamen de facto propter plures congruentias voluit Deus nullam ipsius opus deputatum, & applicatum esse ad talem satisfactionem absque ipsius Christi redemptoris morte.*

Quartò, quia si merita Christi ita excedunt debitum peccatorum, sequitur quòd non sint acceptata à Deo ad tantum præmium, quantum illis erat correspondens, & consequenter illorum valorem frustraneum. Respondeo, verum inferri, si Christus non fuisset contentus tali præmio; tamen fuit contentus, & pro eo præmio, hoc est pro remissione talium peccatorum & hominum iustificatione solùm obtulit. 33.

QVÆSTIO II.

Vtrùm satisfactio Christi fuerit infiniti valoris, necne?

Diximus in antecedenti Quæstione, merita Christi, & consequenter eius satisfactionem, talia esse, quod licet ad sui completam condignitatem, & vt sint respectu præmiantis valorosa, requirant diuinam acceptationem, tamen ad incompletam dignitatem, seu ad eam, quâ comparantur cum præmio, seu cum remissione debiti in ratione valoris non requirant talem acceptationem, sed potiùs ex seipsis ratione dignitatis, quam participant à Verbo, non solùm sint æqualia, sed etiam superabundantia, licet, quia non habent ius ad præmiantem, non merita de condigno, sed de congruo absolutè sint appellanda. Nunc inquirimus, an non solùm superabundantia, sed infinita, & infiniti sint valoris, an non? 1.

Quia tamen vox ista *infinitum* multas habet acceptationes, ita infinitus valor multipliciter potest vsurpari: Primò, dicitur infinitum de magnitudine grandi, quatenus communiter dicitur infinita hominum multitudo spectaculo assistebat. Secundò, de aliquo constituto in vltimo termino vel gradu, vt gratia habitualis Christi Domini, quæ dicitur infinita, licèt summa tantùm sit in doctrina Scoti, & aliorum. Tertiò, dicitur de infinito in potentia, quòd ex 2.

ex natura sua finitum est in actu; in potentia tamen habet infinitas partes non positiuè, sed negatiuè, diciturque infinitum secundùm quid, & ad hoc infinitum pertinet quātitas continua permanens vt linea, successiua vt motus, discreta vt numerus; & similiter qualitas intensionis, & remissionis capax, de quibus negauit Scotus 1. d. 2. quæst. 2. posse adhuc de potentia Dei esse infinita in actu, & formaliter, vt latè tradidimus nos 3. phys. disp. 2. quæst. 4. §. 1. & 2.

3. Conueniunt ergo omnes (vno excepto Durando in antecedenti Quæstione negante adhuc ex acceptatione æquiualentiam) quòd Christi merita habuerunt valorem infinitum in his tribus acceptionibus: hoc enim ad minùs significant auctoritates SS. & Patrum suprà adductæ in prædicta Quæstione, dum superabundantiam & excessum ipsorum commendant. Quare Clemens 6. in extrauag. *Vnigenitus*, ait non esse timendum, quòd virtus satisfactionis exhauriatur, eò quòd ex meritis Christi, & satisfactionis eius institutus fuit thesaurus inexhauribilis; & rursus prædicta merita appellauit infinita, vt infrà videbimus in probatione primæ sententiæ.

4. Quarto modo dicitur infinitū, quod est simpliciter, formaliter & actualiter tale, de cuius ratione est non habere terminum actualem, quod in prædicto loco physicè diuisimus in infinitum essentiale, sicut Deus, de cuius ratione est, quòd eius natura non habeat causam efficientem, neque finalem, hoc enim est ipsam non habere terminum; & in infinitum prædicamentale, vel quasi prædicamentale, de cuius ratione est non habere terminum versus intensionem & perfectionem, neque versus extensionem, quare dicitur infinitum infinitè, quâ ratione, diuina substantia, & eius attributa sunt simpliciter infinita, quod quidem ex professo notauimus, quia cùm de hac infinitate sit tota controuersia Quæstionis, veritas, ac mens Scoti magis ac magis patefiet, & manifestabitur.

5. Prima igitur sententia tenet, quòd merita Christi habuerint valorem simpliciter infinitum. Inter Auctores autem qui hanc defendunt sententiam, aliqui videntur in modo defendendi adstruere esse physicè infinitum, sed communiter traditur esse infinitum moraliter, sub his terminis tradunt ex Recentioribus Vasquez disp. 6. cap. 2. addens esse magis communem ab antiquioribus Scholasticis traditam, Suarez disp. 4. sect. 4. Valencia disp. 1. q. 1. puncto 5. quæstiuncula 5. §. *hinc enim*, Albertinus tom. 1. proprio primo philosophico quæst. 18. theologicâ, dub. 4. assertione vnicâ, qui pro se non solùm adducit Bonauent. Capreol. Alens. Caiet. Medin. sed etiam Scotum, Raguza disp. 11. propositione 1. & 2. Pesant. q. 1. art. 2. disp. 5. conclus. 3. Cabrera disp. 4. q. 1. art. 2. §. 4. Peltanus de Satisfactione Christi cap. 8. & cap 11. Zumel 1. 2. tom. 2. q. 114. art. 2. disp. 6. conclus. 2. Salmer tom. 13. disp. 41. in 5. ad Rom. Lorca disp. 7. qui citat Scotum in 3. d. 19. q. vnicâ, §. *in ista quæstione*, vers. *quātum ad sufficientiam*, cum quo tenent aliqui Recentiores Scotistæ in manuscriptis, illamque expresè tenuit D. Thomas in præsenti q. 1. art. 2. ad 1. & q. 7. art. 11. ad 2. & q. 46. art. 6. & q. 48. art. 2. & apertiùs quodlibet 2. art. 2. vt post Suarez Raguza notauit.

Sententia hæc probatur primò ex SS. in meritis Christi insinuante simpliciter infinitatem; nam ad Hebr. c. 12. dicitur de Christo: *Vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, quasi diceret in Christi sacrificio infuisse valorem talem, quòd si in æternum sanctificati multiplicarentur, in æternum posset illis effectum suæ passionis præstare; & idem repetit cap. 9. dicens: *Æterna redemptione inuenta.* Et cap. 7. *Vnde saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum in Deum.* 6.

Secūdò probatur ex definitione Ecclesiæ etenim Clemens 6. in extrauag. *Vnigenitus*, & c. apertè vocat thesaurum meritorum Christi infinitum, & subdit: *De cuius consumptione, seu minutione, non est aliquantulum formidandum, tum propter infinita Christi, vt dictum est, merita*; ergo hæc sunt infinita simpliciter. Patet consequentia, quia cùm neque minui, neque consumi possunt, debent esse sic infinita; nam quæ actualiter finita sunt, minui & consumi possunt. 7.

Tertiò probatur ex Patribus, quorum aliqui fauent, ex eo quod dicere viden- 8.

videntur à nulla finita persona potuisse sufficientem valorem operibus suis deriuari pro humani generis redemptione, operibus tamen Christi Domini, etiam redundantem fuisse deriuatum ex infinita personæ dignitate, quantumuis peccata numero & intensione augerentur, quos Patres retuli in secũdo supposito antecedẽtis Quæstionis, & in probatione nostræ sententiæ. alij autem expresse tribuunt infinitatem prædictis operibus. Anselmus enim lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 14. in fine de morte Christi, sic inquirit à discipulo: *Putásne tantum bonum, tam amabile posse sufficere ad saluandum, quod debetur pro peccatis totius mundi.* Et respondet discipulus, quod approbat Magister: *Imò potest plus quàm in infinitum.* Et Chrysostomus tom. 4. homil. 10. in illud ad Rom. 5. *Si enim vnius delicto*, &c. ait Christi satisfactionem eo excessu superare nostrorum debita peccatorum, *quo debitum illud superaret, qui pro decem obolis, quæ debebat, infinita penderet auri talenta.*

9. Quartò probatur ratione, quia sicut in antecedenti Quæstione diximus opera Christi esse superabundantis valoris propter respectum, quem habet ad personam Verbi, ita debemus dicere esse infiniti simpliciter valoris, quia persona Verbi est simpliciter, formaliter & actualiter infinita.

10. Quintò, quia sententia hæc magis merita Christi exaltat, quàm contraria, quod debet fieri, nulla interueniente ad hoc repugnantia, quæ non apparet. Sextò, quia si finita essent, timeri posset, quòd propter peccatorum & hominum multitudinem exhauriri possent; ergo dicendum est merita Christi fuisse simpliciter infinita.

11. Secũda sententia negat merita Christi Domini habere valorem simpliciter infinitum, seu infinitè infinitum, & loquitur de infinito non solùm physicè, sed etiam moraliter. Ita Scotus in 3. d. 19. q. vnicâ, *§. in ista quæstione*, & *§. ad 1. principale*, & in 4. d. 15. q. 1. *§. de secundo dicitur*, in fine, quem sequuntur omnes antiqui Scotistæ, & ex Recentioribus Rada. 3. p. controu. 73. art. 2. Pytigian. d. 20. q. vnicâ, art. 6. Faber disp. 45. cap. 2. & 3. & ex aliis tenent Nominales Gabriel in 3. d. 19. q. vnicâ, art. 1. Almain. q. 1. Ioannes de Medina, codice de satisfactione, quæst. 1. qui solùm admittunt infinitatem in meritis Christi per ordinem ad Dei acceptationem, quâ possit illa pro infinitis hominibus & peccatis acceptare; tamen hęc acceptatio nõ debet intelligi, quòd ex parte obiecti sit simpliciter infinita, quia vt pręmonuimus ex Scoto in principio quæstionis, vbi tradidimus diuersas acceptiones huius vocis, *infiniti*, adhuc de potentia Dei numerus nequit esse simpliciter, & actu infinitus, sed solùm in potentia, vnde licèt numerus peccatorum & hominum dicatur à Scoto infinitus, non tamen debet intelligi de infinito in actu, sed de infinito in potentia tantùm.

Vnde primò non obstant verba Scoti 12.
in 3. d. 19. *§. in ista quæst.* vers. *quãtum ergo valuit*; vbi ait, quòd meritum Christi ex circumstantia suppositi, & de congruo ratione suppositi habuit quamdam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensiuè pro infinitis; si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis. Ex quibus verbis deducunt Lorca, & alij Scotistæ Recentiores meritum Christi ex Scoto habuisse valorem simpliciter infinitum.

Sed isti non attenderunt, quod in ip- 13.
sismet verbis apparet contrarium, quod vt cognoscatur primò sunt adducenda verba Scoti antecedentia ad ista, vbi dicit, quòd meritũ Christi ex ratione sua formali, quam habuit, non potuit acceptari in infinitũ, & pro infinitis, vbi duplicem distinguit acceptationem, vnam in infinitũ, & aliam pro infinitis, & statim subdit præfata verba, per quæ admittit, quod ratione suppositi potuit meritũ Christi acceptari in infinitum, & ne daretur libera errandi facultas, ita vt intelligeretur de acceptatione in infinitũ, seu de acceptatione obiecti, tamquã simpliciter infiniti, addit, *Scilicet extensiuè pro infinitis*; ac si diceret, Ratione suppositi habuit meritum Christi congruentiam, vt in infinitũ acceptaretur, non eâ acceptatione, quâ infinitũ in se, infinitè acceptatur, sed ea, quâ acceptatur pro infinitis, quæ est acceptatio infinita extẽsiuè ex parte obiecti, & cõsequenter

quenter pro infinitis eo modo, quo possunt esse infinita, scilicet in potentia, non in actu, quod in merito alterius suppositi, vtpote non ita excellenti non reperiretur.

14. Secundò sunt adducenda verba, quæ habet §. *ad* 1. *principale*, vers. *ad* 4. *dico*, vbi postquam dixit, quòd bonum velle Christi, & eius passio formaliter erant finiti valoris, & quòd ratione personæ diuinæ patientis potuit Deus illa acceptare pro infinitis, addit: *Quamuis autem possit acceptare passionem illam pro infinitis, non tamen infinitè, quia non potest diligere aliquod creatum à parte diligibilis infinitè, quia non est infinitum.* quid clarius? Si enim licèt Deus acceptare posset meritum Christi pro infinitis ratione suppositi, non tamen infinitè ex parte meriti, quia in se non est infinitum; ergo nullo modo est infinitum, quia si esset ex parte obiecti, deberet infinitè acceptari.

15. Tertiò sunt adducenda ea verba, quæ habet in 4. dist. 15. quæst. 1. §. *de secundo dicitur*, in cuius fine habet hæc verba: *Item passio Christi fuit bonum finitum, etiam accepta secundùm totam rationem meriti in ea;* ergo etiam accepta secundùm valorem, quem habet à persona. Probo consequentiam, quia hæc (aduersariis etiam plane concedentibus) spectat, & attinet ad rationem meriti, imò ex illa adstruunt esse simpliciter infinitum. Et confirmatur ex his, quæ habet in 3 citato §. *in ista quæstione*, vers. *quantum ad sufficientiam*, vbi prosequitur: *Dico, quòd meritum Christi fuit finitum, quia à principio finito essentialiter dependens, etiam accipiendo ipsum cum omnibus respectibus, siue cum respectu ad suppositum Verbi, siue cum respectu ad finem, quia omnes respectus isti erant finiti, aliàs fuisset velle creatum naturæ humanæ Christi, sicut velle Verbi increatum (scilicet in acceptabilitate*, vt in antecedenti quæstione, §. in primo argumento dixerat.)

16. Quartò sunt adducenda verba, quæ habet in prædicto 3. §. *contra hunc modum*, vbi postquam retulisset opinionem D. Thomæ & Henrici asserentium, quòd vita Christi, seu eius opera habebant quamdam infinitatem, ait Scotus: *Dicta ista, quibus dicitur, quòd vita Christi fuit ita excellens, vt haberet quamdam infinitatem, videntur hyperbolica, & exponenda;* sed sic est, quòd si Scotus sentiret, quòd merita Christi habebant infinitum valorem simpliciter non appellaret dicta hyperbolica, quia nulla hyperbola, & nulla excessiua verborum ponderatio potest ampliùs aliquem excessum ponderare, quàm appellando simpliciter infinitum; ergo cum Scoto prædicta verba de infinitate meritorum videantur hyperbolica, dicendum necesse est, quòd ipse non senserit fuisse simpliciter infinitum.

Vnde secundò non obstat, quod respondent Lorca, & alij Scotistæ cum eo, scilicet quòd Scotus solùm negauerit in meritis Christi infinitum simpliciter valorem physicum, non autem moralem. Nam contrà est primò, quia Scotus negauit in his vltimis verbis, quòd D. Thomas & Henricus citati à Marginistis illius in margine pro prima opinione §. *ad quæstionem dicitur*, affirmauerant; sed isti non sunt locuti de valore physico, sed de valore morali, vt omnes relati pro prima sententia vnanimiter fatentur; ergo. Et confirmatur, quia nomen hoc *valor*, in merito, non tam significat entitatem physicam, & bonitatem transcendentalem operis meritorij, quàm æstimabilitatem, quam tale opus habet originatam, & ortam ab ipsa bonitate physica, & ab aliis circumstantiis concurrentibus; ergo cùm Scotus loquatur de valore meritorum Christi, dum alium non explicuit, potiùs debet intelligi de valore morali, quàm de entitate & bonitate physica. 17.

Et confirmatur secundò, quia Aduersarij tenent, quòd Scotus senserit merita Christi fuisse simpliciter infinita in valore morali propter verba primo loco adducta, & explicata à nobis, & tamen eodem modo & tenore loquitur in reliquis locis; ergo loquitur de valore morali. Et confirmatur tertiò, quia minùs benè sentiunt de Scoto, qui putant non meminisse valoris moralis, dum de merito Christi loqueretur, cùm iste valor in quolibet merito attendatur, etiam à quolibet Tyrone, quantò magis in merito de condigno? 18.

Contrà secundò, quia in verbis à nobis adductis §. antecedenti, scilicet *tertiò* 19.

tiò sunt adducenda, quæ sunt quarti Sententiarum expresse affirmat, quòd passio Christi etiam accepta secundùm totam rationem meriti fuit bonum finitum, sed intra rationem meriti continetur valor moralis, vt omnibus est euidens; ergo secundùm valorem moralem passio Christi est bonum finitum: neque poterit esse moraliter infinitum ratione personæ, quia asserit, quòd secundùm totam rationem meriti est finitum: vnde includit omnes rationes, quæ ad rationem meriti in passione Christi concurrunt.

20. Contrà tertiò, quia bonum velle, & passio Christi non solùm sunt diligibilia & acceptabilia à Deo propter entitatem & bonitatem physicam illius, sed etiam propter moralitates & valores morales dignificantes illius; sed Scotus in verbis adductis à me *§. secundò sunt adducenda*, negat posse Deum diligere passionem Christi infinitè ex parte rei diligibilis, quia nihil creatum potest sic diligere; ergo non fuit obiectum ex parte sui infinitè diligibile, & dilectum à Deo, non solùm secundùm entitatem & bonitatem physicam illius, sed etiam secundùm moralitates & valores morales, & consequenter neque secundùm valorem moralem participatum à personalitate Verbi.

21. Contrà quartò, quia si meritū Christi secundùm bonitatem & valorem moralem esset simpliciter infinitum, esset infinitum intensiuè, & quasi in genere qualitatis moralis, quia solùm potest reduci meritum ad prædicamentum qualitatis. Vnde sic argumentor: Scotus enim *ad 1. principale*, vers. *ad 2.* negat quòd peccatum posset esse formaliter, & secundùm intensionem simpliciter infinitum, seu infinitum infinitè, quòd idem est, quod sequeretur; quòd daretur Deus Manichæorum, qui scilicet fingebant duplicem Deum, vnum bonorum infinitè bonum, & aliorum malorum infinitè malum; sed sic est, quòd peccatum infinitè malum non esset infinitum simpliciter inesse physico, quia nequit dari malitia physica, sed solùm in esse morali, & quasi in genere qualitatis malitiæ moralis, & nihilominùs hoc negauit Scotus, quia esset quasi Deus malus moralis; ergo similiter debemus cum ipso negare merita Christi inesse morali simpliciter infinita, quia essent quasi plures dij boni morales iuxta eius doctrinam; ergo necessariò est negandum cum Scoto merita Christi fuisse infinita simpliciter, etiam secundùm valorem. Quare vt veritas hæc magis pateat, sequentes stabilio conclusiones.

Dico primò: De facto finitè tantùm meruit, & satisfecit Christus Dominus, atque adeò prædictus operum valor, prout de facto fuit ad merendum & satisfaciendum applicatus, fuit finitus. Ita Scotus in 3. dist. 19. citatâ, *§. ad 1.* vers. *ad 4.* & supracitati Scotistæ, & alij Auctores pro secunda sententia. Lorca disp. 7. à num. 22 vbi asserit non negari ab Auctoribus pro prima citatis sententia. Probatur: Meritum Christi, sicut & cuiuslibet insti dependet ab acceptatione Dei, vt sit completè condignum, vt probauimus suprà; sed illa de facto fuit ex parte obiecti finita, quia solùm fuit pro hominibus & peccatis futuris, quæ sunt determinata & finita, nam superfluè & quasi imprudenter pro numquam futuris acceptaretur; ergo meritum Christi, & eius satisfactio de facto fuerunt finita. Et confirmatur ratione Scoti ibi vers. *per idem patet*, quia pro eis meruit Christus pro quibus suam obtulit passionem, & Deus acceptauit; sed hæc fuerunt finita, quia nullus offert, neque prudenter acceptat aliquid pro præmio non futuro; ergo meritum Christi fuit de facto finitum. 22.

Dico secundò: Prædictus operum Christi valor, quantum est de se, etiam cum respectu ad diuinum Verbum, non fuit physicè infinitus. In hac conclusione communiter conueniunt Doctores, illam expressit Suarez disp. 4. sect. 4. parum à principio, Valencia disp. 1. quæst. 2. punct. 5. quæstiunculâ 5. *§. hinc enim.* Pesantius q. 1. art. 1. disp. 5. conclus. 1. Peltanus de Satisfactione Christi cap. 11. in 1. argumento, *§. quod autem*, vbi addit, de hoc neminem dubitare. Et ratio facilis est, quia opera Christi physicè erant creaturæ; ergo finitæ. Et confirmatur primò: Principia formalia, & proxima, à quibus physicè procedebant (quæ erant voluntas humana, charitas infusa, & alia dona cum ea) erant finita; ergo. Et 23.

Et confirmatur secundò: Personalitas Verbi non cōcurrebat physicè, vt principium quo. Insuper quando sic concurreret, debebat temperari cum aliis principiis creatis & finitis; ergo valor meritorum Christi nō fuit physicè simpliciter infinitus: vnde tota difficultas est, an fuerit infinitus moraliter. hic opus, hîc labor est.

24. Dico tertiò: Valor moralis operum Christi, etiamsi includatur in illo, quod deriuatur à persona Verbi, non fuit simpliciter infinitus de facto, neq; potuit de possibili. Hæc cōclusio est Scoti, vt probauimus suprà, tenentq; cum eo Scotistæ relati, & reliqui Auctores pro secunda sententia: ad cuius probationem suppono, quòd moralitas, in præsenti casu, est æstimabilitas quædam passiua, quæ habetur in opere meritorio in ordine ad actiuam æstimationem, quæ actiua æstimatio est actus intellectus cum tanta vel tanta appretiatione de obiecto iudicantis, atque adeò passiua æstimabilitas infinita in meritis Christi erit appretiabilitas ab intellectu potente appretiare merita Christi propter circumstantiam personæ diuinæ, vel in ordine ad præmium infinitum, vel si non sit tale præmium, iudicare, & æstimare illa, vt digna tali præmio si esset.

25. Quo supposito conclusionem nostram sic probo: Primò, ratione Scoti, aut opus Christi & bonum velle ipsius non erat in se tantùm acceptabile à Deo, sicut ipsum Verbum, seu bonum velle Verbi erat diligibile à Deo, & placens illi, aut sic. Si primùm dicas, vt videntur dicere Aduersarij; ergo non erat simpliciter infinitum secundùm suam passiuam acceptabilitatem, & consequenter, vt diximus, in genere moris. Probo cōsequentiam, quia Verbo & velle ipsius debetur infinita acceptatio & dilectio, & quòd Deus infinitè complaceat in illo. Si 2. dicas, sequitur quòd aliquod creatum sit ita gratum Deo, & æstimabile ab ipso, sicut increatum, & quòd æquè censeatur dignum præmio, sicut increatum, si posset præmiari, quod est absurdum.

26. Vel potest formari sic ratio: Omni diligibili & acceptabili infinitè simpliciter debetur necessariò infinitè simpliciter Dei dilectio & acceptatio, quâ ratione hæc debita est necessariò diuinæ essentiæ, & ideò necessariò producitur Spiritus sanctus, & similiter debetur amori diuino, & bono velle increato Verbi, & ideò Pater necessariò complacet in ipso, sed merito Christi etiam accepto cum respectu quem habet ad personam non debetur necessariò talis acceptatio Dei, seu talis dilectio, quandoquidem posset Deus absq; aliquo sui detrimento ipsum impræmiatum relinquere; ergo non est diligibile & acceptabile infinitè simpliciter; ergo non est infinitum simpliciter adhuc in esse moris. Patet consequentia, quia etiam in hoc genere infinitum debet esse infinitè acceptabile, & acceptum necessariò.

Et cōfirmatur, quia id, quod mixtum est ex creato & increato, non potest esse ita acceptabile, ac illud quod est merè & purè increatum; cuius ratio est, quia tantum detrahitur à dignitate diligibilitatis, & appretiabilitatis, quantum increatum magis contrahit de infirmitate creati: sed velle naturæ humanæ Christi, & eius bonum opus mixtum valorem moralem habet ex creato & increato, & quod formale est in illo, est creatum; & quod accidentale, est respectus ad Verbum increatum; ergo non potest esse ita appretiabile, sicut velle Verbi, vel sicut quodlibet Dei attributum, & consequenter non est in genere moris simpliciter infinitum. 27.

Notanter autem dixi: Mixtum ex creato & increato non est ita appretiabile, ac illud, quod est purè increatum, ne putaretur quòd diuina natura est minùs diligibilis, ex eo quod vnita est humanæ, quia non est mixta cum illa, sed vtraque natura impermixta permansit: in operibus autem Christi in esse meriti permixtæ sunt moralitates prouenientes à Verbo increato cum moralitatibus prouenientibus à principiis & circumstantiis creatis, sicut moralitates creatæ in actu alicuius hominis, v. g. inter se permiscentur: non enim eleemosyna propter motiuum charitatis est duplex actus, sed vnus est eminentior in genere moris quolibet, & accessus ad nuptam, &c. 28.

Secundò probatur conclusio, quia in physicis, quando duæ causæ concurrunt, 29.

runt, quarum altera sit infinita, altera finita, effectus sequitur debiliorem partem; ergo si duæ causæ morales concurrant, quarum altera sit finita, altera infinita, effectus debet in esse morali euadere finitus: sed persona Verbi infinita sic concurrit, vt probauimus, scilicet moraliter, & cum voluntate humana Christi, quæ etiam est causa moralis & finita; ergo merita Christi ab illis procedentia in valore morali debent esse finita. Maior huius discursus probatur, quia, quando causa prima, quæ est infinita, concurrit cum causa secunda, quæ est finita, effectus est finitus, & similiter secundùm Aduersarios, quòd essentia diuina immediatè per modum obiecti concurrit ad visionem beatam, concursus illius est finitus, quia potentia, cum qua concurrit, est finita. Consequentia autem probatur, quia in modo agendi causarum sic debemus philosophari in causis moralibus, ac in physicis; aliàs pro suo libito quilibet nouam posset adstruere philosophiam moralem.

30. Et confirmatur primò, quia ex eo in physicis effectus non sapit naturam vtriusque causæ, quia simul esset physicè infinitus, & physicè finitus; sed hoc idem sequitur in moralibus, quia simul esset effectus moraliter infinitus, & moraliter finitus; ergo. Confirmatur secundò, quia moralitas promanans à Verbo non est ipsum Verbum, sed aliqua æstimabilitas deriuata in meritum creatum, eò quòd sit denominatiuè meritum Verbi, sed omne quod recipitur, recipitur ad modum recipientis, & non est iuxta naturam dantis; ergo illa moralitas debet esse finita, vtpote quia recepta in opere creato finito.

31. Tertiò probatur, quia meritum non est tantum in quolibet iusto, quanta est mensura dignitatis personæ, quam dignitatem recipit à gratia, sed iuxta mensuram intensionis & libertatis, & aliarum circumstãtiarum actionis; alias qui gratiam haberet vt octo, & operaretur vt 2. mereretur vt octo, quod est omnino falsum, quia gratia licèt det ius ad hereditatem, non tamen dat ius ad coronam, nisi iuxta mensuram laboris; ergo etiamsi persona Christi sit infinita, non tam ex illa, quàm ex mensura operis debet quantitas meriti computari. Patet consequentia, quia sicut in primo exemplo quantitas meriti non sequitur quantitatem dignitatis personæ, ita in secundo debet sequi. Et confirmatur, quia prædicta opera essent quasi plures dij morales, vt suprà cum Scoto diximus, quod nouum est, auribusque dissonat.

Quartò probatur, quia persona Verbi, vel dat operibus Christi infinitatem istam moralem in genere causæ efficientis moralis, & vt sic deberet commensurari cum causa efficienti finita morali, vt in secundo argumento probauimus, vel in genere causæ finalis, & vt sic, sicut Deus, etiamsi sit infinitus, non dat infinitatem contritioni, & dilectioni charitatis, ita neque poterit in hoc genere persona Verbi; vel in genere causæ formalis, & vt sic non, quia Verbum non est forma operis creati, & si esset, cùm personalitas Verbi, sicut neque Patris, & Spiritus sancti sit infinita physicè in doctrina Scoti in primo Sentent. sicut neque finita, ita nullam poterit dare infinitatem. Prætereà licèt ex æstimabilitate infinita naturæ diuinæ deriuetur æstimabilitas moralis infinita in quamlibet personalitatem trium personarum propter summam earum cum essentia identitatem, tamen non poterit hæc deriuari in opera creata, cùm non haberent talem identitatem, vel tandem in genere causæ materialis, & vt sic non, quia præterquam quòd nullus hoc dixit, repugnat quòd id, quod se habet per modum formæ moraliter qualificantis, & dignificantis, sit moralis adhuc materia; ergo in nullo genere causæ personalitas Verbi dat istam infinitatem. Et confirmatur impugnando in sequenti parte omnes modos, quibus ab Aduersariis adstruitur. 32.

PARS PRIMA.

Impugnantur diuersi philosophãdi modi, quibus merita Christi adstruuntur esse simpliciter infinita in esse moris.

INter Auctores, qui asserunt valorem sic infinitum in operibus satisfactoriis ac meritoriis Christi Domini desumi 33.

sumi ex ipsa Christi Domini persona, sunt diuersi, & falsi dicendi modi, quos oportet seorsim ostendere, ac refutare.

34. Primus ex eo ait, personam conferre valorem infinitum, quia physicè & positiuè influit in opera Christi vulgare dicterium: *Actiones sunt suppositorum.* aquæ enim calidæ tribuitur calefacere, &c. nullus citatur Auctor expresè pro hac sententia, illam tamen impugnat Raguza disp. 13. in 2. Sent. Suarez disp. 4. sect. 4. §. *secundò dixerunt alij.* Vasquez disp. 5. cap. 4. Et contra eam sic argumentor primò, nam tota vis & ratio agendi, vt quo residet in natura, & eius facultatibus, & potentiis; subsistentia autem creata non influit physice, sed solùm terminat naturam, vt constituatur principium *quod operationum;* ergo personalitas Verbi, cùm solùm suppleat vices subsistentiæ creatæ, non influet physicè, sed solùm constituet principium *quod.* Et confirmatur, quia si influeret physicè infinitè, valor esset physicè infinitus, quod impugnauimus suprà conclusione secundâ.

35. Secùdò, quia sicut potentia Dei productiua ad extra vnica est in omnibus tribus personis, ita efficientia omnis ad extra est toti Trinitati communis. vnde ortum fuit axioma commune: *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa;* ergo persona Verbi non influit specialiter physicè in opera Christi. Et confirmatur, quia etiamsi Verbum specialem in opera humanitatis haberet influxum, adhuc deberet limitari per influxum humanæ naturæ; ergo, &c. Vnde ad rationem dubitandi respondeo cum communi sententia, actiones esse suppositorum denominatiuè, dicitur enim de aqua calida, quòd calefaciat, licèt non ipsa efficiat, aut causet calorem, potiùs actiones sunt singularium existentium.

36. Secundus dicendi modus est valorem prouenire à diuina persona, quatenus operabatur actiones, non solùm per potentias naturæ humanæ, sed simul etiam per voluntatem diuinam, ita vt actus voluntatis creatæ humanitatis, & actus voluntatis diuinæ naturæ vnirentur, & vnum componerent. tribuitur Diedroni lib. de Captiuitate & redemptione generis humani tit. 2. p. 3 art. 3. pro parte 2. appellanturque ab ipso ex hac ratione Christi operationes theandricæ, id est, Dei, & hominis. Sed contrà, quia vnio ista non reddit magis meritorium actum voluntatis humanæ, sicut neque reddit meritorium, quia meritum est actus liberè, & secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptus Deo, vt præmiabilis, vt inquit Scotus in 1. d. 17. §. *sed tunc est,* vers. *per idem dico;* actus autem diuinæ voluntatis has non potest habere conditiones, quia non est elicitus, neque dependet ab inclinatione gratiæ, neque est præmiabilis; ergo dato quòd inter se vniantur isti actus, vnus non potest præstare infinitum valorem in ratione meriti alteri. Prætereà, quia alias in recto intraret operatio Verbi, sicut operatio naturæ humanæ Christi in merito ipsius, & consequenter quasi partialia principia, *quo,* meriti censerentur, quod est error Eutichetis.

Præterea ista vnio, vel aliqua commixtio vtriusque operationis est, ita vt ex ipsis fiat vna, & hoc est incidere in errorem Monothenitarum, qui apud Bellarminum tom. 1. lib. 5. de Christo mediatore cap. 7. hoc asserebant; vel est aliqua physica vnio relinquens vtramque operationem impermixtam: hæc autem repugnat, quia aut vniuntur, vt accidens subiecto, & hoc est falsum, quia actio humanitatis Christi habet subiectum creatum, cui inhæreat, aut continuantur inter se, & hoc similiter est falsum, quia infinitum non continuatur finito, neque apparet alius modus physicus; vel vnio ista est moralis, & hæc nihil præstaret valoris, quia solùm posset consistere, vel in eo quòd vna voluntas fuit alteri omnino conformis, quod etiam reperitur in voluntate Deiparæ Virginis, & aliorum iustorum, & tamen nullus admisit in illis talem vnionem, vel in eo quòd diuina gubernaret humanam; sed hoc est commune toti Trinitati, & similiter reperitur respectu Virginis. Quare tales vniones non admittit Vasquez disp. 5. cap. 4. & 5. Suarez vbi suprà, & Bellarminus citatus, & quantum ad vnionem physicam tenet Lorca disp. 69. in incidenti dubio, licèt admittat quamdam moralem; sed nos omnem impugnauimus, tum quia falsum, tum quia superfluum, cùm absque illa operationes Christi dicerentur theandricæ, quia persona 37.

persona Verbi dans illis valorem, & dignificans illas specialiter resplendet in ipsis, sicut dicuntur opera regalia, vbi maiestas Regis resplendet, dummodo supponant bonitatem, quod notanter dico, quia si Christus per possibile vel impossibile peccaret, peccatum non diceretur theandricum, quare præcipuè opera miraculosa Christi, vt ambulare super aquas, &c. dicuntur, & nominantur à Patribus theandrica, quia specialiter in ipsis cum humanitate resplendebat diuinitas.

38. Tertius dicendi modus asserit valorem infinitum desumi formaliter à natura diuina, quæ extrinsecè sanctificabat humanam, cuius erat dicere operationes, sicut ordinis altioris sunt opera elicita ab homine dignificato formaliter per gratiam habitualem, quàm à non dignificato. Ita Vasquez disp. 2. cap. 5. & disp. 6. cap. 2. sequitur Montess. disp. 5. quæst. 1. impugnatur autem à Suarez, & ab aliis quatenus excludit personalitatem Verbi, cùm Patres (quos latè refert Raguza disp. 12. §. ad 1. *quia Patres*) inferant efficacitatem, & valorem operum Christi Domini, ex eo quòd propria essent diuinæ personæ operantis, vel patientis; sed soluitur à Montess. quia tam sancta est persona Verbi, quàm ipsamet Deitas. Prætereà, quia vtraque est terminus extrinsecus assumptæ humanitatis.

39. Sed contrà, quia personalitas & diuinitas formaliter distinguuntur, & in sententia Scoti, non solùm ratione, sed etiam ex natura rei; ergo si natura humana redditur formaliter, vel extrinsecè sancta per formalitatem diuinitatis, & ex illa deriuatur operibus Christi valor, non deriuabitur ex formalitate personæ, etiamsi solâ ratione distinguantur; quod est contra Patres. Præterea, contra Montesinos, personalitas Verbi sicut formaliter non est finita, neque infinita, ita neque formaliter est sanctitas, nec non sanctitas; diuinitas autem est ipsa formalis & essentialis sanctitas; ergo non est verum, quòd persona sumpta formaliter sit ita sancta, sicut diuinitas.

40. Sed contra hunc modum dicendi sic argumentor: Primò, denominationes extrinsecæ sunt physicæ & reales, quia vt sunt extrinsecæ constituuntur ipsa forma reali extrinseca; ergo si Christi operationes erant formaliter infinitæ per diuinitatem, tamquam per formam extrinsecam; ergo erant physicæ, & realiter infinitæ, sicut ipsa diuinitas, & non solùm moraliter. Secundò, quia in merito Christi ita in recto intraret diuinitas dignificans actionem, sicut ipsa actio humana Christi, & consequenter esset principium partiale ipsius meriti, vt suprà argumentabamur de operatione creata & increata physicè vnitis, quod erat error Eutichetis.

Tertiò, quia diuinitas fuit in natura humana Christi merè concomitanter, personalitas enim Verbi supplebat subsistentiam creatam illius naturæ, quare propter summam idētitatem substātialem, quam habent personalitas Verbi, & diuinitas, erat hęc in natura humana, sicut propter cōiunctionem accidentalem est color simul cum sapore in pomo; ergo per se, & formaliter nihil præstabat diuinitas humanitati. Probatur consequentia à paritate, quia diuinitas nihil præstat per se, & formaliter Sacramento Eucharistiæ, ex eo quod diuinitas est in illo per concomitantiam: vnde si diuinitas esset separata à corpore Christi, posset esse Sacramentum Eucharistiæ, sicut modò est, sine illa. 41.

Dices: Saltem per accidens, & suppositâ vnione substantiali natura diuina extrinsecè sanctificabat humanam. Respondeo negando, quia merè concomitanter se habebat, & sicut in Eucharistia non dicitur formaliter, adhuc extrinsecè panem conuerti in diuinitatem, sed in corpus Christi, ita natura humana, & eius operationes non dicuntur fieri formaliter diuinæ, & infinitæ adhuc extrinsecè, quare fuit necessarium vt natura humana Christi formaliter intrinsecè sanctificaretur per gratiam habitualem, vt ipsius opera acceptabilitatem apud Deum haberent, vt latiùs trademus infrà disp. 11. dum agamus de gratia Christi, vbi agemus de ipsius sanctitate. Neque exemplum adductum de gratia est simile, quia gratia ita dignificat opera, vt simul inclinet per formalitatem charitatis physicè ad illa, vt benè notauit Lorca num. 21. & est Scoti primo suprà citato, ibi lege attentè. 42.

Quartus dicendi modus asserit valorem 43.

rem

rem moralem simpliciter infinitum descendere in operationes humanitatis ex infinita solùm dignitate personæ. Sequuntur plures Recentiores, præcipuè Suarez, & Lorca vbi suprà, & Petrus Hurtado disp. 11 sub sect. 4. qui addit, quòd etiam sublatâ sanctitate personæ ab ipsa præcisa personalitate deriuatur talis valor infinitus simpliciter. Et ratio est, quia personalitas intrinsecè includitur in operante prædictas actiones, & consequenter cùm sit intrinsecè infinita, reddit illas moraliter infinitas, quia infinitè æstimabilis, sequunturque hunc modum dicendi aliqui Recentiores Scotistæ in manuscriptis.

44. Sed hic modus primò, si excludit diuinitatem, est falsus, quia personalitas formaliter non est physicè finita, neque infinita, & sic non potest tribuere æstimabilitatem moralem infinitam, quia hæc originatur ab infinitate physica: vnde tribus diuinis personis vna est danda gloria, vnus honor, quia vna est infinitas essentiæ: propter quam ipsis debetur, si verò includat diuinitatem, ita vt ab illa accipiat infinitatem, videntur incidere in modum ab ipsis impugnatum; ergo. Secundò, quia personalitas vel dat valorem in genere causæ formalis, vel in genere causæ efficientis, &c. & vt sic redeunt argumenta suprà facta in fine huius Quæstionis quartæ probatur, & debet modificari à concausa finita; ergo nullo modo confirmatur, quia opera regalia in humanis adhuc in esse regalium non sunt æqualia, quia aliqua magis ostentant maiestatem regiam, quàm alia, cùm tamen in persona Regis eadem sit maiestas, quod nequit prouenire, nisi ex eo quòd inter opera ab ipso facta aliqua sunt magis capacia regiæ maiestatis, alia minùs; ergo similiter licèt sit vna & infinita dignitas personæ Verbi (etiam non inclusâ sanctitate personæ) debet nihilominùs modificari ab alia concausa, & ab ipso opere in ratione valoris. Vnde respondeo ad rationem propositam, quòd personalitas non est infinita, quare licèt intrinsecè includatur in operante, vt operante moraliter, non tamen dignificat infinitè moraliter eius operationes, & dato quòd esset infinita, adhuc infinitè moraliter non dignificaret illas propter rationes traditas.

Quintus modus ait, valorem deriuari ex eo quòd Christus se obtulit Patri, & consequenter Christus tamquam obiectum, totum suum valorem deriuat in sua opera. Sed contrà primò, quia opera Christi non sunt theandrica ex eo quòd versentur circa Christum, sicut nec sunt Angelicæ operationes, quæ versantur circa Angelum, sed ex eo quòd sunt theandrica habent talem valorem; ergo. Secundò, quia Christus non solùm meruit se offerendo, sed etiam per exercitium virtutum moralium. Tertiò, quia aliàs infinitum meritum esset in Virgine, quia Christum obtulit in templo, & similiter quando Sacerdotes in sacrificio Missæ offerunt in altari, quod est falsum, quia si fortè Missæ sacrificium habet infinitum valorem, est quia principalis offerens est Christus. 45.

Sextus dicit valorem infinitum ex eo prouenire, quia Christus meruit per opera immanentia, quæ eo ipso quod inhærebant humanitati, quæ erat vnita Verbo, fuerunt etiam media humanitate vnita Verbo, & sic infinita. Sed contrà, quia Christus non solùm meruit per actiones immanentes, sed etiam per transeuntes. Prætereà immanentes non habent valorem meriti ratione subiecti in quo recipiuntur, sed ratione principij à quo eliciuntur, sicut neque sunt liberæ & vitales, quia recipiuntur in subiecto libero & vitali; quare si Deus assumeret naturam irrationalem, actus immanentes illius non haberent ex illo valorem, etiamsi media illa vnirentur sibi: ex quibus manet probatum, operationes naturæ humanæ Christi ex nullo capite potuisse habere valorem simpliciter infinitum. 46.

PARS SECVNDA.

Quid sit dicendum resoluitur, & in qua sit satis argumentis in contrarium adductis?

Pro argumentorum solutione priùs oportet statuere quartam conclusionem, & sic dico quartò, licèt merita Christi non habuerint ex persona Verbi 47.

valorem

valorem moralem simpliciter infinitũ, habuerunt tamen valorem summum possibilem. Hanc conclusionẽ debent cum Scoto in 3. Sent. suprà citato tenere omnes Scotistæ, vbi admittit aliquem valorem, licet extrinsecum deriuari ex persona Verbi, & quòd ratione illius merita Christi, licet non sint acceptabilia infinitè, sunt tamẽ acceptabilia pro infinitis hominibus, & peccatis, si darentur, ecce valorem summum possibilem. Et probatur, quia omnem bonitatem moralem, & omnem perfectionem possibilẽ debemus adscribere meritis Christi; sed summa æstimabilitas, & summus valor, & dignitas non repugnat illis, quia vt sic non reperitur ratio infinitatis; ergo. Secundò, excellentia, & superabundantia, quã astruunt Patres, non potest esse simpliciter infinita, vt probauimus ergo debemus asserere esse summam.

48. Et si inquiras à quo deriuetur iste valor ex parte personæ, an à personalitate, an à diuinitate? Respondeo, quòd ab vtraque, sed diuerso modo, quia à diuinitate sumitur quasi à radice, & quasi à forma infinita, ex qua tamquã ex fine motiuo *cuius gratia*, originatur æstimabilitas formalis moralis, & deriuatur in personalitatem Verbi propter summam identitatem physicam, quam habet cum illa: à persona autem quasi efficienter deriuatur summa possibilis æstimabilitas, seu moralitas in actiones meritorias Christi, sicut ab æstimabilitate, quam habet persona Regis originata ex eius potentia, deriuatur æstimabilitas quasi efficienter in actiones morales illius; quare magis ęstimaretur à Deo, quòd Rex pœnitens portaret crucem quàm inferior alius Christianus & magis æstimat quis, quòd Rex in honorem ipsius discooperiat caput, quàm si id faceret persona minùs nobilis.

49. Vnde ad primum argumentũ, quod erat ex Scriptura. Respondeo, quod ibi comparat Paulus sacerdotium Christi cum sacerdotio Melchisedech, & sacrificium Christi cum sacrificijs veteris legis, & asserit, quòd ille sacerdos mortuus est, & sic non potuit semper exercere Sacerdotis ministerium; iste autem semper viuit ad interpellandum pro nobis, illa sacrificia quotidie multiplicabantur propter infirmam virtutem, quam habebant ad expiandum & mundandum à quotidianis, & sæpè repetitis peccatis; sacrificium autem Christi propter eius robustam virtutem non necesse habuit multiplicari, sed semel tantùm exhibitum in æternum sanctificat & mundat à peccatis futuris; non autem vult Apostolus, quòd si in æternum peccata multiplicarentur, Christi sacrificium pro eis sufficeret, licet verum sit, quòd sufficeret, quid adhuc peccata essent finita simpliciter, licet essent infinita secundùm quid, sed solùm vult commendare valorem sacrificij Christi, quia non debet repeti propter peccata, quæ in mundo futura erant.

Ad 2. respondeo, thesaurum meritorum Christi dici à Clemente infinitum, quia valor acceptus à persona Verbi erat summus, propter quod etiam dicitur infinitus, sicut gratia Christi dicitur infinita, quia summa, non tamen quia in se sit simpliciter infinita. Ad id autem quod dicit non esse timendũ prædictum thesaurum minui, & consumi posse. Respondeo, hoc ex eo esse verum, quia satisfactiò Christi ita fuit superabundans, quod nullus potest timere, quod vel consumatur, & sic fructus illius sibi deficiat in totum, vel minuatur, ita vt sibi deficiat in partem, ita enim immensum pelagus est, vt omnia futura pro minimo sit absorbere peccata. 50.

Ad 3. respondeo, quod Patres illi, qui asserunt, quod à nulla persona finita potuit haberi sufficiens valor pro generis humani redemptione, loquuntur de facto secundùm legem Dei ordinariam, & ex suppositione, quòd ipsius satisfactionem noluerit Deus acceptare pro tali redemptione. Alij verò Patres, qui operibus Christi tribuunt infinitatem, primò non explicant qualem infinitatem: secundò loquuntur, vt inquit Scotus, hyperbolicè, quod patet, quia aliàs non assereret Anselmus, quod bonũ passionis Christi potuit soluere debitum peccatorũ plus quàm in infinitum, quia nihil potest esse plus quàm infinitum simpliciter, & per hunc modum loquendi prętendunt summum valorem ipsorum commendare, neque enim ita metaphysicè 51.

physicè ipsi loquuntur, vt Scholastici faciunt, sed ad modum, quo solent sermocinari concionatores.

52. Ad 4. respondeo, quòd etiamsi propter respectum ad personam opera Christi sint superabundantis valoris; tamen propter hunc non possunt esse simpliciter infinita, quia ipsa persona in valore, quem præstat, debet attemperari & modificari per alias causas crearas, & per ipsa opera creata, quæ non sunt capacia infinitę æstimabilitatis, sicut velle increatum, & reliqua Dei attributa: ex quorum infinitate physica, infinita debetur moralis æstimabilitas.

53. Ad 5. respondeo, iam nos dixisse repugnantiam, quare non debeant ita merita Christi exaltari, vt affirmetur esse simpliciter infinita, non enim fas est ipsis falsum tribuere honorem.

54. Ad 6. respondeo, non esse timendum, quòd merita Christi possint exhauriri propter multitudinem peccatorum, & hominum, tum quia secundùm taxationem pręsentis iustitię, merita Christi condigna sunt, imo & superabundantia pro omnibus hominibus, & peccatis futuris, quia hæc sunt finita, & determinata; tum quia licet magis, ac magis multiplicarentur homines & peccata, necessitas satisfactionis, quam possent habere, solùm posset esse summa (nec enim posset esse infinita) ad quam sufficeret satisfactio Christi, quia esset summa, imò ita summa, quòd sicut excederet summum valorem possibilem ex solis principijs creatis, quia habebat admixtum aliquod increatum principium, ita excederet summam malitiam possibilem, & summam necessitatē illius, & sic semper esset superabundans ex se. Deinde respondeo cum Rada controuersiâ 13. art. 3. notab. 4: quòd originalis iustitia Adami, *& non peccauisse illius*, fuisset sufficiens ad ipsam transfundendam in infinitos extensiuè homines, si essent, quia erat gratia Capitis; ita meritum Christi proueniens ex gratia ipsius, quæ erat gratia capitis, posset transfundere talem gratiam in homines infinitos, si essent, & consequenter eorum delere peccata, quare non est timendum, licet sit meritum Christi finitum, quod exhauriatur.

55. Sed dices primò: Ad infinitos homines, & ad infinita peccata extensiuè requiritur valor meritorum infinitus intensiuè; ergo infinitus simpliciter; ergo cùm opera Christi habuerint valorem pro infinitis hominibus & peccatis extensiuè, vt suprà diximus ex Scoto, sequitur, quòd talis valor fuerit simpliciter infinitus. Respondeo, negando antecedens, primò, quia sufficeret valor similiter infinitus extensiuè: secundò, ex infinita extensione non arguitur infinita intentio, si enim daretur qualitas infinitè extensa, non ideo esset infinitè intensa, vt late traditur 3. physic. suprà citato, & per hoc patet ad primū consequens. Ad 2. respondeo ex dictis, quia sicut non potest dari infinitum in actu creatum extensiuè, ita neque in actu poterunt esse infiniti homines, & infinita peccata; quare cùm Scotus asserit, quod merita Christi per respectū ad personam potuerunt à Deo acceptari pro infinitis hominibus, debet intelligi de infinito in potentia, non in actu, vt diximus, & omnium optimè docuit Hugo Cauellus in 3. d. 19. in suis Scholijs.

56. Objicies quod finitum est, si expendatur in satisfactionem debitorum debet consumi per partes, & hoc non solùm est verum in solutione per pecuniam, sed etiam in satisfactione iniurię per actiones meritorias, quā ratione si quis læditur in reuerentia sibi debita, habet ius vt exigat actionē submissionis, genuflexionis & reuerentiæ ab iniuriante, tamē si lędatur in honore vltra prædictam actionem iam consumptam in satisfactionem prioris iniurię, exigit restitutionem famę, sed meritū Christi nō consumitur per partes in satisfactionē huius peccati, & illius peccati, sed totum simul, ita vt valet pro omnibus, ac valet pro singulis; ergo ex eo est, quia est infinitū, de cuius ratione est nō habere partes cōsumptibiles. Respondeo concedendo maiorem, & ad minorē dico, quod cùm in quolibet minimo opere Christi reperiretur rātus valor propter circūstantiā suppositi, vt posset pro debito totius generis humani superabundanter satisfacere, Deus totū meritū morte Christi cōsūmatum acceptauit pro prędicto debito absq; eo quod per partes applicaret hāc numero

numero actionem pro illa iniuria, & illam pro illa, quia quælibet superabat totum debitum, non quia infinita esset, quandoquidem non erat acceptabilis infinitè, sicut velle Verbi, sed quia licèt finita esset, tamen erat nimis superabundans, & ideò de facto non computata per partes, neque proportionales, nec aliquotas; & si de possibili computaretur, semper superessent aliæ, & aliæ pro infinitis hominibus extensiuè, & peccatis, neque debitum posset pertingere ad terminum valoris, licèt talis valor per partes (vt prætendit argumentum) consumeretur; quâ ratione, etiamsi bruta essent infinita, omnia simul non æquiualerent homini ex eo quod rationali, neque Angelo ex eo quod intellectuali, & tamen non habent valorem, neque æstimabilitatem simpliciter infinitum; ita ergo venit dicendum de meritis Christi Domini, de quibus meritò dicitur, quòd sint thesaurus inexhauribilis.

57. Dices secundò: Posset dari aliquis homo de potentia Dei, qui cum gratia habituali summa etiam haberet summum meritum, & posset pro aliorum peccatis satisfacere, vt in antecedenti Disputatione quæst. 4. diximus; ergo esset tale meritum æqualis valoris cum merito Christi, & consequenter esset ita acceptabile ratione operis, & ratione operantis, sicut illud, quod expressè negauit Scotus in 3. d. 19. sæpè citatâ. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; cuius ratio est, quia licèt meritum puri hominis esset summum ex principiis creatis, & consequenter æquiualens in valore alicuius malitiæ summæ, quæ necessariò etiam à principiis creatis debet procedere; tamen merita Christi sunt mixti fori & altioris cuiusdam ordinis, ad quem nullus potest peruenire valor, qui solùm ex principiis creatis deriuetur, sicut ad perfectionem naturæ rationalis omnes simul naturæ sensitiuæ nequeunt prouenire; quare licèt summum meritum puri hominis posset esse acceptabile pro aliqua summa malitia, tamen pro alia, & alia non esset acceptabile, neque haberet valorem, nisi fortè ex acceptatione Dei: at verò meritum Christi taliter est summum, quod etiamsi multiplicarentur toties, quoties possent malitiæ creatæ multiplicari, adhuc non exhaurиretur, quia non peruenirent ad summitatem illam, quam participat ex persona, ideò benè docuit Scotus, quod nec ratione operis, nec ratione operantis potuit alius habere hoc ipsum.

Sed inquires pro complemẽto Quæstionis, Primò, an omnia merita Christi sint æqualia? Et respondeo, quòd sicut virtutes omnes non sunt æquales, ita neque merita Christi; secundùm valorem autem acceptum à persona, licèt omnia fuerint summa, tamen debet intelligi iuxta quantitatem illius virtutis, ita quòd humilitas in esse humilitatis sit summa, & charitatis actus in esse charitatis. 58.

Inquires secundò, an thesaurus ipsorum meritorum possit crescere? Et respondeo, quòd materialiter ratione plurium operum, quæ potuit Christus exercere, imò crescit thesaurus Ecclesiæ per merita B Virginis, & aliorum Sanctorum, vt asserit expresè Clemens 6. in extrauag. *Vnigenitus*, &c. 59.

Inquires tertiò, an merita Christi Domini, licèt non fuerint simpliciter infinita, sed tantùm summa negatiuè habuerint, vel potuerint habere propriè præmium? Et respondeo, quòd non, quia iuxta ea, quæ cum Scoto diximus disp. 2. quæst. 1. semper præmium propriè, & in stricta significatione acceptum est maius bonũ, quàm bonum meriti; cùm ergo meritis Christi non fuerit de facto datum aliquid vltra valorem ipsorum, neque potuerit dari, etiamsi daretur alia vnio hypostatica, v. g. Patris, vel Spiritus sancti, nam hæc vtplurimum esset æqualis: hinc est, quòd non habeant, neque de facto, neque de possibili propriè præmium, sed solùm latè acceptum, scilicet pro satisfactione, seu solutione, & hanc tantùm sonant testimonia Scripturæ de ipsa loquentes: *Postula à me, & dabo tibi gentes*, &c. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, &c. *Humiliauit semetipsum*, &c. *Propter quod & Deus*, &c. 60.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in satisfactione Christi intercesserit propria & specialis iustitia?

1. SEmper Deus remunerat merita iustorum ex iustitia, iuxta illud Pauli: *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex;* quæ iustitia non est lata, vt volunt omnes, qui inter Deum & homines non reperiri veram iustitiam asserunt, sed est propria & specialis, siue sit arithmetica, siue geometrica, vt latè traditur in materia de gratia, & nos documus suprà disp. 2 q. 1. p. 2. in fine; quare in præsenti Quæstione non inquirimus, an Deus præmiauerit ex iustitia merita Christi, & consequenter ex iustitia dimiserit debitum peccatorum nostrorum ratione satisfactionis ipsius, quia hoc supponimus tamquam verum; sed quod inquirimus est. An Christus, sicut exercebat alios actus aliarum virtutum, ita exercuisset in sua satisfactione actum propriæ & veræ iustitiæ, vt ex motiuo illius suam passionem & reliqua merita offerret Patri?

2. Prima sententia negat exercuisse talem iustitiam. Ita Vasquez disp. 7. Lorca disp. 8. quibus fauent, qui negant inter homines & Deum iustitiam propriam, & specialiter sumptam, ex eo quòd hæc respicit æqualitatem, quæ nequit (vt aiunt) ab hominibus reddi Deo, & consequenter non potuit Christus habere motiuum illius in sua satisfactione. Sententia hæc primò probatur, quia ex Aristotele 5. Ethicorum cap. 1. iustitia debet esse ad alterum, sed satisfactio Christi fuit ad seipsum, tamquam Deum; ergo non fuit ex iustitia propria. Secundò, quia ex eodem Aristotele ibi cap. 6. patris ad filium, domini ad seruum non potest esse vera obligatio ex iustitia; sed Christus in quantum homo est filius, & seruus Dei; ergo ex eius operationibus tamquam hominis non potuit oriri vera obligatio ex iustitia in Deo. Tertiò, quia si Christus in sua satisfactione exercuit actum iustitiæ propriæ & specialis, aut fuit iustitia legalis, & hæc non, quia respicit solùm ius communitatis, satisfactio autem Christi respexit ius læsum & violatum Dei, tamquam singularis cuiusdam personæ, aut fuit iustitia distributiua, & hæc non, quia, vt inquit Aristoteles vbi suprà, non est vnius ad vnum, sed vnius ad plures, inter quos iuxta proportionem geometricam (de qua egimus disp. 2. quæst. 1.) bona communitatis distribuuntur; satisfactio autem Christi fuit vnius ad vnum, scilicet Christi ad Deum offensum; aut fuit iustitia commutatiua, & hæc non, primò quia ad hanc reperiri debet contra passum cum abdicatione dominij, hoc est, quòd tantum detrimentum patiatur quis in bonis propriis abdicando à se dominium illorum, & in alium transferendo, quantum vtilitatis accepit ex alienis; sed repugnat, quòd Christus abdicet à se dominium suorum operum, & illud transferat in Deum; ergo. Secundò, quia hæc iustitia supponit læsionem eiusdem iustitiæ, quam intendit resarcire; sed iustitia Dei, seu æqualitas ipsius non læditur ab hominum iniuriis, aliàs in quolibet peccato propter malitiam, quam habet ex proprio obiecto, daretur specialis malitia respectu læsionis diuinæ iustitiæ, quod est falsum, cùm nullus timoratæ conscientiæ de hac speciali malitia confiteatur. Tertiò, quia vbi non reperitur debitum, non reperitur iustitia, quæ ex natura sua reddit id, quod debetur; sed Christus non erat debitor pro nostris peccatis, sed nos eramus debitores; ergo redditio, seu satisfactio Christi pro nostris peccatis non fuit actus iustitiæ. Quartò, quia quando quis satisfacit pro suis peccatis, non exercet actum iustitiæ, sed pœnitentiæ; ergo neque Christus quando pro aliorum peccatis satisfecit.

3. Secunda & vera sententia affirmat in satisfactione Christi repertum fuisse actum propriæ & specialis iustitiæ, quare actus omnes cuiuscumque essent virtutis obtulit Patri ex intentione satisfaciendi, seu (quod idem formaliter est) ex intentione reducendi ad æqualitatem secundùm mensuram legis inæqualitatem ab hominum peccatis, in bonis extrinsecis Dei causatam, & ex intentione soluendi ad æqualitatem secundùm legem, debitum peccatorum

rum ab hominibus contractum; debebatur enim Deo honor, obedientia, &c. quæ ablata fuerant per peccatum; & similiter homines contraxerant debitum soluendi pœnas suorum peccatorum, & Christus sua merita & suam obtulit passionem ex intentione satisfaciendi tam pro honore, obedientia, & ceteris, quæ ablata fuerât à Deo, quàm pro debito soluendi peccatorum pœnas. Ita tenent Caietanus, Medina, & alij Thomistæ 3. p. q. 1. art. 2. Valencia puncto 5. Vega lib. 7. in Trident. cap. 8. Suarez disp. 4. sect. 5. Rada 3. Sentent. controuersiâ 15. art. 3. conclusione 1. illam debent similiter tenere, qui inter homines & Deum admittunt veram, propriam & specialem iustitiam. Quare licet Scotus, sicut & D. Thomas in propriis terminis huius conclusionis non meminerint, tamen illam debent fateri propter hanc rationem, & præcipuè Scotus, qui, vt vidimus disp. 2. quæst. 1. parte 2. in fine, inter Deum & homines admisit veram & propriam iustitiam.

4. Quia tamen hæc sententia non ita expressè asseritur à præcitatis Auctoribus, sicut nos tradidimus, ideò pro ipsius intelligentia Nota primò, quòd iustitia propria, prout distinguitur contra metaphoricam, dupliciter sumitur ab aduersariis, vt videre est in Lorca vbi suprà num. 14. Nam primò sumitur pro virtute, quæ Deo reddit æquale, quæ æqualitas, sicut potest deberi à diuersis virtutibus, ita ab ipsis redintegratur, nam Deo homines reddunt gratitudinem debitam per virtutem gratitudinis, & seruant eius præcepta & leges per virtutem obedientiæ, & reddunt cultum debitum per virtutem religionis, & istæ virtutes dicuntur iustitiæ, quasi materialiter, quia reddunt Deo debitum: vnde si contra tales virtutes quis peccat, per easdem virtutes resarcitur ad æqualitatem iniuriæ, quia ad eamdem virtutem pertinet amare proprium ipsius obiectum, & odio prosequi, quod est illi contrarium, & in hoc sensu tam primæ quàm secundæ sententiæ Auctores conueniunt, quòd Christus satisfecerit ex iustitia, quia reddidit Deo æquale, imò & superabundans, vt suprà quæstione primâ diximus.

5. Secūdò sumitur iustitia propria formaliter, & prout specialis quædam virtus est distincta à reliquis, & hæc consistit in eo, quòd per se respiciat reddere alicui equale iuxta id, quod illi debetur ex debito legali, hoc est ex aliqua lege: vnde, vt benè notat Lorca num. 8. debitum est duplex ex communi sententia Theologorum, vnum morale, & est illud, cuius obligatio solùm oritur ex recta ratione, quatenùs secundùm rectam rationem necessariam est aliquid alteri præstare, & hoc debitum reperitur in omnibus virtutibus, quæ se habent ad alterum, quia rectum est secundùm rationem Deo præstare obedientiam, gratitudinem, cultum, pauperi eleēmosynam, &c. vnde hoc debitum per se non respicitur à iustitia formali & speciali, benè tamen per accidens, & tamquam obiectum materiale, vt infrà dicemus. Aliud verò est debitum legale, & est illud, ratione cuius oritur obligatio reddendi alicui æquale ex aliqua lege, vt in contractibus, si recepisti decem, totidem reddas, sicut recepisti quantum ad valorem, & quantum ad dominium, & in iniuriis si læsisti vt quatuor in honore aut fama, satisfacias illi vt quatuor, quia lege naturali, diuina aut positiua ad id teneris.

Ex quo Nota secundò, quod solent inter se cōfundi hæc duo debita, quando coincidit hæc virtus iustitiæ propriæ cum aliis virtutibus, quod præcipuè apparet, quando debitum legale oritur ex lege naturæ, quia cùm hæc lex sit dictamen rectæ rationis, tunc quasi confunditur debitum morale (quod vt diximus oritur ex ipso dictamine rationis) cum debito legali, seu cum lege naturæ, v. g. dictat ratio recta, quòd Deo tamquam supremo legislatori sit obediendum in omnibus, quæ præcipit; & sic qui contra obedientiam peccat ex eodem dictamine omnem detestatur inobedientiam, quia idem dictamen rationis dictat hanc esse illi indebitam: *Ecce debitum morale*; & dictat similiter eadem ratio recta, debitum esse ex lege naturæ, quòd reddatur Deo æqualis obedientia, ac fuit inobedientia: *Ecce debitum legale*. Et ecce qualiter versantur circa idem obiectum materiale, scilicet *Deo esse omnino obediendum*; tamen distinguuntur ex diuerso obiecto formali, quia debitum mo- 6.

morale ortum ex dictamine rationis respicit Dei obedientiam æqualem debitam vt supremo legislatori, quia dictamen ex quo oritur tale debitum, hoc motiuum per se respicit; tamen debitum legale iustitiæ specialis non solùm per se respicit constituere æqualitatem, ita vt tantum reddatur obedientiæ, quantum illius fuit ablatum per inobedientiam, sed etiam per se respicit legem naturæ, vel aliam, quia ex eo respicit constituere æqualitatem, quia respicit debitam esse ex iustitia & lege. Quare in debito legali dictamen rationis habet pro obiecto motiuo non solùm æqualitatem, sed etiam legem, seu æqualitatem ex lege: vnde si hæc est naturalis, prædictum dictamen habet seipsum pro obiecto, sed debent esse duo actus distincti, & haberi inter se tamquam actus directus & reflexus, quia censet quis per dictamen rectum suæ rationis debitam esse æqualitatem (ecce dictamen formale) & directus quia recta ratio, quæ est naturæ lex, illam dictat (ecce debitum obiectiuum, & quasi reflexum, habens se, vt lex naturæ) quando autem lex non est naturæ, sed diuina, vel humana, tunc clarissimè apparet distinctio debiti legalis à debito morali, quia debitum legale est obiectum, & formaliter respicitur à dictamine rationis, quod est morale.

7. Quibus suppositis probatur Primò: Nostra sententia ratione à priori, quia tunc aliquis satisfacit ex propria & speciali iustitia, quando per se intendit constituere æqualitatem, prout debitam ex aliqua lege, vt patet ex dictis; sed sic est, quod quando Christus sua merita, & suam passionem offerebat Patri ex intentione reddendi illi æquale pro debito ab hominibus ex peccatis contracto iuxta legem naturæ, & iuxta legem diuinam, ergo Christus satisfecit ex propria & speciali iustitia. Minor probatur, Christus fuit noster fidei iussor; ergo debuit sua merita, & suam passionem offerre ex intentione satisfaciendi. Insuper habuit quod solueret æquale, vel superabundanter; ergo debuit offerre ex intentione satisfaciendi ad æqualitatem. Insuper ad hoc tenebatur ex lege naturæ, quia cognoscebat ad hoc obligari ex dictamine rectæ rationis dictante cuilibet reddi debere id, quod ablatum, vel debitum est, imò ex lege diuina, illa scilicet, *Si posuerit pro peccato animam suam*, &c. ex pacto, fœdere, testamento, iureiurando veteris Testamenti, vt diximus in hac Disputatione quæst. 1. in prima probatione, quæ omnia vim legis habebant; ergo Christus, quando sua merita, & suam obtulit passionem, hoc præstitit ex intentione reddendi Deo æquale iuxta æqualitatem præstitutam à lege, tam naturæ, quàm diuina, & consequenter exercuit veram, propriam, & specialem iustitiam.

Secundò probatur eadem sententia, 8. quia ex natura rei nos tenemur obedire Deo, non solùm sicut subditi & vassalij tenentur suo Regi, sed etiam sicut serui, & vera mancipia tenentur suo Domino, quia non solùm tenemur illi obedire vt gubernatori & legislatori, sed etiam vt factori & creatori, & consequenter vt vero Domino habenti ius seruitutis erga nos. Vnde pro suo arbitrio potest disponere de homine, & de omnibus rebus eius sine iniustitia, multò magis quàm possit figulus de luto fingere, quòd voluerit, vt tradit Paulus ad Rom. 9. quare non solùm dicitur *Rex regum*, sed etiam *Dominus dominantium*, Apocal. 19. Et Christus Dominus Lucæ 12. cōtra peccatores hanc protulit sententiam: *Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis*; quod proprium est mancipiorum. Vide Suarez tom. 2. de gratia, lib. 7. cap. 14. à num. 54. vbi in confirmationem istius veritatis plura congerit SS. & testimonia Patrum. Ex quo sic conficitur argumentum. Mancipia tenentur obedire suo domino debito propriæ & specialis iustitiæ, & inobedientiam tenentur resarcire non solùm ex virtute obedientiæ, sed etiam ex virtute iustitiæ; ergo similiter nos tenemur resarcire inobedientiam in mandatis & præceptis Dei, non solùm ex virtute obedientiæ, sed etiam ex virtute iustitiæ; ergo etiam Christus Dominus, qui satisfecit pro nobis, aliàs non faceret satis omnibus debitis per nostra peccata contractis, quod est falsum. Quare notanter in nostra sententia asserui non solùm Christum satisfecisse ex iustitia pro debito pœnarum, quæ pro peccatis debe-

debebantur, sed etiam pro inæqualitate in omnibus virtutibus ab hominibus causata, ad quas etiam iure seruitutis tenemur, & sic ex hac intentione Deo reddidit æqualem obedientiam, ac fuit inobedientia hominum, æqualem cultum, ac fuit contemptus, vel idololatria, &c.

9. Tertiò probatur quando quis tenetur ex vera, speciali, & propria iustitia reddere præmium, ex eo est, quia meritum illius hoc petit ex vera, speciali, & propria iustitia, sed Deus tenetur ex hac iustitia reddere Christo in præmium remissionem nostri debiti, supposita eius promissione, & lege, quia statuit se illud daturum, ex suppositione operis condigni, seu ex suppositione, quòd *posuerit animam suam*; ergo ex eo est, quia Christus ex vera, speciali, & propria iustitia illud meruit. Maior non indiget probatione, quia sicut præmium & meritum sunt correlatiua; ita præmium ex tali iustitia, & meritum ex tali iustitia. Minor probatur in quolibet contractu, etiam facto inter dominum & seruum, supposito, quòd inter se conueniant, & pacifcantur, quòd ratione tāti laboris sit dandum in recompensationem illius tantum præmium, tale præmium deinde debetur illi operi laborioso ex iustitia, licèt talis conuentio fuerit gratiosa, vt diximus disp. 2. q. 1. parte 2. conditione 3. quod inter liberos apparet, quando quis conducit operarios in vineam suam, & inter dominum & seruum, quando pactum est de aliquo opere, vel proprio ex gratia domini, vel proprio ex his, quæ sunt supererogationis, vt diximus ibidem conditione vltimâ; ergo Deus tenetur Christo ex eadem iustitia, supposito pacto, quod cum illo fuit, & supposito opere condigno illius. Et confirmatur iterùm eadem minor, quia Deus non tenetur reddere Christo tale prĉmium ex gratitudine, quia hæc virtus non reperitur in Deo, nam in suo conceptu formali includit imperfectionem repugnantem Deo, respicit enim alterum tamquam benefactorem, vt ex Cicerone & Seneca latè docuit D. Thom. 2. 2. q. 8. & quĉst. 206. art. 1. vnde numquam SS. admonet nos, vt benefaciamus Deo, sed vt illi seruiamus, & tenetur Deus reddere tale præmium Christo plus quàm ex fidelitate; ergo ex iustitia speciali. Consequentia patet, quia non est alia excogitabilis virtus, ex qua teneatur Deus præter has tres. Minor probatur, Primò à priori, quia fidelitas non respicit meritum vt obiectum motiuum, sed vt plurimùm tantùm respicit illud vt conditionem, sine qua non obligatur Deus adstare promissis, quod est, quod per se respicitur à fidelitate; sed *Christus exauditus fuit pro sua reuerentia*, quando cum clamore valido, & lachrymis orauit Patrem, &c. id est, merita talis personæ diuinæ in diuinæ Trinitatis tribunali efficacia fuerunt, non ratione solius promissionis Dei, sed etiam ratione meritorum, vt redderetur ipsis præmium, quod erat remissio nostri debiti, ly enim, *pro sua reuerentia exaudiri*, denotat causam motiuam in recto, non conditionem, etiam per se, quæ solùm respicitur in obliquo; ergo non tenebatur Deus solùm ex fidelitate, & pro qua solùm sufficeret dixisse, quod exauditus est.

Sed obiicies obiter: Ergo in nobis, in quibus merita ex se non sunt æqualia cum præmio, sed solùm ex acceptatione Dei, vt sæpè sæpiùs diximus, non tenebitur Deus illa præmiare ex iustitia, quia ad hoc requiritur, quòd ipsa merita habeant ius æqualitatis cum præmio, sed solùm tenebitur ex fidelitate, & consequenter non respicientur à Deo vt obiecta motiua, sed solùm vt conditio. Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dico, quòd ratione acceptationis diuinæ tenetur Deus solùm ex fidelitate dare ius ęqualitatis operi meritorio, quod semel iam constitutum in esse æquale cum præmio, tenetur Deus statim ex iustitia præmiare, sicut si quis stabiliret SS. vel firma promissione aliquod beneficium Ecclesiasticum maiori stipendio, quàm aliud illi simile, & habens æqualitatem laboris cum illo, teneretur in conscientia ex fidelitate stare promissis, & ex iustitia reddere totum stipendium, vt quotidie contingit in fundatione Capellaniarum, quia promissio reddidit laborem æqualem (non in esse physico, sed in valore morali) cum stipendio, deditque illi ius iustitiæ, quo supposito iam debetur labori stipendium ex iustitia. 10.

Secundò

11. Secundò probatur, quòd teneatur Deus reddere Christo tale præmium plus quàm ex fidelitate, quia merita & mors Christi plus obligabant Deum ad iustificandum homines, quàm pœnitentia hominis peccatoris, vel aliquod signum nullo modo meritorium, ex aliquo pacto Dei, Deum obligabat, aut obligare posset ad prædictum hominem iustificandum; v. g. si sol oriatur absque nubibus crastinà die, vel si talis arbor floreat, dabo homini gratiam iustificantem; sed hoc obligat Deum ex fidelitate; ergo illud obligabat plus quàm ex fidelitate. Maior probatur, quia iustificatio hominum, quà eorum debita remittuntur, comparatur tamquam merces, & præmium debitum meritis condignis, coæqualibus, imò & superabundantibus Christi: iustificatio autem ex mero signo non respicit meritum vt meritum, & iustificatio ex pœnitentia hominis peccatoris non respicit meritum pœnitentiæ, vt meritum in recto tamquam præmium condignum talem iustificationem, sed per se, & in recto respicit promissionem, & misericordiam Dei, quà dixit: *In quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum eius amplius non recordabor*; & meritum, seu dispositionem antecedentem respicit in obliquo, & si illud respicit vt meritum, tantùm est vt meritum congruum; ergo Christo tenetur Deus reddere tale præmium plus quàm ex fidelitate.

12. Sed dices obiter, quare hæc promissio non dat prædictis meritis dispositiuis hominum condignitatem, & æqualitatem, sicut paulò anteà diximus de acceptatione, sed relinquit talia merita in statu congruitatis? Respondeo hoc nos colligere à posteriori, quia acceptatio de lege ordinaria concomitatur gratiam, nam per gratiam habitualem acceptat Deus subiectum illius, & opera eius, & sic sicut gratia constituit amicum, quandoquidem est ipsa charitas, vt dicemus in materia de charitate disp. 3. quæst. 5. ita acceptatio ei annexa constituit opera condigna & æqualia ad præmium dandum ab amico; tamen reliquæ promissiones, quæ hominem non respiciunt amicum, non dant ius æqualitatis & condignitatis cum præmio, sicut neque dant ius iustitiæ ad gloriam, & sic relinquunt merita in statu congruitatis, in quo Deus respicit per se, & tamquam obiectum motiuum, suam promissionem, & tamquam conditionem, & in obliquo, merita congrua gemitus & pœnitentiæ.

Tandem probatur nostra sententia pluribus SS. & Patrum testimoniis, de Christi satisfactione loquentibus, tamquam de satisfactione veræ, specialis, & propriæ iustitiæ, quæ debent in proprio sensu explicari, quando nullum sequitur inconueniens: possunt autem propriè intelligi, & explicari iuxta ea, quæ probauimus, quare ad Rom. 3. dicitur: *Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, & sicut per vnius delictum*, &c. *ita per vnius iustitiam*, &c. Et 1. ad Corinthios 1. *Qui factus est pro nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Et ad Coloss. 2. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti*, &c. quæ similitudo desumpta est ex vera solutione, v. g. pecuniæ ex iustitia speciali postquam statim iuridicum rumpitur chirographum. Vnde D. Leo sermone 2. de Natiuitate sic ait: *Hanc potissimam viam elegit, quà ad destruendum opus diaboli non virtute vteretur potentia, sed ratione iustitiæ*. Idem ait Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 13. Et Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. dicit, *quòd Christus in iudicio & iustitia diabolum superauit*; quæ non possunt tergiuersari, tum quia in iudicio solùm agitur de iustitia secundùm rationem eius formalem, scilicet attendendo ad æqualitatem ex lege, tum quia quando hæc virtus (vt in præsenti) refertur cum contrapositione ad alias, vt ad fortitudinem, misericordiam, &c. debet intelligi de iustitia speciali, quia reliquæ etiam sunt iustitia lato modo; ergo dicendum est, quod in satisfactione Christi Domini interuenit propria & specialis iustitia. 13.

Ad argumenta in cõtrarium respondeo. Ad primum, quod iustitia debet esse ad alterum moraliter, non physicè, & sic debet intelligi Aristoteles, quia diuersitas iuris constituit diuersitatem requisitam ad iustitiam, vt diximus disp. 2. quæst. 1. parte 2. conditione 5. vt reperitur in tutore, qui ratione administrationis rei familiaris pupilli po- 14.

test esse debitor, & ratione proprij iuris potest simul esse creditor. Ita Christus, quia fidei-iussor fuit debitor, & quia Deus offensus fuit creditor: vnde quia in se habuit vtrumque ius; dicitur *mediator Dei & hominum*, 1. ad Corinth. 1. Et capite 5. *quod mundum reconciliabat sibi*.

15. Ad 2. respondeo, quòd etiamsi inter Patrem & Filium, inter Dominum & seruum, vt sic comparatos, iustitia non sit vera & specialis, sed solùm potestatiua; tamen si comparentur vt æquales, licet talis æqualitas prouenìat ex antecedenti gratia Patris vel Domini, vera, propria, & specialis reperitur iustitia, sicut illa quæ reperitur inter duos ciues æquales, vt etiam diximus ex Aristotele ibi conditione vltimâ, & sic dicimus repertam fuisse in Christo, qui per opera humanitatis satisfecit Deo ex antecedenti gratia Dei, translata tamen iam in proprium dominium Christi.

16. Ad 3. respondeo, concedendo non fuisse iustitiam legalem aut distributiuam, vt argumentum probat; nego tamen non fuisse iustitiam cõmutatiuam, resarciuit enim Christus Dei iniuriam secũdùm mensurã arithmeticam, quod proprium est iustitiæ commutatiuæ. Vnde ad primam probationem dico primò, quòd licèt in restitutione, ex iustitia, quæ reperitur in contractibus, qui sunt per modum dati & accepti, requiratur, quòd non solùm restituatur res, sed etiam dominium rei; tamen in restitutione famæ vel honoris ex eadem iustitia non requiritur translatio dominij, sed sufficit quòd tantum honoris vel famæ restituatur, quantum fuit ablatum: vnde Christus hoc superabundanter fecit respectu Dei, neque enim est necessarium, quòd vtilitas restitutionis sit in aliquo intrinseco creditoris, si id, quod ablatum fuit, extrinsecum illi fuit, sicut respectu Dei sunt cultus, obedientia, &c. illi debita.

17. Deinde dico secundò, quòd si per dominium intelligatur dominium morale (vt debet intelligi) ratione cuius Christo imputabantur sua merita, sicut cuilibet alteri iusto imputantur merita propria, ex eo quod ex concursu libero voluntatis procedunt, taliter quòd possint concursu contrario destrui, non esse necessarium, quòd Christus transferat in Deum tale dominium, cùm sit cum ipso commune, & vterque habeat ius in tales actiones meritorias, quia quando in humanis in duobus est æquale ius ad aliquam rem, non debet dominium vnius transferri in alterum, sed satis est, quòd cuilibet tribuatur, quod suum est, & ita licèt Deus liberè concurrat ad Christi opera, taliter quòd posset non concurrere; tamen quia Christus eodem modo concurrit, est etiam in Christo dominium, & ius morale suorum operum ex lege Naturæ, quod in Deum non debet omnino trãsferri, vt diximus parte 1. conditione 1.

Ad secundam probationem cõcedo, quod satisfactio ex speciali iustitia supponit læsionem eiusdem iustitiæ, hoc est, læsionem æqualitatis ex lege, quæ per se respicitur à speciali iustitia; nego tamen quòd nostra peccata, quæcumque sint, non læserint diuinam iustitiam, vt colligitur ex probatione prima & secunda nostræ sententiæ; ex prima, quia Deus habet ius iustitiæ circa propria bona, etiam extrinseca, quæ, si lędantur, debent reduci ad æqualitatem; ex secunda, quia Deus habet ius seruitutis erga nos, & sic si non obediatur, vt tali, debet redintegrari ex speciali iustitia. Quod autem hæc circumstantia à viris timoratis in confessione non exprimatur, ideò est, quia est communis & annexa omnibus peccatis. Insuper quia quando expressè non intenditur talem inferre inæqualitatem, solùm est iniustitia materialis: vnde quando per se talis inæqualitas intenditur, debet expressè confiteri, quia mutat speciem, & est iniustitia formalis. 18.

Ad tertiam probationem dico, vel non esse necessarium, qui debitum iustitiæ reperiatur in eo, qui exercet actum iustitiæ, sed sufficit quòd ex motiuo formali iustitiæ, quod est constituere æqualitatem ex lege, inter rem, & rem exerceat, vt patet in eo, qui soluit pro alio integrum debitum, ad quod non tenebatur, sicut autem fecit Christus. Dico secundò, quod in Christo fuit tale debitum, ex eo quod voluntariè acceptauit officium redemptionis & fidei-iussoris, & sic nil potuit illi deficere ad exercitium specialis iustitiæ. 19.

20. Ad quartam probationem respõdent aliqui, hominem non satisfacere pro suo peccato ex speciali iustitia, licèt ad hoc, saltem materialiter teneatur, quia non potest Deo reddere æquiualens obsequium debito contracto per peccatum, & ideò satisfacere inadæquatè per pœnitentiam: Christus autem potuit reddere æquiualens, ideò satisfecit ex iustitia. Sed contrà, quia pro peccato veniali probauimus suprà disp. 2. quæst. 3. (etiam illis concedentibus) quòd possit homo condignè, & ad æqualitatem satisfacere; ergo talem iniuriam, & peccatum possunt homines resarcire, non solùm per pœnitentiam, sed etiam per veram & specialem iustitiam. Præterea, vt diximus ibidem quæstione primâ, in probatione nostræ sententiæ contritio hominis iusti habet veram naturam satisfactionis, etiamsi per accidens, quia inuenit culpam mortalem remissam, nõ possit esse satisfactio in actu secundo; ergo posset homo iustus elicere talem contritionem ex intentione reddendi Deo æquale iuxta legem pro culpa, ex conditione, si illa non esset remissa: in quo casu exercebit actum iustitiæ, cùm virtutes potiùs in affectu, quàm in effectu consistant, sicut exercet actũ eleẽmosynæ, qui habet intentionem dandi pauperi, si ibi suppeterent pecuniæ, quando enim conditio est accidentalis, in omnium sententia non tollit alicuius virtutis exercitium, quod etiam fatetur Vasquez disp. 2. cap. 4. nam tali intentioni & affectui non repugnat ex propria natura, sed solùm ex accidenti esse principium operis virtuosi, vt docet ipse: sic autem cõtingit in pręsenti, quia si de potentia Dei gratia & peccatum simul essent, contritio elicita ex gratia posset esse satisfactio in actu secundo pro peccato, vt cum Scoto ibidem diximus; quare non est contra eius naturam, & sic accidentaliter illi contingit oppositum, sicut accidentaliter contingit illi, quòd non procedat à gratia.

21. Quare respondendum nobis est ad prædictam probationem, quod homines, si in pecccato mortali sunt, solùm possunt satisfacere de congruo per virtutem pœnitentiæ; si tamen sunt in gratia per virtutem iustitiæ, & per virtutem pœnitentiæ satisfaciunt de condigno, sed propter diuersa motiua, quia per pœnitentiam satisfaciũt ex motiuo vindicandi peccatum; per iustitiam specialem ex motiuo reddendi Deo æquale pro peccato, iuxta id quod præscribitur à lege: in Christo autem Domino hoc est multò magis verum; an autem in ipso possit virtus pœnitentiæ reperiri, dicemus infrà.

Ex his facilis est solutio ad id, quod in præsenti inquiritur, an talis actus iustitiæ specialis procedat ab habitu pœnitentiæ, vel ab habitu religionis, vel ab habitu iustitiæ. Primum dixit Marsilius in 2. q. 10. qui duplicem in tali habitu agnouit actum; alium, qui sit retractatio prioris vitæ in recompensationem iniuriæ factæ per peccatum, sed non ad æqualitatem, quem actum dicit esse formaliter pœnitẽtiæ, & reperiri in nobis, non in Christo; alium, qui sit recompensatio ad æqualitatem facta pro iniuria Dei, sed non cum retractatione prioris vitæ, & hunc actum dicit esse pœnitentiæ tantùm materialiter, & reperiri in Christo. Secundum, quòd scilicet procedat ab habitu religionis, qui reddit Deo honorem debitum, & quando lęditur, restituit, asserunt alij apud Suarem disp. 4. sect. 5. addentes talem habitum non esse distinctũ ab habitu, seu virtute pœnitẽtiæ, & sic coincidunt cum Marsilio, quorum totum fundamentum est, ne detur in Christo aliquis habitus, seu aliqua virtus, quæ non possit in nobis ergo Deum reperiri; talem autem existimant specialem iustitiæ virtutem 22.

Dicẽdum igitur nobis est, prędictum actum iustitiæ specialis procedere ab habitu & virtute speciali iustitiæ propriæ, & specificæ commutatiuæ, quæ altioris debet esse ordinis, saltem materialiter ab habitu speciali iustitiæ commutatiuæ, quæ inter homines reperitur, quia hæc respicit diuinum ius, illa humanum, sicut etiam sunt altioris ordinis fidelitas, & gratitudo nostri erga Deum, quàm erga homines. Ratio autem huius nostræ sententiæ ea est, quia, vt diximus, iste actus respicit per se motiuum formale, quod per se non respicitur ab actu pœnitentiæ, vel religionis, quia actus iustitiæ respicit constituere æqualitatem requisitam ex lege; actus verò pœnitentiæ respicit vindicare peccatum, & actus religionis respicit reddere Deo hono- 22.

honorem debitum, vt primò omnium rerum principio; ergo sicut isti duo vltimi actus procedunt à se à diuersis habitibus, quia diuersa obiecta formalia diuersos in specie constituunt habitus virtuosos, sicut & scientificos, vt omnes vnanimi consensu fatentur, ita actus iustitiæ per se procedit ab habitu speciali, ex eo quòd habeat motiuum per se honestum in specie distinctum.

24. Et confirmatur, quia ille qui satisfacit, duo respicit, scilicet ius rei, & ius personæ, iuxta ea quæ diximus quæst. 1. huius Disputationis. Primum attenditur ex natura ipsarum rerum, vel partim ex acceptatione, & partim ex natura iuxta dicta, & hoc ab omnibus virtutibus potest respici, v. g. obedientia potest ex proprio motiuo resarcire inobedientiam iuxta quantitatem ipsius, & consequenter vt sic poterit pœnitentia, & religio ex propriis suis motiuis resarcire ad æqualitatem iniurias Deo factas. Secundum attenditur ex lege, vel naturæ, vel diuina, vel humana, & hoc ius legale ratione cuius persona habet ius, vt sibi ad æqualitatem arithmeticam restituatur, non potest per se respici ab alia virtute, quam à virtute iustitiæ speciali, quia nulla alia per se respicit æqualitatem ex lege; ergo ab hac, & non ab habitu pœnitentiæ vel religionis processit in Christo talis actus, seu exercitium ex tali motiuo restituendi ius diuinum ad æqualitatem, & soluendi illi pro nobis debitum nostrorum peccatorum.

25. Et per hoc patet ad fundamentum Aduersariorum: Primò, quia non repugnat etiam in nobis dari specialem virtutem iustitiæ, omnes enim rationes suprà positæ, etiam hoc probãt, in peccati enim venialis satisfactione potest à nobis exerceri, imò & pro peccato mortali per affectum, licet non per effectum, quod sufficit, vt suprà diximus, & sic non repugnat talem assignare virtutem in Christo. Secùdò, quia etiamsi in nobis non posset dari, posset nihilominùs reperiri in Christo, imò & de facto reperitur, non solùm quantum ad affectum, sed etiam quantum ad effectum, quia sicut fides, & aliæ virtutes non reperiuntur in Christo, quæ reperiuntur in nobis, ita aliæ possent in illo reperiri, quæ in nobis reperiri non possent.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Christi satisfactio fuerit de toto rigore iustitiæ?

VAsquez disp. 7. à cap. 2. & Lorca disp. 8. n. 7. sicut in antecedenti quæstione negauerunt in Christo reperiri propriam & specialem iustitiam, ita nunc consequenter negant Christum satisfecisse de toto rigore huius iustitiæ; quia si non satisfecit ex speciali iustitia, multò minùs satisfecit ex toto rigore talis iustitiæ; tamen cùm admittant in Christo (sicut & in quolibet iusto) iustitiam etiam propriam, sed latam, quæ reperitur in omnibus virtutibus, omnes enim ex eorum motiuis possunt reddere æquale pro debito iuxta dicta, ita etiam admittunt Christum satisfecisse ex toto rigore huius iustitiæ latæ, quia reddidit æquiualens, imò & superabundanter etiam infinitè pro debito; quare duo sunt in præsenti examinanda: Primum, an Christus satisfecerit ex toto rigore iustitiæ sumptæ in primo sensu, scilicet pro iustitia speciali. Secundum, an ex rigore iustitiæ sumptæ in secundo, scilicet pro iustitia lata, quæ in omnibus reperitur virtutibus. 1.

Et quidem in primo sensu absolutè dicendum à nobis est Christum satisfecisse ex rigore iustitiæ specialis. Hæc conclusio communis est apud Auctores infrà citandos, sicut est consequens ad nostram sententiam, quã in antecedenti quæstione diximus, in satisfactione Christi repertum fuisse actum specialis iustitiæ, & præter ea quæ ibi ex SS. & Patribus adduximus, & ponderauimus, modò sunt adducenda aliqua Patrum verba, quæ hunc iustitiæ rigorem exprimunt. Et primò ex Græcis Proclus Cicicus tom. 6. Ephesini cap. 7. sic ait: *Pro nostris peccatis eiusmodi pretium fuit impensum, quod exactum debitum ad iustitiæ amussim exæquaret;* perpendite vltima hæc verba. Et S. Basilius Seleuciensis hom. 1. de Incarnatione col. 4. ait: *Per mirabiles naturæ nostræ primitias, scilicet per Christum Dominũ omnem iustitiæ rationem fuisse expletã;* nota ly omnem. 2.

Et ex Latinis S. Saluianus Marsiliens. lib.4.de Prouidentia & iudicio Dei ait: *In illo* (scilicet in Christo) *iniustitiæ speciem ipsa magnitudo iustitiæ habere videtur, magnitudo iustitiæ*, id est, grandis adæquatio iuris attentâ lege. Et ratio huius conclusionis manifesta est, quia rigor iustitiæ specialis nullus alius potest esse, nisi quòd Christus reddiderit æquiualens ex motiuo prædictæ iustitiæ (hoc est,quòd in Christi satisfactione reperta sint omnia predicata speciei iustitiæ) sed quòd reddiderit æquiualens, imò & superabundanter probauimus in hac Disputatione, quæst. 1. & quòd fuerit ex motiuo iustitiæ specialis,probauimus quæst. antecedenti; ergo Christus satisfecit de toto rigore iustitiæ specialis.

3. Sed dices: Rigor huius iustitiæ respicit solutionem æquiualentem ex se, & non ex gratia creditoris; Christus autem satisfecit per ea,quæ innitebantur gratiæ Dei,saltem in radice,scilicet in vnione hypostatica, cui omnes gratiæ erant debitæ debito connaturalitatis. Sed contrà,quia vel gratia interuenit, & intercedit in ipsamet satisfactione actuali, & hoc est falsum, quia aliàs non solùm de rigore iustitiæ,sed neque de iustitia satisfaccret,nam non satisfaceret de condigno, sed de congruo, illa enim satisfactio est de congruo, & non de condigno, in qua reperitur creditoris gratia actualis, vt gratia, sicut diximus ex communi omnium sententia disp.2. quæst.1.

4. Et confirmatur, quia nullus potest exercere actum specialis iustitiæ, nisi possit habere pro obiecto motiuum talis iustitiæ; sed qui non potest habere æquiualens secundùm legem, ex quo possit soluere, non potest habere obiectum motiuum illius,vt diximus in antecedenti quæstione; ergo cùm Christus non possit habere æquiualens secundùm legem, quia hoc ex natura legis requirit, quòd tantum transferatur ex propriis, quantum fuit ablatum ex alienis, vt diximus ibi conditione 1. sequeretur ipsum non satisfecisse ex speciali iustitia, quod non admittunt Aduersarij. Vel gratia non interuenit in ipsamet satisfactione, sed est antecedens, & in radice, vt asserere videntur Aduersarij, sed hoc non tollit, quominus Christus potuerit exercere actum specialis iustitiæ, vt Aduersarij concedunt, & nos tradidimus suprà parte 2. conditione 3. ergo neque auferet,quominùs posset exercere rigorem huius iustitiæ.

Et ratio à priori huius est,quia iusti- 5.
tia specialis & rigor iustitiæ sunt idem formaliter, & adhuc per intellectum non distinguuntur: vnde in quæstione 2. doctrinali satisfactionis non admisimus triplicem satisfactionem, sed duplicem.Et probauimus solùm dari congruam & condignam, quia omnes conditiones requisitæ ad rigorosam requirebantur ad condignam: hæc autem fit per specialem iustitiam; ergo. Quare non loquuntur consequenter, qui ex vna parte admittunt Christum satisfecisse speciali iustitia, & ex alia negant satisfecisse ex toto rigore iustitiæ, & per hoc patet ad obiectionem.

In secundo autem sensu quæstionis, 6.
in quo inquiritur,an Christus satisfecerit ex toto rigore iustitiæ latæ, etiam dicendum nobis est Christum satisfecisse ex toto rigore illius.Hanc conclusionem censeo esse Scoti, sicut censeo esse illius, quòd Christus satisfecerit de condigno, & ad æqualitatem ex vera iustitia; illam expresse tenent Capreol. in 4.d.25.q.vnica,art.3. Ferrara 4. contra Gentes cap.54.dub.vlt.Sotus lib.3. de Natura & gratia cap.6. post primam conclusionem, Vega 7. in Trident. c.8. & 9. Peltanus de Christi satisfactione cap.7. Henriquez lib.5.Summæ, c. 18. n.2.litt. L & M, quamuis excedat in eo quòd oppositam sententiam notet temeritatis & impietatis censura, & apud ipsum in Glossa, Penna, & Soto Maior, dum aiunt esse periculosam, impiam blasphemiam,& sacrilegam.Insuper tenet Suarez disp.4.sect.5.& 6. & opusc. de iustitia Dei sect.2.num.33.Valencia disp. 1. q. 1. puncto 5. quæstiunculâ 5. Albertin. tom.1. proprio primo philosophico,q.18 theologicâ, dub.3. diff.3. Medina q.1.art.2.dub.3. conclus.1. Pesantius ibidem disp. 6. Cabrora disp. 7. §. 3. Raguza disp. 20. §. 2. Theodorus Smysinch tit.3.d.6.q.9.n.635.Vasquez, & Lorca, locis suprà citatis, qui duo Auctores expressiùs loquuntur, & tenent sub prędictis verbis nostram conclusionem;reliqui verò tenent,quia expresse

presè dicunt Christum satisfecisse ex toto rigore iustitiæ, quod ad minus debet verificari in hoc secundo sensu.

7. Hæc conclusio primò probatur ex Patribus adductis in prima cõclusione, quia ad minus probant hanc secundam, vt Vasquez & Lorca fatentur. Secundò probatur ratione à priori, quia rigor iustitiæ latæ solùm requirit, quòd creditori reddatur à debitore æquiualens debito, non attendens ad legem, & à quacumque virtute id fiat; sed Christus reddidit æquiualens, imò & superabundanter; ergo etiamsi non attendisset ad quantitatem prout constitutam à lege, satisfecit ex rigore iustitiæ latæ. Minor iam est probata. Maior & conceditur ab omnibus, & insuper ex eo patet, quia omnes conditiones requisitæ ad talem rigorem, eò tendunt, vt constituant omnimodam æquiualentiam, vt latè probauimus, discurrendo per singulas in duabus integris partibus quæstionis primæ; ergo, &c.

8. Neque obstat, si dicas, requiri ad talem rigorem, quòd non innitatur gratiæ antecedenti, licèt in actuali satisfactione nulla reperiatur gratia, sed adæquata & integra solutio. Quia contrà est, nam sequeretur quęstionem esse de solo nomine. Sequela probatur à simili, quia si quis deberet duo debita vt quatuor, & solueret vnum dando quatuor, quòd hæc solutio denominaretur aliàs debita ex alio debito, non tolleret quominùs pro vno esset satisfactio ex rigore iustitiæ, quia talis denominatio nihil ponit in re; ergo similiter, quòd id, quo quis satisfacit, denominetur aliàs gratiosum, non tolleret rigorem iustitiæ in satisfactione, in qua nos meliùs vocamus rigorem iustitiæ, vbi talis adæquata solutio reperitur, vt monuimus in fine partis 2. Et confirmatur, quia aliàs innumeræ erunt satisfactiones ex his, quæ in contractibus, in emptione & venditione quotidie reperiuntur, quæ non sint de toto rigore iustitiæ, quia sæpissimè pecunia illa, vel saltem pars aliqua illius pecuniæ fuit aliquando illius, qui modò recipit solutionem, & ab eo gratiosè translata est in dominium alterius, vel dando ei eleëmosynam, vel liberam donationem exhibendo, vel liberè transferendo, quia liberè emendo ab eo aliquid, aut chartis ludendo, &c. & tandem per deuolutionem pecuniæ huius domini in illum, & illius in alium ferè nullus inuenietur rigor iustitiæ, quia denominationem hanc quasi nulla pecunia poterit effugere.

Tertiò probatur, quia gratia formalis, & iustitia formalis sunt opposita; ergo sicut in gratia non est distinctio inter gratiam & rigorem gratiæ, ita in iustitia non erit distinctio inter iustitiam & rigorem iustitiæ; ergo in satisfactione, in qua reperitur formalis iustitia, reperitur rigor talis iustitiæ; sed hæc reperta fuit in Christi satisfactione; ergo. Et confirmatur, quia iustitia formalis cum omni sua intentione (si eam haberet, & esset rigor illius) solùm est opposita cum gratia formali, non cum radicali, sicut albedo formalis, etiam cum omni sua intentione non opponitur in pariete cum nigredine radicali, sed cum nigredine formali; ergo in satisfactione, in qua reperitur iustitia formalis, etiamsi reperiatur gratia radicalis, nihil obstabit quominùs reperiatur cum omni sua intentione & rigore. 9

Sed non defuit qui responderet ad argumentum, quod etiam in gratia inuenitur hæc distinctio, nam potest appellari rigor gratiæ, quando datur aliquod à Deo absque aliquo merito præuio, v.g. primum auxilium ad habendam contritionem, & potest appellari gratia sine rigore ipse habitus collatus homini post contritionem; sed qui sic respondet non videtur rectè perpendisse, & benè calluisse argumentum nostrum, quia gratia habitualis collata post contritionem, ideò dicitur formaliter gratia, quia non est promerita de cõdigno, neque debita ex iustitia per talem contritionem, & ideò formaliter habet rationem rei indebitæ, quòd si promerita sit de congruo, vt sic neque rationem formalem gratiæ habet, sed potiùs habet rationem rei debitæ (scilicet de congruo) in sua linea, & consequenter vt sic non potest comparari cum primo auxilio, quia fieret comparatio rei debitæ cum re indebita, & modò loquimur de re formaliter indebita, quæ est definitio gratiæ, vt gratiæ, quæ cùm indiuisibilis ratio sit, non admittit diuisionem in gratiam, & rigorem gratiæ.

Et confirmatur, quia aliàs sola vnio 10.
hypostatica esset rigorosè gratia, quia

reliqua dona, tam Christo, quàm hominibus & Angelis collata fuerunt aliquo modo debita, & sic neque primum auxilium esset rigorosè gratia. Ad confirmationem respondet, quòd rigor iustitiæ non cōparatur cum iustitia formali, tamquam intentio eius, sed tamquam pars integralis illius, & sic ait quòd gratia & rigor iustitiæ nō debent comparari, tamquam albedo formalis, & nigredo radicalis, quia, inquit, quod iustitia & rigor iustitiæ se habent, sicut homo truncus, & absque pedibus qui formaliter est homo, & non truncus qui integraliter & rigorosè est homo; sed solutio hæc trunca est, quia quis vmquam constituit partes integrales in iustitia? (imò potiùs in iudicibus reprehenduntur manus) Præterea omnis hęc pars integrans reducitur ad quamdam denominationem extrinsecam rei materialis indebitæ in radice, vt destruatur quædam perfectio possibilis adscribi satisfactioni Christi. Denique ad minus habeo, quòd satisfactio Christi fuerit de toto rigore iustitiæ formali, quidquid sit de integrali, de qua ego numquam fatebor, quòd fuerit sicut homo truncus, & contra totum hoc instauro argumentum suprà factum de pecunia debita pro duobus debitis vt quatuor, quòd si soluatur pro vno vt quatuor, non erit integraliter iustitia, ex eo quòd ipsa possit denominari, scilicet debita pro alio debito vt quatuor, sed quis non videt absurdum?

11. Quartò probatur & declaratur conclusio, quia rigor respectu iustitiæ non se habet sicut intentio respectu iustitiæ, sed sicut perfectio specifica iustitiæ; per rigorem enim significamus seruari omnes apices iuris, qui necessariò requiruntur ad eius naturam, vnde formaliter consistit in eo, quòd sit adæquatio iuris; ergo vbicumque inuenta fuerit perfectio specifica iustitiæ, reperietur rigor iustitiæ; sed hæc fuit in Christi satisfactione inuenta, quomodocumque sumatur, quia si loquamur de specifica ratione iustitiæ specialis, iam probauimus quęstione antecedenti. Si autem loquamur de specifica ratione iustitiæ latæ patet, quia ex motiuo amicitiæ, charitas Christi potuit Deo reddere æquiualens pro debito contracto per peccata: vnde Apocal. 9. dicitur: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et Christi obedientia potuit ex proprio motiuo detestari ad æqualitatem omnes nostras inobedientias, iuxta illud Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et sic de reliquis virtutibus; ergo perfectio specifica, tam iustitiæ specialis, quàm iustitiæ latæ, quæ transcendit per omnes virtutes, cùm possit ex propriis earum motiuis reddere æquale, reperta fuit in satisfactione Christi, & consequenter rigor cuiuscumque iustitiæ. Et confirmatur ex solutione argumentorum.

Sed pro contraria sententia referuntur Durandus in 4. d. 9. q. 1. n. 7. Medina tit. 3. de satisfactione, q. 3. §. *si autem.* Rada controuersiâ 13. art. 3. conclusione 3. Faber disp. 46. & disp. 18. q. vnicâ, cap. 2. & 3. sed pro hac sententia solùm Durandus fortassis potest referri, quia non videtur admisisse æquiualentiam in meritis Christi respectu debiti; tamen reliqui Auctores potiùs sunt pro nostra sententia, quia admittunt æquiualentiam, & solùm negant rigorosam iustitiam in sensu, quo aliqui Thomistæ illam admittunt, scilicet quia nulla intercesserit gratia, etiam in radice in meritis Christi, ex eo quòd omnia auxilia, & gratia habitualis, & reliqua dona supernaturalia, & acceptatio Dei debita sint Christo, vel ratione vnionis hypostaticæ, vel ratione Verbi: id autem, quod est debitum, non est gratia: vnde admittunt rigorem iustitiæ excludendo etiam gratiam antecedentem, quod est falsum, vt ipsi latè probant, quia Christus satisfecit per humanitatem, in qua prædicta omnia habuerunt rationem gratiæ, & licèt fuissent debita ratione vnionis hypostaticæ, vel ratione Verbi, tamen quòd habuerit talem vnionem, vel quòd assumpta fuerit ad esse personæ à persona Verbi fuit illi gratis, & omnino voluntariè concessum à Deo, & consequenter cùm reliqua inniterentur tali gratiæ, fuerunt gratia saltem in radice, & confirmari potest, quia Christus potuit de potentia Dei peccare, vt dicemus disp. 18. ergo prædicta dona non erant ex natura rei debita Christo, vt homini, etiam in concreto sumpto. ita expresè Faber vbi suprà cap. 3. sed vt videri potest in eodem 12.

dem cap. n. 23. etiam expresse admittit, & probat Christum satisfecisse de toto rigore iustitiæ, quia dedit æqualitatem pretij rigorosam post acceptam gratiam, & hoc idem asserit de Filio respectu Patris, & de seruo respectu Domini, vt latè traditum est à nobis in parte 2. suprà citatâ.

13. Cuiuscumque autem sit hęc sententia probatur Primò, quia ad rigorem iustitiæ est necessarium, vt opera bona, quibus fit satisfactio, non sint sub dominio creditoris, sed operationes Christi fuerunt sub dominio Dei, quia erant creatæ; ergo non fuerunt satisfactoriæ de rigore iustitiæ. Sed contrà, quia licèt in satisfactione pecuniæ, vbi non solùm debebatur pecunia, sed etiam dominium illius requiratur, quòd pecunia per quam fit satis non sit sub dominio creditoris, tamen in satisfactione honoris, vel famæ, vbi non debetur, nisi solus honor, vel fama non requiritur, quòd dominium actionis, quâ redditur fama, non sit sub dominio creditoris. Et confirmatur, quia fama vel honor fuerunt à Deo ablata per actiones, quarum dominium erat vtrique, scilicet Deo & homini commune; ergo sufficit, quòd reddantur per actiones, quarum dominium, etiamsi vtrique commune; quòd autem actiones liberæ hominis sint ipsi & Deo in dominio communes, diximus parte primâ primæ quæstionis conditione primâ, & explicuimus hoc dominium esse morale, & consistere in eo quòd ipsis iure naturæ imputentur tales actiones, vt propriæ, & non aliis, sicut res familiaris dicitur esse sub dominio morali alicuius, quia ipsi imputatur vt propria aliquo iure, & non alteri, & aliquæ harum rerum solent esse sub dominio duorum.

14. Secundò probatur hęc sententia, quia opera, quibus Christus satisfecit, erant Deo debita pluribus aliis titulis, scilicet titulo obedientiæ, titulo gratitudinis, &c. imò supposito, quod liberè acceptauit officium redemptoris, & fideiussoris nostri titulo iustitiæ; sed satisfactio ex toto rigore iustitiæ debet esse ex aliàs indebitis; ergo non satisfecit Christus ex tali rigore. Et confirmatur, quia merita Christi non habuerunt valorem simpliciter infinitum; ergo non potuerunt satisfacere omnibus his titulis de toto rigore iustitiæ. Sed contra vtrumque sic argumentor, quia quando plures tituli non inducunt nouum debitum, sed solùm nouam obligationem eiusdem debiti, quia omnes cadūt super eamdem naturam, vt quādo quis pluribus titulis tenetur ieiunare die Veneris, vel adire Romam, tunc vnico tantùm opere, etiam finiti valoris satisfacit de toto rigore iustitiæ; ergo cùm omnes prædicti tituli caderent super eamdem materiam, scilicet super eadem Christi opera potuit illis satisfacere de toto rigore iustitiæ. Antecedens probauimus parte primâ, conditione secundâ. Consequens non indiget probatione, quia sicut in nobis prædicti tituli solùm possunt cadere super nostra opera, ita in Christo.

15. Tertiò probatur, quia rigor iustitiæ exigit, vt ex natura rei, & secluso pacto, creditor obligetur ad acceptandum satisfactionem, sed Christi opera non obligabant sic Deum, quia ad hoc indigebant eius acceptatione dante ius; ergo Christus non satisfecit de rigore iustitiæ. Sed contrà primò in humanis contractibus est dependentia à pacto & conuentione, & creditor obligatur etiam ratione pacti, & tamen in ipsis interuenit rigorosa iustitia; ergo. Secūdò, quia non est necessarium, quòd creditor obligetur acceptare positiuè, loquendo de acceptatione subsequenti, sed sufficit, quòd non possit respuere satisfactionem propter defectum ęqualitatis, quod est acceptare negatiuè, vt diximus parte secundâ, cōditione quarta; ergo cùm Christus reddidit ęquiualens, quantum est ex natura satisfactionis, de rigore iustitiæ satisfecit. Contrà tertiò, quia in antecedenti quæstione, probatione tertiâ, probauimus Deum teneri ex iustitia propria & speciali reddere præmium Christo; ergo ex eadem tenetur soluere debitum propter satisfactionem Christi; sed nulla creata natura inducit in Deum obligationem iustitiæ, sed solùm hæc inducitur ex propria ipsius acceptatione, supposito opere meritorio; ergo hæc non tollit rigorem iustitiæ.

16. Quartò probatur, vbi interuenit & intercedit gratia, tollitur omnino rigor iustitiæ; sed Christus satisfecit ex gratuitò acceptis à creditore, scilicet à Deo,

Deo, quia satisfecit per auxilia, & per habitus supernaturales, quæ gratis & liberaliter concessa sunt, saltem humanitati; ergo non satisfecit de rigore iustitiæ. Sed contra hoc sunt argumenta, quæ fecimus post conclusionem primam, & post secundam probationem secundæ conclusionis, & in parte secunda, conditione tertiâ. Præterea argumentor primò ad hominem contra eos, qui hac solâ ratione negant rigorosam iustitiam, quia ipsi diuidentes satisfactionem in congruam, condignam & rigorosam, seu ex toto rigore iustitiæ; primam dicunt fieri per redditionem voluntariam; secundam per redditionem voluntariam æquiualentis; & tertiam per redditionem voluntariam æquiualentis aliàs indebiti, hoc est, quòd id, quod redditur, & est proprium debitoris, non sit alio titulo debitum creditori, sed quòd in satisfactione Christi reperiatur aliqua gratia, non pertinet ad hanc particulam, *rigorosa satisfactionis*; vel si pertinet, est etiam ab Aduersariis nobiscum impugnata in impugnationibus contra rationem secundam suprapositam; ergo. Contrà secundò, quia sicut gratia creditoris includit omne beneficium illius in ordine ad talem solutionem; ergo sub gratia Dei vt creditoris non solùm debent intelligi auxilia & habitus supernaturales, sed etiam liberum arbitrium, & omnia alia accidentia naturalia ad talem satisfactionem concurrentia, quia hæc omnia sunt beneficia gratis concessa homini satisfacienti, posset enim esse priuatus iudicio rationis, & consequenter libertate; sed hoc ipsi non admittent, quia insuper aliàs sequeretur, quòd cùm satisfactio, in qua actualiter interuenit gratia, in hoc sensu, creditoris, sit solùm de congruo, ita satisfactio Christi solùm esset de congruo, cùm omnia, quæ in illa actualiter interueniant, sint beneficium Dei, & dependeant ab eius libera donatione, quod est absurdum: vnde sicut naturalia beneficia, licèt sint à Deo gratis concessa, tamen posteà iure naturæ nostra sunt, & sub dominio nostro, vt diximus parte primâ quęstionis primæ, conditione primâ; ita beneficia supernaturalia licèt sint à Deo gratis, & indebitè data, tamen posteà iure acquisitionis nostra sunt, & sub dominio nostro; quare vt propria nobis, & non aliis imputantur, etiam à Deo, & illis possumus vti, & voluntariè priuari, & sic meritò reprehendimur, quòd perdiderimus gratiam habitualem, quòd non fuerimus benè vsi auxiliis supernaturalibus nobis à Deo collatis, &c. & consequenter pro illa possumus de toto rigore iustitiæ satisfacere, sicut in humanis potest debitor reddendo ex propriis bonis ęquiualentia. Et per hęc omnia patet ad argumenta, quæ facta sunt, & fieri possunt in contrarium, quia prædictæ impugnationes sunt eorum solutiones.

Ex dictis in hac questione manet soluta difficultas, quam Recentiores disputant in præsenti, vtrùm scilicet satisfactioni Christi (id est, vt facta à membro Christi illius meritorum influentiam participante) sit de toto rigore iustitiæ. Et respondeo, quod in his, in quibus homo potest satisfacere de condigno, qualiter potest pro peccato veniali, & pro mortali; sed in actu primo, iuxta dicta, disputatione secunda, potest similiter de toto rigore iustitiæ, & in nostro philosophandi modo ex doctrina Scoti, & aliorum deducto idem posset, si de potentia Dei non foret membrum Christi, & gratiam ab ipso non participaret, quandoquidem omnis conditio ad rigorosam iustitiam requisita, vel ad condignitatem ipsius satisfactionis spectat, vel omnino frustranea, inanis, & superuacanea censetur, & quæ quęstionem istam, perfectionem, similiter & dignitatem meriti reducat ad solù nomen, quod est indignum nostro Theologo. 17.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

DE

MOTIVO, ET FINE:

CVIUS GRATIA, INCARNATIO

PRÆDESTINATA EST.

VIdimus in præcedentibus Disputationibus Verbum incarnari fuisse necessarium ex suppositione, quòd Deus voluerit hominem reparare, imò fuisse simpliciter necessarium ex aliqua suppositione taliter reparandi hominem, quia tamen in Incarnatione sunt duo consideranda, scilicet & substantia Incarnationis, quæ in eo sita est, quòd personalitas Verbi diuini vniretur naturæ humanæ Christi; & circumstantia, seu modus Incarnationis sistens in eo, quòd hæc natura humana veniret in mundum passibilis, vel impassibilis. Hinc ortæ sunt difficultates, an talis necessitas ex suppositione incarnandi Verbum sit quantum ad substantiam, & quantum ad modum; an solùm quantum ad modum, non quantum ad substantiam. Et sic inquiritur, an veniret Christus, si Adam non peccaret, & consequenter ipse non indigeret reparatione, & quomodo veniret, an in carne passibili, vel impassibili. Et præterea dato, quòd non peccaret, & eius posteri peccarent, an veniret propter illos? de quibus omnibus agit Scotus locis infrà citatis, sed ex professo in 3. d.7. q.3.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Incarnatio Verbi Dei, ita sit à Deo prædestinata in redemptionem generis humani à peccato originali, vt si Adam non peccaret, Christus ex vi præsenti decreti & prædestinationis non veniret?

1. ITA res fiunt in tempore, sicut ab æterno sunt efficaciter decretæ, & determinatæ à Deo: vnde meritò inquirimus in hac quæstione, an Deus ita decreuerit Verbum incarnari propter redemptionem generis humani cum Adamo primo parente peccantis, vt si ipse non peccaret, & consequenter nos cum ipso, seu in ipso peccaremus, Verbum non assumeret carnem; an verò taliter decreuerit eius Incarnationem independenter à tali peccato, quòd etiamsi non peccaret, adhuc veniret? Ex cuius examinatione lucratur cognitio, & notitia finis motiui, quem habuit Deus ad determinandum hoc maximum mysterium Incarnationis, quod intellige non de fine motiuo respectu Dei, quia iste solùm est bonitas ipsius, sed de fine motiuo respectu medij, quod eligitur à Deo ad consecutionem talis finis, sicut in simili obseruant ferè omnes Scholastici in materia de prouidentia & prædestinatione, circa prædestinationem gloriæ Beatorum.

Præterea præsens Quæstio procedit de fine motiuo huius præsentis decreti, quod habuit Deus circa Incarnationem, quia de fine motiuo alterius decreti, quod potuit Deus habere circa illam, nihil vtile possumus astruere, quia pendet ex libera Dei voluntate possibili, cuius nullam habemus reuelationem, vt benè docuit S Thomas sect.4. super primum caput epistolæ 1. ad Timoth. quare præsentem Quæstionem resoluere debemus ex his quæ à Deo reue- 2.

reuelata sunt, prout ab Ecclesiæ Patribus sunt intellecta, vt benè obseruant Recentiores.

3. Tres sunt sentẽtiæ in hac quęstione: Prima docet, quòd Verbũ caro factum est occasione peccati. Vnde duo ait: Primum, quod ex vi præsentis decreti carnem sumpsit propter redemptionem talis peccati, tamquam propter finem motiuum: Secundum, quòd si Adamus non peccaret, Christus non veniret in carne, quia hoc secundum sequitur ex primo. ita D. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. sequuntur Capreol. & Deza in 3. d. 1. q. vnicâ, art. 1. concl. 1. Caiet. & Medina in 3. art. citatum. Ferrara 4. contra Gentes cap. 55. Abul. in caput 4. Matth. q. 44. Arboreus lib. 3. Theosophiæ cap. 8. Vincent. in relectione de gratia Christi, q. 6. concl. 4. Azor to. 1. lib. 3. Instit. cap. 33. Maldon. in cap. 9. Matth. Vasquez fusè & præclarè 3. p. disp. 10. cap. 4. & sequentibus. Gaspar Hurtado disp. 1. diff 25. & 26. Kellisonus q. 1. art. 3. dub. 1. inter Auctores autem huius sententiæ est aliqua diuersitas in modo philosophandi, quæ cum suis impugnationibus videri potest apud Petrum Hurtado disp. 13. à sect. 6. In eamdem inclinant ex Antiquis in 3. d. 1. Richard. art. 1. quæst. 2. Marsil. q. 1. Argentin. q. vnicâ, art. 4. Rubion d. 19. q. 2. art. 2.

4. Hæc sententia probatur Primò ex variis locis SS[æ] in quibus dicitur causam aduentus Christi fuisse redemptionem nostram. Vt Matth. 18. *Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat*. Et 1. ad Tim. 1. *Venit Iesus peccatores saluos facere*. Et in Symbolo fidei dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*; & sæpè alibi. Quare plura adducuntur ex Tertulliano lib. de Incarnat. Christi cap. 4. Basil. homil. 15. de humana Christi generatione Hieronymo in cap. 2. Eccles. Cyrillo Hierosolymitano catechesi 6. Chrysost. homil. 2. & 3. in Matth. Damasceno 3. de fide cap. 1. Bernardo sermone quinto aduentus, qui omnes prædictam causam Christi aduentus docent.

5. Secundò probatur ex aliis Patribus ita docentibus, quòd causa aduentus Christi sit remedium peccati, vt excludant omnem aliam causam, Nazianz. enim orat. 4. de Theologia, quæ est 36. num. 6. sic dicit: *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos suscepta causa erit? Profectò, vt nobis salus pararetur, quid enim aliud causa afferri potest?* August. serm. 9. de Verbis Apostoli in principio ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere; tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ*. Cyrillus lib. 8. thesauri cap. 3. dicit: *Non aliâ causâ Verbum Dei homo factum est, nisi vt nos liberaret*.

Tertiò probatur ex aliis Patribus asserentibus, quòd si Adamus non peccaret, Christus non veniret. Ita Leo Primus serm. 3. Pentecost. vbi habet hæc verba: *Si homo in natura suæ perfectione, & honore, quo creatus est, permansisset, Creator omnium creatura non fieret, nec æternus temporalitatem subiret, neque formam serui in similitudinem carnis peccati assumeret*. Athanasius serm. 3 contra Arrian. dicit: *Sublata nostra indigentia carnem non induisset Dei Verbum*. Gregorius in 4. Reg. cap. 1. ad illa iuxta omnia opera sua sic habet: *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere non oporteret*. Et illius sunt illa verba, quæ in benedictione Cerei paschalis canit Ecclesia: *O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*. Et in quodam hymno antiquitùs Virgini cantabat Ecclesia: *Peccatores nos abhorres, sine quibus non fores, digna tanto Filio*. Legantur plures aliæ auctoritates hoc ipsum asserentes apud Recentiores, præcipuè Vasquez & Azorium vbi suprà. 6.

Quartò probatur ratione, quia ex his, quæ à diuina pendent voluntate, nihil est nobis asserendum, nisi sit reuelatum in S. Scriptura, vel ex ipsa inferatur; sed mysterium Incarnationis à sola Dei voluntate dependet, & causam futuritionis, & existentiâ ipsius docent S. Scriptura & Patres fuisse remedium peccati, & nihil aliud; ergo dicendum est, quòd ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est Incarnatio, ita fuerit propter remedium peccati primi parentis, quòd ipso deficiente Verbum non incarnaret, & Christus non veniret in mundum. 7.

Quintò probatur à Vasquez disp. 10. c. 9. Si Adamo non peccante, adhuc veniret Christus ex vi præsentis decreti, aut veniret passibilis, aut impassibilis, neu- 8.

neutrum diei potest; ergo non veniret. Minor probatur, primò enim non veniret passibilis, quia si Adamus non peccaret, neque ipse, neque posteri eius essent passibiles; ergo neque Christus veniret passibilis. Secundò, non veniret impassibilis, quia præsens Dei decretum fuit efficax, intulitque proinde aduentum passibilem; ergo neque veniret passibilis, neque impassibilis.

9. Sextò, arguit Azor, quia omnia merita Christi Domini sunt merita Redemptoris, & consequenter supponunt captiuitatem per peccatum cōtractam, à qua redimat; sed in casu, quo primus homo non peccaret, non esset talis captiuitas, sed tota natura tunc integra mansisset in suo statu, in quo à Deo condita est absque Christo; ergo ipse non veniret.

10. Secunda sententia & ex diametro opposita affirmat Verbum non fuisse carnem factum ex primaria Dei intentione occasione peccati. Vnde duo consequenter asserit: Primum, quod Incarnatio Verbi quantum ad substantiam non est intenta à Deo primariâ suâ intentione in remedium & redemptionem peccati originalis, licèt sit benè intenta propter hoc motiuum Incarnatio prout includit modum passibilitatis. Secundum, quòd etiamsi Adamus non peccaret, adhuc ex vi præsentis decreti veniret Christus; an autem veniret passibilis, vel impassibilis fore à Deo determinandum per aliud subsequens decretum. Ita Scotus in 3. d. 7. q. 3. §. *Sed hic sunt duo dub.* Et d. 19. q. vnicâ, §. *in ista quæst.* & in reportat. d. 7. q. 4. §. *tertiò declaramur.* Alensis 3. p. q. 2. memb. 13. Albert. d. 20. art. 4. Mayron d. 19. q. 4. Gabriel d. 32. q. vnicâ, art. 1. notab. 3. Gartaret. & Liquet. d. 7. q. 3. Albert. Pygius lib. 8. de libero arbitrio cap. 3. Catherin. lib. 1. de eximia prædestinatione Christi per totum. Iacobus de Valencia in Psal. 81. & 102. Rada in 3. controu. 5. art. 3. Faber & Pytigian. super dist. 7. quæstione 3. Smisinch tom. 1. de Deo vt vno tit. 3. disp. 6. q. 12. à n. 75.

11. Hæc sententia probatur Primò ex SS.ª in qua aliquando dicuntur omnia, etiā naturalia facta fuisse propter Christum; aliquādo dicitur Christus primus in omnibus operibus Dei. Ex quibus colligitur Christum fuisse primò efficaciter intētum à Deo in omnibus decretis eius. Vnde 1. ad Cor. 3. dicitur: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei.* Et ad Coloss. 1. vocatur, *primogenitus omnis creaturæ;* & ad Rom. 8. dicitur, *primogenitus in multis* (id est in omnibus fratribus) quam primitatem explicās Paul. eodem illo cap. 1 ad Coloss. ait: *Quoniam in ipso* (id est propter ipsum) *condita sunt vniuersa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, vt sit ipse in omnibus primatum tenens.* Ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*, id est, in ipsius honorem. Et ad Hebr. 2. dicitur, *Christum esse eum propter quem omnia, quem constituit hæredem vniuersorum;* quæ loca sic intelligunt Sancti, sicut & illum Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum;* seu vt Septuaginta loquuntur, *Dominus creauit me initium viarum suarum;* quod de Sapientia incarnata exponunt Clemens Rom. lib. 1. Constitutionum Apostolic. cap. 19. Concilium Hispalense 2. cap. 13. Basil. lib. 4. contra Euodium. Athanas. serm. 3. cōtra Arrianos. Nazianz. orat. 4. theologicâ. Hilar. 12. de Trinit. Ambr. lib. 2. de fide c. 12. Epiph. hæresi 99. qui fatentur cōmunem esse totius Ecclesiæ expositionem cōtra Arrian. probantes ex hoc loco Verbū æternum fuisse creaturam, cōtra quos exponunt Patres Ecclesiæ de Verbo æterno iam incarnato. Secūdò probatur pluribus Patrum auctoritatibus infrà adducendis & ponderādis in expositione & approbatione huius sententiæ, quæ ipsam docent.

Tertiò probatur ratione, quia ordinatè volens priùs vult finem, quàm ea quæ sunt ad finem; sed gloria Dei, quæ est finis omnium operum Dei magis ostenditur in gloria, quam communicat Beatis, quàm in gratia, & in natura; ergo priùs vult Deus (qui est ordinatissimè volens) illam, quàm reliqua alia; sed inter gloriam cōmunicatam Beatis, maior est gloria communicata Christo, & eius vnio hypostatica; ergo hæc fuit à Deo primo prædestinata & determinata. 12.

Quartò probatur, quia secundùm rectam ordinationem & dispositionem maius bonum non debet appeti propter minus bonum, sed potiùs è contra; sed Incarnatio Christi maius bonum est, quàm redemptio hominū à peccato; ergo non est appetenda à Deo Incarnatio 13.

Christi propter redemptionem, sed independenter ab illa. Et confirmatur, quia ita excellens mysterium, sicut mysterium Incarnationis non debuit esse occasionaliter ratione peccati intentum, & quasi per accidens, sed per se, & ex primaria & principalissima intentione. Quintò, neque Adam fuit prædestinatus ex præuisione proprij peccati, neque alius iustus ex præuisione peccati alterius; ergo neque Christus ex præuisione peccati generis humani.

Tertia sententia media inter has duas asserit Incarnationem Christi fuisse primariâ Dei intentione prædestinatam independenter à redemptione primi parentis à peccato, tamquam à fine & motiuo; non tamen independenter ab ipsa, tamquam à medio vnico & necessario, per quod erat in executione ponenda: vnde asserit cum secunda sententia, quod Incarnatio Verbi fuit ex primaria Dei intentione efficaciter volita; & cum prima sententia docet, quòd si Adamus non peccaret, Christus non veniret: vnde vtramque partem probat hæc sententia fundamentalis vtriusque sententiæ. Ita Suarez in præsenti disp. 5. sect. 2, 3. & 5. Lorca disp. 10. memb. 2. & sequentibus. Mendoza quæst. 1. n. 5. vers. *Vt ergo has sententias.* Insinuat Valencia 3. p. disp. 1. q. 1. puncto 7. plausibilisque est eis, quibus media via semper placet.

14. Vnde Auctores isti, vt defendant hanc sententiam, notant cum Caiet. 3. p. q. 1. art. 3. in solutione ad 3. quod sicut duplex est prioritas, ita duplex est simultas respectu alterius; alia est prioritas, quâ aliquid est priùs altero causalitate, scilicet quia in aliquo genere causæ hoc influit in illud; alia verò est prioritas in subsistendi consequentia, quâ aliquid potest existere, & subsistere in rerum natura absque alio, vt animal absque homine. Vnde non valet ista consequentia: Est animal, ergo est homo, quia potest esse equus, vel quid aliud. Ita similiter duplex est simultas; alia, quæ non habet causalitatem, vnum tamen in bona consequentia infert aliud, ideò dicuntur esse simul, vt homo est simul cum animali, & infert illud, v. g. est homo, ergo est animal; alia, quæ & habet causalitatem, & vnum infert aliud, qualiter se habent essentia, & propriæ passiones, quia istæ causantur ab illa, & simul ad inuicem prædicantur, v. g. est rationalis, ergo est visibilis; est visibilis, ergo est rationalis.

Quo supposito dicunt Auctores isti, quòd etiamsi decretum Incarnationis fuerit priùs prioritate causalitatis finalis & exemplaris prædestinatione omnium aliarum rerum, & consequenter indepẽdens à redemptione generis humani, vt à motiuo & fine; nihilominùs tamen quia prædestinata est taliter, quòd executioni mandaretur per optimum & meliorem modum possibilem, qui partim per scientiam simplicis intelligentiæ, partim per scientiam conditionatam cognitus fuit à Deo esse redemptionem à peccato, quia in ipsa magis resplendebant quatuor Dei attributa, scilicet bonitas, sapientia, iustitia, misericordia, ideò non fuit priùs prædestinata in subsistendi consequentia, quàm redemptio à peccato, seu quàm in redemptionem à peccato (ita vt non valet hæc consequentia: Fuit Incarnatio efficaciter prædestinata independenter à peccato; ergo veniret independenter à peccato) sed fuit simul in simultate subsistentiæ, & sic non veniret, nisi esset peccatum, quod foret redimendum. 15.

Hoc primò explicant ex communi in materia de prædestinatione, quia licèt beatus primariâ Dei intentione prędestinetur ad gloriam vt coronam, non tamen consequetur illam absq; meritis, quia medium necessarium ad gloriam vt coronam est meritum. Secundò, explicant alio exemplo, quia si quis efficaciter decerneret suas impendere pecunias magis honesto modo sibi possibili, & post hoc decretum efficax sibi offerrentur pauperes, ipsis deberet erogare necessariò illas, quia ad consequendum finem intentum, nullus est alius honestior modus impendẽdi pecunias; ita licèt Deus efficaciter decreuerit Incarnationem primariâ intẽtione in maiorem manifestationem suorum attributorum, cùm cognouisset illâ duplici scientiâ, scilicet conditionali, & simplicis intelligentiæ maiorem manifestationem solùm reperiri in reparatione lapsus primi hominis depẽdenter à tali reparatione tamquam ab vnico medio, licèt non tamquam à fine & motiuo fuit 16.

præ-

prædestinata. Non immoror hîc in referendis aliorum sententiis, qui se existimant à Scoto nostro dissidere, vel (vt meliùs dicam) qui se simulant Thomistas Scotum ex aduerso adducentes, & ipsum vt inimicum impugnantes, in re tamen eius doctrinam sequentes, non tam oppugnant, quàm confirmant; non tam eneruant, quàm nerui ei adhęrent; & vt moris habent in suis quęstionibus, primò referunt hęreticos, secundò Durandum inuisum, posteà Scotum infideliter relatum ni fortè hereticis inuolutum, deinde Gabrielem cum nominalibus solâ voce cognitis, postmodùm D. Thomam cum antiquis expositoribus ipsius, & denique vt veram sententiam eius explanent propositis aliquibus doctrinis notatu dignis, suas stabiliunt conclusiones reuerà Scoticas, incongruè aut apparenter Thomisticas, sed Angelico Doctori, Doctori sancto, Magistro vero, &c. appropriatas & adoptatas, & talibus terminis mixtiforidefensas, vt nullum sit ex auctoritate argumentum, quòd non eludatur, nulla ex Thomistica doctrina ratio efficax cui non paretur effugium. O viri Elisęi spiritu duplices pallium ferentes Eliæ.

18. Hæc dixi propterea, quòd aliqui horum sustinent, quod Christus non solùm secundùm substantiam, sed etiam secundùm quod redemptor præcedit præuisus ante peccatum originale; appellant autem redemptionem pro tunc præuisam, vel medicinam in actu primo, vel redemptionem abstrahentem à redemptione subleuatiua & præseruatiua, vel cum ordine ad peccatum futurum sub conditione, seu cognitum in statu conditionato, quasi Scotus hoc negasset, aut non expresè dixisset, quod fuit pro tunc Christus prædestinatus vt caput morale omnium prædestinatorum, etiam Angelorum, vt Angeli non subessent puro homini: hæc enim doctrina neque est D. Thomæ, qui solùm proposuit Christum decretū post peccatum originale, & dependenter ab illo non solùm secundùm substantiam, sed etiam secundùm modum, vt patet ex locis adductis; neque similiter est sententia media inter sententiam D. Thomæ & Scoti, tum quia hęc non potest inter ipsos dari in hoc puncto, vt dicam parte sequenti in fine cōtra sententiam mediam Suarij; tum quia hoc est expressum apud Scotum, licet quod Auctores illius appellant medicinam in actu primo, & redemptionem abstrahentem, &c. Scotus appellat caput morale, quod necessariò debet habere potentiam ad influendum moraliter in membra, quæ potentia ad influendum moraliter his nominibus medicinæ & redemptionis abstrahentis poterit appellari; congruentiùs autem dicitur dignitas capitis moralis, quandoquidem tunc non agebatur de infirmitate peccati adhuc imminenti, propter quam appellatur medicina, vel redemptio: vnde meritò sunt reprehensione digni propter dicta, neque eorum sententia venit referenda tamquam media; quæstio ergo hęc sita est tota in eo, an Christus secundùm substantiam sit prædestinatus ante præuisionem peccati originalis, & ita præuisus per scientiam visionis, quidquid sit de scientia conditionata, ita quòd absolutè veniret ex vi talis decreti.

PARS PRIMA.

Impugnatur præfata sententia media.

PRo impugnatione huius tertiæ sententiæ: Nota cum communi doctrina (quam optimè tradidit Theodor. Smisinch vbi suprà num. 755.) quod quatuor modis intelligi potest eumdem actum terminari ad plura obiecta, scilicet formaliter, vel virtualiter, & rursus formaliter subdiuiditur indirectè, vel indirectè formaliter terminatur actus ad plura obiecta, quando respicit illa secundùm suas rationes formales, vt quando simul cognoscimus aurum & argentum, vel lapidem & lignū; virtualiter verò terminatur quando ita terminatur actus ad vnum obiectum, vt inde necessariò consequatur alius actus formaliter terminatus ad aliud obiectum, vel ad plura obiecta, quo pacto assensus principij virtualiter terminatur ad conclusionem, & volitio finis vt finis infert aliam volitionem mediorum; & si solùm sit vnicum medium per quod consequendus est finis, infert volitionem illius: vnde volitio finis virtualiter terminatur ad talia media, vel ad tale vnicum medium. Deinde 19

formaliter directè terminatur actus ad plura obiecta, quando illa respicit absq; aliqua alia connexione, vel subordinatione, & vt obiectum quod, vt in dicto exemplo, quo quis cognoscit aurum & argentum, &c. formaliter verò indirectè terminatur actus ad plura obiecta, quando illa respicit cum aliqua connexione, aut subordinatione, ita vt ad vnum obiectum terminetur tamquam ad obiectum quod, ad aliud verò tamquam ad obiectum ad quod, qualiter directa cognitio, aut volitio vnius relatiui, quâ talis, indirectè terminatur ad alterum sibi correlatiuum.

20. Contra tertiam ergo sententiam sit conclusio. Præsens Dei decretum Incarnationis, quantum ad substantiam, non fuit dependens à redemptione à peccato primi parētis, tamquam à medio vnico ad consequendum talem finem Ita Vasquez disp. 11. cap. 4. Petrus Hurtado disp. 13. sect. 2. & deinceps Faber disp. 20. cap. 4. à num. 32. Theodor. n. 764. & est communis inter Scotistas recentiores. Et probatur primò ex doctrina supposita, quia decretum, quo Deus formaliter voluit futuram esse Incarnationem Christi secundùm substantiam, terminari etiam debuit, vel virtualiter, vel formaliter indirectè ad redemptionem à peccato primi parentis, vt supposito tali decreto efficaci substantiæ Incarnationis, adhuc non veniret Christus, nisi esset peccatum, quod deberet redimi ab ipso; sed non se habuit sic tale decretum; ergo Incarnatio Christi non fuit prædestinata dependenter à redemptione peccati, tamquam à medio vnico exequendi illam. Maior probatur, quia prima volitio circa obiectum primum solùm infert necessariò volitionem; secundam circa aliud obiectum, quando hoc comparatur respectu prioris, sicut contentum in illo, vt conclusio in primis principiis; vel sicut necessariò requisitum ad illud, vt medium vnicum ad consequendum finem amatum vt talem: vnde actus formalis prior versatur circa alia virtualiter, vel formaliter indirectè; & ratione huius, decretum, vel amor circa vnum obiectum, est simul circa alia obiecta in subsistendi consequentia ad similitudinem essentiæ & propriæ passionis, & valet hæc consequentia: Voluntas amat primum obiectum, ergo amat secundum; & è contrà, propter cōnexionem quam habent. Minor probatur, quia substantia Incarnationis, & maior manifestatio gloriæ Dei non habet necessariam connexionem cum remedio & redemptione peccati, quia hoc fortè est limitare diuinam sapientiam & potentiam. Prætereà quia maiori cum splendore diuinorum attributorum, præcipuè misericordiæ (de quo attributo est maior difficultas) videtur si non ad subleuandam miseriam peccatorum venisset, sed ad præseruandum ab illa, ne ab hominibus incurreretur (sicut contingit in Virgine) deniq; quia potuit venire ad nobilitandum naturam humanam; ergo non se habuit decretum Incarnationis pro tunc cum aliqua connexione aut dependentia à peccato originali.

Secundò probatur, quia si per decretum Incarnationis intendit Deus, tamquam finem motiuum, modum magis se, & sua attributa manifestandi; vel intendit modum in communi, vel hunc modum in particulari. Non primum, quia secundùm doctrinam, & ipsius Suarez disp. 41. eiusdem operis, sect. 4. vers. *Hæc sententia sic exposita*; Deus non habet huiusmodi confusas voluntates, quibus velit priùs quidpiam in communi, & indefinitè, quia hoc arguit in ipso imperfectionem, sed in particulari, & definitè. Non secundum, quia iam talis modus particularis (scilicet redimendi hominem à peccato) non se haberet vt medium, vt ipsi intendunt, sed vt finis motiuus, quod negant. 21.

Tertiò probatur, quia præcisè in ipsomet Incarnationis mysterio quoad substantiam, resplendet bonitas in eo quòd Deus se homini coniunxerit, resplendet sapientia in inuentione talis vnions, resplendet potentia in executione illius, & misericordia resplenderet in præfato modo præseruandi, & in sententia Thomistarum, & ipsius Suarez, cùm diuinâ naturâ reddat naturam humanā impeccabilem, debet resplendere in ablatione talis miseriæ; ergo redemptio à peccato originali non est vnicum medium exequendi diuinam Incarnationem, & modum magis manifestandi Dei gloriam. Et confirmatur, quia non est certum, quòd gloria Dei 22.

in

In Christo manifestata sit perfectiori modo possibili Deo; ergo, &c.

23. Omitto plura alia, præcipuè argumentum, quo vsus est Vasquez loco citato, scilicet quia si optimus modus manifestandi gloriam Dei est, quòd Christus veniret in remedium peccati, eo ipso, quòd Deus vellet efficaciter se optimo modo manifestare, deberet velle efficaciter peccatum, vt consequeretur talem modum se manifestandi. Ad hoc enim responderi potest non esse necessarium Deum velle peccatum, sed sufficere velle id, quo posito infallibiliter præuideretur peccatum secuturum (scilicet permissionem) & consequenter finem intentum. Similiter omitto solutionem argumentorum huius sententiæ, prout contra nostram militant conclusionem, quia inferiùs accommodatior erit locus.

24. Aduerto tamen hac sententiâ mediâ nullo modo posse conciliari sententiam Scoti cum sententia D. Thomæ ad eorum mentes, quia Scotus locis citatis ita adæquatè distinguit decretum Incarnationis à decreto permissiuo peccati, & à decreto redimendi ab illo, sicut distinguit prædestinationem electorum ad gloriam, à prædestinatione ipsorum ad gloriam, & vtramque à permissione nostri peccati; sed vt omnes sentiunt hæc ita ab ipso adæquatè distinguuntur, vt vnum non pendeat ab alio; ergo similiter illa. Et confirmatur, quia Scotus loquitur de decreto Incarnationis quoad effectum, quem de facto haberet, si Adamus non peccasset, vt patet ex ipso modo loquendi; ergo non potest intelligi nisi de decreto absoluto & independenti à tali medio. D. autem Thomas locis similiter citatis aperte sentit Deum præuidisse homines in massa corrupta per Adami peccatum, quando præuidit futurum fore Christum, vt eos redimeret; non ergo possunt conciliari.

PARS SECVNDA.

Scoti sententia tamquam verissima propugnatur priùs doctrinali explanatione.

25. SVpponit Scotus ad suæ sententiæ probationem quamdam doctrinam communem, quæ latè traditur in materia de voluntate Dei, scilicet quòd etiamsi Deus vnico & simplicissimo actu velit omnia, quæ pro aliquo tempore vel instanti habent existentiam, & verum esse reale, tamen distingui talem actum in diuersos actus, seu in diuersos actus, seu in diuersa decreta, quatenus terminatur ad hoc, vel ad illud obiectum, ad hanc, vel ad illam creaturam, quæ distinctio & diuersitas solùm est rationis, & fit ab intellectu; quare in 3. d. 19. q. vnicâ, *§. in ista quæst.* ponit quinque signa rationis, in quibus ille actus, quasi si esset quinque actus, terminetur ad diuersa subiecta, quæ Deus decreuerit circa Christum, eiusque aduentum.

Inquit ergo Scotus, quòd quantum ad præsens attinet hoc modo se habuerunt signa in diuina prouidentia; in primo enim signo Deus intellexit se sub ratione summi boni; in secundo intellexit omnes alias creaturas; in tertio prædestinauit hos ad gloriam & gratiam, & circa alios habuit actum negatiuum non prædestinando; in quarto preuidit illos casuros in Adam; in quinto præordinauit, siue præuidit de remedio, quomodo redimerentur per passionem Filij, ita quòd Christus in carne, sicut & omnes electi, priùs præuidebatur & prædestinabatur ad gratiam & gloriam, quàm præuideretur passio Christi vt medicina contra lapsum; sicut medicus priùs vult sanitatem hominis, quàm ordinet de medicina ad sanandum. Hæc Scotus. 26.

Circa quæ verba sunt plura notanda, quia quodlibet horum signorum potest subdiuidi in plura alia. Primò, Nota circa primum signum, quod cùm dicit Deum se intellexisse sub ratione summi boni, debere etiam intelligi Deum se in illo signo amasse, in quo fuit perfectè beatus. Ita Scotus in 3. d. 32. q. vnicâ, *§. tertium patet*. 27.

Secundò, circa secundum signum Nota, quod cùm dicit Deum intellexisse omnes alias creaturas debere intelligi de intellectione, quæ dicitur Scientia visionis, quæ supponit volitionem Dei, & respicit creaturas vt futuras, & loqui solùm de creaturis intellectualibus quoad substantiam, scilicet Angelis; & rationabilibus, scilicet homi- 28.

hominibus, quæ possunt eligi ad gloriam & gratiam, & prædestinari, vt benè obseruauit Smisinch suprà n. 747. Et probatur ex ipso Scoto in 1. d. 41. q. vnicâ, *§. potest aliter dici*, vbi ait, quòd in primo instanti (quod in hoc ordine est secundum) Petrus & Iudas æquales in naturalibus voliti à Deo in esse existentiæ offeruntur Deo, & tunc Deus ita vult gloriam Petro, vt nihil velit Iudæ; ecce qualiter, antequam prædestinentur, offeruntur Deo (hoc est, cognoscuntur à Deo) voliti in esse existentiæ, & non tantùm in esse possibili. Et in 3. d. 32. citatâ inquit, Deum velle mundum in quarto signo propter hominem prædestinatum in secundo signo, vt verum sit illud secundo physic. textu 24. Homo quodammodo est finis omnium sensibilium; quare cùm finis debeat priùs amari efficaciter, quàm media, necessariò debuit priùs amari existentia hominis, quàm existentia mundi in sententia Scoti. Deinde in 1. d. 1. q. 5. *§. ex his ad propositas*, vers. Respondeo quod communiter & sępè alibi docet, quòd amor amicitiæ terminatus ad personas, sed ad subiecta est prior, & præcedit amorem concupiscentiæ terminatum ad formas ipsis concupitas. Et denique satis clarè significatur in hoc testimonio, quod explicamus, quando ait, quòd Christus in carne priùs præuidebatur, & prædestinabatur, &c. ac si diceret: Christus iam existens in humana natura præuidebatur, ac prædestinabatur.

29. Hoc autem videtur probari insuper & auctoritate, & ratione. Paulus enim ad Rom. 8. ait: *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Vnde supponit pręscientiam prędestinandorum ipsi prædestinationi, & licèt non probet totum ordinem naturæ præsupponi ad ordinem gratiæ (vt volunt plures Thomistæ cum Caietano) tamen probat substantiam & existentiam ipsorum præsupponi ad cuiuslibet prædestinationem. Ratio autem videtur hoc conuincere, quia subiectum debet præferri non solùm in executione, sed etiam in intentione ad formam; ergo cùm homo & Angelus sint subiectum respectu formarũ gloriæ & gratiæ, ad quas prædestinantur, debuerunt in vtroque ordine præferri. Maior probatur, & quantum ad ordinem executionis omnes fatentur; quantum ad ordinem intentionis patet, quia istæ formæ (quantum ad præsens attinet) amantur à Deo ad ostendendum sua attributa, bonitatem, misericordiam, &c. sed hæc attributa non manifestantur per gratiam & gloriam in se, & in abstracto, neque subiecto possibili volitas, sed vt communicatas suo vero & existenti subiecto, quia in ipso resplendent iuxta illud Apostoli: *Ad ostendendum diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, id est, in subiecta, cum quibus vtitur misericordiâ, sicut dicemus infrà de vnione hypostatica, non esse in abstracto prædestinatam, sed in concreto; ergo non solùm amatur gloria vt futura, & gratia vt futura, sed etiam debet pręsupponi vt futurum subiectum ipsorum. Quare hanc sententiam tenet Smisinch num. 749. & tenuit quæstione 2. num. 33. & q. 5. eiusdem disputationis 6. numero 240. asseritque tam naturalem quàm supernaturalem prouidentiam supponere decretum de existentia creaturæ intellectualis & rationalis, cui præuidetur, quod decretum, inquit, num. 750. non est prouidentia, sed quid prærequisitum ad prouidentiam, quæ ex natura sua incipit prouidere fini cui (scilicet creaturæ intellectuali & rationali) de gratuitis (scilicet de gloria & gratia) & non de naturalibus propter gratuita, scilicet de hoc mundo sensibili, & de eis, quæ in ipso sunt.

Circa tertium signum Nota primò, 30.
quod inter eos, qui à Deo prædestinati sunt in illo ad gratiam & gloriam, primus omnium fuit hic homo Christus, qui electus fuit ad summam gloriam, & ad summam gratiam, & ad vnionem hypostaticam cum diuino Verbo; quare ordine executionis, qui incipit è conuerso, & ab eo, quod in vltimo loco est ordine intētionis determinatum, priùs Deus voluit vnionem hypostaticam futuram, deinde gratiam, deinde gloriam vtramque coæuam animæ Christi, vt benè Scotus in 3. d. 7. q. 3.

Quare in præsenti Quæstione Chri- 31.
stum quoad substantiam fuisse prædestinatum defendimus ante præuisionem peccati Adami, & diximus fuisse initium, & principium operum Domini, quia licet priùs supponatur decretum

tum

tum circa existentiam huius hominis, qui fuit prædestinatus ad vnionem, tamen hoc decretum solùm respicit finem *cui*, qui finis non cadit sub prouidentiam, quia hæc respicit finem *cuius gratia*, vt consequendum per media, sed supponitur ab ipsa, insuper pertinet ad integritatem Christi, qui est vna persona in duabus, & ex duabus naturis, & licèt dicamus priùs fuisse prædestinatam gloriam, & gratiam tali homini, quàm vnionem hypostaticam; tamen cùm sint in vtilitatem naturæ humanæ Christi, ideò dicimus ipsum fuisse initium. Nisi etiam velis addere priùs esse indirectè vel virtualiter prædestinatam vnionem, quia directè & formaliter prædestinabatur summa gloria, & summa gratia coæua, quæ connexionem habebant, & ex congruentia maxima inferebant vnionem hypostaticam, cui congruentissimè debita est talis summa gloria, & gratia. Imò multò minùs dicemus, quòd priùs prædestinata fuit vnio hypostatica naturæ humanæ Christi iam existentialiter præsuppositæ, & posteà huic Christo fuit prædestinata summa gloria & gratia, nam ex mente Scoti in hoc loco Christus fuit primò decretus à Deo post amorem sui, quia ipsi propinquior; ergo eius vnio fuit primò & immediatè decreta. Præterea quia quando comparat hunc prædestinatum ad gloriam & gratiam cum aliis prædestinatis appellat ipsum Christum in carne; ergo carnem seu humanam naturam cum vnione ad Verbum præsupponit iam prædestinatum, & posteà hunc Christum prædestinat ad gloriam & gratiam, ita vt gloria & gratia non habeant connexionem cum vnione hypostatica, tamquam cum medio, sed tantùm cum Christo tamquam cum fine *cui*, prædestinantur prædicta dona.

32. Secundò Nota, quòd post talem prædestinationem factam ordine intentionis & executionis circa Christum, antequam Deus procederet ad prædestinationem ceterorum hominum & Angelorum, prædestinauit Christum ad dignitatem Capitis moralis, hoc est, vt per eius merita, quæ non concernunt pro tunc statum passibilitatis (qualia fuerunt opera elicita à virtute charitatis, religionis, gratitudinis, & plura alia, quæ à Theologis vocantur merita quoad substantiam) communicaret tam Angelis quàm hominibus omnia dona gratiæ & gloriæ, tam sufficientia, quàm efficacia, merendo efficaciter illis omnia prædicta, & quòd efficaciter eligerentur aliqui (aliis relictis ad ostensionem iustitiæ) ad gloriam & gratiam; de quibus latè agitur in materia de prædestinatione, & aliqualiter infrà disputatione de merito Christi.

Tertiò Nota, quòd prædestinata & determinata iam dignitate & excellentia Capitis, quam habuit Christus, voluit Deus omnes homines saluos fieri, iuxta illud Apostoli: *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; quæ voluntas fuit inefficax quantùm ad futurizandum effectum dandi gloriam, tamen fuit efficax quantùm ad dandum illis auxilia & media, quibus si benè vterentur, consequerentur gloriam, & idem dico de Angelis. Deinde voluit Deus efficaciter (tali efficacia, quæ futurizaret intentum) prædestinare hos Angelos, & hos homines ad gloriam & gratiam, nihil peterminans circa alios, qui pòst facti ex seipsis sunt reprobi, ne fortè speciali Dei misericordia, aut alicuius Sancti precibus, vel ex alio Capite aliquis ex illis posteà prædestinetur, quod non repugnat: gratia autem, ad quam pro tunc erant prædestinati Angeli, & homines electi, non fuit gratia, prout reconcilians, quia hæc inuoluit respectum ad peccatum, quod pro tunc non præuidebatur à Deo vt futurum, sed prout sanctificans & constituens subiectum moraliter particeps diuinæ naturæ. Vnde Christus non solùm fuit causa exemplaris, ad cuius imitationem prædestinati sunt homines & Angeli, sed etiam causa finalis, cuius gratiâ Deus illos prædestinauit, imò & causa efficiens moralis; cuius merita prædicta meruerunt illis talem gloriam & gratiam. Ita Pytigianus distinctione decimâ nonâ, articulo tertio, circa secundam conclusionem, quidquid in contrarium velit Smisinch questione decimâ, numero 663. de quo inferiùs latiùs redibit sermo. 33.

ex necessitate, ita vt aliter saluari non possit recta ratio, & ordinatio in volẽte ordinatè. Et ratio est, quia in mediis secundùm causalitatem subordinatis, medium proximus fini habet rationem finis respectu medij remotioris: vnde sicut inordinatè procederet, qui ordine intẽtionis priùs intẽderet media, quàm finem; ita & qui priùs intenderet medium remotius, quàm proximum; at si remedia accipiantur 2. modo, prædicta ratio Scoti non videtur ita efficax, & vera ex necessitate, quia illa induunt rationem finis & mediorum ex voluntate Dei superuenienti, quæ illa voluit sic inter se ordinare, non quia ex propria natura haberent causalitatem finis & mediorum: vnde post volitionem manifestãdi suam gloriam, fortè posset Deus ad hoc absque aliqua inordinatione eligere medium minùs perfectũ, & posteà magis perfectum licet decentius & congruentius, & propterea ordinabilius videatur, quòd è contrà faciat.

40. Quo supposito Nota tertiò, quòd prædicta ratio Scoti applicata ad præsens institutum, scilicet ad Incarnationem Christi, quãtum ad substantiam, & quantum ad modum, non solùm procedit de finis & mediorum ordine secũdo modo acceptis, in quo sensu ad minus probat cõgruentius fuisse Deum primò prædestinauisse Incarnationem quoad substãtiam ante permissionem peccati, sed etiam procedit (secluso signo, quod pertinet ad finem *cui*) de ordine finis & mediorũ acceptis in primo modo, quia de his implicitè loquitur, dum dicit, *Ordinatè volens, priùs vult finem*, &c. & explicitè dum ponit pro fine gloriam Dei, & pro mediis gloriam, gratiam, & vnionem hypostaticam Christi, vel ponit pro medio ipsum Christum, vt posteà propter ipsum tãquam propter finem non vltimum prædestinet electos ad gloriam & gratiam, &c. quæ inter se, & ex propria natura, quam à prędictis decretis efficienter participant, habent causalitatem finis & mediorum, licèt alia media possent esse ad hoc volita à Deo minùs nobilia, quare prædicta ratio probat ex necessitate Christum (qui fuit caput in tertio signo ceterorum) fuisse primò prædestinatum quoad substantiam, quia pro tunc habuit causalitatem finalẽ in reliqua subsecuta in illo signo.

41. Neque ab hac consideratione retrahere debet; quod ex mente Scoti vnio hypostatica non sanctificat formaliter, sed stare simul potest cũ peccato mortali, & quod gratia habitualis non est medium ex natura rei ad cõsequendum gloriam, sed tantùm hoc habere moraliter, & ex superuenienti acceptatione Dei; ex quibus videtur inferri, quòd nõ comparantur tamquam media, quæ ex natura sua debeant eligi à Deo, prima ex intentione suæ gloriæ, & secunda ex intentione gloriæ Beatorum tamquam finis; nam respondeo, quòd in vnione hypostatica, & in gratia habituali veniũt consideranda, quæ habent physicè, & ex natura rei, & quæ habent vel ex congruentia, vel moraliter, & ex superuenienti Dei acceptatione, & secundùm priora etiam sunt media de facto magis conducentia ad suos fines; nam ad maiorem gloriæ Dei manifestationem in aliquo singulari opere necessario debuit eligi vnio hypostatica tãquam medium in quo magis resplendent physicè diuina attributa, vt patet ex dictis disp. 1. q. 7. etiamsi posteà per accidens cõiungeretur cum peccato, aut destrueretur propter illud, nam hoc nõ derogat physicè excellẽtiæ prioris operis Dei, sicut non derogat excellẽtiæ Solis, quòd obnubiletur, aut Lunæ quòd deliquium patiatur, aut si non necessariò debuit eligi, ad minus debuit statim intendi post finem, ex eo quòd de facto secundùm propriam suam naturã fuerit magis conducens, & habuerit maiorem vtilitatem intrinsecam ad illum, quàm omnia alia media, quæ de facto sunt talia ex natura propria. Similiter gratia habitualis licèt habeat ex Dei acceptatione superueniẽti, quòd det ius ad gloriam, tamen ex natura sua habet conducere ad illam, in quantum, cùm sit charitatis forma, adhuc physicè conducit ad gloriam essentialem, quæ in actu amoris nostræ voluntatis secundùm mentem Scoti formaliter sita est; quapropter congruentissimè ei superuenit ius ex Dei acceptatione, quàm optimè inter se cohęreant sententiæ & doctrinæ subtilissimi Doctorum, & quàm rectè asseruit quod in his, quæ se debent habere vt finis, & media debuerũt ab ordinatissimo volenti sic disponi, quòd priùs intenderetur Christus, seu eius vnio

vnio secundùm substãtiam, posteà propter ipsum electi, in quibus priùs gloria, posteà gratia etiamsi hęc non concipiatur cum diuina acceptatione superuenienti, & dante ius ad illam, quia est accidens illius, quod non ex necessitate, sed tãtùm ex congruentia debuit præeligi; benè tamen necessariò ex suppositione, quod versabatur circa talem electionem. Idem dico de eo, quòd vnio hypostatica non coniungeretur de facto cum peccato.

42. Quapropter sic formanda venit ratio Scoti ordinatè volens ea, quæ ex natura sua se habent tamquam finis, & media, priùs debet velle finem, & posteà illud medium, quod propinquius est fini, & tandem illud, quod est remotius, sed de facto gloria Dei, gloria Christi, gloria Beatorum, permissio peccati, & redemptio ab illo se habent tamquam finis, & media volita à Deo ordinatissimè volente, & inter hæc ad maiorem gloriam Dei, quæ est finis, propinquior est, quia magis conducit ad illam gloria Christi, quàm gloria Beatorum. Deinde succedit gloria Beatorum, quia magis conducit ad gloriã Christi & Dei, quam permissio peccati: tãdem hæc prior est, quàm redemptio ab illo; ergo inter ea, quæ de facto amauit Deus, priùs debuit amare suam gloriam, posteà gloriam Christi, quæ relucet in eius vnione ineffabili, in beatitudine, & gratia summa. Deinde gloriam Beatorum (quæ præferri debet gratiæ habituali, sicut gratia vocationi ipsorum) quàm amaret permissionem peccati, & redemptionem ab illo.

43. Quòd autem permissio peccati non sit intenta vt medium ad consequendum ea, quæ in antecedentibus signis intenta erant, nihil interest, quia permissio est priuatio gratiæ actualis, quæ si danda erat, deberet dari propter merita Christi, & danda erat ad conseruandum gratiam habitualem datam per Christum; quare si Christus deberet esse causa finalis, imò & efficiens gratiæ actualis, quæ danda erat primo parenti, vt resisteret tentationi dæmonis suadentis mediâ muliere, quod comederet de ligno prohibito, necessariò debuit vt talis præcedere ad decretum permittendi peccatum; etiamsi hæc permissio tantùm intenderetur, seu eligeretur vt medium propter gloriam Dei, seu absoluti & independentis dominij eius in conferendis auxiliis infallibiliter efficacibus.

Ex quo retunditur solutio Vasquez, qui disp. 11. cap. 6. vilipendet consequentiam illatam à Scoto, ex eo quòd ordinatè volens priùs velit finem, & deinde ea, quæ sunt ad finem, & consequenter primò Incarnationem Christi, quàm permissionem peccati: admittit enim illam in his mediis, quæ habent causalitatem finis; non verò in his, quorum vnum est nobilius altero, quia potest Deus absque inordinatione eligere minùs nobile, & sic eligere primò permissionem peccati, quàm Incarnationem. Sed contrà est, quia si permissio ex natura sua debet esse carentia gratiæ actualis, quæ pro tunc danda erat Adamo, illa autem deberet esse per Christum, quia erat ex meritis eius, & ad conseruandum gratiam habitualem, seu iustitiam originalem datam propter ipsum; ergo ex suppositione quòd Christus Dominus sit causa finalis & efficiens moralis gratiæ, & iustitiæ collatæ Adamo, vt in suo loco probabo, rectè sequitur, quòd prædicta ratio Scoti non solùm probet ex cõgruentia Christum fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati, sed etiam ex necessitate. Quare hęc ratio supponit illam, quæ probat Christum fuisse causam finalem & efficientem etiam Angelorum, & primorum parentum in statu innocentiæ. Si autem hæc non ita suadeant efficacitatem rationis Scoticæ, quòd ipsam persuadeant ad minus illa non poterit negari, loquendo de congruentissima Dei volitione: nam si voluntas aliqua versaretur circa aliqua obiecta, quorum vnum est nobilius altero, & magis conducit, seu habet maiorem vtilitatem ad ostendendam gloriam Dei, & eligeret minùs nobile, censeretur imperfectio orta, vel ex imperfecta propositione intellectus, vel ex repentina determinatione voluntatis, quæ omnia non cadunt in ordinatissima Dei volitione, quæ eo ipso quòd ordinatissima est, ordinem seruat iuxta ordinem nobilitatis obiectorum, & sic priùs debuit velle Christum, quàm permissionem peccati; iusta enim censetur reprehensio Sponsi ab Architriclino Ioannis 2. *Omnis homo primum*

primum bonum vinum ponit, & posteà, quod deterius est, tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc; quare licèt prædicta ratio non esset efficax ratione causalitatis finalis, est tamen efficax ratione nobilitatis & perfectionis obiectorum coniunctæ cum congruentissima & ordinatissima Dei volitione.

PARS TERTIA.

Sententia Scoti statuitur, & exactis probationibus solidatur.

45. DIco primò: Incarnatio Verbi quoad substantiam prædestinata est à Deo ante præuisionem peccati Adami, & cõsequenter ab eius redemptione independenter vt à motiuo & fine. Ita Scotus cum Auctoribus pro secunda sententia citatis in quæstione. Et probatur primò: Christus Dominus fuit prædestinatus ante decretum producendi vniuersum; sed peccatum originale fuit præuisum post decretum producendi vniuersum, quia fuit præuisum in Adamo existenti iam in Paradiso, in quo prohibitum illi fuit, ne comederet de ligno vitæ, & tunc iam existebat vniuersum; ergo Christus Dominus fuit prædestinatus ante præuisionem peccati originalis, & consequenter independenter ab eius redemptione. Maior in primis est manifesta doctrina D. Thomæ in 4. d. 48. q. 2. art. 2. & in additionibus ad 3. partem quæstione 91. art. 2. & de potentia q. 5. art. 4. & 5. contra Gentes capite vltimo, vbi docet totum mundum factum fuisse propter prędestinatos, & pręcipuè propter Christum, qui ex eius sententia 3. p. q. 24. art. 3. & 4. fuit primus prædestinatorum, vtpote causa finalis & exemplaris nostræ prędestinationis. Ex quo principio colligit omnem ordinem generationum & productionum post diem iudicij cessaturum, quia adimpleto numero prædestinatorum, propter quos factus est mundus, cessabit quantum ad ea, quæ illis vtilia erant, quod etiam fatentur plures alij. Sed deinde talis maior propositio colligitur ex sacra Scriptura, & Patribus adductis in probationem secundæ sententiæ.

46. Sed nunc sunt aliqua specialiter ponderanda. Et Primò ponderandum est illud Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, cum lectione 70. *Dominus creauit me initium viarum suarum*, &c. quod debere intelligi de Sapientia incarnata secundùm Patres diximus ibi; quòd autem debeat intelligi de decreto æternitatis, patet ex illis: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis*. Vnde non obstat, quod aliqui obiiciunt Primò, quòd meliùs vertatur in Hebræo, *Dominus possedit*, quàm *Dominus creauit*, vt dicit Hieronymus in epist. ad Cypr. quæ est 136. Respondeo enim, quòd ea, quæ creantur, possideri dicuntur; imò Deus solùm illorum dicitur propriè Dominus, quare ponderauit Ambrosius, quòd dicatur, *Dominus possedit me*; & non, *Deus possedit me*.

Secundò obiiciunt, quòd licèt Christus dicatur, *Initium vniuersarum viarum Dei*; non tamen significatur quòd sit primò prædestinatus, sed quòd sit primus in excellentia & dignitate, quia respondeo quòd licèt Christus sit primus primitate principalitatis, tamen hoc in præsenti non significatur, sed quòd sit primò prædestinatus, quia, vt diximus, loquitur de decreto æternitatis, & dicit quòd præcessit antequam terra fieret, antequam quidquam faceret à principio. Vnde non ita quadrat expositio aliquorum Patrum, qui viarum nomine intelligunt sola opera redemptionis; sicut quadrat expositio Athanasij intelligentis omnia opera Dei ad extra, quæ cadunt sub eius prouidentiam. 47.

Secundò est ponderandum illud Ecclesiastici: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; vbi nullam creaturam excludit, quod exposuit Concilium Sardicense in epistola ad omnes Episcopos circa finem, de Christo quantum ad primam partem, secundùm quod Filius Dei est, videlicet *Ego ex ore Altissimi prodiui*; & quantum ad secundam, scilicet *Primogenita ante omnem creaturam*, secundùm quod homo est. Idem significant verba Pauli ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia*, &c. *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum* 48.

tum tenens. Si ergo in omnibus supradictis primatum tenet, rectè colligitur, quòd Christus Dominus fuit prædestinatus ante decretum producendi vniuersum, quia hæc omnia non possunt verificari de Christo in tempore, sed solùm in æternitate.

49. Tertiò est ponderandum cum Chrysostomo homil. 71. in Ioan. super ipsius verba capitis 13. *Deus clarificauit eum in semetipso, & continuò clarificauit eum scilicet Iesum*. Vbi Chrysostomus, *Non per Angelos, aut per Archangelos, non per aliam aliquam virtutem, sed per seipsum; quomodo autem clarificauit per seipsum? omnia ad Filij gloriam operatus, atqui omnia Filius fecit*. Si ergo Deus secūdùm Chrysostomum omnia operatus est, vt glorificaret Iesum (qui naturam humanam sicut & diuinam includit) sequitur quòd Iesus præcesserit in intentione Dei, propter cuius gloriam reliqua fecerit.

50. Nec obstat, si restringas ad ea, quæ post præuisum peccatum Pater æternus fecit, seu decreuit facere, quia contrà est primò, quò *omnia* nihil excludit; secundò, quia statim subdit: *Atqui omnia Filius* (scilicet æternus) *fecit*; ergo si omnia, quæ Filius æternus fecit, æternus Pater fecit simul cum eo, vt glorificaret Iesum; ergo non solùm ea, quæ facta sunt post peccatum, sed etiam ante illud, quia omnia in vtroque sensu fecit Filius æternus.

51. Quartò accedat ponderatio Ruperti lib. 13. de Gloria & honore Filij hominis prope medium, super illa verba Pauli ad Hebræos 2. *Propter quem omnia*, &c. Vbi sic ait: *Religiosè dicendum, reuerenterq́; est audiendum, quia propter istum Filium hominis, scilicet Christum gloriâ & honore coronandum, Deus omnia creauit*. Vide plura alia pulchrè ibidem dicta ad hoc propositum, præcipuè ponderando hæc duo verba Apostoli: *Propter quem omnia, & per quem omnia*. Et lib. 3. de Gloria Trinitatis cap. 20. dicit: *Non homo propter Angelos, imò propter hominem quemdam Angeli quoque facti sunt, sicut & cetera omnia, teste Apostolo, cùm dicit: Decebat enim eum propter quem omnia*, &c. Idem habet lib. 4. cap. 2. & Anselm. super prædictum locum, quæ verba etiam probant contra sententiam mediam Suarez & aliorum, cùm asserant Christum independenter à quacumque creatura esse primò prædestinatum, & consequenter independenter etiam à peccati remedio, tamquam à medio vnico.

Secundò, probatur nostra conclusio, quòd est exemplar alterius, præferri debet ad alterum; sed Christus Dominus fuit exemplar ad creationem Adami; ergo debuit præferri in intentione ad intentionem creandi Adamum, & consequenter debuit præferri ad peccatum ipsius, quod fecit, postquam creatus fuit: maiorem admittunt omnes. Minor probatur ex Tertulliano lib. de Resurrectione carnis in principio, vbi ponderans illa verba Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; dicit: *Limus ille tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus*. Et idem habet lib. aduersus praxeam prope medium. Et Athanas. Magnus serm. de Sanctissima Deipara post medium sic habet: *Potiùs loquendum est, quòd Deus fecerit hominem secundùm imaginem Dei; secundùm imaginem enim & similitudinem istius modi Incarnationis, & acceptæ humanitatis, hominem Deus fecit*. Deinde Nicenus in testimoniis aduersus Iudæos ait: *Huius ad seipsam sanctæ atque coëssentialis Trinitatis est illud, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & fecit Deus hominem, secundùm imaginem Dei fecit eum; formati enim sumus, prout intelligentia percipi potest ad imaginem vnigeniti*; & quæstione de eo, *quòd sit ad imaginem Dei*. In principio postquam dixit, quòd *homo est imago Trinitatis*, subdit: *Neque verò id solùm, sed & vnius ex sancta Trinitate Dei Verbi Incarnationem pronuntiat, ac fortassis ad imaginem quidem est diuinitatis nuda anima, ad similitudinem Incarnationis Verbi istud anima nostra, corporisq́; compositum*. quid clarius? 52.

Tertiò probatur: Christus fuit causa exemplaris omnium electorum; ergo in intentione debuit præferri ad ipsos. Antecedēs probatur ex illo ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Et ad Philip. 3. *Reformauit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Neque valet si respondeas cum D. Thoma hæc intelligenda esse de Christo, vt Filio Dei, non vt homine. Quia contrà est primò, 53.

quod

quod de ipso etiam vt homine intelligunt Chrysost. Hieron. Anselm. & ferè omnes Græci, & Latini Patres. Secundò, quia Christus vt Filius Dei non dicitur propriè frater reliquorum electorum, quia vt sic est potius Pater; sed Christus vt homo est propriè frater in prædestinatione respectu aliorum, quia Filius adoptiuus secundùm humanitatem per gratiam sunt reliqui. Tertiò, quia Christus vt Filius Dei non habet corpus clarificatum, cui nostrum corpus conformetur.

54. Quartò probatur: Christus fuit causa moralis prædestinationis nostræ; ergo debuit præferri ad eam non solùm ordine intentionis, sed etiam ordine executionis, quia causa moralis non influit vt sit, sed quia est antecedens, patet ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et paulò pòst: *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum;* vbi (*per*) significat Christum fuisse causam meritoriam, & efficientem moralem, & (*in*) fuisse causam finalem.

55. Neque obstat quod respondet Vasquez, scilicet ex hoc solùm probari Christum fuisse primò prædestinatum, non tamen ante peccatum originale. Quia contrà est, nam si fuit primò prædestinatus, ergo ante prædestinationem Adami; sed hic ante peccatum originale habuit gratiam habitualem datam ex intentione dandi illi gloriam, vtpote habentem ius ad illam, sicut de facto habet; ergo & Christus ante peccatum originale fuit prædestinatus. Respondet Vasquez, talem gratiam fuisse datam Adamo ex intentione & voluntate communi, quâ vult Deus omnes homines saluos fieri, & sic non fuisse prædestinatum ad illam ante peccatum originale. Sed cõtrà primò, quia etiam illa gratia, quæ datur ex illa voluntate generali, est ex meritis Christi, aliàs ipse non esset Caput totius Ecclesiæ. Secundò, quia gloria, quâ modò Adamus gaudet in cęlo, non solùm correspondet meritis ipsius factis post peccatum originale, sed etiam ante ipsum: (sicut verior sententia sustinet de nostris meritis per peccatum actuale mortificatis, & posteà per gratiam reuiuiscentibus, quam etiam tenet Vasquez 1. 2. disp. 221. q. 6. & 3. p. q. 85. art. 5. dub. 2.) ergo gratia, quâ dignificata sunt talia merita, non fuit data ex illa voluntate communi, quæ non futurizat gloriam, sed ex voluntate & prædestinatione efficaci ad gloriam.

Neque valet quod ad hoc respondet, scilicet gloriam, quæ modò meritis Adami in statu innocentiæ correspondet, non correspondêre vt primò collatis, sed vt per pœnitentiam reuiuiscentibus, quæ pœnitentia facta fuit ex meritis Christi. Nam contrà, quia merita illa non fuerunt prœmiata, nec præmium æternum, quod illis erat debitum, fuit commutatum in præmium aliquod temporale; ergo aliquod legitimum impræmiatum maneret à Deo, quod est contra iustitiam Dei. Secundò, quia gloria non est data ibi iuxta mensuram contritionis, per quam merita priùs mortificata reuiuiscunt, sed secundùm totam latitudinem præcedentium meritorum, & gratiæ. Cuius ratio est, quia contritio solùm se habet vt conditio, sine qua non præmiarentur gloriâ merita mortificata; non verò vt ratio formalis, ex qua sumatur meritorum valor; aliàs solùm præmiarentur gloriâ nostra merita iuxta mensuram contritionis, quod non est dicendum in sua, & in vera sententia; ergo talis gratia correspondet illis meritis vt primò collatis. Legite Suarez in Opusculis disputatione 1. de reuiuiscentia meritorum. 56.

Confirmatur deinde prædicta quarta probatio ex auctoritate Cyrilli lib. 5. thesauri cap. 8. vbi clarè videtur nostram astruere conclusionem his verbis: *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idq; ante initium mundi in præscientia Dei, vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesseris, & damnationem in mortem vita pollicitatio, seruitutem diaboli adoptionis libertas, & possit natura humana, superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per gratiam Christi (qui fundauit eam bonis in bonis) dignitatem recurrere talem, quam fieri, qualem Deus ex charitate per Filium suum futuram constituit;* ergo si benedictio maledictionem antecessit, &c. & gratia Christi fundauit naturam humanam in bonis, sequitur quòd natura humana (quæ in primo parente fuit fundata 57.

data in bonis, & habuit benedictionem, & vitam per iustitiam originalem ante maledictionem, & mortem per carentiam illius, seu per peccatum originale) fuerit prædestinata per Christum, seu (vt Cyrillus loquitur) superædificata in Christo, in præscientia Dei, seu intentione Dei, & consequenter quòd Christus fuerit ante peccatum originale prædestinatus vt moralis causa. Vnde concludit Cyrillus: *Quantum igitur ad præscientiam, & consilium, & propositum Patris; & omnino deitatis Christus ante sæcula fundatus est, & tempore congruo natus ex Virgine, in quo reparati sumus, qui ante initium mundi salutis nostra fundamentum ipsum habebamus.*

58. Deinde Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 14. ita aiebat futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem: *In semetipsum Fabricator omnium Verbum præformauerat, prædestinante Deo primum animalem hominem, videlicet vt à spirituali saluaretur, cùm præexisteret saluans oportebat, & quod saluaretur fieri, vti non vacuum sit saluans.* Nota ly *in semetipsum præformauerat*, & ly *cùm præexisteret saluans*, & deniq; ly *prædestinauit animalem hominem, vt à spirituali saluaretur*, &c. quæ omnia manifestè declarant in prædestinatione diuina in gloriam ipsius Dei Christum vt caput morale, seu secundùm dignitatem Saluatoris fuisse prædestinatum ante prædestinationem hominis, imò hunc proptereà fuisse prædestinatum, vt non fuisset vacua salus, & officium Saluatoris Christo iam antecedenter præfinitum.

59. Quintò probatur ex excellentia huius mysterij, quæ præamari debuit ante permissionem peccati, & propter alium finem principalem independentem à peccato, quod clarè docet Rupertus lib. 3. de gloria & honore Filij hominis suprà citatus, vbi dicit: *Si teste Augustino* (scilicet lib. de natura & gratia cap. 25.) *absurdum esset dicere, Adamo non peccante, generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, vt nascerentur, peccatum fuisset necessarium, quod de isto Capite & Rege omnium Electorum, Angelorum, & hominum sentiendum, nisi quòd & ipse maximè omnium necessarium non habuerit peccatum, vt homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus?* ergo si non fuit necessarium peccatum vt Verbum fieret homo, sicut neque ad alias generationes fuit necessarium, & hoc vt haberet delicias cum hominibus, quos nimis amat, rectè sequitur quòd propter suam excellentiam ante præuisionem ipsius fuerit à Deo prædestinatus, & independenter a remedio ipsius. Prædictis verbis videntur explicari quæ dicuntur in Symbolo fidei, scilicet, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis;* vbi distinguit ly *propter nos homines*, à ly *& propter nostram salutem*, &c. quia si non descenderet propter nostram salutem, descenderet nihilominùs propter nos homines, seu vt nobilitaret nostram naturam, & propter habendas cum illis delicias suæ charitatis.

Vrgentiùs cõfirmatur ex dictis Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. vbi ait expressè, quòd gloria Christi est causa finalis nostræ iustificationis, seu quòd idem est redemptionis à peccato; ergo Christus fuit intentus ante redemptionem à peccato. Respondet Vasquez Primò Concilium non dixisse Christum fuisse finem iustificationis nostræ, sed gloriam Christi. Sed contrà primò, quia eodem modo dixit gloriam Christi esse causam finalem, ac gloriam Dei, sed ex eo quod dixit gloriam Dei, colligimus Deum esse finem prædictæ iustificationis; ergo ex eo quod dixit gloriam Christi esse finem, debemus colligere ipsum Christum fuisse finem. Secundò, quia licèt gloria Christi sit finis *cuius gratia*, tamen Christus est finis cui, sed finis *cui* supponitur futurus cum fine *cuius gratia*; ergo sicut gloria Christi supponitur intenta vt finis *cuius gratia*, ante nostram iustificationem, ita & ipse Christus. 60.

Secundò, respondet Concilium non loqui de gloria Christi, tamquam de fine primario & motiuo, propter quem principaliter res aliqua intenditur, sed de fine impulsiuo secundario & accidentali, quia postquam Deus principaliter decreuerit Incarnationem propter remedium peccati, vidit quòd ex tali remedio resultaret gloria Christi, ideò voluit illi secundariò talem gloriam. Sed contrà primò, quia Concilium ibi enumerat causas proprias & veras no- 61.

stræ

stræ iustificationis, vt omnes fatentur, & constat ex textu; sed finis impulsiuus & secundarius non est causa propria & vera, quia est per accidens, & quâ sublatâ adhuc esset effectus ex vi finis principalis, & per se motiui; ergo non loquitur de fine impulsiuo. Secundò, quia eodem modo, quo asserit gloriam Dei esse finem, asserit gloriam Christi esse finem, sed illa non est finis impulsiuus; ergo neque ista. Tertiò, quia si Christus factus est propter iustificationem nostram, tamquam propter finem, vt vult Vasquez, malè Concilium assereret quòd Christus seu gloria Christi est finis etiam impulsiuus nostræ iustificationis, quia potiùs deberet asserere, quod est medium ad eam iustificationem obtinendam.

62. Vnde sextò probatur ratione. Scoti parte antecedenti explicatâ, scilicet ordinatè volens, priùs vult finem, quàm ea quæ sunt ad finem; sed Christus est causa finalis prædestinationis, & redemptionis nostræ, vt patet ex dictis; ergo fuit ante ipsam prædestinatus; ergo ante præuisionem peccati. Et confirmatur rationibus adductis à Scoto in prima parte, quæ conclusionem nostram suadent; sed immorari debemus in ratione principali, quæ non solius est Scoti, sed etiam & D. Thomæ, quâ similem materiam probauerat primâ parte, quæstione 23. artic. 4. & aliis in locis: vnde maiorem Syllogismi probo, non solùm loquendo de fine & mediis sumptis secundùm ordinem causalitatis, in quibus eam concedit Vasquez, sed etiam secundùm ordinem dignitatis, in quo non concedit, & primò ex Patribus: Nazianzenus enim oratione 3. theologica ait: *Quidquid alicuius rei causâ factum est, abiectius est eo propter quod factum est.* Et Basilius Magnus lib. 4. contra Eunomium super illud, *Dominus creauit me*, sic habet: *Quod propter aliud, & non propter se factum est, vel pars illius propter quod factum est, vel eo minus est.* Loquuntur autem hi duo Patres de volente ordinatè nempe Deo. Secundò ex Aristotele, nam 1. Ethicorum cap. 8. loquendo de natura finis & mediorum, & 1. magnorum moralium cap. 1. ait, *His, quæ ad finem sunt, finem esse meliorem*; vbi Nota non dixisse finem esse primum; quia ratione causalitatis hoc certum est, sed dixit *esse meliorem*, quod verificatur de dignitate & nobilitate obiecti voliti vt finis, & consequenter id venit dicendum de intermediis, quæ comparata cum aliis mediis habent rationem finis; quod assertum late probat Aristoteles præcipuè capite illo octauo, & debet intelligi de ordinatè volente, quia volens inordinatè omnia subuertit. Tertiò ratione, quia velle ordinatè nihil aliud sonat, quàm velle obiecta amabilia, prout inter se amabilia sunt; sed obiectum, quod in se perfectius & nobilius est, amabilius est; ergo ordinatè volens, priùs vult finem, deinde ea quæ propinquiora sunt fini, & tandem remota ab illo fine, cùm autem mysterium Incarnationis quantùm ad suam substantiam sit perfectius, & nobilius, quàm permissio peccati, & quàm redemptio ab illo, hoc debuit in intentione Dei præferri, & præsupponi. Et confirmatur, quia solidissimo fundamento deberet probari inuersio talis ordinis, vt diceremus Deum ordinatè volentem, priùs amasse ignobiliora, & minùs amabilia, quod nullo modo apparet.

Septimò probatur, quia ea præferenda tamquam verior est sententia, 63. quæ commodiùs & cõgruentiùs componit inter se, tum ea quæ dicuntur à Scriptura, tum ea quæ dicuntur à Patribus & Conciliis, sed secundùm sententiam D. Thomæ minùs literaliter, ni fortè sinistrè interpretantur Scripturæ testimonia, & tam Conciliorum, quàm Patrum, dicta nequeunt in concordiam reuocari; secundùm sententiam verò Scoti peroptimè omnia componuntur, dum ea, quæ independentiam sonant à peccato, intelliguntur de Incarnatione Christi secũdùm substantiam, & ea quæ dependentiam dicunt ab illo, de ipsa secundùm modum; ergo iuxta captum nostrum intelligentes decreta Dei, prout à Scriptura, Conciliis & Patribus nobis significantur, dicendum venit, quòd Incarnatio Verbi quoad substantiam independenter fuit decreta à peccato originali, & quòd adhuc illâ non existente Christus in mundum veniret.

64. Tandem probatur octauò ab inconuenientibus, quia si Christus factus est propter nos, & nos propter ipsum, sequitur primò quòd Christus nobis gratiam debeat, non nos illi, patet, quia hoc infert Athanasius lib. 3. contra Arrianos prope medium, ex eo quod illi asserebant, quòd Deus Filium suum creauit propter nos. Secundò, quòd Deus Christum non voluerit, sed solùm nos, patet, quia ex prædictis hoc similiter inferebat idem Athanasius contra Arrianos ibidem. Tertiò, quòd nos essemus multò præstantiores, quàm Christus, patet, quia contra eosdem hoc infert Cyrillus lib. 5. thesauri cap. 3. Deinde quartò, quòd non deberet ipse heres appellari, & nos serui, & hereditas illius; sed potiùs è contrà, patet ex eodem Cyrillo ibi. Quintò, quòd necessarium fuisset peccatum vt esset Christus, quod in simili negat Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 23. Sextò sequeretur quòd tantum lætaretur Christus de hominum perditione, quantum gauderet de sua Incarnatione, patet à simili, quia Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 18. improbat opinionem asserentium homines nullatenus factos esse, nisi propter restaurationem Angelorum, qui ceciderunt, & improbat ex eo quòd deberent gratulari homines de tali Angelorum perditione, non enim forent in hac opinione absque illa, sed in opinione D. Thomæ Christus non foret absque hominum perditione; ergo, &c.

65. Accipite verba prædictorum Patrum, vt non infirma illatio prædictorum inconuenientium appareat: in primis enim Athanasius lib. 3. contra Arrianos prope medium sic habet: *Si Deus volens creaticiam naturam produceret, Filius in eos vsus procreauit pro vestra opinione, vt per eum nos ædificaret, animaduertite quàm audax sit impietas in vestris verbis, primùm quia apparebit Filium propter nos, & nos propter Filium conditos esse, non enim nos eius causâ creati fuerimus, sed ille nostri, adeò vt ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus.* Et statim, *Si illud conceditur, planè sequitur vt pater filium sibi noluerit, non enim volens eum creare creauit, sed cùm nos vellet, nostri gratiâ eum instituit.* Cyrillus lib. 5. thesauri cap. 3. cùm intulisset hanc consequentiam *Cur ergo gratiam nobis non aget, qui propter nos est*; quam, vt vidimus, intulit etiam Athanasius ex eo quod Arriani dicebant filium propter nos factum. Sic prosequitur argumentando, *Si propter nos factus est filius, & non propter filium nos, erimus nos multò ipso præstantiores.* Et postea, *Quare illum filium & heredem, nos verò seruos, & hereditatem illius appellat? cùm contrà oporteret nos quidem heredes esse, filium verò propter nos factum, & seruum, & hereditatem esse nostram.* Sed perge, & ostende vltima duo inconuenientia ex Augustino & Anselmo, Augustinus enim lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 23. sic ait, *Quisquis dixit non fuisse Adam & Euam generaturos nisi peccassent, quod dixit nisi propter Sanctorum numerositatem necessarium hominis fuisse peccatum: si enim non peccando soli remanerent, quia sicut putant nisi peccassent generare non possent, profectò vt non solùm duo homines iusti possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit, quod credere absurdum est.* Anselmus denique lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. sic scribit, *Si nullatenus facti sunt homines, nisi pro restauratione perditorum Angelorum, palam est, quia nisi illi Angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent; si quis ergo dixerit, quia tantum lætabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hæc non esset, nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac peruersa gratulatione defendi?*

Propter hæc ita coniuncti sunt aliqui, vt non solùm afferant Christum fuisse primariâ Dei intentione prædestinatum quoad substantiam ante præuisionem peccati, sed etiam fuisse prædestinatum quoad modum, & ad esse Redemptoris, vt esset medicus, & medicina, si forte fuissent morbi, seu peccata, sicut Rex antequam in exercitu sciat esse vulnera, mittit medicum & medicinas. 66.

Ideò dico secundò: Christus Dominus prædestinatus est ad munus Redemptoris, & vt veniret passibilis post præuisionem peccati originalis. Ita tenent Scotus, & ferè omnes Auctores in hac quæstione relati. Et probatur primò ex locis S. Scripturæ citatis pro prima sententia, quibus adiunge illud, quod ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri commu-* 67.

communicauerunt carni, & sanguini, & ipse (scilicet Christus) *similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, id est, *diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Et illud ad Galatas cap. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Vnde Augustinus serm. 9. de Verbis Apostoli in principio inquit, loquens de Christo: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Sed ante præuisionem peccati nulli erant morbi, nulla vulnera; ergo tunc non erat causa determinandi medicinam, intellige subleuatiuam.

68. Secundò probatur ratione, quia vel in illo priori ante præuisionem peccati prædestinatus est Christus ad redimendum genus humanum in actu secundo redemptione subleuatiuâ, & hoc non, quia redimere redemptione subleuatiuâ, quâ Christus genus humanum redemit ex natura rei supponit peccatum, & captiuitatem actualiter existentem, vel prædestinatus est ad redimendum illud in actu primo, & hoc similiter non, quia actus primus intrinsecè dicit respectum ad alterum secundum; ergo si iste non est possibilis haberi in illo priori, neque ille. Et confirmatur, quia medicus & medicina non possunt rationabiliter appeti, nisi ægrotis; sed Christus secundùm munus Redemptoris, & secundùm circumstantiam passibilitatis fuit medicus & medicina; ergo.

69. Quare non obstat quod in contrarium adducitur, quia si Rex temporalis rationabiliter mittit medicum & medicinas in exercitum, ideò est, quia coniecturaliter præsumit futura esse vulnera, tamen Deo, cui scientia coniecturalis repugnat propter ipsius imperfectionem, & quia ille certò scit omnia, etiam repugnat præparare vt futura medicamenta pro infirmitatibus pro tunc non certò futuris, & rationabilius est, quòd Deus elegerit medicum & medicinas propter dandam sanitatem infirmis in actu, quàm quòd permiserit esse infirmos, & voluerit eorum sanitatem ex eo, quòd voluerit medicum & medicinas; & multò minùs interest scientia conditionata, vel media, quâ cognouit Deus futurum esse peccatum originale, quia hæc nihil conducit ad decreta Dei absoluta, aliàs verum haberet error Semipelagianorum asserentium Deum prædestinare, vel reprobare homines & Angelos propter merita, vel peccata, quæ scientia conditionata præuidit, nam non est maior ratio vnius, quàm alterius.

Dico tertiò: Ex vi præsentis decreti, quo Incarnatio quoad substantiam in intentione Dei fuit prædestinata, Christus veniret, etiamsi Adamus non peccaret, licèt non veniret passibilis, & cum munere Redemptoris. Ita Scotus, & reliqui Auctores pro sua sententia citati. Hæc conclusio habet duas partes; & prima sequitur ex prima conclusione; & secunda ex secunda. Et probatur, quia si Incarnatio quoad substantiam facta est ex vi præsentis decreti independenter à peccato, & Incarnatio quoad modum, seu secundùm circumstantiam passibilitatis, & munus Redemptoris facta est ex vi præsentis decreti dependenter à peccato; ergo si Adamus non peccaret, Christus veniret quoad substantiam, & non veniret quoad modum. Patet consequentia, quia illa decreta fuerunt efficacia, & futurizabant suos effectus proprios. 70.

PARS QVARTA.

Argumentis in contrarium & pro prima & tertia sententia adductis fit satis.

Cvm tam pro Aduersariorum sententia, quàm pro nostra plura & Patrum & S. Scripturæ testimonia adducantur, oportet tam ipsis, quàm nobis, vtraque inter sese conciliare, quare congruentior conciliandi modus apparet in nostra sententia, quæ pro nobis adducta testimonia intelligit de Incarnatione quoad substantiam, & adducta pro aduersariis intelligit de Incarnatione quoad modum. Ideò ad primum argumentum pro prima sententia respondeo cum Scoto, illa testimonia intelligi de Christo vt passibili, quia ex vi præsentis decreti venit passibilis in remedium peccati, & vt peccatores saluos faceret. 71.

72. Et si cum Vasquez obiicias, ergo hæc est falsa, Christus venit propter redemptionem hominum, & solùm hæc erit vera; Christus vt passibilis venit propter redemptionem hominum. Probo, quia quod est causa solius circumstantiæ aduentus, v. g. quòd veniat pauper aut diues, nudus aut vestitus, non est absolutè dicenda causa aduentus; sed in Christo non solùm includitur circumstantia, sed principaliter eius substantia, & tamen in multis aliis testimoniis habetur talis propositio; ergo. Respondeo vtramque propositionem esse veram, licèt ex primaria Dei intentione sit Christus quoad substantiam efficaciter intentus independenter à peccato, tamen posteà præuiso peccato non solùm fuit intenta circumstantia passibilitatis propter remedium peccati tamquam propter finem, sed etiam ipsa substantia Incarnationis fuit iterùm amata eodem amore, quo fuit intenta passibilitas.

73. Sed dices: Idem effectus non potest dependere à duabus causis totalibus; ergo Incarnatio quoad substãtiam non potest dependere à duplici causa finali totali; ergo Incarnatio quoad substantiam non potest intendi à Deo efficaciter propter motiuum redimendi genus humanum à peccato, & alio decreto antecedẽter efficaci propter motiuum manifestandi Dei gloriam, vel nobilitandi naturam humanam, vel delicias habendi cum hominibus, &c. patet hęc vltima consequentia, quia quodlibet motiuum vtriusque erat causa finalis totalis & adęquata, propter quam etiãsi alia non existeret, Incarnatio qnoad substantiam esset futura. Respondet Suarez disp. 5. sect. 5. negando, quòd idem effectus non possit dependere à duplici causa totali finali, quod pluribus probat exemplis, quod etiam latè impugnat Vasquez disp. 10. cap. 8. Ideò secundò respondent alij duplicem esse posse finem totalem, vnum motiuum, & alium impulsiuum, vt si quis decreuerit ire Toletum vt ipsum videret, & posteà recordatur ibi ægrotare amicum, iterùm propter hoc decernit ire Toletum, priùs enim erat efficaciter mota voluntas ad eumdem Toletum vt illud videret, & ideò dicitur iste finis motiuus, & posteà infirmitas amici impellit voluntatem vt eat, & ideò dicitur finis impulsiuus; aiunt ergo ad argumentum, quòd etiamsi Incarnatio quoad substantiam sit priùs efficaciter intenta à Deo propter manifestationem suæ gloriæ, &c. tamquam propter finem motiuum, tamen posteà fuit iterùm intenta propter infirmitatem hominum tamquam propter finem impulsiuum.

Sed hæc solutio vel non respondet argumento, vel nihil differt à prima, quia finis impulsiuus non est in alio genere causæ, quàm in genere causæ finalis, & tunc vel est causa totalis effectus, & vt sic iam duplex causa totalis finalis est causa eiusdem effectus, vt asserit prima solutio, vel non est causa totalis, & vt sic non soluit argumentum, quod probat remedium peccati ita esse causam finalem Incarnationis Christi quoad substantiam, quòd si hæc Incarnatio antecedenter non esset efficaciter intenta & prædestinata propter alium finem totalem, nihilominùs efficaciter intenderetur, imò & de facto secundùm locutiones Scripturarum & Patrum intenditur propter illud remedium, & sic probat vtrumque esse finem totalem decreti Incarnationis quoad substantiam. 74.

Ideò aliter respondeo negãdo, quòd idem effectus dependeat à duplici causa finali totali, quia eadem inconuenientia & repugnantia quæ reperiuntur in hoc in reliquis causis, reperiuntur in causa finali, & principaliter quòd idem effectus dependeret, & non dependeret ab eadem causa, quod est præcipuum incõueniens adductũ à Scoto, & quando dicit Incarnatio quoad substantiam est effectus huius finis, & illius finis totalis. Respondeo quòd non eodem modo, quia propter primum finem, qui dicitur motiuus (scilicet propter manifestationem gloriæ) amatur Incarnatio formaliter, & in rectò: vnde efficaciter decernitur à Deo, vt sit futura: at verò propter finem secundum, qui dicitur impulsiuus (scilicet propter redemptionem à peccato) amatur Incarnatio materialiter, & in obliquo, & quod formaliter, & in rectò amatur, est circumstantia passibilitatis; quare hic secundus amor circa Incarnationem quoad substantiam potiùs 75.

potiùs est complacẽtia Dei in eo, quòd iam talis Incarnatio sit ab ipso intenta, quàm efficax decretum futuritionis illius; est autem complacentia talis, quòd futurizaret effectum, si iam antecedenti decreto non esset futurizatus, & talis complacentia & amor materialis & in obliquo sufficit, vt vera sit illa propositio: Christus venit propter redemptionem hominum, & idem dico de exemplo adducto eundi Toletum, vbi verum esset, quòd Petrus adiret Toletum, vt visitaret amicum infirmum;
54. patet autem ex secundo physic. quod non est inconueniens duplicem causam causare eumdem effectum, si diuerso modo procedat ab vna, ac ab alia.

Secundò respondeo, quòd licet Incarnatio quoad substantiam sit iterùm in secundo decreto volita per se, & in recto propter diuersum finem totalem, quia tamen est volita alio decreto distincto, non sequitur quòd idem effectus dependeat à duplici causa finali, hoc enim sequeretur si propter duos fines totales esset vno decreto volitus vnus effectus: tamen si quilibet finis sit causa diuersi decreti, vt in præsenti cõtingit, licèt decretum sit circa eumdem effectum saltem inadæquatè vt secundum decretum se habet circa substantiam Incarnationis, quia adæquatè etiam respicit passibilitatem, non sequitur quòd duplex finis totalis causet eumdem effectum, quia decretum est diuersum.

76. Ad secundum argumentum respondeo similiter sicut ad primum, quòd prædicti Patres loquantur de Christo vt passibili, non de Christo vt sic, & secundùm substantiam Incarnationis, quod optimè probat Lorca disp. 10. memb. 4. vbi adducit aliqua verba eorumdem Patrum antecedẽtia, vel subsequentia, ex quibus apertè cognoscitur Patres locutos fuisse de Christo in carne passibili, quia vel loquebantur de carne non phantastica contra aliquos hæreticos, vel de carne in similitudinem carnis peccati, vel in redemptionem peccatorum per passionem & crucem, vel de carne formam serui habenti obedientis vsque ad mortem, vel loquuntur de Christo vt sacerdote seipsum sacrificio mortis offerente, & tandem de illo vt redemptore: vnde Virgo Maria dicitur non abhorrere peccatores, quia sine ipsis non foret mater tanti filij, id est, filij habentis tantas dignitates, ac modò habet, quia illas, quas habet dependentes à peccato non haberet, & peccatum dicitur necessarium vt Christi morte deleretur, non vt Christus esset, vel dicitur necessarium ex suppositione, quòd Christus veniret moriturus in cruce, & posteà resurrecturus, & ideò verba ista canuntur in Angelica in Sabbato sancto; quare aduentus Christi vestiti circumstantiâ passibilitatis afferunt peccatum fuisse solam causam, & omnem aliam excludunt, neque foret secundùm talem circumstantiam, illa deficienti, quibus etiam fit satis tertio argumento.

Ad quartum respondeo, verum esse, 77.
quod ex his, quæ à sola diuina voluntate pendent, veritas est nobis desumenda ex reuelatis, & ex doctrina Patrum, vel saltem ex recta ratione illis non contraria: Nego tamen quòd contraria sententia deducatur ex S. Scripturæ & Patribus, imò potiùs, vt latè ostendimus, nostrà sententia deducitur ex illis, & ex optima ratione, conciliauimusque omnes locutiones S. Scripturæ & Patrum, quod & ipsi debent præstare, vt non sint inter se contrariæ, & non ita faciunt; quare argumentum hoc potiùs debebat fieri pro nostra sententia.

Ad quintum respondeo, quòd ex vi 78.
prioris decreti, quo Christus prædestinatus est quoad substantiam, neque veniret passibilis per passionem mortis & crucis, neque impassibilis hac passione, sed abstrahens ab illa, quia illud decretum, sicut nec respexit peccatum, ita neque respexit hanc passibilitatem, neque priuationem eius (non dico negationem, sed priuationem eius) veniret tamen passibilis, & impassibilis alio modo; passibilis, quia veniret compositus quatuor qualitatibus, & elementis contrariis, hæc enim intrinseca sunt naturæ humanæ, & consequenter passibilitas, quæ est obnoxietas, & subiectio ad corruptionem orta ex illis, est illi intrinseca, ac proinde intenta ab illo primo decreto, vt dixi parte secundâ in annotationibus circa quintum signum, & similiter ex vi alterius decreti veniret impassibilis, quia non erat cõgruum vt

vt deficiente causâ redemptionis peccatorum aliquando corrumperetur, & moreretur in actu secundo, etiam corruptione naturali, illa natura, quæ diuino Verbo fuit vnita, sed præueniretur à Deo constituente illam in statu omnino gloriosâ & impassibili, & hoc vult Scotus, quando asserit, quòd deficiente peccato veniret Christus impassibilis. Nisi velis dicere, quòd etiamsi veniret obnoxius morti naturali, non verò huic morti passionis & crucis, & in hoc sensu veniret impassibilis.

79. Ad sextum respondeo, quòd in meritis Christi illa, quæ concernunt passibilitatem mortis & crucis, erant merita Redemptoris etiam subleuatiui, & consequenter supponebant captiuitatem peccati, tamen alia merita habuit, vt patet ex dictis, parte secundâ, quæ illam non concernunt, & illa posset habere in statu naturæ integræ, & licèt de facto hæc etiam induerint circumstantiam redemptionis, hoc est, meruerint nobis gratiam prout reconciliantem, ideò fuit, quia vt duplici disputatione antecedenti, ratio completiua meriti oritur ex acceptatione Dei, quæ potuit talia merita acceptare, etiam pro remissione peccatorum.

80. Dices: Sequitur ex dictis, quòd si Adamus non peccaret, veniret quidem Christus, sed non ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est eius passibilitas. Respondeo quòd veniret quidem Christus ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est eius Incarnatio quoad substantiam, de quo procedit quæstio, non tamen veniret vt passibilis ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est eius passibilitas, quia deficiente peccato tale decretum non esset.

81. Ad argumentum tertiæ sententiæ concedo vt veram totam illam doctrinam, & quòd non rectè sequatur, Christus fuit prædestinatus independenter à remedio peccati tamquam à fine & motiuo; ergo veniret deficiente peccato, & remedio ipsius, quia poterat dependere ab illo tamquam ab vnico medio, vt exempla ibi adducta probant, & sic non veniret deficiente illo: Nego tamen quòd remedium peccati fuerit vnicum medium, quia, vt diximus, hoc est limitare diuinam sapientiam, & potentiam, & fortassis magis diuinorum attributorum gloria manifestaretur, veniret vt redemptor præseruatiuus. Præterea quia motiuum manifestandi sua attributa, scilicet sapientiam, potentiam, &c. nobilitandi humanam naturam, & habendi cum hominibus delicias, non indigebat hoc medio.

QVÆSTIO II.

Cuius peccati remedium fuerit principale motiuum aduentus Christi vt redemptoris, quo deficiente ipse non veniret vt redemptor.

PLura sunt peccata in quorum remedium Christus veniret, iuxta illud Pauli ad Titum 2. *Dedit semetipsum vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Et 1. Ioan. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris, sed totius mundi.* Inquirimus ergo in præsenti, an in omnium peccatorum remedium Christus principaliter venerit? an verò principaliter venerit propter aliquod speciale, quo deficiente Christus non veniret vt redemptor, & hoc ex vi præsentis decreti, non ex vi alterius, quia, vt diximus in antecedenti Quæstione, cùm hoc dependeat à libera Dei voluntate, nihil certum potest à nobis affirmari. 1.

Quæstionem istam non tractauit Scotus, quia licèt in antecedenti Quæstione dixerit, quòd Christus fuit prædestinatus vt redemptor post preuisum peccatum, non tamen explicuit quòd fuerit hoc peccatum. Neque similiter D. Thomas tractauit, licèt enim quæstione 1. art. 4. quæsierit vtrùm principaliùs venerit Christus propter peccatum originale, quàm propter actuale, & dixerit quòd aliquo modo principaliùs venerit propter originale, & aliquo modo principaliùs propter actuale, non verò inquirit an si solùm esset originale, & non essent actualia, vel si solùm essent actualia, & non esset originale, venisset Christus vt redemptor ex vi præsentis decreti, vel an æquè principaliter & per se in omnium simul peccatorum remissionem seu redemptionem venerit. 2.

Pro cuius decisione Nota primò, quòd 3.

quòd peccata (quoad præsens attinet) sunt in quadruplici differẽtia: Primum est peccatum originale, prout in primo parente Adamo, in quo omnes peccauimus, tamquam in capite nostro morali. Secundum est peccatum originale, prout in quolibet nostrûm contrahitur, quando, & in instanti, quo anima nostra corpori coniungitur, in quo verificatur quòd aliquis sit homo & filius Adæ. Tertium est peccatum actuale mortale, quo amittit quis gratiam iustificantem, & potuit esse in statu innocentiæ, imò & de facto fuit in Adamo, quando peccauit originaliter, siquidem peccatum quod respectu nostri fuit originale, respectu ipsius Adami fuit actuale. Quartum est peccatum veniale, quo non amittimus gratiam, sed feruorem charitatis.

4. Nota secundò, quòd Christus Dominus venit vt redemptor dupliciter, primò redemptione præseruatiua, hoc est, per gratiam efficaciter auxiliatricem, & per gratiam iustificantem subiectum antequam peccatum esset in illo; secundò redemptione subleuatiuâ per gratiam, scilicet postquam peccatum fuit in subiecto: deinde potuit esse redemptor, vel per merita ipsius quoad substantiam, quæ scilicet haberet, etiamsi non veniret vt passibilis per mortem, vel per merita quæ habuit vt passibilis per illam.

5. Nota tertiò, plura dici ab Auctoribus in præsenti, quæ ad rem non pertinent: Primò enim dicunt aliqui Christum venturum vt redemptorem, etiamsi non fuisset peccatum originale, dummodo essent peccata mortalia tanta, vt comprehenderent, aut omnes homines, aut maiorem eorum partem, secùs si essent in paucis hominibus: è contrà verò alij hoc absolutè negant. Secundò alij, quòd veniret propter vnum tantùm peccatum mortale, dummodo esset alicuius prædestinati, non propter vniuersa peccata reproborum. Tertiò alij dicunt, quòd in hypothesi quòd non esset peccatum originale, neque fuisset similiter mortale, neque veniale, quia venialia excluduntur ratione status iustitiæ originalis, & mortalia excluderentur, quia solùm nascerentur prædestinati, & hi confirmati in gratia: hæc, inquam, omnia non pertinent ad hanc quæstionem, in qua solùm inquirimus, in cuius peccati remedium ex his, quæ de facto sunt, venit Christus vt redemptor, non ex aliis quæ aliàs potuerunt esse, quia, vt dixi, de his nihil certum possumus affirmare, fortassis enim Christus veniret vt redemptor propter vnum solum peccatum etiam veniale.

Quibus suppositis tota difficultas pendet in eo, an Christus venerit vt redemptor ex vi præsentis decreti in remedium peccati originalis prout contracti in Adamo, an verò etiam prout contracti in nobis, & simul dicemus quomodo se gesserit circa peccata actualia. 6.

Dico primò: Christus vt redemptor redemptione subleuatiuâ non potuit efficaciter à Deo decerni, nisi in remedium peccati prout iam contracti, & hoc siue sit respectu peccati originalis prout in Adamo, & prout in nobis, siue respectu peccati actualis. Hanc conclusionem debent consequenter tenere, qui antecedenti quæstione parte 3. nobiscum consenserunt in conclusione secunda, vbi asseruimus Christum non fuisse prædestinatum vt passibilem ante præuisionem peccati originalis, quia si ante existentiam peccati potest Christus prædestinari vt redemptor subleuatiuus per passionem crucis; ergo sic potuit prædestinari ante existentiam peccati originalis Adami, quod ibi negauimus. 7.

Probatur hæc conclusio, quia medicus, & medicina non appetitur à Deo rationabiliter, nisi ægrotis non coniecturaliter futuris, sed certò & infallibiliter futuris; ergo redemptio subleuatiua Christi non potuit à Deo efficaciter intendi, nisi pro peccatis præuisis. Et confirmatur primò, quia redemptio subleuatiua in hoc distinguitur à præseruatiua, quòd illa supponit peccatum, ista non; ergo illa non potuit intendi, nisi supponeret peccatum. Et confirmatur secundò, quia non aliter intenditur redemptio Christi, vt subleuet nostras miserias actuales, quàm vt subleuaret actualem miseriam Adami, sed hæc fuit præuisa ante intentionem veniendi Christum vt redemptorem; ergo similiter & illæ debent præuideri. Et confirmatur tertiò, quia finis *cui* debet 8.

bet supponi ad finem *cuius gratiâ*, vt suprà probauimus, sed homo vt infirmus est finis, cui talis redemptio intenditur, ergo, &c.

9. Dico secundò: Licèt fuerit à Deo præuisum peccatum ante intentionem prædestinandi Christum vt redemptorem subleuatiuum, non tamen vt præseruatiuum per merita quoad substantiam. Hanc conclusionem admittunt omnes, qui in meritis Christi hanc duplicem docent redemptionem, & beatissimam Virginem redemisse à peccato originali, imò à debito contrahendi illud affirmant, & ratio pro hac conclusione ex ipsis terminis patet.

10. Dico tertiò: Passio Christi Domini principaliter fuit intenta in remedium peccati originalis prout in Adamo contracti, ita vt ipso deficiente non veniret ex vi præsentis decreti vt redemptor per talem visionem. Hæc conclusio est communiter recepta inter Recentiores.

11. Et probatur Primò ex Auctoribus asserentibus Christum venisse in remedium peccati; ergo cùm illud Adami fuerit principale, ex quo reliqua peccata, siue originalia, siue actualia in nobis sunt consecuta, sequitur quòd primò & principaliter venerit Christus vt redemptor per passionem propter illud. Ex quo similiter infertur decretum, quo de facto Christi mors fuit intenta, ita fuisse dependens à tali peccato, quòd ipso deficiente non veniret Christus ex vi præsentis decreti vt redemptor per passionem, licèt fortassis propter alia peccata posset venire per aliud decretum.

12. Secundò probatur, quia Virgo Deipara fuit præseruata ab originali (imò probabiliter dico) à debito proximo contrahendi illud ex meritis Christi vt redemptoris per eius passionem & mortem; ergo hæc necessariò debuit præuideri, vt propter illam præseruaretur: sed id, quod immediatè post peccatum Adami visum est à Deo, est peccatum originale prout in vnoquoque nostrûm contrahitur; ergo iam debebat esse intenta passio Christi, vt per eam preseruaret Deus Virginem, quando illa contrahere debebat originale, & consequenter cùm ante illud non fuerit præuisum aliud peccatum, quàm Adami, propter illud debuit passio Christi efficaciter intendi, vt deinde à Deo applicaretur in remedium præseruatiuum Virginis, & subleuatiuum ceterorum. Præseruatiuum, inquam, Virginis non solùm à peccato originali, quod contractura erat in primo instanti suæ conceptionis, sed etiam à debito proximo contrahendi illud, quod in eodem instanti in prioritate naturæ præcedit, quando scilicet subiectio & obnoxietas legis & pacti cum Adamo de transfundenda iustitia erat de illa verificanda, nisi præueniretur per dispensationem Dei ex meritis Christi vt passibilis factam. Nisi velis quod debitum proximum solùm contrahitur, quando Deus condidit talem legem cum Adamo, in qua Deus exclusit Virginem secundùm partem odiosam, & inclusit secundùm fauorabilem, & solùm fuisse factam in intentione talem preseruationem à debito, & à peccato ex meritis Christi quoad substantiam, & in executione ex meritis Christi etiam quoad modum secundùm doctrinam Suarez, de qua infrà, & sic venit intelligenda illa particula posita in oratione sui officij, vt sicut ex morte filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti, &c. Et tunc potest consequenter & conformiter ad locutiones Scripturarum & Patrum dici Christum vt redemptorem per passionem & mortem fuisse principaliter intentum, non solùm propter remedium peccati originalis prout in Adamo contracti, sed etiam prout in nobis, quia nihil obstat in contrarium; si enim beatissima Virgo preextiterit predestinata ad gratiam habitualem ipsius animæ coæuam, & hoc ex meritis Christi quoad substantiam, vt latè dicemus infrà in proprio tractatu, disputatione 2. & 3. quæstione 1. optimè intelligitur quòd quando posteà versabatur Deus circa eamdem legem de transfusione gratiæ, & iustitiæ originalis cum Adamo, & posteris eius, si non comederet ipse de ligno, quod prohibebat, secùs si comederet, quod in ea tantùm veniebat intelligenda beatissima Virgo secundùm partem fauorabilem, non autem secundùm partem odiosam, quia hæc intelligentia incompatibilis erat cum antecedenti decreto efficaci, seu prædestinatione ad gratiam animæ coæuam, licèt

posteà

Posteà propter merita Christi quoad modum etiam præuisa idipsum faceret Deus, & sic beatissima Virgo pluribus meritis diuersis & titulis haberet suam præseruationem à peccato originali, & probabiliter loquendo à debito contrahendi illud.

13. Sed contra primam cōclusionem sic argumentor primò: Illa enim videtur contraria tertiæ conclusioni, quia si Christus non potuit intendi à Deo vt redemptor subleuatiuus peccatorum actualium, nisi post præuisionem ipsorum; ergo eius passio non fuit immediatè intenta post peccatum originale prout in Adamo contractum, sed etiam prout in nobis, imò & post omnia peccata actualia, quod est contra tertiam conclusionem. Respondeo nullo modo contrariari tales cōclusiones, aliud enim est Christi mortem fuisse à Deo intentam in remedium peccati Adami, primò & principaliter, & aliud solùm fuisse intentam in illius remedium, primum est quod nos asserimus, non secundum, quia priùs Deus intendit reparare peccatum illud, & sic decreuit Christum mori, & posteà præuidens alia peccata originalia, & actualia, acceptauit talem mortem etiam pro remissione illorum, & complacuit in eo quod illam decreuisset, & sic post talem præuisionem voluit ipsum venire etiam vt Redemptorem subleuatiuum ipsius, nisi iuxta doctrinam traditam velis præsupponi peccatum originale etiam in nobis.

14. Contrà secundò, peccata actualia possumus vitare per gratiam efficacem datam ex meritis Christi vt redemptoris per mortem; & quando illa non vitamus, præcedit in nobis substractio talis gratiæ; ergo Christus vt redemptor per mortem præcedit peccata actualia. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo dupliciter consequens: Primò, præcedit vt Redemptor subleuatius, nego, quia vt sic debet supponere peccatum; præcedit vt præseruatiuus, concedo, quia vt sic merendo, scilicet gratiam actualem nobis, præseruat nos etiam à peccatis possibilibus. Secundò, distinguo: Præcedit vt Redemptor subleuatiuus peccati originalis Adami, & omnium miseriarum, & indigentiæ gratiæ actualis, quæ ab illo sunt secutæ, concedo; præcedit vt Redemptor subleuatiuus ipsorum peccatorum actualium, nego.

Contrà tertiò, quia peccata crucifigentium Christum non potuerunt præuideri ante ipsam crucifixionem, quia fuerunt simul cum illâ; ergo, &c. Respondeo: Benè potuit Deus decernere mortem Christi fieri absque peccato actuali crucifigētium, quia potuit velle vt sibi sacrificaretur, & quidquid sit de hoc nil obstat ad propositum, dicimus enim quòd post præuisionem illorum Deus voluit illam passionem etiam acceptare pro illis, & Christus sic etiam obtulit & applicuit. 15.

Contrà tertiam conclusionem sic argumentor: Christus vt passibilis per mortem fuit intentus post reprobationem sacrificiorum legalium, iuxta illud ad Hebr. 10. & Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, tunc dixi, Ecce venio;* sed vetera sacrificia offerebātur pro peccatis actualibus illius populi; ergo hæc fuerunt præuisa ante Christum vt passibilem per mortem. Respōdeo negando Christum fuisse intentum vt passibilem per mortem post reprobationem sacrificiorum, quia potiùs illa sacrificia mortem Christi significabant, & sic illam in intentione supponebant; cùm ergo venerit in subleuationem talium peccatorum, illa necessariò debuerunt præuideri: vnde, vt inquit D. Thomas, sensus illorum verborum est, quod Christus ingrediens in mundum in primo suæ conceptionis instanti, sciens quòd vetera sacrificia non placebant Deo per semetipsa, sed ratione cruenti sacrificij, quod figurabant, dixit, Ecce venio, scilicet mori libenter, quia corpus aptum adaptasti mihi, scilicet ad mortem crucis. 16.

Hîc solet tractari de conuenientia temporis, in quo disposuit Dominus aduentum Christi, sed de illa iam egimus in disp. 1. quæst. 7. vbi sicut egimus de conuenientia mysterij Incarnationis, ita similiter egimus de conuenientia temporis, in quo peracta fuit. 17.

DISPVTATIO V.

DE INCARNATIONE SEV VNIONE HYPOSTATICA SECVNDVM SE CONSIDERATA.

POstquam explicuimus conuenientiam & necessitatem Incarnationis oportet explicare substantiam eius, quæ substantia cùm consistat in vnione duarum naturarum diuinæ, scilicet & humanæ; ideò de ipsa est priùs agendum, quàm de quolibet alio: quia tamen hæc vnio est duplex; alia, quâ, seu in qua naturæ prædictæ sunt vnitæ, quæ est personalitas Verbi; & alia, quâ natura humana personalitati Verbi fuit vnita, quæ prioritate aliquâ præintelligitur. Ideò de hac priùs agemus in hac Disputatione, posteà in subsequenti acturi de alia: hæc autem dupliciter vsurpatur, primò pro actione quæ vocatur vnitio; (ab aliis dicitur vsurpari ad verbum) secundò pro termino talis actionis, quo modo absolutè dicitur vnio (ab aliis dicitur vsurpari vt nomen) de vtraque est nobis agendum, sed primò de ipsa vt actio est.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm terminus totalis ad quem vnitionis seu actionis incarnatiuæ fuerit, sed vnica natura, vel duplex persona?

1. IDeò Quæstio hæc primò posita est, vt refutato duplici errore, qui circa ipsam fuit, veniamus ad notitiam Catholicæ veritatis, quare in præsenti non inquirimus de actione, quæ fuit creatio animæ Christi, neque de humanitatis Christi generatione ex purissimis sanguinibus Virginis, sed de illa actione, quâ prædicta humanitas vnita est cum diuino Verbo, quæ actio dicitur vnitio: de cuius termino totali inquirimus an fuerit vel vnica natura, vel duplex persona?

2. Primus error asseruit, quòd fuerit vna natura, ita vt licèt ante Incarnationem fuerit duplex, & distincta natura, humana scilicet, & diuina, tamen per illam facta est vna natura taliter, quòd per talem actionem vtraque natura confusa est, & redacta ad vnam naturam: vnde Christum appellabat vnum subsistens ex duabus, sed non in duabus naturis. Ita tenuêre hæretici dicti Monophisitæ, id est vnius naturæ assertores. Cuius erroris primus auctor censetur Apollinaris Laodicinus, posteà tamen illum copiosiùs docuit Eutiches Abbas cuiusdam monasterij Constantinopolitani temporibus Leonis Primi & Theodosij Iunioris Imperatoris circa annum Domini 441. quare hæc hæresis semper dicta fuit Eutichiana, cui adiunctus fuit Dioscorus Episcopus Alexādrinus, & secuti Seuerum quemdam hæretici dicti Azephani, id est sine capite, quia in suis Ecclesiis non habebant capita, vt testis est Nicephanus lib. 18. historiæ cap. 45.

Apollinaris hunc docuit errorem, asserens quòd diuinitas vices animæ rationalis agebat, & sic integritatem naturæ humanæ Christi è medio tollebat. Eutiches verò dicebat humanitatem & diuinitatem confundi per conuersionem humanitatis in diuinitatem, si credimus Francisco Suarez disp. 7. sect. 2. Si autem credimus Lorcæ disput. 12. potiùs sensit confundi per conuersio- 3.

uersionem diuinitatis in humanitatem. Vasquez autem disputatione 12. vtrumque negat, & ait solùm errasse, quia existimauit fuisse vnam naturam in Christo compositam ex humana & diuina tamquam ex partibus. Alij verò asserunt errasse in eo quòd transmutauerit vtramque naturam in tertiam aliam, sicut elementa in mixtum transmutantur; tandem alij fuisse varium in expositione sui erroris, ita vt aliquando hoc modo, aliquando alio modo ex prædictis explicuerit. Idemque sentiunt de Apollinari.

4. Sit conclusio de fide contra hunc errorem: In Christo est duplex natura, scilicet humana, & diuina, quæ inter se neque confunduntur, neque permiscentur: vnde terminus totalis actionis incarnatiuæ non est vnica natura, sed vnum subsistens non solùm ex duabus, sed in duabus naturis. Definita est hæc veritas in Synodo Calcedonensi contra Eutichetem congregatâ sub Leone Primo, & repetitur in actione 4. Synodi 6. & consultatione vltimâ Concilij Lateranensis, & in Hispalensi 2. can. 13. Toletano 6. canone 6. & Toletano 11. can. 5. impugnauerunt etiam hunc errorem ex Patribus Athanasius in epistola ad Epictectum, Epiphanius hæresi 77. Ambrosius de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. & plures alij relati à Lorca vbi suprà num. 8. Hæc conclusio probata est à nobis ex veteri & nouo Testamento disputatione 1. quæstione 5. vbi probauimus Messiam verum fuisse hominem, & verum Deum; quod non esset verum, si prædictæ naturæ inter se cōfunderentur & miscerentur.

5. Ratione probatur, quia quadruplex tantùm potest esse transmutatio: Prima, quâ natura diuina transmutetur in humanam, & hæc est impossibilis, quia diuina non potest amittere proprium esse: insuper non potest mutari. Secunda, quâ humana (cui non repugnat mutari) transmutetur in diuinam; & hæc non, quia vel fieret per transsubstentationem, & sic nihil substantiæ humanitatis maneret in Christo (quod non admittunt hæretici) sicut nihil substantiæ panis manet in hostia, quando transsubstentatiatur in corpus Christi; vel fieret per absolutam transmutationem, & sic & diuina natura mutaretur, & humana desineret proprium esse. Tertia, quâ vtraque natura transmutetur & conuertatur in tertiam aliam, & hæc magis repugnat, quia ad eam requiritur vtriusque naturæ corruptio, & sic neque Christus esset formaliter Deus, neque formaliter homo, sicuti neque elementa manent formaliter in mixto. Quarta, quâ duæ naturæ sint partes componentes tertiam aliam, & hæc ideò est impossibilis, quia diuina natura, neque potest esse veluti materia, aliàs perficeretur; neque vt forma; aliàs mutaretur intrinsecè de non informante ad informantem, & reperiretur in ea potentia ad informandum; & posteà actus informandi, quod est absurdum; ergo nullo modo possunt misceri, neque confundi prædictæ naturæ.

Sed contra conclusionem sunt verba Cyrilli Alexandrini in epist. ad Acatium, ad Valerianum & successum: *Duas naturas non oportet intelligere, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam*; quæ verba in fauorem hæreticorum retulit Eustachius Episcopus Veritensis in Concilio Calcedonensi actione 1. Postquam lecta fuit epistola Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, quâ error Eutichetis manifestè confutabatur, & licèt responderi possit prædicta verba non reperiri apud ipsum, imò & quòd prædictum Concilium paruipenderit eorum allegationem, vt ait Lorca numero 18. tamen alia similia extant apud ipsum lib. 1. ad Reginas de recta fide non longè à principio, vbi ait, Non duas naturas, vnam quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur; sed vnam naturam Verbi Dei incarnatam, & adorabilem cum carne sua vnâ adoratione; quæ verba refert ex Athanasio lib. de Incarnatione Christi, & quod magis vrget Concilium Lateranense sub Martino 1. consultatione 5: canone 5. sic definit: *Si quis secundùm Patres non confiteatur vnam naturam Verbi incarnatam, anathema sit.* 6.

Respondetur Primò Cyrillum non negare duas in Christo naturas, sed solùm asserere vnam; quæ est natura Dei Verbi, fuisse incarnatam, quia humana non fuit incarnata. Ita Damascenus lib. 5. de Fide orthodoxa cap. 11. 7.

Secundò & magis ad ipsius mentem respondetur, nomine vnius naturæ intellige vnam subsistentiam: vnde sic se explicuit epistolâ 29. ad Acatium, & 90. ad Eudotium, & sic eum explicat Constantinus Imperator in confessione fidei, quæ habetur tom. 2. Conciliorum post decreta Ioannis 2. Papæ, quo sensu debent intelligi Athanasius & Concilium Lateranense: vnde can. 6. sequenti expressè definit in Christo duas distinctas naturas.

8. Secundò, arguunt hæretici, quia Ioan. 1. *Verbum caro factum est;* sed hoc significat Verbum mutatum fuisse in carnem, sicut cùm Ioan. 2. dicitur, *Aquam vinum factam.* Respõdetur aliquid fieri aliud non semper significat mutationem, quia potest fieri aliud per acquisitionem alterius, sicut aqua fit calida per acquisitionem caloris, & homo Pontifex per electionem: vnde Christus, 1. ad Corinth. 5. dicitur factus peccatum, id est hostia pro peccato. Et ad Hebræos 7. factus Pontifex, quare Gregorius epist. 61. lib. 4. ait, Verbum carnem factum esse dicimus, non immutando quod erat, sed assumendo quod non erat.

9. Tertiò, quia si Christus habet duas naturas, videtur inferri Christum esse duos, & non vnum, quia sicut Trinitas diuina dicitur vnus Deus propter vnitatem naturæ, ita è conuerso Christus potest dici duo masculinè propter pluralitatem naturarum. Respondetur quòd tam ad vnitatem, quàm ad pluralitatem concreti substantiui est attendenda significatio per se illius, & iuxta eam debet poni numerus numeralis, vnus, duo, &c. vnde Trinitas diuina dicitur vnus Deus, quia natura diuina significatur per se per hoc concretum Deus, & hęc est vna: quando autem dicitur Christum esse duos supponit pro suppositis, & sic est falsa, quia non habet nisi vnum suppositum; sed de hoc latiùs agemus disputatione 6. quæstione 1.

10. Quartò, sunt verba Athanasij in Symbolo, *Sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo; ita Deus, & homo, vnus est Christus.* Respondetur similitudinem solùm in hoc stare, quòd sicut homo fit ex anima rationali, & carne, ita Christus ex humanitate & diuinitate, non tamen sicut illa per informationem & receptionem componunt hominem, ita hæc eodem modo componant Christum, quia hoc, vt probauimus, illi repugnat.

Quartus error licèt admittat in Christo esse duas naturas inconfusas & distinctas, asserit tamen esse duas personas, vnam diuinam, & alteram humanam, solùm accidentaliter vnitas, & consequenter terminum totalem ad quem actionis incarnatiuæ non fuisse vnam personam in duabus, & ex duabus naturis, sed quoddam quasi aggregatum resultans ex vnione accidentali duarum personarum, diuinæ, scilicet & humanæ: vnde Virginem Mariam non Deiparam sed Christiparam appellabat. Ita tenet Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, qui fuit paulò antiquior Eutichete temporibus Innocentij Primi, cui adhæsere Theodor. Episcopus Mosuestenus, & plures ex Græcis, inter quos fuit B. Theodoretus, qui aliquamdiu in hoc errore perstitit, vt patet ex his quæ contra Cyrillum in defensionem Nestorij scripsit, sed posteà errorem retractauit in Concilio Calcedonensi, actioue 8. & Ecclesiæ reconciliatus est. Errorem hunc anteà insinuauerant Carpocratus, Ebrihon, & Cherinthius, vt constat ex Ireneo lib. 1. aduersus hæreses cap. 25. docentes Christum fuisse purum hominem. 11.

Fundamentum huius erroris fuit, quia non distinguebat inter naturam & suppositum vnde cùm ex S. Scriptura tenebantur illius Auctores dicere in Christo fuisse duas naturas, consequenter asserebant in eo fuisse duas personas, & negabant Christum fuisse vnum substantialiter, concedebantque fuisse vnum propter plures auctoritates, sed accidentaliter, videlicet quadruplici vnione accidẽtali: Primò, quia Verbi persona habitabat in persona humana, tamquam in templo specialiori modo, quàm in aliis iustis. Secundò, quia vtraque persona maximâ vnione voluntatis mutuo amore & affectu inter se connectebatur. Tertiò, quia coniungebatur inter se tãquam causa principalis & instrumentalis, nam persona diuina vtebatur humanâ ad patrandum miracula, & egregias operationes. Quartò, vniebatur participatione quadam honoris & dignitatis, quia Verbum contulit illi homini vt adoraretur & cole- 12.

coleretur tamquam Deus, non propter seipsum, sed propter Verbum coniunctum, sicut Dei imagines adorantur.

13. Sit conclusio de fide tenenda contra hunc errorem: Christus Dominus est vna sola persona in duabus naturis, humana, scilicet & diuina subsistens: vnde Virgo Maria non solùm Christipara, sed Deipara est appellanda. Definita est hęc veritas in Concilio Ephesino contra Nestorium congregato, quod fuit tertium generale, fuitque confirmata in Cōcilio Calcedonensi, quod fuit quartum actione 5. & in Lateranensi 1. sub Marrino 1. consultatione vltimâ, & in sexta Synodo generali actione 4. & in Hispalensi 2. & in Tolet. 6. cap. 6. ex professo autem scripserunt contra Nestorium Cyrillus Alexandrinus, qui ei constanter restitit in quibusdam opusculis, quæ habentur tomo 2. præsertim in 12. Anathematismis, & in lib. de Incarnatione Christi; Cassianus in 7. libris de Incarnarione, & in ipso Concilio Ephesino est disputatio copiosa, & impugnatio huius erroris.

14. Hæc conclusio probatur Primò simul cum hoc quòd Christus sit verus Deus, & verus homo dicitur, & est simplicirer vnus; sed non potest dici, & esse simpliciter vnus, si simul cum duabus naruris haberet duas personas, quia tunc deberet simpliciter appellari duo, vt per se patet in aliis suppositis; ergo Christus non est duæ personæ, sed vna persona. Maior probatur ex Symbolo fidei: *Credo in vnum Deum Iesum Christum ex Patre natum ante omnia secula, qui & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*, &c. Et in Symbolo Athanasij, *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus.* Quòd etiam confirmatur S. Scriptura Matthæi 16. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui.* Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vide alia plura apud Lorcam num. 9. imò cùm Cherinthius, qui fuit temporibus Apostolorum, Nestorij errorem inchoauerit, Ioannes in epistola canonica cap. 4. contra illum protulit illa verba, *Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus;* solutione autem Iesum est diuidere in duos, & solutione vinculum vnitatis personalis.

15. Secundò probatur ratione philosophicâ D. Thomæ 3. p. q. 2. art. 1. & 2. quia concreta accidentalia diuersa propter diuersas formas non prædicantur ad inuicem, vel formaliter, vel identicè, nisi quando sunt inhæsiuè in eodem subiecto, vt in ista album est dulce, quod contingit in lacte, sed concreta naturæ humanæ vt quòd sit natus, sepultus, &c. verificantur de concretis naturæ diuinæ, vt in his, *Omnipotens natus est, occisus, & sepultus*, &c. ergo solùm possunt verificari, quia sunt in eadem persona & supposito.

16. Tertiò probatur, quia vniones illæ accidentales, quibus Nestorius vnit naturam diuinam cum humana in Christo, etiam reperiuntur in aliis iustis, nam Sancti sunt etiam templum Dei, vt patet ex Paulo 1. ad Corinth. cap. 3. & 6. vbi etiam inter eos posuit vnionem per amorem & affectum, dicens: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum illo.* Præterea vnionem tamquam causæ instrumentalis miraculorum cum causa principali tradit, cap. 12. dicens, *Qui operatur omnia in omnibus;* & tandem iusti appellantur dij psalmo 81. & Ioan. cap. 10. quæ est vnio per participationem honoris & dignitatis; ergo cùm S. Scriptura aliter de Christo loquatur, quàm de iustis, & vnitatem hominis & Dei illi tribuat, sequitur quòd sit diuisa ab illis, & non accidentalis, sed substantialis.

17. Sed contrà primò: S. Scriptura appellat iustos deos, non quia sint veri dij, sed participatione quadam honoris; ergo similiter Christum. Respondetur quòd licèt S. Scriptura tribuat iustis nomen Dei, aut filiorum Dei, tamen Christo non solùm hoc, sed etiam quæ sunt propria Deo, & Filio Dei tribuit, vt quòd sit imago inuisibilis Dei, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, quòd per eum facta sint omnia, quòd portet omnia Verbo virtutis suæ, & in eo omnia constent, & quòd Verbum, quod in principio erat apud Deum, sit caro factum, & alia plura quæ non nisi vero Deo competunt.

18. Contrà secundò: Vnio, quæ fuit in Christo, insinuatur in S. Scriptura tamquam accidentalis, quia ipse se appellat templum Dei. Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus*, &c. Et Isaiæ 7. non vocatur Deus, sed Emanuel, id est nobiscum

P 3

biscum Deus. Vnde Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, id est in nobis, quia in Christo, vt exponunt plures Patres, sed in nobis solùm habitat accidentaliter, & ad Ephes. 2. assimilatur Incarnatio Verbi ad modum quo quis induit vestimentum. Vnde Paulus ait, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; ergo Christus non habuit vnionem substantialem in persona. Respondetur ex his locutionibus non inferri vnionem Christi fuisse accidentalem: vnde ad primum dico, quòd Christus appellauit templum corpus suum, quod fuit templum respectu animæ, vt inquit Euangelista, *Hoc autem dicebat de templo corporis sui*. Prætereà quia Iudæi non poterant soluere vnionem inter diuinitatem & corpus; sed inter corpus & animam. Ad secundum admitto cum pluribus Patribus Deum habitasse in nobis, quia in Christo, non tamen sequitur ex eo quòd in nobis habitat accidẽtaliter, quòd etiam in Christo, quia hoc pertinet ad modum habitandi, & hic est diuersus in Christo, & in nobis. Ad tertium illa verba debere sumi per similitudinem & metaphoram, non per proprietatem; similitudo autem stat in eo quod sicut habitus & vestimentum operit corpus, ita humanitas Christi operiebat diuinitatem: vnde apparebat exteriùs purus homo, cùm verè esset etiam verus Deus. Ita Chrysostomus & Ambrosius super prædicta verba.

19. Contrà tertiò: Sunt verba Leonis 1. epist. 10. ad Flabian. vbi ait de Christo, *Aliud coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis*; ergo ex mente Leonis est in Christo aliud & aliud, seu duo supposita. Et confirmatur primò, quia Christus est persona diuina, & persona humana, quia verè est Deus, & verè est homo in concreto; ergo. Et confirmatur secundò, quia Patres aliquando vocant Christum, hominem Deiferum; non potest autem Deifer appellari, nisi Christus à Deo distinguatur supposito; ergo, &c.

20. Respondetur ad argumentum, quòd si Leo diceret Christum esse alium, & alium conueniret cum Nestorio, quia significaret distinctionem suppositorum, tamen dicere in Christo fuisse aliud & aliud solùm significat distinctionem naturarum: vnde in Concilio Calcedonensi admissa fuerunt prædicta verba post magnam controuersiam circa illa habitam. Ad primam confirmationem dico, eamdem personam Christi, quæ quatenus personat diuinam naturam dicitur persona diuina, quatenus personat naturam humanam, posse optimè dici personam humanam. Ita D. Thomas 4. contra Gentes cap. 49. in solutione ad septimam rationem, tamen absolutè loquendo Christus non est dicendus persona humana, quia hoc absolutè prolatum resonat locutionem Nestorianam.

Ad secundam dico, nullibi apud Patres reperiri talem locutionem, quia licèt Theodoretus illam citauerit tamquam relatam à Cyrillo in 2. Anathematismo lib. ad Euosium ex Basilio, & ex aliis Patribus, tamen nullibi apud Basilium & alios reperitur: Basilius enim vt plurimùm dixit homiliâ in psal. 59. carnem Christi fuisse Deiferam, quod est longè diuersum, potiùs prædicta locutio anathematizatur à Cyrillo ibi, & à Concilio Ephesino, & 5. Synodo Constantinopolitana, actione 6. vnde est habenda vt hæretica. Tandem respondeo ad fundamentum prædicti erroris, quòd cùm inter personalitatem Verbi, & naturam diuinam intercedat distinctio ex natura rei, non realis, sed formalis, hæc sufficit vt vnum formaliter præstet ex natura rei, quod aliud formaliter non præstat, & sic personalitas Verbi reddit naturam humanam formaliter subsistentem, quod natura diuina non præstabat; quare non ex eo quod in Christo sunt duæ naturæ, ideò infertur in ipso duas personas fuisse. 21.

Thomistæ autem respondent per suam distinctionem rationis asserentes, quòd essentia diuina, cùm eminenter contineat varios effectus, qui in creaturis diuersi sunt, in quantum continet effectum subsistentiæ creatæ, supplet ipsum in humanitate Christi, & dicitur personalitatem diuinam, & non essentiam reddere naturam humanam subsistentem, quia effectus quem præstat non adequat totam perfectionem illius essentiæ, neque exhibet quidquid in eminentia & continentia eius virtuali includitur, sicut sol pro diuersis temporibus præstat diuersos effectus, quia illos 22.

illos eminenter seu virtualiter continet. Sed contrà, quia continentia virtualis solùm potest præstare prædictos effectus in genere causæ efficientis, non præstando alios; non verò in genere causæ formalis, in quo seclusis imperfectionibus, personalitas Verbi reddit naturam humanam subsistentem, quia non per productionem alicuius, sed per communicationem sui dat illi esse personam, sicut sol in genere causæ formalis & per communicationem sui non posset præstare vnum effectum, v.g. esse substantiam, quin præstaret alium, v.g. esse lucidum; sed disputatio circa has distinctiones pertinet ad materiam de Trinitate.

23. Ex his patet quomodo sit loquendum in hoc mysterio rigorosè: Primò enim non debet dici, quòd vnio Incarnationis facta fuerit in natura diuina, sed in diuino supposito, quia id, in quo facta est vnio, significat quod proximè & directè naturæ humanæ est coniunctum, & hoc est suppositum Verbi. ita omnes Theologi. Secundo, debet dici, quòd non solùm diuinum suppositum fuit vnitum & coniunctum naturæ humanæ, sed etiam diuina natura, quia licèt hæc non fuerit ratio vnionis, neque in qua facta est vnio, tamen ratione proprij suppositi (quod post Incarnationem mansit sibi commune cum natura humana) est illi vnita & coniuncta. ita similiter tenent omnes Scholastici cum Ecclesiæ Patribus. Tertiò, non debet dici, naturam diuinam assumpsisse naturam humanam, quia licèt hanc propositionem aliqui Patres & Scholastici côcesserint, tamen loquuntur lato momo accipientes naturam diuinam pro diuino supposito, hoc enim fuit quod ad se sumpsit humanitatem, assumere enim ad se sumere significat. ita Scotus in 3. d. 5. q. 1. & plures alij cum Lorca n. 42. Et tandem quartò potest dici natura diuina incarnata, si incarnata idem significat quod carni vnita, quia per personalitatem Verbi fuit illi vnita; tamen cùm incarnata potiùs significet quòd sit carne induta, vel carne affecta, ideò talis propositio est impropria, & licèt admittatur; non tamen debet admitti hæc: *Natura diuina est caro facta*; vt aduertit Damascenus libro 3. de Fide, cap. 6. & 11. quia hoc significat naturam diuinam conuerti in carnem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm propter prædictam vnionem duarum naturarum in persona Verbi Christus sit persona verè & propriè composita?

CHristum propter prædictam vnionem esse personam aliquo modo compositam non potest negari, quia compositam appellant plures definitiones Conciliorum, quas referunt Recentiores; solùm est controuersia inter Scholasticos, an talis compositio sit vera & propria? 1.

Circa quam prima sententia quam tenent Antiqui, imò & plures Recentiores Scholastici, negat esse veram & propriam compositionem. Ita D. Thomas 3. p. q. 2. art. 4. Scotus d. 6. q. 3. in fine. Bonauentura art. 1. q. 2. Ricardus art. 2. q. 3. Durandus q. 3. Gabriel q. 1. Almainus conclusione 2. quorum fundamẽtum est, quia vera & propria compositio est vnio ex pluribus, quorum vnum se habet vt actus, alterum vt potentia, aut vtrumque se habet vt potentia respectu tertij, vt in quanto continuò se habent partes respectu indiuisibilis continuatiui; insuper quando partes sunt substantiales, resultat ex illis vnum per se, sed vnio duarum naturarum in persona Verbi non habet hæc omnia, quia natura diuina neque se habet vt potentia respectu personalitatis diuinæ, neque vt actus respectu naturæ humanæ, neque resultat ex illis vnum per se, quia non vna natura, vt contra Eutichetem probaui; neque vna persona, quia hæc non coalescit ex duplici natura, sed ex vna, & vna subsistentia; ergo non est vera & propria compositio in Christo, illa quæ fit ex duplici natura in vna persona. 2.

Secunda sententia affirmat talem compositionem ex natura humana & diuina in persona Verbi esse veram & propriam. ita Vasquez disp. 16. cap. 2. & Suarez disp. 6. sect. 4. allegantque pro se D. Thomam vbi suprà. Fundamentum est, quia verba Conciliorum sunt in proprio sensu intelligenda, vt ait Con- 3.

Concilium Lateranense cõsultatione 5. can. 17. sed inter locutiones Conciliorum prædictum Concilium canone 8. damnat eum qui non confitetur verè & propriè naturarum vnionem in Christo secundùm compositionem, quod etiam fatentur plura alia Concilia relata à Recentioribus, & fatentur plures Ecclesiæ Patres; ergo fuit vera compositio in Christo. Et confirmatur, quia vera & propria compositio consistit in vera & propria coniunctione plurium in aliquo vno; sed hæc definita est contra Eutichetem & Nestorium; ergo, &c.

4. In hac re sit conclusio: Vtraque sententia probabilis est, & nullum cõtinet errorem. ita Lorca disp. 13. numero 7. Et probatur, quia hæc compositio singularis & mirabilis est, & ideò non potest ad leges & regulas aliarum adstringi; ergo qui dicit non esse propriam & veram compositionem, quia ad hanc requiruntur conditiones quæ in naturalibus compositionibus reperiuntur, probabiliter loquitur; & qui dicit has non requiri ad hanc compositionem, quia est diuersi generis, sed personam Christi non personam simplicem, sed verè & propriè compositam esse appellandam, non ratione plurium personalitatum, etiamsi solùm ratione distinguantur, sed ratione plurium naturarum, vt inquit Suarez suprà, *§. ad difficultatem*; ergo etiam probabiliter loquitur. Scotus autem solùm loquitur de hac compositione iuxta regulas aliarum naturalium, vt videri potest, & per hoc patet etiam ad argumentum primæ sententiæ.

5. Ad argumentum secundæ sententiæ respondeo locutiones Conciliorum & Patrum solùm contendere vt excludant errores extremos Euchetis & Nestorij, quorum vnus asserebat naturarum confusionem; alius verò distinctionem personarum, ad quos excludendos apta erit vox compositionis, quia in hac non cõfunduntur extrema; et si substantialia sunt, vnionem habent substantialem, non autem contendere vt explicent difficultatem metaphysicam, de qua agunt Scholastici. Neque Concilium Lateranense ibi loquitur tam de compositione, quàm de vnione, quam dicit esse veram & propriam: vnde locutiones illas debemus in primo sensu verè & propriè intelligere & explicare, quia in sensu ab ipsis intento. Ad cõfirmationem iam diximus in fundamento nostræ sententiæ: Solùm est circa præfatam compositionem obseruandum, quòd quando dicunt Concilium & Patres personam Verbi aut Christi fuisse compositam ex duabus naturis, [illegible] ly *personam* non accipiendam esse pro sola subsistentia & personalitate, sed pro persona completa ex personalitate & duabus naturis, quia personalitas non mansit composita, sed potiùs tamquam vnum extremum venit in compositionem, vel tamquam vinculum in quo. quod non aduertentes recentiores Thomistæ laborant explicãtes qualiter persona dicatur composita, an per habitudines ad naturas? an per aliud? quod totum est falsum, quia hæc compositio est realis, quam non possunt causare habitudines rationis personalitatis diuinæ ad naturam diuinam, & ad humanam. Insuper non est compositio ex relationibus secundùm Patres, sed ex naturis in persona.

Quia tamen in Christo non solùm potest considerari compositio ex duabus naturis, quâ duæ vniuntur naturæ in persona Verbi, de qua vsque nunc egimus, sed etiam compositio naturæ humanæ cum personalitate Verbi, cum qua per quamdam specialem vnionem (de qua infrà) vnitur, ideò restat in hac Quæstione examinandum, an hæc sit vera & propria compositio? Circa quod prima sententia negat esse veram compositionem. Ita Rada controuersiâ 3. art. 3. Faber disp. 16. cap. 2. Pytigianus d. 6. q. 3. dubio vnico, conclusione 3. qui pro se citat Scotum vbi suprà. Fundamentum est, quia in omni compositione partes vel extrema compositi dicunt aliquam imperfectionem: Primò, quia vnum pendet ab alio. Secundò, vtrumq; est perfectius quolibet. Tertiò, in ipsis reperitur actus & potentia, quæ non reperiuntur in præfata compositione, nam personalitas Verbi nullum ex his habet, quia si aliquid maximè quod sit actus, & hoc non, quia non potest recipi, quod est per se necessarium; ergo, &c. 6.

Secunda sententia affirmat esse veram compositionem. Ita Lorca vbi suprà numero 8. quod etiam fatebuntur 7.

Aucto-

Auctores, qui in primo sensu explicato dicunt Christum fuisse verè compositum, quia præcipua eius compositio duarum naturarum prouenit ex parte compositionis naturæ humanæ cum personalitate Verbi. Hanc etiam sententiam defendunt aliqui Scotistæ in manuscriptis, asserentes Scotum nil in contrarium dixisse. Fundamentum huius sententiæ est, quia in hac compositione coniungitur natura humana cum personalitate Verbi, sicut natura Petri cum eius propria personalitate seclusis imperfectionibus, & natura se habet vt potentia perfectibilis, personalitas verò Verbi vt actus perficiens absque inhæsione & informatione, & ex ipsis resultat vnum per se substantiale, scilicet hic homo Christus, sicut in compositione personali Petri resultat hic homo Petrus, sed hæc est vera & propria compositio; ergo & illa. Et confirmatur; quia quatuor conditiones à Scoto requisitæ ad veram compositionem: Prima, quòd extrinseca componentia sint realia realiter distincta. Secunda, quòd realiter coniungantur. Tertia, quòd se habeant vt actus & potentia. Quarta, quòd sint substantialia, & ex eis resultet compositum substantiale quòd sit vnum per se, reperiuntur in hac compositione; ergo est vera & propria.

8\. Sed in hac re dicendum nobis est vtramque sententiam probabilem esse, sicut diximus de præcedenti. Et ratio huius est, quia qui dixerit inhærentiam & informationem formæ esse per se requisitam ad veram compositionem, & consequenter personalitatem, quæ se habet per modum formæ respectu naturæ humanæ (licèt sit modus eius) debere ipsam informare, & in ipsa recipi, quod probabile est; consequenter dicet probabiliter compositionem inter naturam humanam & Verbi personalitatem non esse veram & propriam, quia illæ imperfectiones informationis & receptionis, quas non potest habere personalitas Verbi, non fuerunt repertæ in illa compositione. Et per hoc patet ad fundamentum & confirmationem secundæ sententiæ, quia forma, scilicet personalitas Verbi, non erit in hac sententia verus actus, quia non verè informat; qui verò dixerit quòd licet totum hoc requiratur ad veram compositionem personalem naturalem, non tamen requiri ad supernaturalem, quæ fit ex personalitate diuina, & natura humana, quia illæ imperfectiones non sunt de essentia compositionis talis, sed sufficere quòd vna sit personabilis, & alia verè & propriè personet saltem terminando, & ex eis vnum per se substantiale resultet, etiam probabiliter loquetur; quia cùm hæc compositio sit singularis & mirabilis, & nulla alia similiter inueniatur, non est vnde oppositum possimus efficaciter probare, quia non est regulanda per leges aliarum compositionum naturalium; per quod etiam patet ad fundamentum primæ sententiæ, quia solùm procedit de compositione naturali, non de mirabili & ineffabili, qualis est hæc: vnde cùm Lorca in prima difficultate censuerit vtramque sententiam probabilem, vt vidimus, non fuit locutus consequenter approbans secundam sententiam vt absolutè veram; cùm idem fundamentum in vtraque reperiatur, quia etiam in hac compositione reperitur mirabilitas & singularitas, & quòd sit ineffabilis: vnde cùm propter hoc in primo casu censuerit vtrumque probabile, sic debuit iudicare & in hoc secundo. Scotus autem solùm fuit locutus de compositione Christi secundùm leges naturæ, vt suprà diximus, in quo sensu est vera eius sententia; quare etiamsi loquatur in prædicto loco non solùm de compositione in primo sensu, sed etiam in secundo, vt sibi volunt Auctores Scotistæ in prima sententia relati nihil cōtra nos, quod etiam idipsum fatemur.

QVÆSTIO III.

Quis sit formalis terminus ad quem, & à quo Incarnationis?

Vix attingitur hæc Quæstio ab Antiquis, à Recentioribus autem copiosiùs & prolixiùs disputatur: vnde circa eam variæ sunt sententiæ: Prima ait terminum formalem ad quem esse personalitatem & subsistentiam Verbi, quia hæc est præcipua ex his quæ in termino totali 1.

totali reperiuntur, & insuper se habet tamquam actus. tribuitur D. Thomæ & Caiet. 3. parte, quæstione 2. art. 8. Capreol. in 3. d. 5. quæst. 1. Scoto ibidem; sed vt bene Lorca disputatione 16. num. 2. loquitur Scotus de termino dependentiæ, quem habet natura humana ad subsistendum, non de termino Incarnationis, seu effectionis huius mysterij.

2. Secunda affirmat esse ipsam humanitatem, quia per hanc Deus est formaliter homo, & Christus constituitur in esse hominis. hanc tenent aliqui, quos absque expresso nomine refert Suarez disput. 8. sect. 2. & Lorca vbi suprà, sed illam expressè tenet Vasquez disputatione 19. cap. 2. Et fundamentum est, quia non est necesse quòd terminus formalis producatur, vt in generatione hominis, & in generatione æterna Filij Dei. Et insuper per hanc actionem Deus fit homo, non autem homo Deus.

3. Tertia sententia dicit terminum formalem esse vnionem; quæ tribuitur Scoto in 3. d. 11. quæst. 1. Durand. d. 5. quæst. 2. & probabiliorem iudicat Suarez in dicto loco. Et ratio est, quia terminus formalis est forma illa, quâ constituitur terminus totalis, vt cum Theologis & Philosophis tradit Scotus in 1. d. 5. §. *contra istam*; sed talis est vnio in mysterio Incarnationis; ergo hæc est terminus formalis.

4. Quarta sententia amplectitur omnes præfatas sententias, affirmatque quòd si actio Incarnationis attendatur sub diuersis considerationibus, omnes sunt veræ: Prima, si consideretur quatenus est communicatio subsistentiæ diuinæ, seu quatenus est assumptio naturæ humanæ ad esse personam diuinam, quia tunc terminus formalis est personalitas Verbi. Secunda, si consideretur vt est humanatio Dei, quia tunc terminus formalis est humanitas. Tertia, si consideretur vt est vnitio naturæ humanæ cum Verbi personalitate, quia tunc terminus formalis est vnio. Hanc sententiam tenet Lorca num. 6. & probabilem reputat Suarez §. *in hoc nihil potest*, &c.

5. Sed pro expeditione huius difficultatis Nota, quòd Incarnatio tripliciter sumi potest: Primò, vt actio productiua est, seu vt vera actio est pertinens ad prædicamentum sui termini, quâ Deus vt causa efficiens producit terminum totalem, scilicet Christum, vel Verbum incarnatum. Secundò, sumi potest vt significat transitus, & mutationes quasdam diuersis nominibus explicatas, qualia sunt assumptio, humanatio, vnitio. Tertiò, potest sumi secundùm id quod ex vi vocis significatur.

Quo supposito Dico primò: Si Incarnatio sumatur primo modo, & vt actio productiua est, terminus formalis illius est vnio. ita Scotus & Auctores cum eo in tertia sententia, qui in hoc sensu loquuntur. Et probatur, quia Incarnatio est actio productiua huius mysterij; sed forma producta ad esse huius mysterij (quæ est terminus formalis actionis productiuæ) est vnio, & non alia; ergo. Minor probatur, quia creatio animæ rationalis Christi solùm producit hanc formam ad esse hominis, vnitio inter animam & corpus solùm habet pro termino formali immediato vnionem, quâ hæ duæ partes inter se vniuntur, à qua actione non distinguitur generatio vt actio productiua est totius hominis, licèt etiam includat productionem formæ corporeitatis; ergo Incarnatio, quæ habet pro termino totali Christum seu Deum hominem, si consideretur vt actio productiua est, solùm habet pro termino formali vnionem, quâ hypostasis diuina vnitur cum natura humana; patet consequentia, quia hæc est forma, quâ hoc mysterium constituitur in esse de nouo productum. Et confirmatur, quia licèt supponeretur natura humana existens & producta, & supponeretur (vt semper supposita est) persona Verbi, non essent formaliter Christus, nisi inter se vnirentur hac vnione; ergo Incarnatio, quæ hoc facit, habet pro formali termino vnionem. 6.

Dico secundò: Si Incarnatio sumatur prout significat transitus & mutationes, vel quasi mutationes diuersis nominibus significatas, quartam sententiam esse veram. Et probatur, quia prædicta nomina habent diuersas significationes formales per ordinem ad diuersos trãsitus, qui in composito Christi reperti sunt: vnde nomen assumptio dictum est, quia ad se sumptio, seu quia 7.

ad

ad personam Verbi sumpta est natura humana, vox humanatio, seu Incarnatio desumpta est ab humanitate, seu à carne; vox vnitio ab vnione, sed terminus formalis ad quem transit natura humana per assumptionem est personalitas Verbi, & terminus formalis ad quem persona diuina transit per humanationem & Incarnationem est humanitas & caro, & terminus formalis ad quem transit vnitio est ad vnionem; ergo si Incarnatio sumatur prout dicit transitus quosdam diuersis nominibus significatos, diuersos debemus assignare terminos formales, quia diuersæ sunt formæ, quæ illos terminant, & has debemus appellare terminos formales.

8. Dico tertiò: Si Incarnatio sumatur secundùm id quod ex vi vocis significat, terminus formalis ad quem est caro, & terminus formalis ad quem humanationis est humanitas, sic existimo fuisse locutos Auctores secundæ sententiæ præter Vasquez, qui non vult in præsenti conclusione attendere ad voces, ne conueniat cum Nominalibus in modo philosophandi: vnde ait humanitatem esse terminum formalem, quia hæc est forma huius compositi, Christus, sicut anima est forma huius compositi, homo. Sed contrà, quia vox Incarnatio potest sumi tripliciter, vt suprà diximus, & consequenter quasi æquiuocè significat plura, sicut vox canis, vel saltem vnum aggregatum ex omnibus supradictis mutationibus, vel quasi mutationibus; ergo necessariò debemus de ea diuerso modo loqui pro diuersitate significationis. Et confirmatur, quia quando vna vox significat plures mutationes, non possumus illi vnum solum terminum formalem ad quem accommodare, quia diuersi motus, & diuersæ mutationes diuersos habent terminos ad quos, aliàs non haberent diuersitatem, cùm hanc participent per ordinem ad illos: sed vox Incarnatio plures mutationes significat; ergo, &c. Vnde meritò conuenimus cum Nominalibus, quando de vna voce diuerso modo, & diuersa significanti debemus agere.

9. Cōclusio ergo nostra probatur, quia Incarnatio ex vi vocis significat receptionem carnis, & humanatio receptionem humanitatis; ergo si accipiantur secundùm id quod ex vi vocis significant, terminus formalis ad quem est caro & humanitas; patet consequentia, quia sicut hæc vox deducta est ex carne & humanitate assumpta, & hæc fuit obiectum deducendi illum, ita fuit terminus significationis illius.

Vnde ad fundamentum primæ sententiæ respondeo, quòd licet prædicta sententia sit vera in sensu à nobis explicato, non tamen ex eo quòd id sit terminus formalis ad quem, quod est præcipuum in termino totali; quia calefactio non habet pro formali termino in composito (quod est calidum) substantiam, quæ præcipua est, sed calorem qui minùs præcipuus est cùm sit accidens, est autem personalitas diuina terminus formalis Incarnationis, si hæc consideretur vt assumptio est ad diuinum suppositum, & vt natura humana transit à non esse personæ diuinæ ad esse personam diuinam, quia hęc est forma, quâ cōstituitur hoc compositum, Christus, vt terminat Incarnationem prout significatam nomine assumptionis. 10.

Ad fundamentum secundæ sententiæ admissa sententia in sensu explicato. Respondeo concedendo non esse necesse quòd terminus formalis actionis producatur, vt patet in exemplis adductis in generatione hominis, vbi anima rationalis, quæ est terminus, non producitur per illam; & in generatione æterna Verbi, vbi terminus formalis est diuina essentia (vt tenet Scotus vbi suprà) quæ non producitur, sed communicatur: tamen si actio consideretur vt productiua reduplicatiuè, necessariò debemus illi assignare aliquem terminum formalem productum, quia vt sic dicit relationem ad illum, quare diximus vnionem esse terminum formalem Incarnationis, vt fuit actio productiua, & non humanitas, quia hæc suppositata fuit existens ante vnionem aliquâ prioritate naturæ: vnde in generatione hominis producitur forma corporeitatis, & in generatione æterna relatio substantialis. 11.

Ad illud quod insuper dicit, quòd per hanc actionem Deus fit homo, non autem homo Deus: Respondeo quidquid sit de hoc, de quo dicemus, cùm agamus de cōmunicatione Idiomatum, tamen licèt homo non fiat Deus, fit tamen 12.

men persona diuina: vnde sicut persona diuina transit ad esse hominem, ita homo trāsit ad esse personam diuinam; & sicut in primo transitu humanitas est terminus formalis ad quem, ita In secundo personalitas diuina, & sic Incarnatio quæ omnes prædictos transitus significat, non vnico, & solo termino formali ad quem gaudet, sed pluribus. Fundamenta autem aliarum sententiarum coincidunt cum nostris.

13. Diximus hucusque de termino formali ad quem, dicamus modo de termino à quo actionis incarnatiuæ. Circa quod Prima sententia quæ est Caietani vbi suprà ait esse humanitatem, quia hæc præcedit Incarnationem, & de ratione termini à quo est quòd præcedat actionem.

14. Secunda sententia aliorum ait quòd sit personalitas creata, quæ foret, quia hæc fuit per personalitatem diuinam exclusa, & terminus à quo debet excludi per terminum ad quem.

15. Tertia & communis sententia inter Auctores est nō esse aliquid positiuum, sed esse priuationem vel negationem termini formalis ad quem, quæ sententia multiplicari insuper potest pro diuersitate sententiarum circa terminum ad quem, de quibus egimus suprà.

16. Denique quarta aliorum sententia absolutè negat terminum à quo. Fundamentum est quia hîc debet præcedere in subiecto prioritate temporis terminum ad quem, nihil autem sic præcessit Incarnationem.

17. Sed hæc philosophica sunt, & parum habent vtilitatis. Vnde breuiter dico quòd terminus à quo est carentia termini ad quem, quæ carentia non est priuatio, neque negatio. Primum probatur, quia secundùm omnes acceptiones suprà positas Incarnatio non est actio inter extrema positiua, quorum vnum debeat excludi; vt contingit in omni motu inter duo, vbi (per quod patet ad fundamentum Caietani, quia humanitas non excluditur per Incarnationem, sed potiùs includitur, & sic humanitas non est terminus à quo) neque Incarnatio est actio inter priuationem & formam, quia nullum est subiectum quod possit dici priuatum aliquo termino formali, quem habeat post Incarnationem; restat ergo quòd debeat esse carentia termini ad quem habiti post Incarnationem.

Secundum probatur, quia prædicta carentia non præcedit prioritate temporis in aliquo subiecto, & insuper non est carentia alicuius formæ ad quam subiectum habeat naturalem potētiam; ergo neque erit negatio, neque priuatio. Patet consequentia, quia vtraque dicit respectum ad subiectum, vna quatenus est carentia in subiecto dicente aptitudinem ad formam, alia quatenus est in subiecto talem aptitudinem non dicente; ergo talis carentia termini ad quem neque est negatio, neque priuatio, sed abstrahens ab vtraque, siquidem neque respicit subiectum, neque inclinationem. 18.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondeo quòd personalitas creata non fuit per personalitatem diuinam exclusa, quia non præexistebat, sed solùm fuit impedita; quando autem terminus à quo est positiuus, debet non solùm impediri, sed etiam excludi. Dices: Si aqua crearetur calida, dici posset factam calidam ex frigida, quia frigiditas illi erat naturaliter debita, & similiter creatura, etiamsi fieret ab Æterno, diceretur ex nihilo facta. Respondeo eodem modo, quia non erat frigiditas quæ excluderetur à subiecto: vnde illa propositio est falsa; creatura autem dicitur fieri ex nihilo, quia *ex nihilo*, non significat terminum à quo, sed materiam, hoc est factam ex non materia. 19.

Per hoc etiam patet ad quartam sententiam, quia licèt requiratur quòd terminus à quo præcedat in subiecto, quando subiectum transit à priuatione vel negatione ad habitum; tamen quando transit ad aliquod compositum, vel aliqua forma à non esse ad esse, seu à carentia existentiæ ad existentiam non requiritur, sed sufficit, quòd præcedat extra subiectum, sicut cōtingit in creatione, quâ Deus creat aliquam creaturam: vnde si Deus aliquam ab æterno produceret, illa non diceretur transisse à termino à quo ad quem, quia ante ipsam creationem non esset formalis carentia illius creaturæ, quia non posset verificari hæc propositio: *Nunc non est creatura, & immediatè post hoc erit*. Neque hæc: *Nunc est creatura, & immediatè antea non fuit*, quia cùm non esset tempus præ- 20.

præcedens, quod requiritur ad rationem termini à quo, de quo loquimur, nullum erat antea, ratione cuius posset dici ante hoc fuit, vel non fuit; neque ad huius termini antecedentiam sufficit prioritas naturæ (vt minùs benè docet Suarez vbi suprà) quia in prædicta prioritate non possunt tales propositiones verificari, sicut neque in prioritate naturæ, quâ homo est rationalis, potest verificari quòd nõ sit risibilis, vel quòd sit risibilis, quia tunc neque vnum, neque aliud est, sed tantùm est rationalis, vel (vt alij aiunt) concipitur rationalis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm per Incarnationem producatur vnio formalis, & an ipsa sit absoluta, vel relatiua substantialis, vel accidentalis?

1. POstquam egimus de actione incarnatiua, nunc venit agendum de termino talis actionis, sed non quomodocumque acceptæ, sed vt productiuæ; inquirimusque an vnio, quâ natura humana cum personalitate Verbi coniungitur, sit aliqua forma ab ipsis realiter distincta per veram actionem producta, & qualis sit?

2. Quantum ad 1. plures tenent per actionem vniendi & incarnandi nihil realiter distinctum, & per veram actionem productum fuisse, sed solùm personalitatem Verbi seipsa immediatè terminasse naturam humanam, & reddidisse illam subsistentem, & personam. Ita Greg. de Arim. in 1. d. 28. q. 2. ad 17. Rubin in 3. d. 1. q. 1. art. 2. Marsil. q. 3. dub. 2. Consentiuntq; cum illis D. Thomas 3 parte, q. 2. 7. & in 3. d. 1. quęst. 1. art. 2. q. 3. Caiet. 3. parte, q. 2. art. 7. & art. 10. ad 1. vbi Medina conclusione 1. & 2. Valencia pũcto 5. Aluarez disp. 13. ad 7. articulum, qui vltra primos Auctores concedunt sequi ex prædicta coniunctione relationem realem vnionis in humanitate ad Verbum; id autem, in quo omnes isti Auctores conueniunt, sic probant.

3. Primò, quia alioquin humanitas non immediatè vniretur Verbo, neque immediatè componeret cum ipso personam Christi, patet consequentia, quia hoc fieret mediâ aliquâ vnione producta.

Secundò probatur, quia in humanitate est potentia obedientialis ad subsistendum subsistentiâ Verbi, & in Verbo est virtus vt reddat illam subsistentem; ergo nihil aliud requiritur. Tertiò, quia in reliquis compositionibus inter partes quæ se habent vt potentia & actus nihil aliud requiritur, v. g. materia & forma seipsis vniuntur, partes continui, & indiuisibile cõtinuatiuum, quia comparantur tamquam actus & potentia seipsis vniuntur; ergo similiter in hac compositione Christi, quia natura humana se habet vt potentia, & personalitas diuina quasi actus seipsis vniuntur, & non mediâ aliquâ vnione. Quartò, quia si daretur illa vnio, esset quædam forma valdè difformis: nam quatenus illa esset ex parte corporis, esset corporalis & extensa; & quatenus esset ex parte animæ, esset spiritualis & inextensa. Quinto, quia accidens non potest esse medium ad vnionem substantialem: sed præfata vnio esset accidens, & Christus est compositum substantiale, vt Patres & Concilia decernunt; ergo, &c. 4.

Secunda opinio sustinet per actionem incarnandi seu vniendi produci quamdam entitatem absolutam in natura humana, quâ Verbo diuino vniatur, sed diuerso modo à diuersis declaratur. Gabriel enim in 1. d. 30. quæst. 4. art. 2. & 3. & d. 1. q. 1. art. 1. post secundam notationem putat esse qualitatem absolutam & supernaturalem, citatque pro se Alexandrum 3. p. q. 7. memb. 2. art. 1. vbi ait, in humanitate, vt Verbo vniretur, præcessisse quamdam dispositionem, seu gratiam vnionis; sed non benè refertur, quia aliud est quòd talis qualitas sit dispositio, aliud verò quòd sit forma, scilicet vnio ad quam disponit. 5.

Suarez autem disputatione 8. sect. 3. putat esse modum substantialem absolutum, & fundamendum proximum relationis realiter distinctæ, quâ humanitas vt vnita refertur ad Verbum, à quo Auctore parum dissentit Vasquez disputatione 18. cap. 3. solùm enim differt in eo quod prædictam relationem negat esse realiter distinctam à prædicto modo substantiali, sed affirmat quòd se habeat 6.

habeat sicut relatio creaturæ, quæ non distinguitur realiter ab ipsa creatura, quæ cùm absoluta sit, significatur per modum relatiuæ.

7. Fundamentum Gabriel est, quia non potest intelligi Incarnatio absq; aliqua mutatione, & consequenter absque aliqua forma mutante, quam non putat esse aliam, quàm qualitatem, quia non relationem, nam ad ipsam immediatè non datur motus & mutatio ex Aristotele 5. physic. neque substantiam, quia hæc deberet personari, &c. vt infrà, neque quantitatem, quia hæc solùm sequitur materiam; ergo debet esse qualitas. Fundamentum Suarez & Vasquez est, quia asserere prædictam qualitatem, est incidere in errorem Nestorij, qui vnionem Christi dicebat esse accidentariam, cùm prædicta qualitas sit accidens, & quinta Synodus Constantinopolitana collat. 8. cap. 4. damnat eum qui dixerit hanc vnionem factam esse secundùm gratiam; ergo necessariò est dicendum talem vnionem esse substantiam. Ex quo primò sequitur non posse esse relationem extrinsecùs aduenientem, cùm sit accidens. Secundò sequitur quòd cùm vnio sit ad aliud, includit in suo conceptu formali relationem ad Verbum, quæ ex eo est realiter distincta secundùm Suarez, quia fundamentum & relatio fundata sic distinguuntur, & ex eo non est realiter distincta secundùm Vasquez, quia conceptus vnionis non potest intelligi absque relatione, sicut conceptus creaturæ.

8. Tertia opinio sustinet per actionem incarnandi produci vnionem, quæ est relatio extrinsecùs aduenieus, quia natura humana & personalitas Verbi formaliter vniuntur. Ita Scotus in 3. d. 1. q. 1. art. 3. §. *sed circa*, & d. 7. q. 2. & in 4. d. 11. q. 2. & quodlibet 19. & quod mirũ est, illam tradiderat olim D. Thomas d. 5. ad Aniualdum q. vnicâ, art. 3. vbi hanc vnionem appellat dependentiam naturæ assumptæ ad assumentem, & docet esse passionem, sequuntur Ocham d. 30. q. 4. Ibi Aureolus q. 1. art. 1. Mayron q. 1. Bassolis art. 2. sub finem, Argentina d. 5. q. 1. art. 4. Nissen. tract. 3. parte 1. q. 1. Ex Recentioribus Rada in 3. controuers. 3. art. 4. Faber d. 1. disp. 3. cap. 3. Aretin. d. 1. q. 1. art. 14. Estque communis apud Scotistas; sed vt veritas eius pateat, sequentibus explicabitur conclusionibus.

Dico primò contra primam opinionem: Incarnatio est actio productiua alicuius entis formalis in genere causæ efficientis. ita Auctores pro secunda & tertia opinione relati, & Lorca disp. 13. num. 4. Hæc conclusio probatur à Vasquez vbi suprà quâdam ratione Ochami loco citato, quia non potest esse transitus à contradictorio in contradictorium, nisi propter aliquam mutationem vel intrinsecam, vel extrinsecam, sed de Verbo & eius humanitate verificatur quòd sint verè & realiter vnita, & anteà non verificabatur; ergo per aliquam mutationem, & consequenter per aliquam formam productam in humanitate, quæ potest mutari. 9.

Sed hæc ratio meo videri non est efficax, neque contra Gregorium de Arimino, neque contra Caietanum & alios; non contra primam, quia, vt diximus cõtra Suarez in fine antecedentis Quæstionis, in eodem instanti temporis non est transitus ab vno contradictorio in aliud contradictorium, sed in nullo instanti temporis antecedenti præcessit natura humana Christi existens, absque eo quod esset subsistens subsistentiâ Verbi; ergo numquam potuit verificari illa propositio, *Modò natura humana non est vnita, & posteà fuit vnita*. Non contra secundam, quia ille ponit aliquid de nouo superueniẽs naturæ humanæ subsistenti subsistentia Verbi, scilicet relationem subsequentem, quâ formaliter dicantur vnita, & ratione huius posset dici natura humana vnita, quæ anteà non erat vnita. 10.

Probatur autem præfata conclusio ratione efficaci, quia Incarnatio, prout est actio totius Trinitatis, non est productio humanitatis Christi, nam hæc posset produci absque eo quòd Verbum illam personaret, neque est sola personatio Verbi diuini, quia hæc non procedit à tota Trinitate, sed solùm à secunda persona illius, quæ quasi in genere causæ formalis speciali illapsu illabitur in naturam humanam illam quam terminat, redditque subsistentem, neq; est vtrumque simul, quia, vt probaui vtrumque simul, non causatur à Trinitate; ergo Incarnatio, quatenus est actio Tri- 11.

Trinitatis, est productio alicuius entitatis distinctæ à natura humana, & à personalitate Verbi, quam entitatem nos appellamus vnionem; patet consequentia, quia non potest intelligi quòd Trinitas causet hoc mysterium, & quòd in illo in quantum tali nihil causet. Et confirmatur, quia posset intelligi natura humana existens in aliquo tempore, & Verbum similiter existens, & nihilominùs non intelligeretur Incarnatio, nisi vnirentur à Deo; ergo vnio producitur ab ipso, vt talis fiat Incarnatio: vnde nota quòd hęc vnio non est de intrinseco & essentiali conceptu Christi vt Christus est, sed solùm est conditio sine qua non esset Christus, quia si per impossibile Verbum redderet naturam humanam subsistentem absq; eo quòd hæc vnio eam coniungeret cum illa; ita Christus esset essentialiter, sicut modò est.

12. Dico secundò contra secundam opinionem: Hęc entitas de nouo producta non est qualitas. ita contra Gabrielem tenent Suarez, Vasquez, Lorca, & alij suprà relati. Istam conclusionem probant Recentiores ratione suprà posità pro sua sententia, quia asserere vnionem esse accidẽs, est damnatum à Conciliis, quia sequeretur vnionem humanitatis cum Verbo esse accidentalem; sed hæc ratio non vrget, quia Concilia solùm contra Nestorium asserentem quòd natura humana Christi erat humana persona solo aliquo accidẽti vnita personæ diuinæ, scilicet vnita per affectum, vnita per inhabitationem tamquam in templo, &c. definiunt non esse personam humanam, sed diuinam, non accidentaliter sed substantialiter vnitam illi, quare qui asserit personam Verbi reddere per suam subsistentiam naturam humanam Christi personam catholicè & iuxta definitiones Conciliorum loquitur, licèt ad cõiunctionem naturæ humanæ, cùm persona Verbi ponat aliquod accidens; ergo non loquuntur de vnione, quâ formaliter natura humana vnitur cum personalitate Verbi, sed de vnione in qua natura diuina & humana vniuntur, quæ est personalitas Verbi, & quâ fit hoc compositum Christus constans ex illis.

13. Quare hac ratione reiectâ aliter probatur nostra conclusio, quia vnio in suo conceptu formali vel est relatio, vel intrinsecè illam includit, nam totũ suum esse huius vnionis est ad aliud se habere: sed qualitas formaliter est absoluta, & nihil includit relationis; ergo qualitas non potest esse vnio, qua natura humana se habeat ad Verbum cui coniungitur. Et confirmatur ratione Scoti in 3. d. 1. citatâ, *§. sed oppositum verò talis entitas*, quia natura humana non indiget dispositione physica vt vniatur Verbo, quia seipsâ est vnibilis; ergo nulla requiritur qualitas dispositiua in ipsa (qualiter adstruitur ab Aduersariis) vt terminetur à Verbo.

Dico tertiò contra alium modum dicendi secundæ opinionis: Entitas de nouo producta non est modus substantialis, siue sit relatiuus, siue sit fundamentum relationis. ita Auctores primæ & tertiæ sententiæ, & expresse Scotus loco proximè citato. Et probatur primò ratione ipsius, quia vel talis substantia est materia, vel forma, vel compositum, vel modus; sed nihil horum, quia aliàs esset aliquod compositum substantiale ex tali entitate & natura humana assumptum à Verbo, quale nullum aliud eiusdem rationis esset in alio homine, sed à Verbo solùm fuit assumpta humanitas in indiuiduo, qualis est in quocumque alio homine; ergo, &c. Et confirmatur, quia talis entitas, si, vt inquit Suarez, est fundamentum relationis (quam includit vnio) ergo vnitur media ipsa relatione; ergo aliquid præter humanitatem est vnitum Verbo, quod est absurdum: si autem non est fundamentum, vt inquit Vasquez, sed entitas absoluta significata per modum relationis. Contra est, quia vnio vt vnio habet se ad aliud, & media ipsa natura humana se habet ad Verbum; ergo est vera relatio secundùm esse, & non solùm secundùm dici. Præterea ergo superfluit in illa entitate quilibet alius conceptus absolutus. 14.

Secundò probatur, quia si per aliquam rationem requiritur, quòd vnio ista sit substantialis, maximè, vt dicunt Auctores prædicti ad hoc vt Verbum, & natura humana secũdùm locutiones Conciliorum substantialiter vniantur inter se, sed ad hoc non requiritur prædictam vnionem esse substantialem; ergo. Minor probatur, quia in tantum 15.

Verbum

Verbum substantialiter vnitur cum natura humana secũdùm locutiones Conciliorum in quãtum ipsa substantia naturæ humanæ subsistit per ipsam substantialem subsistentiam Verbi, sicut natura diuina subsistit illâ, & mediâ illâ, natura humana & diuina inter se vniuntur; ergo ad hanc vnionem substantialem non requiritur prædictam vnionem, de qua agimus, esse substantiam.

16. Et confirmatur primò à simili, quia si quis diceret animam rationalem habere alium modum in corpore, ac extra corpus, non propter hoc ostenderet animam vniri corpori substantialiter, quia posset ipsi vniri accidentaliter per solam assistentiam, sicut motor assistit naui; ergo licèt Aduersarij dicant naturam humanam habere in Verbo alium modum, ac sine illo, non propter hoc ostendunt vniri inter se substantialiter. Secundò confirmatur, quia metalla diuersa, quæ in visceribus terræ gignuntur, aliquâ substantiâ per iuxtapositionem vniuntur, & tamen non vniuntur substantialiter; ergo nil interest quòd natura humana & personalitas Verbi vniantur aliquo modo substantiali, vt inter se substantialiter vniantur. Tertiò, quia hæc vnio producitur efficienter à Trinitate: illa verò, quâ personalitas Verbi reddit naturam humanam subsistentem, prouenit à Verbo quasi formaliter, & à natura humana quasi materialiter; ergo ad hoc, quòd hæc sit substantialis, non requiritur, quòd illa quæ prouenit à Trinitate sit substantialis, quia Concilia, & Patres, dum contra hæreticos loquuntur, non loquuntur de hac quæ procedit à Trinitate, sed de illa quam humanitas & Verbum habent inter se.

17. Dico quartò: Entitas de nouo producta per actionem incarnatiuam, est quædam relatio extrinsecùs adueniens, quæ informat naturam humanam, fundaturque in potentia obedientiali illius, & terminatur ad Verbum. ita Scotus vbi suprà, & Auctores pro tertia opinione relati. Et probatur Primò, quia illud producitur à Trinitate per Incarnationem, quod per se & simpliciter requiritur, vt persona Verbi det esse subsistens naturæ humanæ; sed hoc solùm est, quòd natura humana se habeat speciali coniunctione ad Verbum, quæ sufficienter saluatur in quadam relatione extrinsecùs aduenienti, vt patebit ex solutione argumentorũ; ergo hęc solùm producitur. Et confirmatur, quia id, quod de nouo producitur, est quædam ligatura, & quoddam vinculum, quo natura humana dependet à Verbo in ratione terminantis, sed omnis dependentia ab aliquo termino est relatio; ergo cùm ista sit producta, & non resultat ex extremis, erit relatio extrinsecùs adueniens.

Secundò probatur, quia illa entitas 18. non potest esse conceptus absolutus qualitatis, vt probauimus contra Auctores secundæ sententiæ; neque conceptus substantiæ absolutus, vel relatiuus secundùm dici, vt probauimus contra Suarez & Vasquez; ergo debet esse conceptus relatiuus secũdùm esse, sed non potest esse intrinsecùs adueniens, quia iste statim posito fundamento & termino resultat, & ad ipsum non potest esse per se motus; ergo debet esse conceptus relatiuus extrinsecè adueniens, cui prędicta non repugnant (sicut neque huic vnioni) vt latè tradidimus in Logica cap. 9. de actione disp. vnicâ, quæstione 1.

Tertiò probatur, quia si propter aliquam rationem non posset vniri natura 19. humana cum personalitate diuina solâ relatione extrinsecùs aduenienti, maximè, quia quæ denominantur aliqua forma relatiua acccidentali, accidentaliter denominantur, & sic prædicta dicerentur accidentaliter vnita; sed hoc absolutè loquẽdo est falsum, quia duæ substantiæ dicuntur eędem substantialiter, licèt sic dicantur formaliter per relationem identitatis, quæ est forma relatiua accidentalis pertinens ad primum genus relatiuorum tertij prædicamenti, quæ fundantur in vnitate & numero; ergo etiamsi natura humana vniatur cum Verbo per relationem extrinsecùs aduenientem (etiamsi hęc sit accidens, de qua posteà) cùm illæ sint substantiæ non dicuntur accidentaliter, sed substantialiter vniri.

Respondeo ergo ad argumenta pri- 20. mæ opinionis. Ad primum nego sequelam, quia hęc entitas de nouo producta non intrat compositum tamquam pars illius, sed tamquam conditio sine qua non

non componerentur inter se natura humana & personalitas Verbi.

21. Ad 2. respōdeo, quòd licèt in natura humana sit potentia obedientialis, & in Verbo sit virtus terminandi, tamen cùm hæc duo debeant per actionem totius Trinitatis coniungi, requiritur quòd per talem actionem producatur aliqua entitas, quâ in facto esse maneant, & perseuerent formaliter coniuncta.

22. Ad 3. respondeo etiam in reliquis compositionibus requiri aliquod agens extrinsecum, quòd efficienter coniungat extrema, vt patet in eisdem exemplis adductis, quia licèt materia & forma in genere causæ formalis & materialis seipsis vniantur seu vnificentur, tamen in genere causæ efficiētis vniuntur & coniunguntur à causa efficienti, quæ causat quamdā relationem extrinsecùs aduenientem, quæ dicitur vnio vniens, & non vnificans, vt latè tradidimus 1. physic. disp. 2. q. 2. quapropter ibi diximus quòd totum realiter distinguatur à partibus simul sumptis & vnitis (vnio enim vniens, quam Scotus vbi suprà appellauit approximationem, requiritur ex parte actus primi vt scilicet partes coniungantur, & sint adinuicem indistantes vt possint causare totum relinquēdo illas simpliciter diuersas) non tamen à partibus vnificatis, quia nihil aliud includit totum, quàm ipsas partes, & vnificationem, quam habent per receptionem materiæ, & informationem formæ. Et idem est de partibus continui respectu indiuisibilis continuatiui, quia si existunt separatæ, requiritur coniunctio causata ab aliquo efficienti; subsistentia autem creata respectu naturæ propriæ hoc non requirit, quia ad productionem naturæ immediatè resultat, si à Deo non præueniatur alia subsistentia; tamen subsistētia Verbi, cùm supernaturaliter & ab extrinseco adueniat naturæ humanæ Christi, requirit actionem agentis supernaturalis, quæ vtramque coniungat aliquā vnione, quâ posita personalitas Verbi illabitur naturæ humanæ, & quasi in genere causæ formalis influit in illam, quòd subsistat.

23. Ad 4. concedo quòd relatio ista ex parte corporis est materialis & extensa, quia diuersa partiali vnione vnitur caput Verbo, quâ illi vniuntur pedes, & ex parte animæ est spiritualis & inextensa, quia relatio ex se neque est materialis, neque spiritualis, extensa aut inextensa, sed solùm ratione fundamenti.

Ad 5. dico, quòd dato casu, quòd hæc relatio sit accidens, non officit compositioni substantiali Christi, quia non se habet vt pars compositi, sed vt conditio sine qua non esset compositum, sicut vnio vniens, quæ reperitur inter materiam & formam substantialem, quæ causant compositum prædicamēti substantiæ, in quo nos posuimus quæstione 4. Christum saltem reductiuè. 24.

Ad fundamentum Gabrielis cōcedo, quòd non possit intelligi Incarnatio absolutè absque aliqua mutatione ex parte naturæ humanæ; & similiter cōcedo, quòd hæc mutatio non fiat per formam, quæ sit quantitas, vel substantia absoluta: nego tamen quòd non fiat per relationem; & quando dicit quòd ad relationem non datur per se motus ex Aristotele, dico debere intelligi de relatione intrinsecùs aduenienti, non de extrinsecùs aduenienti qualis est hæc vnio: vnde ipse admittit dari per se motum ad vbi, quod formaliter consistit in relatione extrinsecùs aduenienti, nam per ipsum refertur de nouo corpus locatum ad superficiem concauam corporis locantis. 25.

Fundamentum Suarez & Vasquez petit vt explicemus secundam partem quæstionis, quæ inquirit an hæc vnio sit substantia, vel accidens. Circa quod Scotistæ communiter defendunt esse accidens, quorum fundamentum est, quia secundùm Scotum est relatio extrinsecùs adueniens, vt suprà probauimus. Insuper quia non repugnat dictis Conciliorum & Patrum, licèt enim iuxta eorum dicta debeat hæc dici substantialis, tamen dicitur talis, vel ex eo quod facit, quòd personalitas Verbi seipsa substantialiter reddat naturam humanam Christi subsistentem, vel in quantum mediâ personalitate Verbi, quæ sustantia est, vnit naturam humanam cum diuina. 26.

Circa quod Dico quintò: Sufficienter saluantur locutiones Conciliorum & Patrum, etiamsi dicamus prædictam vnionem esse accidens. Fundamentum huius conclusionis sunt rationes prædictæ, 27.

dictæ, propositæ à Scotistis, quas adduximus pro conclusione tertia: vnde circa hoc solùm oportet inuestigare ad quod prædicamentum ex sex vltimis, quæ his relationibus cõstituuntur, pertineat. Et quidam cum Pytigiano vbi suprà dicunt pertinere ad prędicamentum passionis, quâ natura humana tamquam transmutata refertur ad Trinitatem transmutantem. Sed contrà Primò, quia terminus actionis non est passio, cùm hæc in quocumque sensu sumatur, sit simul omnimoda simultate cum actione in quocumque sensu accepta: vnde Aristoteles 3. physic. textu 20. ait, *Passio est actus huius ab hoc, scilicet passiui ab agente*. Sed prædicta vnio est terminus actionis, seu vnitionis Trinitatis; ergo non est passio. Et cõfirmatur, quia terminus actionis productiuæ est terminus productus, passio autem nullius actionis est terminus productus. Insuper terminus actionis, quæ constituit prędicamentum actionis, est subiectum quod transmutatur; passio autem non est subiectum quod transmutatur; ergo nullo modo vnio est passio; patet consequentia, quia vnio est terminus vnitionis.

28. Secundò, quia vna entitas sub vno formali conceptu non potest esse fundamentum, & relatio fundata super illud; sed forma, quæ est fundamentum vt natura humana possit dici transmutata, est vnio hypostatica. Primò, quia Verbum non præcedit vnionem aliqua prioritate in natura humana, vt ratione illius possit dici natura humana transmutata, sed potiùs quasi adducitur à tali vnione. Secundò, etiamsi præcederet, non inhæreret in illa, quod per se requiritur vt verè dicatur transmutari; ergo vnio est fundamẽtum proximum, vel conditio, quare natura humana possit referri relatione transmutationis, ergo non est ipsa relatio passiuæ transmutationis, sicut, v. g. lignum non potest dici transmutatum esse, nisi priùs recipiat calorem, vel quid aliud; ergo cùm natura humana nihil recipiat ante vnionem, non habebit fundamentum proximum vt ipsa vnio sit transmutatio passiua.

29. Et confirmatur, quia actio & passio concipiuntur in eodem nunc, sicut pro eodem nunc cõcipitur, quòd iter, quod est ab Athenis ad Tebas, sit à Tebis ad Athenas; sed vnio concipitur post vnitionem, sicut terminus post actionem; ergo & post passionem, ergo non est ipsa passio.

Meliùs ergo cum Mayrone in 3. d. 1. & Nicolao Boñet libel. 1. de prædicamento habitus, dicemus hanc vnionem pertinere ad prædicamentum habitus, quorum primus hoc expressè docet; secundus verò omnes vniones reducit ad hoc prædicamentum, & suadetur breuiter, quia neque hæc vnio (sicut neq; vnio vniens materiam & formam) pertinet ad prędicamentum substãtiæ, cùm sint relationes, vt probauimus. Insuper non pertinet ad prædicamentum relationis intrinsecùs aduenientis, quia ad has non datur per se motus, & necessariò posito fundamento & termino resultant; ergo sunt relationes extrinsecùs aduenientes, in quibus prædictæ conditiones reperiuntur; inter has autem vnio non potest esse actio neque passio, vt probauimus, neque *quando*, neq; *vbi*, neque *situs*, vt per se patet; ergo à fortiori pertinebit ad prędicamentum habitus. Et confirmatur primò, quia hac vnione natura humana habet Verbum, & quasi induitur illo, licèt non merè extrinsecè sicut induitur vestimento, sed quasi intrinsecè, & sicut natura subsistit personalitate; ergo, &c. Secundò, quia modus istius positionis cõformior est illis verbis Apostoli ad Ephesios 2. *Et habitu inuentus vt homo*, quasi diceret: Sicut homo induit vestes, sic Verbum induit naturam humanam; ergo sicut homo formaliter dicitur vestibus & habitu indutus per relationem extrinsecùs aduenientem, quæ constituit prædicamentum habitus; ita per prędictam vnionem, quæ spectat ad tale prædicamentum, Verbum habet humanitatem, & humanitas habet Verbum: neq; existimare debetis quòd exemplum Apostoli currat in omnibus, sed solùm in coniunctione, scilicet quòd sicut vestimentum per quamdã vnitionem & positionem coniungitur cum corpore, ita Verbũ per aliam coniunctum fuit cum humanitate; non tamen stat similitudo in eo, quòd sicut vestimentum adhæret corpori extrinsecè, ita Verbum humanitati, quia hic est error Nestorij, potiùs autem fuit illi substantialiter coniuncta, 30.

iuncta, redditque personam diuinam: Neque similiter debetis existimare, quòd sicut relatio habitus est in vestito, & non in vestimentis, seu (vt ait Aristoteles) in loricato, non in lorica; ita hæc vnio sit in Verbo, non in natura humana, nam hæc existimatio esset falsa, nam omnia, quæ de nouo dicuntur de Verbo ratione Incarnationis, tantùm dicuntur denominatiuè de illo, & de humanitate formaliter & intrinsecè, quia omnes formæ denominantes inhærent in illa.

31. Sed obiicies pro contraria sententia, Per hanc vnionem dicitur natura humana transmutata; ergo pertinet ad prædicamentum passionis. Respondeo per quamlibet formam de nouo aduenientem transmutari subiectum, sed non transmutatione formali: vnde non ex eo quòd natura humana transmutetur, hoc contingit illi per vnionem formaliter, sed quasi fundamentaliter.

32. Dico sextò: Licèt absolutè verum existimem, quòd prædicta vnio sit relatio extrinsecùs adueniens, & probabile existimem quòd sit accidens, tamen non existimo improbabile, neque expressè contra mentem Scoti quòd sit substantia. hoc vltimum probo. Et Primò, quia nullibi apud Scotum reperitur expressè quòd sit accidens, neque ex verbis eius potest deduci; ergo prædicta conclusio non est contra mentem Scoti. Imò addo potiùs est illi magis conformis, nam quolib. 19. *§. secundò patet.* Vnde respondeo ante literam Q, & alibi sæpè expressè affirmat, quòd priùs conuenit naturæ substantiali singulari negatio, seu ratio quâ constituitur in esse personæ, quàm terminare dependentiam accidentis; ergo secundùm Scotum non potest intelligi natura humana Christi affecta vnione quæ sit accidens, nisi postquam fuit constituta in esse personæ: sed vnio, de qua agimus, potiùs consideratur esse prior, & quasi adducens personalitatem, & coniungens Verbum cum natura humana singulari; ergo confirmatur, quia in 3. d. 1. q. 1. *§. sed oppositum,* expressè tenet Scotus, quòd nullum accidens est propria ratio personationis Verbi, neque istius vnionis.

33. Dices primò: Hoc intelligitur de accidenti absoluto, non de relatiuo. Sed contrà, quia hæc solutio ad plurimum solùm est probabilis. Dices secundò: Materia afficitur hac vnione vt coniungatur formæ etiam ex Scoto in 3. d. 2. quæst. 2. *§. quantum ad tertium articulum;* ergo priùs terminat dependentiam accidentis, quàm constituatur in esse personæ. Respondeo quòd tunc materia non est nuda ab omni forma, sed potiùs coniungitur per vnionem vt denudetur à veteri, & introducatur noua, & sic numquam recipit accidentia antequam sit subsistens.

Secundò probatur, quia ex eo quòd hęc vnio sit relatio, non probatur quòd sit accidens, quia relationes diuinæ, imò & relationes creaturæ substantialis non sunt accidentia, neque similiter ex eo quòd sit extrinsecùs adueniens, quia ex eo quòd vna entitas non resultet ex propriis intrinsecis, sed adueniat ex extrinsecis; non probatur quòd sit accidens, quia personalitas diuina extrinsecè aduenit naturæ humanæ, & nihilominùs est substantia, neque similiter repugnat ex vtroque, scilicet ex eo quòd sit relatio extrinsecùs adueniens: Primò, quia si non repugnat ex eo quòd sit relatio, neque ex eo quòd sit extrinsecùs adueniens, non repugnabit ex vtroque simul. Secundò, quia relationes, quibus Filius & Spiritus sanctus constituuntur, sunt substantiæ, & nihilominùs videntur extrinsecè aduenientes, quia terminant per se motum, seu quasi motum, scilicet actiones generandi & spirandi. Tertiò, quia relatio extrinsecùs adueniens vt sic non constituit aliquod determinatum prædicamentum, sed potiùs est quid transcendens; ergo non repugnat, quòd aliqua sit substantia: vnde sicut substantia priùs diuiditur in creatam & in increatam, & increata statim diuiditur in absolutam & relatiuam, ita creata potest antequam sit genus generalissimum diuidi in absolutam & relatiuam, & postea relatiua in intrinsecùs aduenientem, qualis est relatio creaturæ substantialis ad Creatorem, & in extrinsecùs aduenientem vt vnio hypostatica, nisi velis eam in prædicamento substantiæ collocare, & dices quòd substantia alia est corporea, alia incorporea, incorporea alia absoluta, alia relatiua, relatiua vt extrinsecùs adueniens. 34.

35. Tertiò probatur, quia non solùm intendunt Patres contra Nestorium asserere, quòd vnio, quâ, seu in qua natura diuina & humana vniuntur, est substantia, quia hæc est ipsa personalitas Verbi, quæ est substantia, quod non negant ipsi hæretici; ergo quod Patres contra ipsos intendunt, est, quod personalitas Verbi, quæ est substantia, vnita est substantialiter cum humana natura; ergo substantialitas intenta à Patribus, neque cadit super ambas naturas, neque super personalitatem diuinam, neque super naturam humanam, sed supra vnionem, quâ istæ duæ vniuntur, vel ad minus, si non est intenta, est occasione controuersiæ insinuata & significata.

36. Confirmatur primò, quia hoc modo philosophandi absolutè, & absque indigentia explicationis conformamur modo loquendi Conciliorum & Patrum. Secundò, quia Incarnatio vt actio productiua est, non est minùs actio substantialis, quàm generatio: sed terminus formalis productus est vnio; ergo hæc est substantia, aliàs haberet se sicut calefactio, quæ est actio accidentalis.

37. Sed obiicies primò ea quæ adduximus suprà contra Suarez & Vasquez, asserentes talem vnionem esse substantiam. Respōdeo quòd nos duo ibi probauimus: Primum, quòd ille modus substantialis non sit absolutus, vt dixit Vasquez; vel absolutus & relatiuus simul, vt dixit Suarez, & hoc debet dici iuxta mentem Scoti loco citato, & probatum est efficaciter. Secundum, quòd non sit substātialis, & hoc solùm ostenditur probabiliter: vnde ad primum argumentum, quod contra hoc militat. Respondeo prædictam vnionem esse quemdam modum relatiuum extrinsecum substantialem non ponibilem directè in aliquo prędicamento, vel si ponibilem pertinet ad prædicamentum substantiæ, scilicet in differentia substantiæ incorporeæ. Ad secūdum, quòd non cōstituat aliquod compositum per se, neque debeat personari per subsistentiam Verbi, quia solùm est conditio sine qua non, & ratio vt personalitas Verbi cum natura humana constituat hoc compositum Christum, cuius relationis substantialitas non requiritur nisi ex eo quòd accidens non potest inhærere naturæ antequam sit subsistens. Per quod patet ad confirmationes eiusdem argumenti.

38. Obiicies secundò Scotum in 3. d. 1. q. 1. §. *ad illud in oppositum*, vbi ait quòd relationes extrinsecùs aduenietes constituunt sex vltima prædicamenta, & dicit hanc vnionem esse relationem extrinsecùs aduenientem, sed illa sunt accidentia; ergo, &c. Respondeo quòd Scotus non asserit, quòd omnes relationes extrinsecùs aduenientes pertinent ad sex vltima prædicamenta, sed quòd aliquæ tales relationes fortè pertinent ad illa: verba sunt expressa ipsius: vnde potiùs ex illis debet colligi quòd aliæ relationes extrinsecùs aduenientes non pertinent ad illa. Dices: Scotus ibidem, §. *sed oppositum*, argumentis probat quòd vnio non sit substantia. Respondeo primò: Similiter probat quòd non sit accidens. Secundò respondeo quòd loquitur de substantia absoluta, & de accidenti absoluto, non de relatiuis, vt ipse habet expresè.

39. Obiicies tertiò Scotum in 4. d. 12. q. 1. §. *ad quæst.* vers. *ad 4. dubium litt. N*, vbi ait quòd omnis vnio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecùs adueniens, & quòd omnis realis respectus est illi cui inest accidens per accidens. Respondeo primò quòd vnio naturæ humanæ ad Verbum non est absoluti ad absolutum, quia Verbum constituit filiationem, quæ relatiua est, licèt terminet, vel non terminet sub ratione relatiua: de quo infrà disputatione sequenti. Secundò respōdeo & meliùs quòd ibi loquitur Scotus, vt legēti constabit de omni vnione & inhærentia, quàm habet accidens absolutum ad substantiam, & de hac verum dicit, quia accidens non potest inhærere media substantia, non autem loquitur de vnione quâ natura humana substātialis Verbo vnitur, neque de illa meminit. Imò hæc non deberet comprehendi sub regula vniuersali, etiamsi loqueretur de qualibet vnione substantiæ ad substantiam, quia singularissima & ineffabilis est, neque alia illi similis, vt fatetur Scotus: vnde argumentum ab exemplo nullum erit, per quod potest responderi ad alias locutiones similes, si fortè sint.

40. Quare non obstabit si dicas primò, quòd vnio materiæ ad formam est accidens;

dens; ergo & hæc. Nam respondeo primò, quòd quidquid sit de hoc, tamen est dispar ratio, quia vnionem, de qua agimus, appellant substantialem sacra Scriptura & Patres. Secūdò, quòd cùm hæc sit singularissima, non debet esse similis illi in omnibus. Tertiò, quia vnio materiæ ad formam, quæ non creatur cum illa, sed de nouo educitur, ex illa supponit materiam cum alia forma, & compositum in esse iam subsistentis. Neque obstabit si dicas secundò, quòd prædicta vnio per accidens aduenit naturæ humanæ Christi, quia posset existere absque illa; ergo est accidens. Respondeo hoc solùm probare, quòd sit accidens prędicabile, non prædicamentale, & iam enim aduenit illi per accidens personalitas Verbi, & nihilominùs est substantia, in quo nihil contra veritatem Catholicam adstruitur.

41. Solùm est obseruandum cum Scoto in 3. d. 6. q. 1. §. *ad argumenta*, vers. *& ad confirmationem*; vnionem hypostaticam nullo modo esse appellandam accidentalem, quia Patres substantialem appellant, & esse accidentalem negant: vnde siue vnio sit accidens formaliter, siue substantia semper debet appellari substantialis, vel ratione extremorum, vt suprà diximus; vel ratione sui & extremorum, vt modò probabiliter defendimus.

QVÆSTIO V.

An hæc vnio sit omnium maxima, tam in ratione vnionis, quàm in ratione doni?

1. Circa primum quòd inquirit præsens Quæstio, scilicet an hæc vnio sit omnium maxima in ratione vnionis? Nota cum Lorca disputatione 17. parum referre ad ipsius decisionem, an vnio sit modus distinctus ab extremis, an non; solùm enim refert, an extrema in hac vnione sint magis coniuncta, & minùs diuisa, & consequenter habeant maiorem vnitatem, quàm in aliis vnionibus.

2. Circa quod prima sententia affirmat esse maximam. Ita Caietanus 3. p. q. 2. art. 9. Suarez disp. 9. sect. 1. probant ex auctoritate Bernardi lib. 5. de Consideratione cap. 8. vbi ait: *Inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnio Trinitatis, quâ tres personæ vna substantia sunt: secundo loco illa præcedit, quâ è conuerso tres substantiæ vna persona in Christo sunt.*

Secunda sententia ex diametro opposita est Durandi in 3. dist. 5. q. 3. qui negat hanc vnionem esse omnium maximam in ratione vnionis. Fundamentum est, quia materia & forma sunt magis vna, cùm non solùm habeant vnitatem in ratione personæ, sed etiam in ratione naturæ: vnio verò hypostatica non constituit in Christo vnum in ratione naturæ, quia diuina & humana manent distinctæ, sed in ratione personæ. 3.

Tertia sentētia, quam tenet D. Thomas 3. p. q. 2. art. 9. Vasquez disp. 20. c. 2. Lorca vbi suprà num. 4. distinguit quòd si vnio consideretur ex parte extremorum quæ vnit, non est omnium maxima, quia maior est vnio materiæ & formæ: si autem cōsideretur ex parte eius in quo fit vnio, scilicet ex personalitate Verbi; est omnium maxima, adhuc secundùm rationem formalem vnionis, vt benè explicat Lorca, quia de hoc procedit quæstio. Fundamentum est, quia quantò simpliciùs est vinculum, est formaliùs & magis vnum; & consequenter quantò personalitas Verbi est simplicior entitas omni alia creata, tantò naturas, quas coniungit, inseparabiliores reddit, & magis coniunctas. Approbant hanc sententiam aliqui Scotistæ in manuscriptis, si loquamur de vnione vt vniente naturam diuinam cum humana; secùs si loquamur de illa vt vniēte naturam humanam cum personalitate Verbi, quia vt sic maior est inter materiam & formam. 4.

Sed in hac re Dico primò: Si hæc vnio consideretur secundùm rationem formalem vnionis (loquor de vnione inter naturam humanam, & personalitatem Verbi) non est omnium maxima. Ita Scotus in 3. d. 6. q. 1. §. *ad argumenta*, vers. *ad aliud Bernardi*, vbi ait, quòd si vnitas hæc accipiatur ex priuatione distinctionis, non est omnium maxima: at priuatio distinctionis est ratio formalis vnitionis. Hæc conclusio probatur ratione Durandi, quia materia & forma substantialis habent vnitatem non solùm in ratione personæ, sed 5.

 etiam

etiam in ratione naturæ, quod non contingit in præsenti; ergo. Et confirmatur primò, quia ea, quæ se habent vt potentia & actus, magis inter se aptantur ad compositionem, quàm ea, quæ sic non comparantur, sicut corpus concauum & conuexum ad hoc vt conglutinentur, quàm corpora vtraque concaua, aut vtraque conuexa, vt benè vidit Vasquez in fine cap. 2. sed neque natura diuina, neque personalitas diuina comparantur cum natura humana vt actus & potentia propriè; ergo; &c. Confirmatur secundò, quia illa est maior vnitas quæ habet minorem distinctionem, sed minorem distinctionem habent, quæ neque distinguuntur in persona, neque in natura, vt contingit in composito substantiali, quàm quæ solùm non distinguuntur in persona, vt contingit naturæ humanæ & diuinæ in Christo; ergo si hæc vnio consideretur secundùm rationem formalem, quæ in tali carentia consistit, non erit omnium maxima.

6. Dico secundò: Si hæc vnio consideretur secundùm rationem materialem, quæ attenditur non solùm ex parte entitatis vnientis, sed etiam ex parte extremorum quæ vnit, est omnium maxima. ita Scotus ibidem. Et probatur, quia vnita sunt magis perfecta omnibus aliis, quæ in aliqua compositione concurrunt, vnum enim extremum est infinitum, alterum est substantia perfecta in se, quod non reperitur in aliis compositionibus; ergo, &c. Confirmatur, quia in hoc apparet maior vnio materialiter in quo, ea, quæ magis inter se distant, vniuntur; sicut in hoc apparet maior vnio formaliter in quo, ea, quæ vniuntur, maiori carent distinctione, sed in nulla alia compositione coniungitur infinitum cum finito hypostaticè, quæ maximè distant, sicut in hac; ergo hæc est omnium maxima, si attendatur secundùm rationem materialem.

7. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur cum Scoto vbi suprà Bernardum debere intelligi de vnione secundùm rationem materialem, non solùm secundùm rationem formalem, neque enim loquitur ita metaphysicè, sicut loquuntur Scholastici; neque obstat, si dicas, Bernardum comparasse vnionem hypostaticam cũ vnione Trinitatis, quæ prima est non solùm materialiter, & secundùm ea quæ vniuntur, sed etiam formaliter, & secundùm rationem formalem vnionis. Respondeo primò paritatem non teneri in omnibus, imò vnitas Trinitatis talis est, quòd sit identitas realis; vnitas autem Christi solùm est vnitas compositionis, & talis quòd relinquat extrema simpliciter diuersa. Secundò, respondeo comparasse illas duas vnitates secundùm perfectionem materialem solùm in qua, in qua primum locum obtinet Trinitas, quia omnia, quæ vniuntur, sunt infinita saltem identicè; & essentia, quæ illa coniungit, est infinita formaliter; non sic autem contingit in Christo, vbi natura humana est finita.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ respondetur maiorem esse hanc vnionem Christi ex parte extremorum, seu secundùm rationem materialem, quàm vnionem materiæ & formæ secundùm eamdem rationem, quia hæc non ita distant ad compositionem, sicut illa; quorum vnum est finitum, aliud infinitum; imò potiùs materia & forma comparantur ad inuicem, sicut corpus concauum & conuexum ad conglutimentum; quare illa vnio est ineffabilis & mirabilis, non hæc. Similiter respondetur minorem esse hãc vnionem Christi, quàm illam sumptas secundùm rationes formales, quia licèt simplicior entitas magis conducat ad vnitatem identitatis, sicut essentia diuina identificat sibi personas realiter distinctas; tamen non conducit magis ad vnitatem compositionis, de qua agimus in præsenti, quia huic præstat esse maiorem, id quod præstat maiorem carentiam distinctionis; hæc autem maior est in materia & forma, quæ non solùm non distinguuntur in persona, sed neque in natura. 8.

Circa secũdum quod inquirit Quæstio, scilicet an hæc vnio sit omnium maxima in ratione doni, Nota quòd vnio hypostatica potest vsurpari dupliciter: Primò, secundùm omnes effectus, quos præstat tam formaliter quàm radicaliter, tam immediatè quàm mediatè, & in hoc sensu non fit comparatio cum aliis donis, sed est omnium maximum, quia includit radicaliter & mediatè omnia dona, quæ collata sunt 9.

Christo

Christo Domino, & nobis; & sic maius donum est, quàm quodlibet seorsum.

10. Secundò, potest vsurpari præcisè secundùm effectum, quem formaliter & immediatè præstat humanitati Christi: secundùm quem effectum nec reddit humanitatem formaliter sanctam sanctitate iustorum, nec beatam, vt cum Scoto dicemus in proprio loco, sed solùm reddit naturam humanam Christi personam diuinam, & in hoc sensu procedit quæstio & comparatio, quæ præcipuè fit cum beatitudine supernaturali, & hanc profert Ricardus in 3. d. 2. quæst. 4. Marsil. q. 3. art. 2. Durandus quæst. 1. num. 10.

11. Verior tamen sentẽtia affirmat, quòd vnio hypostatica sit maius donum in ratione doni supernaturalis (in quo conueniunt) quàm visio beatifica: ita Scotus in 4. d. 49. q. 2. §. *ad istam secundam quæstionem*, D. Thomas 3. p. q. 2. art. 10. ad 1. & art. 11. in corpore, & q. 4. art. 1. ad 2. Sequuntur Thomistæ antiqui & recentiores, & ex nostris Faber in 3. disp. 8. cap. 3. Ouandus d. 2. q. 2. art. 1. dub. 2. Notanter autem dixi, quòd sit maius donum in ratione doni supernaturalis, in quo conueniunt, quia si considerentur secũdùm suas rationes specificas, vnio & beatitudo non sunt inter se comparabiles in dignitate, quia sunt diuersi generis, & sic quælibet est perfectior aliâ in suo genere, vna in quantum perficit in actu primo, alia in quantum perficit in actu secundo. Ita Scotus in 3. d. 2. q. 1.

12. Probatur primò nostra sententia ex August. lib. de Prædestinatione cap. 15. vbi ait, *Ita esse excellentißimam prædictam vnionem, tantumq́ naturæ nostræ subiectionem euectam fuisse per ipsam, vt quò altiùs attolleretur, non haberet.*

13. Secundò probatur à priori, quia per hanc vnionem fuit persona diuina substantialiter communicata naturæ humanæ, quam constituit in ratione personæ, & cum qua constituit vnum per se substãtiale, per visionem autem beatificam solùm vnitur Deus accidentaliter, & in ratione obiecti; ergo secundùm modum vniendi se naturam diuinam cum humana (secundùm quem debet regulari, quòd donum sit maius, aut minus) vnio hypostatica excedit beatitudinem. Confirmatur, quia huic homini Christo debetur ratione huius vnionis excellentior denominatio, scilicet quòd denominetur Deus, & excellentior reuerentia, quàm cuicumque alteri Beato; ergo.

Sed contra primò: Insurgunt Auctores primæ sententiæ, quia illud donum est maius, quod solis creaturis rationalibus potest communicari; sed vnio hypostatica potest etiam irrationalibus communicari, non verò visio beatifica; ergo hæc est maior in ratione doni. Respondetur negando maiorem, aliàs quælibet minima sancta cogitatio, & minimum auxilium, quòd solùm potest dari rationalibus, esset maius donum, quàm vnio hypostatica, quod est falsum. Ad minorem dico, quòd etiamsi irrationabilibus possit communicari vnio hypostatica, non tamen in ratione doni & gratiæ, quæ solùm habent locum respectu creaturæ rationalis, vel intellectualis. 14.

Contra secundò, quia si quis eligeret sibi aut beatitudinem, aut vnionem, potiùs deberet beatitudinem eligere; ergo hæc est maius donum. Respondent aliqui esse eligendam vnionem, sed meliùs alij, quòd esset eligenda beatitudo, non quia excellentius donum, sed quia vtilius naturæ eligentis: ponunt exemplum, sicut si in tempore famis proponeretur famelico panis, & gemmâ pretiosissimâ, ille potiùs eligeret panem, quàm gemmam, non quia excellentius bonum, sed quia vtilius. 15.

Contra tertiò: Beatitudo est summum bonum; ergo vnio non potest esse maius illo. Respondetur, beatitudinem obiectiuam, quæ est Deus, esse summum bonum, non verò beatitudinem formalem: de cuius ratione solùm est, quòd satiet nostrum appetitum. Ex quo fortassis dicitur esse summum bonum, quia reliqua alia creata non satiant. 16.

Contra quartò: Beatitudo Christi fuit finis suæ vnionis hypostaticæ; ergo fuit excellentius donum illa. Probatur consequentia, quia finis semper est excellentior mediis. Respondetur primò: Beatitudo Christi formalis fuit volita in intentione cum indirecta volitione vnionis hypostaticæ, sicut quando intenditur gloria vt corona, intenditur 17.

ditur etiam indirectè & virtualiter meritum: vnde tūc non tam eligitur vnum propter aliud, quàm vtrumque immediatè: in quo casu non requiritur, quòd finis sit præstantior medio. Secundò respondetur negādo quòd finis sit semper præstantior medio, vt patet quando amatur causa propter effectum eminenter seu virtualiter in illa contentum, quæ causa debet esse necessariò perfectior.

18. Pro exacto huius Disputationis examine solùm restat inuestigare, an hæc vnio possit appellari essentialis & naturalis, & secundùm essentiam, & secundùm naturam. Affirmat Vasquez disputatione 17. cap. 3. quia Nazianzenus epist. 1. ad Tridonium, & Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 3. illam appellant essentialem, seu secundùm essentiam. Sophronius autem in epistola synodica, quæ habetur in 6. Synodo generali actione 11. Cyrillus Anathematismo 3. Petrus diaconus lib. de Incarnatione capite 3. & alij illam appellant naturalem, & secundùm naturam.

19. Sed meliùs negat Lorca disputatione 14. quia si vsurpentur secundùm rigorem sermonis, sunt falsæ: dicere enim hanc vnionem esse essentialem, vel secundùm essentiam factam fuisse significat *in essentia diuina*, sicut dicere esse hypostaticam, seu secundùm hypostasim significat factam fuisse in hypostasi diuina; similiter dicere hanc vnionem esse naturalem, aut secundùm naturam significat, vel quòd non sit supernaturalis, vel quòd non sit facta in persona diuina, sed in eius natura, quod totum est falsum.

Vnde prædicti Patres non loquuntur secundùm rigorem sermonis, sicut quando asserunt hominem fuisse à Verbo assumptum, vnam naturam esse in Christo, naturam assumentes pro hypostasi sunt impropriæ locutiones à nobis cauendæ. Patres verò vocant hanc vnionem essentialem, vel secundùm essentiam, quia essentia naturæ humanæ & diuinæ coniunctæ sunt, non per affectum gratiæ, vt dicebat Nestor, sed physice & substantialiter mediâ personalitate Verbi, & vocant naturalem, seu secundùm naturam, quia est vera & realis, & non phantastica, vt asserebant Manichæi, quare etiam sunt cauendæ tales locutiones, quia impropriæ. Hîc solet disputari, an hæc vnio possit dici aliquo modo accidentalis; sed de hoc satis diximus in fine antecedentis quæstionis. 20.

DISPVTATIO VI.

DE VNIONE HYPOSTATICA EX PARTE PERSONÆ TERMINANTIS.

Notissimum fidei principium est solam personam Filij fuisse vnitam naturæ humanæ Christi, in qua persona natura humana & diuina vnitæ sunt. Ideò postquam egimus de vnione, quæ vnit naturam humanam cum persona Filij, agimus modò de ipsa persona Verbi, in quantum vnit eamdem naturam humanam cum natura diuina, seu in quantum est vinculum, quo natura humana & diuina vniuntur.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm persona Verbi terminauerit naturam humanam ratione alicuius absoluti, an solùm ratione relatiuæ proprietatis?

1. MIror Patrem Lorcam disput. 24. num. 2. asseruisse quæstionem hanc decidi posse, siue admittatur in Deo subsistentia absoluta & communis, siue non admittatur: cùm enim Auctores, qui (vt infrà videbimus) asserunt naturam humanam Christi terminari à Verbo ratione alicuius absoluti, scilicet ratione subsistentiæ communis, quâ subsistit indiuiduum Deitatis, hoc asserant ex eo quòd putent quòd in Verbo (sicut neque in Patre & Spiritu sancto) non reperiatur aliqua specialis subsistentia relatiua distincta à subsistentia absoluta diuinæ essentiæ, quæ communis est. hinc est quod non poterit præsens Quæstio resolui contra tales Auctores, nisi priùs supponatur ex his quæ dicuntur in materia de Trinitate resolutio talis quæstionis, quia si in Verbo non est subsistentia specialis distincta à subsistentia communi, non poterit specialiter dare effectum subsistendi naturæ humanæ Christi.

2. Vnde pro decisione Quæstionis Nota primò cum Scoto in 1. d. 7. quæst. 1. & expressiùs in 3. d. 1. quæst. 2. §. *ad quæstionem*, dari in diuinis subsistentiam absolutam (quidquid in contrarium velint Vasquez 1. p disput. 125. & Lorca in materia de Trinitate manuscripta disput. 4. quæst. 4. & 3. parte disput. 24.) quæ subsistentia non est existentia essentiæ diuinæ, vt interpretatur Lorca, sed est vera subsistentia vniuoca, & eiusdem prorsus rationis cum subsistentia relatiua personæ, in hoc quod est dare vltimam actualitatem & independentiam ab alio tamquam à sustentante, duo enim conceptus in persona vel supposito reperiuntur; primus, quòd personalitas sit vltimus actus constituens personam omnino independentem ab alio tamquam à sustentante; secundus, quòd etiam constituat illam incommunicabilem vt *quo*, & vt *quod*, hoc est, quòd non possit alteri communicari, vel vt forma communicatur materiæ, vel vt genus communicatur speciei per prædicationem. In primo conceptu conueniunt subsistentia communis & persona: vnde ratione illius essentia diuina taliter est in vltimo actu constituta independens à personis tamquam à sustentantibus, quòd si tres diuinæ non existerent per impossibile, adhuc essentia diuina per se existeret, neque indigeret sustentante; quare personæ diuinæ non oriuntur ab illa vt præstent illi talem subsistentiam, sed solùm oriuntur propter ipsius fœcunditatem. In secundo autem conceptu differunt, quia etiamsi essentia diuina subsistat tali subsistentia, adhuc manet communicabilis vt *quo*, & vt *quod*; secùs autem personæ.

Nota secundò contra Durandum in 1. d. 26. quæst. 1. num. 6. & in 3. d. 1. quæst. 2. Paludanum ibidem Capreolum quæst. 1. art. 3. Ægidium Argent. & alios relatos à Vasque vbi suprà, præter talem subsistentiam absolutam dari in Deo tres subsistentias relatiuas. Ita colligo ex Scoto in 1. d. 8. quæst. 3. in responsione cuiusdam dubij, vbi ait, quòd Pater est subsistens generatione actiuâ, id est per relationem paternitatis, & in tertio citato supponit personas habere suas speciales subsistentias (vnde falsò imputatur Scoto opinio contraria) per quas subsistentias relatiuas non subsistit essentia diuina, sed subsistunt ipsæ personæ, neque enim istæ possunt subsistere adhuc secundùm primum conceptum per subsistentiam communem, quia nihil potest subsistere per aliquid antecedens suum esse, cùm subsistentia sit vltimus actus, & terminus talis esse; subsistentia autem communis nostro modo concipiendi antecedit constitutionem personarum, quæ per relationes constituuntur formaliter, in quibus plures formalitates reperies, vt in relatione Filij præter formalitatem filiationis, quòd sit Verbum, quòd sit imago Patris, quòd sit talis persona, & sub hac comprehenditur primus & secundus conceptus suprà positus, scilicet quòd sit independens ab alio tamquam à sustentante, & quòd sit incommunicabilis vt *quo*, & vt *quod*, 3.

tam actualiter, quàm aptitudinaliter; quare non sufficit quòd persona diuina & essentia in tali conceptu vniuocentur vt auferatur à Deo, vel subsistentia communis, vel relatiua, vt intendit Lorca loco citato.

4. Quibus suppositis prima sententia in hac Quæstione est Durandi in 3. d. 5. quæst. 1. asserentis naturam humanam terminari à Verbo in ratione subsistentis per subsistentiam absolutam diuinæ essentiæ, & terminari à Verbo in ratione huius suppositi seu personæ per relatiuam proprietatem, scilicet per filiationem. Probat suam sententiam, quia persona diuina habet subsistentiam non à se, sed ab essentia diuina; & habet proprietatem personalem non ab essentia diuina, sed à se; ergo natura humana, quæ recipit subsistentiam & proprietatem relatiuam, à Verbo habebit subsistentiam ab ipsa essentia diuina, & proprietatem personalem, non ab essentia diuina, sed à Verbo. Et si dicas sequi naturam humanam vnitam fuisse tribus diuinis personis, si fuit vnita essentiæ, quæ communis est tribus. Respondent negando sequelam, quia magis intimè vnitur persona diuina cum essentia diuina, quàm natura humana cum persona diuina, & ex illa vnione non sequitur quòd persona diuina, quæ vnitur essentiæ, vniatur etiam personaliter cum alia persona diuina, cum qua similiter est vnita essentia, & sic multò minùs sequetur quòd natura humana, quæ est vnita essentiæ diuinæ & personæ Verbi, vniatur etiam personaliter cum aliis personis.

5. Parum differt ab opinione Durandi Capreolus in 3. d. 1. q. vnicâ, art. 1. conclusione 4. & art. 3. ad argumentum Durandi: differt autem in eo quòd ponit naturam humanam priùs terminari à proprietate relatiua Verbi, vt constituatur in esse personæ; & posteà à subsistentia communi diuinæ essentiæ, seu ab existentia diuinæ essentiæ, vt constituatur in esse existentis, nam Capreolus cum multis Thomistis putat quòd priùs est vt compleatur suppositum, quàm quòd existat, quia existere, inquiunt, est entis completi: vnde si primò natura humana terminatur ad Verbum, nil obstabit quòd secundariò terminetur ad aliquod essentiale.

Franciscus de Victoria & Dominicus de Soto referuntur dixisse rationem in Verbo terminandi naturam humanam non fuisse communem subsistentiam secundùm se, neque proprietatiuam relatiuam tantùm, sed subsistentiam communem prout modificatam proprietate relatiuâ, sicut diximus essentiam diuinam esse principium generandi Filium, non secundùm se aliàs omnes personæ generarent, sed prout modificatam & determinatam proprietate relatiuâ Patris. Ex quo videtur fugere instantiam contra Durandi opinionem suprà positam. 6.

Tandem Gabriel in 3. quæst. notab. 1. cum Ochamo, quem pro se allegat, quamuis in principio affirmet vnionem non esse factam in natura diuina, nec ratione alicuius essentialis concludit ita factam esse in persona, vt non sit facta in proprietate personali præcisè, sed in tota persona, quæ ex natura & proprietate personali consistit, ita vt vtrumque simul, & ex æquo naturam humanam terminet: quorum fundamentum etiam est, quia natura diuina & eius personalitas non distinguantur adhuc ratione. 7.

Vera ergo sententia docet personam terminasse naturam humanam non ratione alicuius absoluti essentiæ diuinæ, sed solùm ratione proprietatis relatiuæ personæ. Ita tenent omnes alij Scholastici. Scotus in 3. d. q. 5. *§. in ista quæstione*, & in solutione ad 2. & d. 5. q. 1. & quodlibet 19. *§. de primo creditum est*, quem sequuntur omnes eius discipuli; tenent insuper D. Bonauentura d. 1. art. 1. quæst. 2. & d. 5. art. 1. quæst. 1. Alensis 3. p. quæst. 4. memb. 1. D. Thomas ibidem quæst. 3. art. 2. & omnes Thomistæ, & Recentiores, qui contrariam sententiam tamquam suspectam erroris damnant. 8.

Et probatur Primò ex Concilio Toletano 6. & 11. in confessione fidei, in quibus habentur hæc verba: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitatem personæ, non in vnitatem diuinæ naturæ, id est, in eo quod proprium est Filio, non in eo quod commune est Trinitati;* vbi notari debet hæc vltima particula exclusiua, *Non in eo quod commune est Trinitati;* idem explicuit Cōcilium 6. generale actione 8. vbi refert & approbat illam sententiam Dionysij 9.

Dionisij secundo capite de diuinis nominibus parte 2. post medium, vbi sic ait: *Illis* (scilicet quæ ad Incarnationem pertinent) *nullâ ratione communicant Pater & Spiritus sanctus, nisi tantùm benignissimam voluntatem*; Nota, ly *nullâ ratione*, & ly *nisi benignissimam voluntatem*.

10. Secundò probatur ratione Anselmi lib. de Incarnatione cap. 4. à quo desumpsit Scotus d. 1. q. 5. & D. Thomas 3. p. q. 3. art. 2. ad 1. & 2. quia si Verbum terminaret naturam humanam ratione alicuius absoluti communis, Incarnatio esset communis, & omnes tres personæ diuinæ essent incarnatæ, nam quidquid naturæ & præcisè ratione naturæ competit, non potest non esse illis commune: hac enim ratione dicimus quòd omnes tres diuinæ personæ creant, gubernant, &c. quia hoc competit illis præcisè ratione alicuius communis essentiæ diuinæ; ergo si ratione subsistentiæ communis essentia diuina terminaret naturam humanam, omnes tres personæ terminarent.

11. Ex quibus fit satis communi fundamento Aduersariorum, dicimus enim personam Verbi à se habere subsistentiam propriam, & specialem distinctam à subsistentia communi essentiæ diuinæ: vnde non solùm subsistit, quia Deus, sed etiam quia Filius, aliàs vel dependeret in ratione talis, vel priùs conciperetur independens, seu subsistens, quàm conciperetur habens esse Filij, quod implicat, quia de ratione subsistentiæ præcipuè personalis est quòd sit vltimus actus, & sic ratione illius posse terminare dependentiam naturæ humanæ ad subsistendum, taliter quòd reliquæ personæ non terminent, si enim terminaret ratione subsistentiæ communis, reliquæ etiam personæ fuissent incarnatæ.

12. Vnde non obstat sophistica solutio Durandi, quia ratio, pro nostra sententia adducta, non probat, quòd vbi est natura, quæ identificatur cum persona, sit quælibet alia persona; sed solùm probat, quòd vbi est natura diuina reperiuntur omnia, quæ sunt, & prædicantur de tali natura; & consequenter si natura diuina fuisset incarnata, omnes tres diuinæ personæ, quæ sunt in tali natura, fuissent & dicerentur incarnatæ, quia natura diuina esset in natura humana ratione alicuius essentialis terminans illam.

Neque Capreolus effugit inconueniens contra Durandum propositum 13. ex eo quòd ponat naturam humanam priùs terminari à proprietate relatiua Verbi, & posteà à subsistentia communi essentiæ, quia ratione huius subsistentiæ communis omnes tres diuinæ personæ terminarent, quid enim refert quòd hoc sit prius vel posterius? imò & sequeretur quòd etiam terminarent naturam humanam prout personatam personalitate seu proprietate relatiuâ Verbi, quod est falsum, cùm personalitas diuina non sit potens iterùm subsistere; manifestè autem decipitur Capreolus cum aliis Thomistis, putans quòd natura humana sit priùs persona quàm existens, & putans quòd existat existentia aliena, vt disputatione 10. ostendam.

Euasio similiter Victoriæ & Dominici de Sotó nulla est. Primò, quia subsistentia communis non potest modificari à proprietate relatiua, quantum ad præstandum suum effectum subsistendi. Neque exemplum adductum ab ipsis est simile, quia si essentia diuina modificatur à proprietate relatiua vt sit principium generandi, hoc fit propter adæquationem principiati cũ suo principio, quodlibet enim principium absolutè producit suum terminum adæquatum & totalem, & sic non potest alium producere; at verò subsistentia communis non sic modificatur à proprietate relatiua cùm possit, etiam in Aduersariorum sententia, alias naturas creatas terminare. Secundò, essentia modificatur à relatione vt sit principium generandi, tamquam à conditione sine qua non, vel tamquam à ratione formali principij quod, quod est persona; at verò relatio non potest esse conditio modificans, sed ratio formalis terminans naturam humanam: vnde habet se vt principium formale quo, quia Concilia hoc significant. 14.

Gabriel autem & Ocham non vitant 15. inconueniens propositum, quia quòd tota persona ex æquo terminet naturam humanam, non tollit quominùs ratione naturæ diuinæ assumentis & terminantis, reliquæ personæ assumant, &

vt minimum saltem concedendum est, omnes personas aliquo modo fuisse incarnatas, & habuisse specialem modum vnionis cum natura humana, à qua aliquo modo denominari possint, quod sana doctrina non admittit. Insuper fundamentum est falsum, quia omnes Scholastici in materia de Trinitate saltem distinctionem rationis admittunt inter naturam diuinam, & eius personalitates, & cuilibet proprios & diuersos effectus attribuunt: vnde natura non potest dare esse personam, quia hoc est proprium personalitati diuinæ.

16. Sed contra nostram sententiam obiicies primò: Ratio terminandi naturam humanam est sola proprietas personalis; ergo cùm hæc sit relatio filiationis, sequitur quòd denominet ipsam filiam & relatam ad Patrem. Respondeo negando sequelam: Primò, quia licèt proprietas personalis terminet naturam humanam, non tamen denominat illam, quia non est forma inhærens in illa, cùm non sit accidens, sed substantia per se subsistens, sed solùm denominat compositum quod fit ex illa, & ex natura humana: vnde hic homo Christus verè dicitur Filius Dei naturalis. Secundò & subtiliùs respondeo, quòd in proprietate personali Verbi, seu in relatione filiationis sunt, prout ad præsens attinet, tantùm duo conceptus considerandi, qui inter se formaliter ex natura rei, vel modaliter distinguuntur, vnus quòd sit filiatio, alius quòd sit forma vltimatè personam diuinam terminans, illamque constituens in esse talis personæ incommunicabilis, & secundùm hunc vltimum conceptum filiatio terminat naturam humanam, denominatque illam subsistentem, quia conceptus neque est absolutus, nec relatiuus formaliter, materialiter autem est relatiuus. Vnde obiter Nota, quòd secundùm rigorem metaphysicum, hic homo Christus, qui propter primum conceptum dicitur Filius Dei naturalis, licèt concomitanter propter hunc secundum, & propter gratiam habitualem existentem in anima rationali, potest similiter dici in concreto Filius Dei adoptiuus, licèt enim filiatio vt forma physica terminet naturam humanam, non tamen secundùm omnia sua prædicata metaphysica, & vt filiatio formaliter est, sicut neque terminat secundùm quod Verbum, vel secũdùm quod imago est, vt latiùs dicemus disputatione 17. q. 1. sed vt subsistentia est.

Obiicies secundò: Natura humana constituitur persona per proprietatem personalem; ergo hic homo Christus non est vniuocè homo cum aliis hominibus; patet consequentia, quia homo non solùm includit humanitatem, sed etiam suppositalitatem, quæ erit diuersa in Christo. Respondeo etiam suppositalitas est primò diuersa in omnibus hominibus, & nihilominùs vniuocè conueniunt in ratione hominis; & ratio huius est, quia hæc vniuoca conuenientia sumitur ab humanitate, quam pro per se significato dicit hoc concretum, *homo*, non à personalitate quam solùm dicit pro connotato. 17.

Sed inquires primò: Pro complemento Quæstionis supposito quod sola proprietas relatiua, seu personalitas Filij terminauit naturam humanam, an reliquæ personæ dici possent esse in humanitate Christi aliquo speciali modo distincto ab aliquo communi? v.g. ab eo quo per essentiam, præsentiam & potentiam est in omnibus rebus, & ab eo quo per gratiam est in omnibus iustis, & ab eo quo communiter est in aliquibus rebus? 18.

Affirmant Suarez disputatione 12. sect. 1. Vasquez disp. 28. cap. 2. Probant ex Basilio epist. 93. vbi ait, quòd sicut, qui in catena vnius annuli summitatem apprehendit, totam apprehendit propter concatenationem & vnionem, ita qui apprehendit Filium, apprehendit & Patrem & Spiritum sanctum; ergo natura humana, quæ vnita est Filio, aliquo speciali modo est vnita Patri & Spiritui sancto. 19.

Probatur ratione, quia si per impossibile Trinitas non esset in creaturis per essentiam, præsentiam & potentiam, & persona Filij terminaret naturam humanam, reliquæ personæ essent in illa per concomitantiam; ergo aliquo speciali modo. Et confirmatur exemplo, quia diuinitas est in Sacramento Eucharistiæ per cõcomitantiam, quam habet cum corpore & sanguine Christi, vt definit Tridentinum sectione 13. cap. 3. ergo similiter duæ personæ sunt per concomitantiam in natura humana 20.

propter

propter identitatem in natura diuina cum persona Verbi terminante.

21. Negant & meliùs Hugo Cardinalis in Speculo Ecclesiæ, Rada tom. 3. controuers. 1. art. 6. Fundamentum est, quia Verbum existit in humanitate vt suppositum in natura, sed hoc non facit per aliquod commune cum aliis personis, sed per aliquid sibi proprium; ergo ex speciali vnione Verbi cum humanitate non licèt inferre specialem vnionem aliquam reliquarum personarum cum humanitate; patet consequentia, quia hæc specialis vnio deberet oriri ex vnione Verbi cum humanitate per modum suppositi, at reliquæ personæ nullo modo per modum suppositi vniuntur cum natura humana Christi. Confirmatur primò, & declaratur, quia licèt non vniretur persona Verbi per modum suppositi, sed alio modo, v. g. per modum existẽtis, vt volebant Capreolus & alij Thomistæ, eodem modo reliquæ personæ vnirentur per concomitantiam; ergo ex vi vnionis per modum suppositi non vnirentur modo speciali. Confirmatur secundò, quia diuinitas & personæ diuinæ etiam sunt in speciebus panis & vini per concomitantiam cum corpore & sanguine Christi in Sacramento Eucharistiæ; ergo iste modus non est specialis, & tantummodò secutus ex vnione hypostatica naturæ humanæ cum Verbo.

22. Per hæc patet ad verba Basilij, loquuntur enim de modo essendi per concomitantiam, qui licèt debeat reputari vt distinctus ab aliis modis, non tamen vt specialis, quia vt sic solùm posset sequi ex speciali vnione Verbi cum natura humana per modum suppositi, & hoc est falsum. Idipsum dicimus ad primam & secundam confirmationem, illas enim concedimus, sed non probant intentum, scilicet quòd ex speciali vnione hypostatica Verbi sequatur specialis vnio reliquarum personarum cum humanitate, quia vt sic deberent se habere respectu illius, aliquo modo vt supposita terminantia. Quam doctrinam optimè desumit Rada ex Scoto in 3. d. 2. q. 2. litt. A, vbi contra Henricum colligit Scotus, quòd si ex vi vnionis hypostaticæ Verbum esset præsens animæ Christi in ratione obiecti immutantis eam (sic enim docebat Henricus) non posset cõcludi, quòd tota Trinitas illam immutaret, sed solùm Verbum. Et ratio eius est, quia ex vi talis vnionis non est ibi, id est, in Christo aliquo speciali modo tota Trinitas, quæ posset immutare; idipsum dico in præsenti.

Inquires secundò, dato quòd de facto subsistentia cõmunis, quâ subsistit indiuiduum Trinitatis, non faciat subsistere naturam humanam, an de potentia Dei hoc posset præstare? Negant Alexander 3. p. q. 7. memb. 1. art. 2. & 3. D. Bonauentura in 3 d. 1. art. 1. quest. 3. Vasquez disp. 27. cap. 2. Lorca disp. 24. num. 16. 23.

Probant primò, quia non datur in indiuiduo Deitatis talis subsistentia communis, nam vel præstat eumdem effectum, quem præstat subsistentia relatiua, & sic iam daretur superfluitas in Deo, vel non præstat eumdem effectum; sed subsistentia communis dat existere per se, & proprietas relatiua dat incommunicabilitatem, & tunc sequeretur quòd etiam de facto humanitas Christi esset subsistens subsistentiâ communi, quia ad subsistendum fuit assumpta. Secundò, quia si talis subsistentia communis datur, pertinet ad integritatem naturæ diuinæ; ergo non potest terminare aliam naturam. Tertiò, quia aliàs daretur à parte rei hic homo subsistens, qui non esset persona. Quartò, quia talis subsistentia non posset impedire propriam personalitatem, & sic illa natura humana esset subsistens in se per propriam personalitatem, & subsistens in alio per subsistentiam cõmunem diuinam. Quintò, quia aliàs daretur in humanitate subsistentia aliqua ad quam non dicit capacitatem, quia hæc solùm est in natura ad subsistentiam personalem, quæ illam reddit incommunicabilem. Sextò, quia hæc vnio neque esset in natura, aliàs assumeretur humanitas ad vnitatem naturæ diuinæ, neque esset vnio in persona vt patet, sed daretur alia tertia contra ea, quæ docent Concilia, & Patres contra Nestorium assignantes solùm has duas vniones, & exinde deducentes, quòd si vnio humanitatis Christi non fuit in natura, quòd debuit esse in persona. 24.

Affirmant verò & meliùs Scotus in 25.

in 3. d. 1. q. 2. §. *ad quæst.* Ouandus ibidem art. 2. Faber disp. 4. cap. vltimo, Rada controuers. 2. art. 3. & omnes Scotistæ. Ex aliis Durandus in 3. d. 1. q. 2. Caiet 3. p. q. 3. art. 3. Suarez disp. 13. sect. 1. & alij plures. Et probatur ratione à priori, quia in personalitate sunt duo cōceptus, vt diximus in principio quæstionis; primus est dare independentiam ab aliquo tamquam à sustentante; secundus reddere incommunicabilitatem vt quo, & vt quod; ergo cùm subsistentia communis, quâ indiuiduum Deitatis subsistit, possit præstare primum conceptum, poterit natura humana, in qua est inclinatio ad vtrumque, recipere illum de potentia Dei. Neque obstat Capreolus in 3. dist. 1. q. 1. vbi admittit hanc subsistentiam communem, requirit tamen, vt præstet suum effectum, quòd modificetur per proprietatem relatiuam, quia hoc suprà ostendimus esse falsum.

26. Ad argumenta in cōtrarium respondetur. Ad primum nego non dari talem subsistentiam communem, de qua latè agitur in materia de Trinitate. Ad probationem dico, quòd licèt subsistentia communis, & subsistentia relatiua conueniant vniuocè in ratione subsistentiæ, & præstent eumdem effectum, non tamen eidem subiecto formaliter, quia subsistentia communis facit subsistere indiuiduum Deitatis, & subsistentia relatiua facit subsistere personam, quæ ex indiuiduo Deitatis, & relatione personali coalescit, & sic non datur superfluitas in Deo.

27. Ad secundum respondeo, quòd licèt subsistentia communis pertineat ad integritatem naturæ diuinæ, potest nihilominùs terminare naturam creatam, quia habet prædicatum subsistentiæ, ad quam natura creata dicit capacitatem, sicut propter hanc rationem persona diuina potest illam terminare, licèt persona pertineat ad fœcunditatem diuinæ naturæ.

28. Ad tertium dico nullum esse inconueniens dari naturam humanam à parte rei non immediatè personatam, sed solùm subsistentiâ communi subsistentem, quæ natura mediatè esset tribus personis diuinis personata, sicut esset Deus propter identitatem realem subsistentiæ communis cum proprietatibus personalibus, & cum natura diuina.

Ad quartum respondent aliqui propriam personalitatem impediri per subsistentiam communem, licèt hæc non adęquet effectum illius, sicut si in triangulari vacuo mittatur corpus rotundum, licèt non adæquatè repleat illum locum, impedit tamen corpus triangulare, quod posset adæquatè replere, sic similiter, inquiunt, talis natura subsistens in alio non posset habere subsistentiam propriam. Sed exemplum non est simile, quia prædicta corpora habent incompossibilitatem propter impenetrationem naturalem: sed si de potentia Dei penetraretur vtraque, possent esse simul in vacuo triangulari. Vnde aliter respondeo concedendo quòd non impediretur per subsistentiam communem subsistentia personalis propria vel aliena, quæ subsistentia personalis non daret effectum subsistendi, sed solùm incommunicabilitatem personalem, quia illam non reperiret datam à subsistentia communi præexistente, nullum autem inconueniens est, quòd vna natura sit in alio subsistens, & in se, vel in alio incommunicabilis, quia cùm habeat hæc per diuersas formalitates, & rationes inadæquatas, & inter se non contrarias, nulla est repugnantia; fortè autem esset, si in se & in alio esset subsistens, vel in se & in alio incommunicabilis, & licèt de facto non dentur plures formæ in eodem subiecto, quæ conueniant in aliquo adhuc partiali effectu specifico (vt cōueniunt subsistentia communis & personalis) quia vna secundùm talem effectum erit superflua, tamen de potentia Dei hoc non repugnat, sicut si darentur in homine anima sensitiua materialis, & anima rationalis, hæc non præstaret effectum illius, licèt si illa non existeret, præstaret illum, sicut modò præstat, quod non repugnat de potentia Dei. 29.

Ad quintum respondeo, quòd in humanitate, & est capacitas ad subsistendum, & ad subsistendum incommunicabiliter, vtraque enim includitur in capacitate ad subsistēdum personaliter. 30.

Ad sextum respondet Scotus in 3. d. 1. q. 2. §. *sed contra* 2. quòd hæc vnio non esset in natura per identitatem vel compositionem, sed esset vnio quasi personalis, quia esset similis vnioni, quæ 31.

de

de facto est naturæ humanæ ad personam Verbi: vnde ex tali vnione non sequeretur vnitas naturæ humanæ & diuinæ, sed vnitas vnionis vtriusque naturæ, & sic nihil dicimus contra Concilia & Patres, cùm eodem modo sequatur cōtra Nestorium inconueniens ab ipsis illatum, quia si vnio Christi non fuit in natura diuina per identitatem vel compositionem; ergo debuit esse in persona, siue persona solùm sit conditio talis terminationis, & subsistentia communis ratio formalis terminandi, vt voluit Durandus, & alij cum eo, vt suprà vidimus, siue persona tribuat totum effectum, vt nos diximus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm plures diuinæ personæ possint simul & immediatè assumere eamdem numero naturam?

1. NOtanda sunt verba propositæ Quæstionis, vt sciamus punctum controuersiæ illius. Nam quærimus in illa, an plures personæ possint simul terminare eamdem numero naturam? quia quòd possint successiuè omnes fatentur, eadem enim ratio terminandi est in Patre, & in Spiritu sancto, ac in Filio, & sic sicut solus Filius terminauit naturam humanam Christi, ita solus Pater, & solus Spiritus sanctus, posset terminare. Solùm esset differentia quòd Pater in tali casu non diceretur missus, sicut dicitur Filius, & diceretur Spiritus sanctus, quia ad hoc requiritur etiam quòd sit procedens ab alio, vt dicitur in materia de Trinitate. Similiter quærimus an possint plures personæ immediatè terminare, quia si possent mediatè, seu mediâ subsistentiâ diuinâ, diximus quęstione antecedenti; itaque controuersia consistit in simultanea & immediata terminatione.

2. Circa quam prima sententia affirmat nullam esse repugnantiam, quòd plures personæ diuinæ possint simul & immediatè assumere eamdem numero naturam. ita D. Thomas 3. p. q. 1. art. 6. Caietanus, & omnes eius expositores ibidem. Valencia q. 3. puncto 3. Suarez disp. 14. sect. 1. Vasquez disp. 26. cap. 2. Lorca disp. 25. qui citant Alexandrum 3. p. q. 2. memb. 4. Henricum quolibet 8. q. 7. Ocham in 3. d. 1. Gabrielem, Almainum, & Capreolum ibidem. Et probant Primò, quia in hoc nulla apparet repugnantia; ergo fieri potest à Deo. Antecedens primò probatur ex solutione argumentorum; secundò quia repugnantia non stat ex parte naturæ assumptibilis, quia hęc dicit potentiam obedientialem ad hanc personam, sicut ad illam; neque stat ex parte personarum, quia sicut istæ non se excludunt à consortio, quod habent in natura diuina, ita neque se excludent à consortio naturæ humanæ.

Secundò probatur à Lorca num. 11. quia licèt tres diuinæ personæ personaliter differant, tamen omnes sunt eiusdem perfectionis & virtutis vt possint terminare; ergo omnes simul ęqualiter possunt terminare eamdem numero naturam, patet consequentia, quia quando termini habent eamdem rationem terminandi, non censentur quasi plures termini, sed quasi vnus terminus, sicut si Pater haberet plures filios (qui sunt termini eiusdem rationis ad terminandum relationem paternitatis) omnes filij sunt vnus terminus vnius paternitatis, quia habent vnam rationem terminandi; ergo cùm tres diuinæ personæ habeant eamdem rationem terminandi naturam humanam, poterunt vnam vnionem (non plures, vt notat ipse Lorca cōtra Caietanum & alios Recentiores) talis naturæ terminare per modū vnionis termini, ita vt quælibet persona totaliter terminet. Et confirmatur, quia sæpè sæpiùs plura agentia naturalia totalis, & eiusdem rationis, v. g. duo ignes possunt indiuisibiliter attingere productionem vnius effectus, quia non est maior ratio, quare magis huic agenti, quàm illi tribuatur; ergo similiter plures personæ poterunt eumdem numero effectum seu terminationem indiuisibiliter attingere. 3.

Tertiò probatur, quia idem corpus potest suscipere duo vbi, & idem locus potest suscipere duo corpora; ergo & eadem natura poterit habere plures personas. Et confirmatur, quia Augustinus in epist. 3. ad Volusianum loquēs de mysterio Incarnationis ait, quòd *tota ratio facti est omnipotentia facientis;* ergo cùm nihil sit Dei omnipotentiæ impossibile, nullâ ratione poterit negari 4.

gari prædicta sententia, quæ fundatur in omnipotentia Dei.

5. Secunda & verior sententia negat posse eamdem numero naturam terminari simul & immediatè à pluribus personis diuinis. ita Scotus in 3. d. 1. quæstione 2. docuerat Ricardus art. 1. quæstione 4. significasse videtur D. Bonauentura art. 1. quæstione 3. Alexander Alensis 3. p. quæst. 2. memb. 4. vt latè tradit Pytig. qui hanc tuetur sententiam d. 1. q. 2. art. 1. inclinat in illam Paludanus quæstione 3. probabilem reputat Lorca vbi suprà à num. 10. Scotum sequuntur omnes eius discipuli, Liquetus & Tartaretus in prędicta d. 1. Aquila & Orbeus quæstione 3. Rada controuers. 1. art. 4. Faber disp. 4. cap. 2. Ouandus d. 2. q. 2. art. 2. dub. 2. tradiditque expresse Anselmus lib. de Incarnatione cap. 4. vbi ait: *Filio incarnato non est necesse alias quoque personas incarnari, sed impossibile;* & lib. 2. Cur Deus homo, sic dicit, *Plures personæ nequeunt vnum, eumdemq. hominem assumere in vnitate personæ.*

6. Neque obstat solutio S. Thomæ suprà quæstione 3. art. 6. scilicet quòd Anselmus dicat non posse vnum suppositum creatũ assumi à pluribus personis diuinis, quia vt sic est inassumptibile, non tamen hoc dici de natura non suppositata. Nam contrà est, quòd suppositum creatum etiam est inassumptibile ab vnica tantùm persona diuina, & nihilominùs concedit vnam personam diuinam posse hominem assumere; ergo loquitur de homine seu natura humana nondum suppositata.

7. Probat Anselmus hanc sententiam duplici inconuenienti: Primò, quia ex opposita sequeretur confusio personarum, nam Pater esset Filius, & Filius Pater, & vterq; Spiritus S. & è contrà; sed hoc inconueniens nullum est, quòd plures personæ assumerent eamdem naturam humanam, non est quòd illam assumant ad vnitatem personæ, sicut ex eo quòd natura diuina sit à pluribus terminata personis, non sequitur ibi esse personarum confusionem. Secũdò, quia sequeretur ibi esse communicationem idiomatum, & sic sicut Christus dicitur Filius Dei vnigenitus, ita Pater posset dici Filius Dei vnigenitus, &c. sed similiter hoc inconueniens non sequeretur in prædicta sententia Thomistarum, nam communicatio idiomatum requirit quòd suppositum de quo prædicantur sit commune, & non sufficit communicatio formæ à qua sumitur denominatio, quare non sufficeret quòd humana natura assumpta à tribus esset communis, sed esset necesse quòd suppositum esset commune, quod non reperitur.

Vrgentiùs probatur prædicta sententia à Scoto. Et primò, quia in omni dependentia essentiali, illud quod dependet, non potest dependere, nisi ab vno, quòd totaliter & adæquatè terminet eius dependentiam; aliàs si à pluribus totaliter & adæquatè terminaretur, essent causæ totales, & non essent causæ totales; essent totales, quia hoc supponitur tam à nobis, quàm ab Aduersariis; non essent totales, quia cùm de conceptu intrinseco causæ totalis vt totalis sit, quòd totum effectum & totaliter producat, eo ipso quòd alia causa simul cum ipsa illum produceret, sequeretur quòd vel partialiter cum ipsa produceret, & sic non esset totalis; vel totaliter produceret, & sic alia causa neque partialiter neque totaliter produceret, sed quælibet persona ex diuinis est causa totalis terminandi in ratione personæ naturam humanam, vt per se patet; ergo eadem numero natura humana terminata ab vna persona diuina non potest simul & immediatè à pluribus terminari. 8.

In idem redit argumentum commune, scilicet quòd eadem natura dependeret, & non dependeret; dependeret, quia terminaretur ab aliqua persona; non dependeret, quia si prędicta aliqua persona auferretur, maneret natura eodem modo terminata: ex quo apparet, quòd non dependebat ab illa persona quæ fuit ablata, siquidem natura eodem modo manet & perseuerat terminata. Confirmatur, quia duæ causæ efficientes totales, & eiusdem ordinis, non possunt producere eumdem numero effectum; ergo neque duæ causæ formales etiam extrinsecè, quales essent prædictæ personæ respectu terminationis illius naturæ humanæ; patet consequentia, quia causa formalis etiam extrinseca minus extrinseca, quàm causa efficiens. 9.

Præ-

10. Prædictum argumentum Scoti variè illudere contendunt Aduersarij, Ocham, Gabriel, Valencia & Suarez negant maiorem, ex eo quòd si duo luminosa æqualia eidem spatio æqualiter applicarentur, licèt quodlibet esset causa totalis, nihilominùs eumdem numero effectum producerent, quia non est maior ratio, quare istud producat, & non illud: vnde quòd naturaliter non producant simul, fit ex eo quod naturaliter nequeunt æquè indiuisibiliter & immediatè applicari.

11. Sed contra hoc, quia hoc esse falsum manifestè confirmat probatio illius Maioris, scilicet quòd quælibet illarum causarum esset causa totalis, & non esset causa totalis; esset totalis, quia supponitur; non esset totalis, quia de conceptu totalis est, quòd totum effectum & totaliter producat; si autem alia causa comproduceret, non totaliter produceret. Vnde ratio Aduersariorum solùm probat, quòd vtrumque luminosum produceret lumen, sed vel intensiùs, quàm vnum solùm luminosum produceret; vel si determinatum gradum deberent producere, agerent partialiter, & eorum virtus non ageret secundùm vltimum de potentia, quia limitaretur non ab alia concausa, sed ab effectu, qui, vt supponimus, deberet habere gradum determinatum, numquam autem possent agere vt causæ totales.

12. Alij respondent Maior in 3. d. 5. quæstione 3 Bassolis quæstione 4. articulo 1. Vasquez 3. parte disput. 29. cap. 4. num. 27. concedunt enim illam Maiorem intellectam de dependentia essentiali, quam habet effectus à sua causa; negant autem de dependentia personali, quam habet natura à persona. Sed contrà, quia neque Scotus hanc vltimam dependentiam appellauit essentialem, sed ab exemplo dependentiæ essentialis sumit argumentum ad dependentiam naturæ à persona, & efficacitas illius sic ostenditur, quia sicut in dependentia essentiali effectus, qui dependet, non potest dependere à duplici causa totali, & eiusdem ordinis, quia vna præstat totum & totaliter effectum, aliàs solùm præstaret partialiter; ergo alia non potest attingere illam productionem, quia non habet quod producat: vnde ablatâ illâ adhuc effectus esset, & permaneret; ita in dependentia naturæ à persona, effectus, qui est naturam fuisse constitutam personam, non potest dependere à duplici persona, quia vna præstat totum & totaliter effectum hunc, & sic alia non potest attingere talem effectum, aliàs esset, & non esset causa totalis.

Alio modo respondet Lorca, asserit 13. enim quòd si tres diuinæ personæ eamdem numero assumerent naturam, hoc non fieret per tres vniones, quamlibet ad quamlibet personam terminatam, sed per vnicam tantùm, quæ ad omnes illas personas terminaretur: vnde si postcà ad duas tantùm terminaretur, deberet corrumpi illa vnio præexistens ad tres terminata, & alia diuersa in specie produci solùm terminata ad duas personas. Insuper negat eumdem numero effectum produci, vel causari à tribus, ac à duabus, vel ab vna persona, quia per illam vnionem ad tres terminatam constitueretur natura in esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti; per alias verò solùm in esse Patris & Filij, vel in esse tantùm Patris, quod etiam dicitur à Vasquez vbi suprà.

Sed contrà primò, quia diuersa vnio 14. terminatur à tribus, ac à duabus, vel ab vna persona; ergo non terminant vt diuersæ causæ totales eiusdem speciei, sed vt diuersæ speciei; & consequenter non se habent vt causæ totales, sed vt causæ partiales necessariò & per se requisitæ ad talem terminationem. Secundò, quia, vt diximus quæstione primâ huius disputationis in forma physica filiationis, sunt duæ formalitates considerandæ, vna, quâ Verbum constituitur Filius, alia quâ constituitur incommunicabiliter subsistens: per primam differt filiatio à paternitate, & spiratione passiua: in secunda autem vniuocè conueniunt, & per hanc constituit naturam humanam incommunicabiliter subsistentem, non per primam, quia capacitas naturæ humanæ solùm est ad secundam, scilicet ad subsistere, non ad esse Patrem, vel Filium, &c.

quia hoc illi aduenit materialiter pro quanto redditur subsistens à forma, quæ sit filiatio, vel redderetur à forma, quæ esset paternitas; ergo effectus totalis proueniens à filiatione secundùm hanc secundam formalitatem non posset prouenire à paternitate, & à spiratione passiua secundùm eamdem formalitatem; patet consequentia, quia secundùm has formalitates prędictæ formæ vniuocantur, & quælibet formalitas ex illis est causa totalis ad præstandum naturæ humanæ hoc quod est subsistere incommunicabiliter, neque relinqueret in illa aliquam indigentiam vt posset per aliam formalitatem alterius formæ reddi subsistens incommunicabiliter.

15. Veniamus ergo ad Caietani solutionem, quæ communior est inter Thomistas: distinguit enim illam minorem, scilicet quælibet persona ex diuinis est causa totalis terminandi naturam humanam, & dicit intensiuè concedo, extensiuè nego, hoc est (vt benè exponit Vasquez, qui etiam vtitur hac distinctione) sufficienter redditur natura humana subsistens per vnam personam, concedo; taliter autem redditur subsistens per vnam personam, quòd inuoluat aliquod repugnans, quare non possit simul reddi subsistens per aliam personam, nego. Sed vt benè vidit Lorca numero 12. hæc solutio potiùs continet verba excogitata ad fugiendum argumentum, quàm veritatem: non enim potest reddi ratio, quare latiùs pateat terminabilitas naturæ quoad extensionem, quàm quoad intensionem; neque quare natura creata habeat extensionem vt terminetur à pluribus personis diuinis, & non habeat illam vt terminetur ab vna persona diuina, & ab alia creata.

16. Quare contra ipsum sic argumentor: Natura humana sufficienter & adęquatè redditur subsistens per vnam personam diuinam; ergo repugnat quòd simul reddatur subsistens per aliam personam; ergo vna subsistentia totalis vnius personæ secum adducit repugnantiam ad aliam, & cōsequenter non solùm erit causa totalis terminandi intensiuè, sed etiam extensiuè, iuxta explicationem traditam à Vasquez: primam consequentiam (in qua est tota difficultas) probo, quia si natura humana sufficienter & adæquatè redacta est subsistens per vnam personam; ergo nulla indigentia mansit in eadem natura, quæ postularet subsistere per aliam personam, aliàs prior persona non reddidisset illam sufficienter & adæquatè subsistentem; ergo repugnat quòd simul reddatur subsistens per aliam personam; patet consequentia, quia per vnam subsistentiam facta est natura incapax alterius subsistentiæ eodem modo se habentis, eo ipso quòd per illam satiata mansit eius indigentia.

Sed respondebis Primò, quòd nulla indigentia mansit in natura terminata per vnam personam ad terminari intensiuè, benè tamen ad terminari extensiuè. Sed contrà, quia hoc est petitio principij, & iam probauimus à priori repugnantiam ortam ex vna terminatione vnius personæ ad terminationem alterius personæ, & consequenter probauimus repugnantiam ortam ex terminatione intensiua ad terminationem extensiuam. 17.

Secundò respondebis, quòd adhuc manet indigentia in natura humana terminata per Filium ad hoc vt terminetur à Patre, quia hæ sunt diuersæ terminationes, per vnam enim constituitur Filius, per aliam verò Pater & Filius. Sed contrà, quia, vt suprà diximus, natura creata non dicit capacitatem, neque potentiam obedientialem ad formas paternitatis & filiationis, vt sunt formaliter paternitas & filiatio: sed vt sunt formaliter subsistentiæ quædam incommunicabiles, hoc enim solùm petit natura creata postquam est indiuidua vt sit completa & per se existens, non illud; ergo si sufficienter & adæquatè habet hoc, quod est subsistere incommunicabiliter per filiationem, non poterit simul habere idipsum per paternitatem. 18.

Similiter possemus impugnare eamdem solutionem Caietani argumentis, quibus 2. physic. disputatione 4. quæstione 5. impugnauimus illam disputantes, an idem numero effectus possit produci à duplici causa totali efficienti eiusdem speciei & ordinis: sed ne nimis lata fiat in præsenti nostra Disputatio, sufficiat adducere illud solùm, quod mihi maximā ingerit difficultatem, scilicet 19.

licet quòd ex opposita sententia sequeretur quòd non haberemus ex naturalibus vrgens argumentũ ad probandum quòd Deus tantùm sit vnus, & quòd de ratione essentiæ diuinæ sit vnitas, nam si aliquod habemus de facto, maximè illud quod concludimus ex effectibus causarum, deueniendo ad vnam primam causam, ne in ipsis detur processus in infinitum, quem ratio naturalis non admittit, quare intellectus sic format suum discursum, hic effectus procedit ab illa causa, & illa vt effectus ab illa, & illa ab illa, &c. ergo deueniendum est ad vnam primam causam, quæ non procedat ab alia, & consequenter suum esse habeat à se, & hæc est Deus: vnde Paulus ait, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur sempiterna quoque eius diuinitas.* Sed in opposita sententia hoc argumentum nullum est, quia qui plures deos admittit, posset respondere quòd ille vltimus effectus procedit à duplici & multiplici causa totali, & eiusdem rationis, quarum quælibet est Deus, & sic ex ratione hac naturali, quæ potissima est, non possemus cõtra ipsum concludere vnitatem Dei, & quòd vnitas numerica sit de ratione intrinseca & essentiali diuinæ essentiæ: ne igitur in hoc deueniamus absurdum, præcludamus illi viam, tenendo sententiam Scoti tam valido fundamento fulcitam. omitto alia.

20. Prætereà, quia nobiscum consentit Vasquez in illa Quæstione; sed in præsenti dissentit, quia dispar illi videtur ratio, ex eo quòd effectus dependet à causa efficienti in suo esse; at verò vnio naturæ humanæ solùm dependet à persona, quantùm ad terminari. Sed contrà breuiter: Primò, quia vnio, cùm sit relatio etiam quantùm ad esse, pendet à suo termino, & sic à persona, non tamquam à causa efficienti, sed tamquam à causa specificante, & quasi formali, quæ comparata cum causa efficienti est magis intrinseca, quàm illa. Secundò, quia effectus iste, qui est reddere naturam subsistentem & personam, non minùs pendet in suo esse à persona, quàm ignis productus ab igne producente; ergo si iste effectus in genere causæ efficientis excludit duplicem causam totalem, ita & ille in genere causæ formalis.

Secundò probatur prædicta sententia à Scoto, quia non minùs perfectè terminat personalitas Verbi dependentiam, quàm dicit natura humana ad subsistendum, ac illam terminaret propria personalitas creata, sed terminata per hanc propriam personalitatem, etiamsi non interueniat dependentia effectus à causa, & etiamsi non sit eiusdem rationis specificæ cum terminatione diuinarum personarum non potest vlteriùs, neque intensiuè, neque extẽsiuè simul terminari à diuinis personis, vel ab extrinseca persona creata, vt fatentur vnanimiter Scholastici & Patres; ergo pari ratione natura semel terminata persona Verbi nequibit simul terminari per aliam personam, neque intensiuè, neque extensiuè. 21

Sed respondent Recentiores rationem quare non possit natura humana terminata per propriam personalitatem terminari per aliam etiam diuinam, esse quia propria personalitas est terminus intrinsecus naturæ humanæ. Vnde, si alia personalitas, quæ esset terminus extrinsecus, similiter terminaret, sequeretur primò quòd hęc secunda personalitas non solùm terminaret naturam, sed etiam primam personalitatem, quod est impossibile. Secundò, sequeretur quòd natura creata terminata propriâ personalitate haberet quod esset per se, & terminata alienâ haberet quod esset in alio, & sic de eodem subiecto possent verificari duæ contradictoriæ. 22

Sed isti suo se iudicio iugulant: Vnde enim prouenit à priori, quòd natura terminata per terminum intrinsecum non possit terminari per terminum extrinsecum, si præter terminationem intensiuam habet terminationem extensiuam, nisi quia per terminum intrinsecum est omnino totaliter & adæquatè satiata terminabilitas naturæ, & idem iudicium est de termino extrinseco supplente vices illius. Neque inconuenientia adducta sunt alicuius ponderis. non primum, quia magis intrinseca est personalitas Patris essentiæ diuinæ, quàm personalitas propria naturæ humanæ, & nihilominùs essentia diuina potest iterùm terminari per personalitatem Filij absque eo quòd hæc simul terminet personalitatem Patris; 23

ergo licet secunda personalitas adueniret naturæ humanæ personatæ per propriam personalitatem, non personaret propriam personalitatem simul cum natura humana, sed solùm ipsam naturam. Non secundum, quia quòd natura humana sit per se terminata intensiuè, & sit in alio terminata extensiuè, nulla esset contradictio, quia hæc debet esse eiusdem de eodem, & in præsenti modus terminandi esset diuersus.

24. Deinde non est dicendum, quòd natura terminata per personalitatem alienam sit in alia, quia hoc significat quòd natura vel inhæreat in alio, vel facta sit natura alterius, & sic diceretur quòd natura humana Christi vel inhæreat in Verbo diuino, vel facta sit natura Verbi diuini, id est, natura diuina; sed solùm est dicendum, quòd natura terminata per personalitatem alienam sit existens per se, non ab intrinseca personalitate, sed ab extrinseca; & natura terminata per propriam personalitatem sit existens per se, non ab extrinseca personalitate, sed ab intrinseca: hæ autem duæ existentiæ per se non implicant contradictionem, si in natura creata secundùm Aduersarios est capacitas ad plures existentias per se, quia causæ horum effectuum in tantum implicant, in quantum implicant ipsi effectus; ergo si implicant, ex eo est, quia vnus est adæquatus, & sufficit, & sic alius superfluit, non autem ex eo quòd vna personalitas sit propria & intrinseca, & alia extrinseca & aliena, sicut propter eamdem rationem vnum corpus organicum non posset habere duplicem animam rationalem, vnam propriam, & alteram alienam.

25. Tertiò probatur prædicta sententia à Scoto, quia si natura creata pluribus posset personalitatibus terminari, sequeretur quòd esset infinita, quod est falsum. Sequela probatur, quia plures personæ tantùm posse esse in vna natura, vel per identitatem vt personæ diuinæ in essentia diuina, & sic ratione infinitatis à qua prouenit quòd sibi illas identificet, vel per compositionem, vt dicunt Aduersarij, si assumeret naturam creatam, sed non per compositionem, vt probatum est duobus argumentis præcedentibus; ergo propter infinitatem. Vnde nota quòd hoc argumentum factum à Scoto supponit argumenta iam facta ab ipso, & habet vim virtute illorum.

Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum, quòd repugnantia oritur ex incompossibilitate actuum, eo enim ipso quòd dependentia naturæ humanæ ad subsistendum satiata manet per vnam personam, nequit iterùm satiari per aliam. 26.

Sed dices primò cum Scoto: Natura humana, antequam assumatur à Verbo, erat assumptibilis à Patre, & ab alia quacumque persona, quia erat in potentia obedientiali ad illas; ergo poterit stante terminatione à Verbo simul terminari à Patre, vel ab alia persona. Respondeo quòd potentia obedientialis erat ad posse terminari à pluribus personis, sed non ad simul terminari ab illis, quia hoc implicat propter rationes dictas. 27.

Dices secundò: Natura prædicta æquè est terminabilis à Patre, ac à Filio, agant igitur simul prædicta duplici persona non erit maior ratio, quare ista persona terminet, & non illa; ergo vtraque terminabit. Respondeo quòd suppositum est impossibile, quia Deus non potest intendere illud quod cognoscit esse impossibile: cognoscit autem esse impossibile, quòd duplex persona terminet eamdem numero naturam, & sic non causat vnionem terminatam ad duas personas. 28.

Dices tertiò, quòd plures personæ possint terminare eamdem naturam non est superfluum, sed superabundans, sicut quòd plures causæ efficiẽtes possint causare eumdem numero effectum. Respondeo concedendo totum, si agant seorsim, non tamen si agant simul & immediatè, quia tunc si vna est adæquata & totalis, reliquæ superfluunt. Ad illud autem quod dicitur in argumento, quòd personæ diuinæ non se excludunt, ex eo quòd plures sint, à consortio diuinæ naturæ; ergo similiter non se excludunt in humana. Respondeo disparem esse rationem, quia subsistẽtiæ diuinarum personarum non præstantur diuinæ essentiæ, cùm hæc habeat suam subsistentiam, vt diximus suprà, sed solùm præstantur personis, quæ realiter sunt inter se diuersæ; at verò in nostro casu præstarentur naturæ 29.

turæ humanæ, quæ semel satiata per vnam, nequit satiari per aliam.

30. Ad secundum argumentum Lorcæ respondeo, quòd sicut in quolibet indiuiduo est sua natura specifica, & diuersa ratio materialis, ita in quolibet indiuiduo est adæquata & totalis ratio terminandi relationem diuersam filiationis: quare absque fundamento sufficienti asseritur, quòd multiplicatis filiis non multiplicentur relationes, cùm reperiantur omnes conditiones requisitæ ad multiplicationem illarum, vt latè tradidimus in Logica in prædicamento relationis disputatione 3. quæstione 3. ita eodem modo asserimus in præsenti, quòd cùm in qualibet persona sit sua ratio formalis terminandi naturam humanam, nam in qualibet reperitur sua subsistentia, & insuper quælibet persona sit realiter distincta ab alia, non debent esse termini vnius vnionis; sed plurium, quas esse simul in eadem natura humana implicat, vt admittit ipse Lorca.

31. Ad confirmationem dico, quòd plures causæ efficientes totales, vt duo ignes, quando simul agunt; partialiter adhibent influxum, quod non oritur ex impotentia ipsorum ignium vel causarum, sed ex impotentia effectus non potentis recipere maius esse.

32. Ad tertium argumentum respondeo cum Vasquez vbi suprà cap. 4. disparem esse rationem, quia quòd vnum corpus sit in duobus locis, & duo corpora sint in eodem loco non se habent quasi subiectum & forma, sed tamquam fundamentum & terminus, quia hæc omnia formaliter consistunt in quibusdam relationibus: vnde multiplicato, vel fundamento, vel termino, multiplicatur relatio: at verò personam diuinam reddere naturam humanam subsistentem habet se quasi forma respectu subiecti absque inhæsione, licèt ad hoc requiratur vnio, quæ sit relatio, quare si natura reddatur per vnam personam subsistens, non potest simul reddi per aliam, cùm satiata sit terminabilitas naturæ, seu capacitas subiecti ad subsistendum. Prætereà, quando duo corpora sunt in eodem loco, vnum est circumscriptiuè, aliud definitiuè, & sic non habent effectus formales incompossibiles in eodem loco. Ad confirmationem dico, quòd ex ratione Augustini solùm probatur quòd omnia sunt sub potentia Dei, nisi ea quæ per locum intrinsecum repugnant; iam autem ostendimus contrariæ sententiæ repugnantiam.

QVÆSTIO III.

Vtrùm vna persona diuina plures possit assumere naturas?

Conueniunt omnes vnam personam diuinam plures posse simul assumere naturas. ita omnes Scholastici cum Magistro in 3. d. 1. ibi Scotus q. 3. Alexander Alensis 3. p. q. 2. memb. 7. D. Thomas q. 3. art. 7. & vtriusque sectatores. Et ratio est, quia nulla est repugnãtia ex parte personæ diuinæ terminantis, nam eius virtus ad terminandum naturam non exhauritur per terminationem alterius, neque est repugnantia ex parte naturarum, cùm omnes sint terminabiles & assumptibiles; & etiamsi naturæ sint specie diuersæ, nulla erit contradictio in eo quòd terminatæ sint ab vna persona; ergo poterunt simul terminari. 1.

Inquires tamen si persona diuina assumeret duas distinctas in specie naturas, v.g. humanam & angelicam, esset ne inter istas communicatio idiomatum? Negant Caietanus & Medina, quia licèt prædictæ naturæ essent vnitæ Verbo, non tamen essent inter se substantialiter vnitæ; sed meliùs D. Thomas in 3. d. 1. q. 2. & Recentiores affirmant quòd homo diceretur Angelus, & è contrà. Et ratio est, quia communicatio idiomatum inter substantiales naturas prouenit ex vnitate & communicatione suppositi, sicut communicatio idiomatum inter naturas accidentales prouenit ex vnitate subiecti, ideò enim album dicitur dulce, & è contrà, quia albedo & dulcedo habent idem subiectum, scilicet lac; quare in Christo homo dicitur Deus, & è contrà; ergo licèt inter naturas angelicam & humanam non esset substantialis vnio (quam prætendunt Auctores cõtrariæ sententiæ) sufficeret quòd esset talis vnio inter eas cum persona diuina. 2.

Solùm restat examinanda difficultas circa modum loquendi, an scilicet si vna 3.

vna persona diuina assumeret plures naturas, v. g. plures humanitates numero distinctas, an deberet dici vnus homo propter vnitatem suppositi, vel plures homines propter pluralitatem naturarum? & idem inquiritur in casu, quo verum esset, quod aiunt Thomistæ, si plures personæ assumerent vnam numero naturam, an esset dicendus vnus homo, vel plures homines?

4. Gabriel in 3. d. 5. q. 2. affirmat pluralitatem, vel vnitatem concretorum sumendam esse ex pluralitate, vel vnitate suppositi; & eius ratio est, quia concreta semper supponunt pro suppositis, & idem est homo, ac habens humanitatem. Durandus verò d. 1. quæst. 3. ad vnitatem, vel pluralitatem requirit vnitatem, vel pluralitatem vtriusque, scilicet tam suppositi quàm naturæ, taliter quòd si vnitas, vel pluralitas alicuius deficiat concretum, non est dicendum vnum, vel plura absolutè, sed secundùm quid, & cum addito explicante vnitatem secundùm naturam, si natura est vna; vel secundùm personam, si persona est vna; vel pluralitatem, si natura vel persona sint plures; in quam sententiam videtur incidisse Caietanus 3. p. q. 3. art. 3. circa solutionem ad 1. quatenus ait, quòd si plures personæ assumerent eamdem numero naturam humanam, deberent appellari vnus homo secundùm quid, scilicet ratione formæ. Sed vtraque sententia sustineri nequit: Non sententia Gabrielis, quia ex ea sequitur quòd sint plures dij cõcedendi, quia concretum, *Deus*, connotat plures, scilicet tres personas. Non sententia Durandi, quia ex ea sequitur quòd non sit concedendus vnus Deus absolutè, & plures personæ absolutè, vt fides docet, sed vnus Deus secundùm quid, & plures personæ secundùm quid.

5. Neq; obstat effugium Caietani, quòd contretum, *Deus*, connotat subsistentiam absolutam, quæ vna est, & sic absolutè potest dici vnus Deus absque addito, significat enim vnam naturam subsistẽtem, seu vnum subsistens. Quia contrà est primò, nam de fide est tres personas esse vnum Deum, & solùm est opinio quòd vnus Deus sit subsistens subsistentiâ communi in vna natura. Secundò saltem sequitur quòd Pater & Filius non sint vnus spirator, seu vnum principium Spiritus sancti, quod est absurdum; patet, quia hoc concretum *spirator*, seu *principium* non habet aliquam subsistentiam seu suppositalitatem, quâ supponat præter eam, quæ est in qualibet ex duabus personis.

Reliqui verò Scholastici cõueniunt quòd vnitas contreti substantiui de prædicamento substantiæ, v. g. Deus, homo, &c. sumenda est ex vnitate solius formæ, non attendendo ad vnitatem vel pluralitatem suppositorum; at verò si concretum est adiectiuum, v. g. sciens, prudens, &c. sumenda est ex vnitate suppositi, non attendendo ad pluralitatem vel vnitatem formæ; & idem est iudicium, si concretum sit substantiuum de prædicamento accidentium, v.g. color, sapor, &c. quia sequitur suppositionem concreti adiectiui. Vnde si tres personæ diuinæ assumerent vnam naturam humanam, dicerentur vnus homo, quia concretum substantiuum homo est de prędicamento substantiæ, & eius vnitas sumitur ab vnitate formæ, quæ per se significatur à voce concreti; si autem vnus homo haberet plures scientias vel filios, diceretur vnus sciens, vel vnum producens, seu vnus pater, quia concretum adiectiuum sumit vnitatem ab vnitate suppositi, quod per se significatur à tali concreto. Similiter si vnum subiectum haberet plures colores vel sapores, diceretur vnum coloratum vel saporosum. Ita Scotus in 1. d. 12. q. 1. §. *iuxta quæstionem istam* & in 3. d. 1. q. 3. D. Thomas 1. p. q. 39. art. 3. & 3. p. q. 3. art. 6. 6.

7. Fundamentum huius doctrinæ est, quia concreta substantiua de prædicamento substantiæ significant formam per modum per se stantis, & sic numerus debet esse iuxta exigentiam illius, seu nomen numerale (vt verbis vtar Scoti) debet apponi iuxta numerum formarum; concreta verò adiectiua, insuper & substantiua de prædicamento accidentium significant formam per modum alteri adiacentis, & sic numerus, vnus, duo, tres, &c. debet esse iuxta exigentiam suppositorum, quibus adiacent, quia, vt optimè inquit subtilis Doctor in 1. d. 12. suprà citatus, nomen numerale debet determinari per aliquod determinatum in modo significandi: illud autem dicitur esse determinatum

natum in modo significandi, quod significat per modum per se stantis, vt contingit in concretis substantialibus de prædicamento substantiæ, & in suppositis concretorum accidentalium.

8. Idem quod diximus circa vnitatem concretorum adiectiuorum & substantiuorum de prædicamento accidentium, est dicendum circa pluralitatem eorum, scilicet quòd pluralitas est sumēda ex pluralitate suppositorum propter rationem dictam: vnde tres personæ diuinæ dicuntur tres creantes, Pater & Filius dicuntur duo spirantes, etiamsi tam actio creandi quàm spirandi sit vna; & si vna albedo numero esset in duplici subiecto, dicerentur duo alba; & per hoc patet ad fundamentum Aduersariorum, quia non semper concreta supponunt pro suppositis, neque ad vnitatem, vel pluralitatem absolutam, & simpliciter dictam, requiritur absoluta vnitas, vel pluralitas in vtroque, scilicet in forma & supposito.

9. Solùm est differentia inter Scholasticos in assignando vnde sit sumenda pluralitas in concretis substantiuis de prædicamento substantiæ. D. Thomas 3. parte q. 3. art. 7 affirmat diuerso modo esse philosophandum circa pluralitatem talium concretorum, ac circa vnitatem; nam vnitas sumitur ab vnitate formæ, non attendendo ad vnitatem vel pluralitatem suppositorū, vt diximus; tamen pluralitas debet sumi attendendo ad vtrumque, scilicet ad pluralitatem formarum & suppositorum, & quacumque deficiente in tali concreto, non plura, sed vnum debet appellari, v. g. si vna persona assumeret plures humanitates, non plures homines, sed vnus homo deberet appellari: illum sequuntur Caietanus in prædicto loco, & 1. parte q. 39. art. 3. Marsilius in 3. quęstione 2. art. 3. dub. 3. Suarez 3. p. disp. 13. sect. 2. & quod magis est Faber in 1. d. 12. disput. 41. cap. 4. in fine, & in 3. d. 1. disp. 5. imò & citat Scotum vbi suprà, & insuper in 3. d. 6. q. 1. ad 1. & quodlib. 11. art. 3. in vltimis verbis.

10. Fundamentum huius doctrinæ est, quia aliàs Pater æternus non esset dicendus vnum principium producendi ad intra, sed plura, quia producit per intellectum & voluntatem, quæ sunt plura. Prætereà Christus non vnus, sed plura in genere neutro esset appellandus, quia habet plures formas, scilicet humanitatem & diuinitatem, Faber probat deducendo ex doctrina Scoti, quia sicut tres personæ non dicuntur tres Dij, quia non multiplicatur forma, ita licèt multiplicetur forma, v. g. humanitas, si non multiplicatur persona, non dicentur plures homines.

Et si ei obiicias, quòd Scotus impugnat D. Thomam in 1. d. 12. Respondet Faber ibidem in fine capitis primi hoc fecisse Scotum, quia existimauit quòd D. Thomas dicebat multiplicationem vel non multiplicationem cōcretorum substantialium esse sumendam solùm ex multiplicatione vel non multiplicatione suppositorum, non attendendo ad multiplicationem formarum. 11.

Sed Discipulus Scoti meliùs diceret se non percepisse Scotum, quàm dicere Scotum non percepisse D. Thomam ita clarè loquentem in supracitato loco; quare dicendum nobis est, quòd in re, & in ratione ipsa Scotus contrarius sit D. Thomæ in præsenti, quodque eius mens talis sit, scilicet quòd concreta substantialia multiplicantur per multiplicationem illius, quod pro per se significato significatur à voce concreti substantiui de prædicamento substantiæ. ita Smisinch in materia de Incarnatione manuscripta disput. 1. quæst. 3. conclusione 2. in fine: vnde si vna persona plures assumeret humanitates, deberent appellari plures homines, quia quod per se significatur ab ista voce *homo*, est humanitas, & ista non esset vna, at verò suppositū indirectè & de connotato significaretur, & sic non attenditur an sit vnum, vel plura, licèt autem esset appellanda plures homines, non tamen esset appellanda plures personæ, sed vna, quia quamuis haberet plures humanitates, tamen id quod pro per se significato dicitur hæc vox *persona*, solùm est personalitas, quæ est vna: humanitates verò dicuntur pro connotato, & sic non attenduntur. 12.

Hæc est aperta mens Scoti, vt legēti patebit in illo loco primò citato, vbi propter hanc rationem docet, quòd Pater & Filius, licèt sint duæ personæ, non dicuntur duo spiratores, sed vnus spirator, quia id, quod per se significatur à voce *spirator*, est virtus spiratiua, & hæc est 13.

est vna, & tres personæ diuinæ dicuntur vnus Creator, quia hæc vox significat virtutem creatiuam, quæ est vna: benè autem dicuntur duo spirantes, & tres creantes, quia ibi subintelliguntur, scilicet personæ, vel supposita, quæ per se significantur.

14. Ratio à priori Scoti ad probandum hanc doctrinam talis est, quia omne dependens dependet ad aliquid omnino & simpliciter independens: vnde quando dico æquè dependent, neutrum est natum terminare alterum, sed vtrumq; dependet ad tertium quòd sit omnino independens: sed adiectiuum dependet ab substantiuum (quia substantiuum, cùm significet per modum per se stantis, significat per modum independentis) ergo debet regulari per illud; ergo quādo adiectiuum numerale, v.g. vnus, duo, tres, &c. terminat in numero aliquod concretum substantiuum, v.g. spirator, creator, &c. dependebit ab illo secundùm id quod pro per se significato dicit talis vox, & consequenter si virtus spiratiua est vna, & creatiua est vna, non poterunt dici duo spiratores, sed vnus; neque tres creatores, sed vnus, quia dependet veritas adiectiui à veritate substantiui. Similiter si adiectiuum numerans coniungitur cum alio adiectiuo, non potest illud determinare, neque numerare, quia vtrumque dependet ad tertium quòd sit independens, scilicet ad substantiuum: vnde quando dicimus duo spirantes, debet subintelligi, scilicet duæ personæ, quia ly *duo* non determinat, ly *spirantes*, quia similiter est adiectiuum, sed veritas vtriusque dependet à ly *persona*, quod concretum est substantiuum, & idem est, quando dicuntur tres creantes, scilicet quòd subintelligantur personæ.

15. Secundò probatur, quia vnum & plura opposita sunt, & oppositorum vna est ratio; ergo sicut vnitas in concretis substantiuis de prædicamento substantiæ sumitur ab vnitate formæ, quia hæc est quæ pro per se significato dicitur à voce concreti, ita pluralitas in illis debet sumi à pluralitate formæ, quæ pro per se significato dicitur à voce concreti.

16. Tertiò probatur ab inconuenienti, quia si pluralitas concreti substantiui debet sumi à pluralitate vtriusque, scilicet formæ & suppositi, sequeretur quòd Deus non posset appellari tres personæ, vel triplex persona, sed vna persona, quod est hæreticum; patet consequentia, quia hoc concretum, *persona*, est substantiuum, & de prædicamento substantiæ, & forma illius est vna natura diuina.

Vnde ad fundamentum D. Thomæ respondeo, quòd Pater æternus dicitur vnum principium, licèt operetur per intellectum & voluntatem, quæ sunt plura, quia hæc conueniunt in quadam ratione generica principij, quæ est vna, & significatur per hoc concretum, *principium*, quæ ratio prædicatur de Patre, quando dicitur quòd sit vnum principium: Christus autem optimè dicitur vnus, vt patet ex Symbolo fidei, *Et in vnum Dominum Iesum Christum*, quia licèt includat plures naturas, tamen istæ non per se, sed de connotato significantur, nam quod per se significatur est vnus Dominus, vel vnus, *quis*, seu vnus aliquis (vt verbis vtar Scoti) qui habet illas naturas, vel vnum compositum constans ex illis. 17.

Ad fundamētum Fabri dico minimè deduci ex Scoto, quia ratio à priori propter quam tres personæ diuinæ non dicutur tres Dij, non est quia non multiplicatur forma, sed quia hoc concretum, *Deus*, per se significat naturam diuinam, quæ est vna, & de connotato concernit personas, & sic numerus debet apponi iuxta id quod per se significat concretum: vnde si multiplicatur humanitas in vna persona, debet dici plures homines, quia concretum, *homo*, per se significat humanitatem, quæ est multiplex; quia tamen de connotato dicit personam, numerus numeralis non debet ad illam attendere. Quando autem Scotus in 3. d. 6. & quodlib. 11. requisiuit ad pluralitatem multiplicationem suppositorum, loquebatur de his concretis, *simile*, *sciens*, quæ sunt concreta adiectiua, de quibus iam diximus quòd debeant determinari à supposito, vel suppositis, quæ subintelliguntur; non verò loquebatur de concretis substantiuis de prædicamento substantiæ, de quibus agimus in præsenti. 18.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Per quid constituatur persona, seu suppositum creatum in ratione personæ?

1. PRæcognosci debent ea, quæ ad rationem constitutiuam personæ creatæ pertinent, vt possit examinari quęstio vltima huius disputationis, quæ inquirit vtrùm persona creata possit assumere alienam naturam, eius enim decisio ab hac dependet; quare nota quòd hæc tria, scilicet subsistentia, suppositum, & persona, se habent tamquam superiùs & inferiùs, nam benè valet est persona, ergo est suppositum, est suppositum, ergo subsistens, non tamen valet è contrà, quia subsistentia vt sic solùm dicit vltimam solitudinem & independentiam ab alio, tamquam à sustentante vt patet in essentia diuina, quæ est subsistens, non tamen est suppositum, neq; persona, & patet in partibus substantialibus separatis, quæ subsistentes sunt, vt dicemus quęstione sequenti, & tamen non sunt suppositum, vel persona; suppositum autem vltra subsistentiam addit incommunicabilitatem omnimodam; persona verò vltra hoc concernit necessariò pro materiali naturam rationalem vel intellectualem, quia suppositum non reperitur in natura rationali vel intellectuali, cùm etiam reperiatur in natura sensitiua, benè tamen persona.

2. Vnde persona sic definitur à Boëtio lib. de duabus naturis, persona est, *Rationalis naturæ indiuidua substantia*. quæ definitio admittitur à D. Thoma 1. p. q. 19. art. 3. & q. 24. & communiter à Theologis; neque reiicitur à Scoto in 1. d. 23. q. vnicâ, *§. ad quæstionem*, sed quia illa particula *rationalis naturæ* non includit clarè naturas intellectuales Dei & Angelorum, & illa particula *indiuidua substantia* non includit clarè incommunicabilitatem, quam per se dicit persona, ideò asserit clariorem esse definitionem Ricardi de S. Victore lib. 4. de Trinitate cap. 22. quæ talis est, persona est, *Intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*.

3. Quibus præuisis ad tria capita possumus reducere opiniones huius quæstionis: Primum caput est eorum, qui asserunt personalitatem nihil addere supra naturam intellectualem singularem, sed tantummodò naturam & personam distingui ratione, & per operationem intellectus; tribuitur Henrico de Gandauo quodlibet 4. quæstione 3. lib. 4. Durand in 1. d. 34. quæstione 1. Fundamentum est, quia apud Aristotelem, prima substantia est idem quod suppositum, vel persona; ex eo enim quòd prima substantia est, habet incommunicabilitatem vt *quo*, & vt *quod*: sic enim habet capite de substantia, & 4. metaphys. textu 2. & 7. metaphys. textu 27. Prima substantia est quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est; ergo natura intellectualis indiuidua eo ipso quòd prima substantia est, erit persona in re, & solùm distinguitur ab illa per operationem intellectus.

4. Secundum caput est eorum, qui asserunt personalitatem constitui aliquo positiuo addito naturæ, sed differunt Auctores in modo philosophandi; alij enim asserunt, quòd illud positiuum est extrinsecum naturæ, & dat illi existentiam & perseitatem: vnde ratione illius natura indiuidua existit per se; tribuitur Capreolo 3. Sententiarum d. 5. quæst. 3. art. 3. ad 1. contra conclusionem secũdam Iauelo 7. metaphys. quæstione 17. Fundamentum est, quia putant quòd existentia distinguitur à natura singulari realiter, neque includitur in natura intrinsecè, ita quòd natura sit indifferens ad existere, & non existere. Alij verò asserunt quòd illud positiuum non est existentia, sed quædam realitas formaliter constituens personam, cui realitati debetur modus essendi per se. ita Caietanus 3. p. quæstione 4. art. 2. Medina ibidem. Fundamentum est latiùs adducendum infrà, & parum differt ab hoc modo dicendi Suarez in metaphysica disputatione 34. sectione 4. cum pluribus aliis Recentioribus, quorum opinio est antiqua, dicentibus quòd hoc positiuum sit ipsa subsistentia.

5. Tertium caput est eorũ, qui asserunt personalitatẽ constitui per negationem, in quo sunt etiam duo modi dicendi: Primus dicit, quòd cõstituatur per vnicam tantùm negationẽ actualem cõmunicabilitatis vt *quo*, & vt *quod*; tribuitur

Ioanni de Neapoli 1. p. quæst. 4. art. 2. Fundamentum est, quia per carentiam actualis communicationis constituitur perseitas, & omnis incommunicabilitas. Secundus ait, quòd constituatur persona per duplicem negationem communicationis vt *quo*, & vt *quod*, actualem, & aptitudinalem. Ita Scotus pluribus in locis infrà adducendis cum suo fundamento, & pluribus aliis Auctoribus. Sed vt veritas patefiat.

6. Dico primò: Personalitas dicit aliquid reale in suo conceptu formali, & realiter distinctum à natura indiuidua. Hęc conclusio communis est apud Auctores Thomistas & Scotistas. Et probatur, quia si personalitas solùm ratione distingueretur à natura indiuidua, sequeretur quòd Verbum assumpsisset naturam humanam in reipsa personatam, quod est hæreticum; patet consequentia, quia ex Damasceno lib. 3. de Fide cap. 11. Verbum assumpsit naturam humanam in athomo, id est, in indiuiduo; ergo si ab hac, non in re, sed solùm ratione distingueretur personalitas creata, assumeretur à Verbo natura humana in reipsa personata.

7. Vnde ad fundamentum primæ opinionis respondeo primò fortasse Aristotelem non agnouisse distinctionem inter naturam indiuiduam, & personam, sed solâ fide diuinâ fuisse nobis acquisitam notitiam illius. Secundò respondeo verum esse primam substantiam esse, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt inquit Aristoteles, tamen prædictas negationes esse realiter distinctas ab ea, licèt necessariò & naturaliter consecutas, vel ab ea, vel à modo positiuo illius, nisi ab extrinseco impediantur. Tertiò respondeo quòd dupliciter stat de subiecto non dici, scilicet vel de subiecto indiuiduo, vel de subiecto persona: primum horum est de ratione intrinseca substantiæ primæ, quia eo ipso quòd substantia prima est, imprædicabilis est de indiuiduis, non tamen de personis: vnde valet, *Pater est Deus, Filius est Deus, Filius naturalis Dei est hic homo*. Similiter stat dupliciter non esse in subiecto, videlicet vel per modum informantis, vel per modum substantificati: primum est de ratione intrinseca indiuidui substantialis, non secundum; dico ergo quòd quando Aristoteles ait, quòd substantia prima neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, venit intelligendus duplici modo priori ex dictis, non autem posteriori.

Dico secundò: Probabile est, quòd personalitas creata constituatur aliquâ entitate positiuâ modali, ad quam necessariò sequatur duplex negatio communicationis, actualis, & aptitudinalis, de qua infrà. ita Scotus in 3. d. 1. quæstione 1. §. *ideò propter istud*, vbi hanc sententiam reputat probabilem, & vt talem defendit illam Pytigianus ibidem art. 11. conclusione 1. sed etiam vt magis veram amplectuntur Lichetus in 1. d. 28. quæst. 2. & in 3. d. 1. quæst. 1. Rada tom. 1. controuers. 22. & tom. 3. controuers. 1. art. 3. tenent Thomistæ cum D. Thoma 3. p. quæstione 2. art. 2. ad 2. & 3. & quæstione 5. art. 1. vbi Caietanus quæstione 4. Ferrara 4. contra Gentes cap. 43. Suarez vbi suprà, Vasquez 3. p. disp. 31. cap. 6. Lorca disp. 25. memb. 2. qui videri possunt circa varios modos suprà relatos explicandi hanc entitatem positiuam diuersorum Auctorum, de quibus modò non curamus, satis sit præmonere contra Capreolum & Iauelum, quòd existentia naturæ indiuiduæ non est extrinseca, neque realiter distincta ab ea, vt latiùs infrà dicemus disputatione 10. quęstione 1. Hęc conclusio non aliter probatur, quàm soluendo argumenta Aduersariorum, quia modo isto posito redditur natura omnino incommunicabilis per ipsum. 8.

Et Primò impugnatur, quia si personalitas creata consisteret in positiuo, sequeretur quòd non posset assumi à Verbo, quod videtur inconueniens; primò, quia aliqua entitas creata non esset in obedientia Creatoris; secundò, quia secundùm Damascenum lib. 3. de Fide cap. 6. quod non fuit assumptum à Verbo, non potuit ab ipso curari, sed illa entitas non fuit assumpta, quia personalitas est inassumptibilis; ergo quæcumque persona creata, vt persona creata est, non fuit curata. Respondeo admittendo sequelam, & ad primum inconueniens dico nullum esse, quòd aliqua entitas non sit in obedientia ad id quod sibi repugnat, sicut neque 9.

nigredo est in obedientia vt possit esse alba, quia hoc sibi ab intrinseco repugnat, ita similiter repugnat ab intrinseco personalitati, quòd assumatur. Ad secundum dico quòd ibi Damascenus loquebatur contra quosdam hæreticos asserentes Verbum non assumpsisse animam, sed tantùm carnem, contra quos colligit Verbum assumpsisse animam, quia quod non assumitur (intellige ex his quæ sunt capacia assumptionis) non curatur, quia assumptio fuit medicina peccati: vnde sicut personalitas creata non est infirma per peccatum, nisi ratione naturæ, quam reddit personam, ita non indiget medicinâ nisi ratione illius, & sic assumpta natura creata & personalitas curata manet.

10. Secūdò impugnatur, quia aliàs Christus non esset perfectus homo, cùm illi deficiat aliqua entitas positiua, quæ est in aliis hominibus, & sic Christus non esset per omnia similis aliis hominibus absque peccato, vt inquit Apostolus. Respondeo quòd illa entitas positiua non spectat formaliter ad esse hominem, sed ad esse personam: vnde nil obstat, quòd illa deficiat vt sit omnino perfectus homo, & per omnia illi similis in esse hominis absque peccato, licèt dissimilis sit in esse personæ, quod etiam debet dici, licèt personalitas consisteret non in positiuo, sed in negatiuo.

11. Tertiò impugnatur. Entitas positiua non potest de nouo sine aliqua actione produci, sed si natura assumpta à Verbo dimitteretur, maneret persona absque aliqua actione, quia non est agens à quo procedat; ergo non consistit in positiuo, sed in negatiuo. Respondetur quòd in tali casu non esset actio propria alicuius efficientis, sed esset quædam emanatio, qualiter punctum terminatiuum lineæ pullulat per diuisionem illius (sic se habet personalitas respectu naturæ indiuiduæ) & qualiter pullulant passiones ab essentia, etiamsi in sententia Thomistarum sint ab ea realiter distinctæ.

12. Quartò impugnatur, quia aliàs posset Deus naturam indiuiduam conseruare absque propria personalitate non concurrendo ad eius emanationem, & absque aliena personalitate non vniendo naturam ad alienum suppositum. Respondetur primò hoc nullum esse inconueniens de potentia absoluta, quia posset Deus sic conseruare naturam. Secundò, dico non posse Deum impedire emanationem propriæ subsistentiæ, si non præueniatur ab aliena, & sic nequit esse naturam indiuiduam absque aliqua subsistentia, sicut nequit impedire resultantiam propriarum passionum ab essentia, & puncti terminatiui à partibus diuisis, & resultantiam relationis ab extremis à parte rei positis.

Quintò impugnatur, quia non apparet quòd esse possit hæc entitas positiua modalis, non enim est accidens, vt de se patet, neque substantia cùm non sit materia, forma, vel compositum; ergo non est admittenda. Respondetur omissis variis sententiis circa hoc, quæ videri possunt apud Recentiores citatos, quod est quidam modus substantialis realiter distinctus à natura indiuiduali (cum possit ab ea separari) constituensque cum illa vnum per se, non in genere metaphysico, quia non se habet vt genus & differentia, neque in genere physico, quia non se habet vt materia & forma propriè, sed in genere personali seu suppositali, quia ex tali modo seu personalitate, & ex natura indiuidua fit per se hoc concretum, *persona*. Ex quibus apparet satis probabilem esse prædictam conclusionem, meritoque esse ex his nostris temporibus ita plausibilem. 13.

Dico tertiò: Non minùs est probabile, quòd personalitas creata consistat formaliter in duplici negatione, actualis scilicet & aptitudinalis communicationis seu dependentiæ ad alienum suppositum, tam vt *quo*, quàm vt *quod*. In hanc conclusionem magis inclinat Scotus, quàm in præcedentem, vt videri potest in tertio citato. Vbi licèt appellet probabiles sententias secundæ & quartæ conclusionis infrà statuendæ, tamen illas impugnat, & §. *non asserendo*, hanc statuit & confirmat, & quoties de hac re habet sermonem, illam supponit, vt patet ex eodem tertio, d. 6. quæst. 1. & quolibet 19. art. 3. vt absolutè veram, & de mente Scoti tenent inter Scotistas, Tartaret. & Basol. in 3. d. 1. quæst. 1. art. 1. Mayor q. 11. Ouand. art. 3, dub. 2. Faber disp. 2. c. 3. Pyti- 14.

Pytigianus verò vt probabiliorem, & magis de mente Scoti defendit art. 12. tribuitur similiter D. Thomæ 1. contra Gentes c. 22. §. *sed ad hoc*, vbi declarans quid sit perseitas personæ dicit, *Hoc non videtur importare, nisi negationem tãtùm*, & hoc expressiùs habet in 3. d. 6. q. 1. art. 3. ad 5. docuerat Hẽricus clarè quodlib. 5. q. 8. litt. M. sequuntur Ocham in 1. d. 23. q. 1. litt. C. & in 3. d. 1. q. 1. litt. B. Mayor ibid. q. 11. Gabriel q. 1. Rubion d. 2. q. 2. art. 1. Molina 1. p. q. 29. art. 1. disp. 3.

15. Sed pro intelligentia huius conclusionis debet priùs notari, quòd communicatio & depẽdentia in præsenti idem sunt, quia pro tanto aliquid dicitur dependere ab altero, pro quanto illi communicatur, si actu, actu, si aptitudine, aptitudine, & consequenter negatio communicationis (seu incommunicabilitas) & independentia idem sunt. Quare Scotus non est sibi contrarius, dum in primo Sententiarum d. 2. q. 4. & d. 23. q. vnicâ asserit quòd persona formaliter est incommunicabilis vt *quo*, & vt *quod*; & in 3. d. 3. q. 1. art. 3. dicit quòd persona formaliter est independens duplici independentiâ, actuali scilicet & aptitudinali ad alienum suppositum, quia hæc omnia idem sunt, vt patet ex modo explicandi, quem habet quodlibet 19. §. *de 3. articulo*; imò, vt benè inquit Faber cap. 3. hoc secũdum explicat illud primum, quia incommunicabilitas, seu independentia vt *quo*, & vt *quod*, quæ est de ratione formali personæ, debet esse actualis & aptitudinalis.

16. Pro cuius explicatione Nota secundò, quòd communicabilitas est duplex, quantùm ad præsens attinet: Prima est, quâ aliquid cõmunicatur alteri vt forma, vel vt pars, qualiter anima communicatur corpori, humanitas Petro, & brachium toti integrali, & hæc dicitur communicabilitas vt *quo*, quia quod sic communicatur, est quo aliquid est tale, v. g. corpus animatũ, Petrus homo, &c. & carentia, seu negatio tam actualis quàm aptitudinalis huius communicationis est prima, quâ constituitur persona in ratione personæ, quare anima separata nõ est persona, quia licèt actualiter non cõmunicetur, est tamen aptitudinaliter communicabilis vt *quo*, & humanitas Christi non est persona creata, quia licèt sit actualiter & aptitudinaliter incommunicabilis, & incommunicata vt *quod* (cùm non possit prædicari de multis, vt statim dicam) est tamen communicabilis & communicata vt *quo*, tamquam forma totalis supposito diuino.

Secunda communicabilitas est duplex: Vna, quâ aliquid communicatur alteri per identitatem, quæ identitas notificatur per prædicationem formalem & essentialem, qualiter homo communicatur Petro & Francisco, & Essentia diuina tribus personis; & hæc dicitur cõmunicabilitas vt *quod*, quia quod sic communicatur est id quod est alterum, cui sic communicatur, vt Petrus est homo, quia humanitas illi communicatur. Pater est Deus, &c. quia deitas communicatur per identitatem, quæ notificatur per tales prædicationes, & carentia seu negatio tam actualis quàm aptitudinalis huius communicationis non est, quâ constituitur persona in ratione personæ, licèt præsupponatur, quare indiuiduum Deitatis, licèt sit subsistens nõ est persona, quia est actualiter communicata personis, non solùm vt *quo*, sed etiam vt *quod*, & natura specifica, v. g. hominis, existens in Petro non est persona, quia quantùm est ex se est aptitudinaliter communicabilis vt *quod* Ioanni & Francisco. 17.

Alia est communicatio, quâ aliquid communicatur alteri, vel pluribus existentibus in esse personali, quæ communicatio explicatur per prædicationem, quam liceat nobis appellare merè personalem, qualiter Deus, etiamsi indiuiduum sit, communicatur tribus diuinis personis, & de ipsis prædicatur in his. Pater est Deus, Filius est Deus, &c. & si vna natura creata indiuidua assumeretur à tribus etiam personis creatis, diceretur, Franciscus est hic homo, Petrus est hic homo, &c. & carentia tam actualis quàm aptitudinalis huius communicationis est quæ constituit formaliter personam: vnde Pater non prædicatur de Filio, neque Spiritus sanctus de ambobus; neque in creatis Frãciscus prædicatur de Ioanne, neque Ioannes de Petro & Paulo: tamen natura indiuidua ex se non habet hanc negationem, vt patet in natura humana Christi, quæ, etsi indiuidua sit, adhuc est prędicabilis 18.

de

de pluribus personis, quia posset prædicari de propria persona, si eam haberet, & prædicatur de persona Verbi, quam habuit, & sic successiuè de aliis personis quas assumeret, vel de pluribus simul, si pluribus simul vniretur secundùm sententiam Thomistarum: vnde diceretur, Hic homo est Pater, hic homo est Filius, &c. imprædicabilitas ergo *vt quod personalis* est secunda negatio, quæ constituit subsistentiam personalem.

19. Nota tertiò quòd ex istis duabus negationibus vna oritur ex ipsa indiuiduatione naturæ specificæ, quia ex eo persona non est communicabilis *vt quod* pluribus indiuiduis actualiter & aptitudinaliter, quia per hæccitatem contracta est ad esse hanc, vt humanitas ad esse Petrum, & hæc negatio ex necessitate naturæ consequitur naturam indiuiduam: vnde etiamsi hæc sit personata alienâ personalitate, vt contingit in Christo, habet secum hanc negationem, quia tamen alia negatio deficit, non est persona creata; hæc autem secunda negatio communicationis *vt quod* oritur, seu sequitur ex negatione communicationis *vt quo*, nam eo ipso, quòd natura sit carens communicatione ad suppositum, quasi pars, similiter caret prædicatione respectu illius suppositi, siue proprij, siue alieni, siue vnius, siue plurium. Altera verò negatio scilicet communicationis *vt quo* oritur non ex aliqua entitate positiua indiuidui vel personæ, sed ex defectu actionis agentis extrinseci, vnientis ad personam; ex eo enim quòd aliquod agens extrinsecum non causauerit vnionem inter naturam indiuiduam cum aliqua personalitate extrinseca, manet natura indiuidua cum carentia seu negatione personalitatis extrinsecæ: vnde manet in se personata propriâ personalitate.

20. Quia tamen hæc carentia vnionis cum alieno supposito potest esse triplex, scilicet actualis, aptitudinalis, & potentialis. Nota quartò cum Scoto vbi suprà, quòd prædicta negatio constitutiua personæ solùm debet esse actualis & aptitudinalis, non verò potentialis; & ratio huius desumitur ex declaratione horum terminorum, *aptitudo & potētia*, nam aptitudo est illa quæ oritur ex inclinatione innata, sicut lapis violenter quiescens in trabe dicitur habere aptitudinem ad esse in centro, quia naturaliter inclinatur ad illud; potentia verò est illa quæ oritur ex mera non repugnantia, qualiter superficies parietis albi dicitur esse in potentia ad habendum nigredinem, non quia habet inclinationem ad illam, sed quia nigredo non repugnat illi, superficies enim est in potentia neutra ad habendas formas oppositas, nō simul, sed successiuè. Ex quo apparet, quare negatio, seu carentia vnionis cum alieno supposito, quæ constituit personam creatam (& à Scoto appellatur negatio nuda) debet esse actualis, quia si actualiter natura indiuidua esset vnita cum alieno supposito, non esset existens per se, sed existens in alio, seu existens per se per existentiam per se alterius, vt de facto existit in Verbo natura humana Christi, ideò actualiter debet habere talem carentiam vt per se existat; similiter apparet quare talis negatio debeat esse aptitudinalis, seu aptitudinis, quia cùm propria natura non inclinetur naturaliter ad alienum suppositum, ideò quando actualiter personatur propriâ personalitate, seu suppositalitate, debet habere, seu habet negationem talis aptitudinis, sicut lapis quando existit in centro caret aptitudine, quam habebat dum erat in trabe, non tamen debet esse talis negatio potentialis, seu carentia potentiæ, quia cùm hæc sit ad id quod non repugnat naturæ indiuiduæ, & natura indiuidua nullam habeat repugnantiam vt à Deo vniatur cum alieno supposito (habet enim potentiam obedientialem vt Deus possit efficere quidquid sibi non repugnat per locum intrinsecum, quo modo non repugnat sibi alienum suppositum) hinc fit, quòd talis negatio non debet esse potentialis, quia hæc potentia semper perseuerat in natura, etiam personata propriâ personalitate creatâ, sicut potentia ad esse nigrum in pariete albo.

Quibus necessariò suppositis prædicta tertia conclusio probatur, similiter sicut secūda per solutionem argumentorum, & Primò contra illam sic arguitur: Quia aliàs sequeretur quòd natura indiuidua personata personalitate creatâ posset personalizari personalitate Verbi; patet sequela, quia sicut aër priuatus 21.

uatus luce potest illuminari, ita natura carens personalitate Verbi poterit per illam personari: sed natura personata propriâ personalitate caret personalitate alienâ; ergo per illam poterit personari. Respondeo quòd poterit personari in sensu diuiso, non verò in sensu composito, quia sicut aër, qui est priuatus luce, potest illuminari, non tamen vt est priuatus luce, ita natura indiuidua, quæ caret personalitate alienâ Verbi, potest per illam personari, non tamen vt caret personalitate alienâ, & sic vt est persona creata reduplicatiuè non potest esse persona diuina.

22. Secundò arguitur: Negatio semper oritur ex aliquo positiuo; ergo prędictæ negationes oriuntur ex aliqua entitate positiua, sed hæc non datur nisi personalitas consistat in positiuo; ergo. Respondeo distinguendo antecedens: Negatio oritur semper ex aliquo positiuo, si negatio sit repugnantiæ, concedo; si verò sit non repugnantiæ, nego: v.g. irrationalitas quæ est negatio rationalitatis, & aliæ similes negationes semper oriuntur in subiecto ex entitate intrinseca ipsius, & sic ex entitate positiua (& has appellat Scotus negationes repugnantiæ) vnde si consisteret personalitas in positiuo, non duplex, sed triplex negatio deberet oriri, quia etiam oriretur carentia potentiæ ad communicari alieno supposito, hoc enim repugnaret illi, sicut rationali esse irrationale: at verò si negationis sint non repugnantiæ (quæ scilicet oriuntur ex defectu actionis agẽtis extrinseci, qualiter aër est priuatus luce, quia agens extrinsecum, sicut Sol non induxit lucem, & qualiter accidens separatum caret inhærentiâ, quia agens extrinsecum non induxit illud in subiectum) non oriuntur ex entitate positiua subiecti; negationes autem in quibus constituit Scotus personalitatem creatam, sunt negationes non repugnantiæ, quia simul cum illis stat in natura indiuidua potentia ad communicari, nam illi hoc non repugnat.

23. Tertiò arguitur: Persona creata est prima substantia, & cõsequenter vnum per se substantiale; ergo consistit in positiuo. Respondetur: Est prima substantia pro materiali, quia vt sic est substantia indiuidua concedo, pro formali nego, quia vt sic est duplex negatio.

Dices primò: Est vltimum complementum naturæ substantialis; ergo est substantialis; ergo positiua. Respondetur: Est vltimum complementum in esse naturæ substantialis nego, quia hoc habet per indiuiduationem, quæ fit per entitatem substantialem positiuam; at verò in esse naturæ subsistentis personaliter concedo, ad quod sufficit duplex dicta negatio. 24.

Dices secundò: Ergo persona creata saltem pro coniuncto ex materiali & formali non est vnum per se substantiale. Respondetur concedendo, quia nullum est inconueniens; nam satis est, quòd pro materiali sit vnum per se substantiale. 25.

Quartò arguitur: Persona diuina cõsistit in aliquo positiuo addito naturæ diuinæ; ergo & persona creata. Respondetur primò concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia natura diuina multiplicatur primò & immediatè per personas propter ipsius fœcunditatem, & sic est necessarium ponere aliquam entitatem positiuam per quam multiplicetur; non contingit autem sic in natura creata. Secundò respondetur negando antecedens, quia licèt personæ diuinæ dicant aliquod positiuum pro materiali præter naturam indiuiduam, scilicet paternitatem, filiationem, &c. tamen pro formali dicunt negationes, quæ ex tali materiali consequuntur, vt videtur velle Scotus in 1. d. 23. vnde potest dari conceptus vniuocus personæ abstractus à personalitate diuina & creata, quia conueniunt in hoc quòd sint incommunicabiles. 26.

Quintò arguitur: Si persona creata formaliter consistit in prædicta duplici negatione cõmunicationis ad alienum suppositum, sequitur quòd anima rationalis separata sit persona creata, quia licèt hæc sit cõmunicabilis vt *quo* proprio supposito, non tamen alieno, quia etiamsi alieno communicetur vt anima Christi separata immediatè fuit vnita Verbo diuino, non tamen vt forma quâ esset, sed vt quædam natura integra in suo genere; & sicut natura integra, dum actualiter non communicatur, est personata propriâ personalitate, ita anima sepa- 27.

separata. Respondeo negando sequelam, quia quando dicimus, quòd natura ad hoc vt constituatur persona debet habere duplicem negationem, & independẽtiam, ad alienum suppositum debet intelligi de natura integra, non verò de natura partiali, qualis est anima, quia vt hæc non sit persona, sufficit quòd sit cõmunicabilis vt *quo* proprio supposito, licèt sufficiat ad hoc quòd sit subsistens subsistentiâ propriâ partis separatæ (vt infrà dicemus) quòd actualiter illi non communicetur.

28. Dico quartò: Similiter est probabile, quòd persona creata constituatur formaliter vnicâ tantùm negatione cõmunicationis vt *quo*, ita vt actualiter neque aptitudinaliter communicetur vt *quo* alieno supposito, debet tamen pro materiali concernere naturam substantialem integram indiuiduam, & cõsequenter concernere negationem communicationis vt *quod* ad indiuidua, & de consequẽti debet dicere negationem communicationis vt *quod* ad personas; nam hæc negatio necessariò sequitur, vt diximus, ad negationem communicationis vt *quo*. Hæc conclusio non minùs est Scoti, quàm tertia, quia sicut illam Scotus appellauit probabilem, ita & hanc; videatur *§. ideò propter istũ tertium articulum*, vbi habet hæc verba, *Alia via quòd per solam negationem additam naturæ sit persona*. Et infrà, *Et vltra hanc* (scilicet hæccitatem) *non esse nisi negationem aliquam*. Et *§. per hoc ad argumenta*, respondendo ad tertium argumentum, habet hæc verba, *Ad tertium dico, quòd negatio potest dici propria, quia non est communicabilis multis vt* quod, *& ista negatio in creaturis est propria per istã entitatem positiuam, qua natura est hæc, cui repugnat communicari multis vt* quod, *vel potest intelligi propria, id est, non communicabilis alij vt* quo, *& sic non est in creaturis*. Ecce qualiter Scotus concedit negationem communicationis vt *quod*, notificatam nobis per prædicationem ad indiuidua esse propriam naturæ creatæ vt indiuiduæ, & illam sequi, aliam verò scilicet communicationis vt *quo* esse propriam non naturæ, sed personæ; quia tamen hæc diuiditur in actualem & aptitudinalem, solet appellari à Scoto duplex: vnde Scotistæ istam non approbantes, benè tamen illam non loquuntur iuxta mentem Scoti. hanc defendit Basolis in 3. d. 1. q. 1.

Probatur, quia alia negatio communicationis vt *quod* ad indiuidua permanet, non permanente personalitate propriâ; ergo non pertinet per se, sed solùm suppositiuè ad rationem formalem personæ creatæ. Antecedens patet in natura indiuidua Christi, quæ non erat prædicabilis de multis, quia vt sic non erat multis communicabilis, cùm eius hæccitas ex qua oritur (vt suprà diximus) talis negatio, illam determinaret ad esse hanc. Consequentia probatur, quia quod non opponitur alienæ personalitati, non pertinet per se ad propriam. Et confirmatur, quia si personalitas in positiuo cõsisteret, negatio communicationis vt *quod* non oriretur immediatè ab illa, quia iam supponeretur orta ab hæccitate; ergo idem est, etiamsi consistat in negatiuo; ergo non pertinet per se ad rationem personæ, sed supponitur ad illam, non aliter ac supponitur ipsa hæccitas. Deinde negatio communicationis vt *quod* ad personas, quæ nobis notificatur per imprædicabilitatem personalem, necessariò subsequitur ad negationem communicationis vt *quo*, nam eo ipso quòd natura singularis non est communicabilis, aut communicata, alieno supposito, neque potest prędicari, neque prędicatur de illo, sed quod subsequitur non est constitutum formale, sed vel propria passio, vel accidens inseparabile; ergo in vnica tantùm negatione actuali & aptitudinali communicationis vt *quo*, consistit formaliter personalitas creata, & non in duplici. 29.

Ad hoc argumentum tenemur respondere probabiliter pro secunda & tertia conclusione, & sic pro secunda respondeo solùm probare prædictas negationes oriri ex diuersa entitate positiua, quia negatio communicationis vt *quod* ad indiuidua oritur ex hæccitate, & negatio communicationis vt *quo*, ad quam sequitur negatio communicationis vt *quod* ad personas, oritur ex entitate positiua, quæ in prędicta conclusione cõstituit personam creatam, quod non contingit in personalitate diuina, quia ibi omnes prædictæ negationes emanant à sola entitate positiua constituente personam, non tamen probare 30.

quòd

quòd non pertineat per se ad rationem personæ creatæ.

31\. Dices: Ergo subsistentia totalis est composita ex hæccitate, & ex positiua entitate subsistentiæ. Respōdetur concedendo de subsistenti, sed non est de hoc quæstio, sed de ipsa subsistentia, vt dicam quæstione sequenti. Pro tertia conclusione respondeo quòd negatio communicationis vt *quod* ad indiuidua permanet, non permanente personalitate propriâ, & sic non opponitur personalitati alienæ, non tamen permanet negatio communicationis vt *quod* ad personas, tamen hoc non tollit, quominùs vtraque negatio per se pertineat ad rationem formalem personalitatis creatæ, quia negatio communicationis vt *quod* non constituit personam absque negatione communicationis vt *quo*, & licèt sit propria passio illius, non est propria passio personæ, quia si per impossibile separarentur, prior non constitueret personam.

32\. Sed obiicies primò pro secunda conclusione cōtra tertiam & quartam, quia personalitas formaliter dicit perfectionem; ergo non in negatiuo, sed in positiuo debet constitui. Respōdetur quòd personalitas creata pro materiali dicit perfectionem, non pro formali, sicut in simili debet responderi in opinione constituente duplicem negationem.

33\. Obiicies 2. aliquos Patres Ecclesiæ asserentes, quòd in Christo aliquid assumitur à Verbo, & aliquid non, sed hoc non potest dici de negatione, quia illa non est assumptibilis; ergo. Respondetur: Similiter non potest dici de illa entitate positiua, quòd sit assumptibilis; quare dicendum est, Patres loqui de ratione personalitatis creatæ, quam dicunt non fuisse assumptam, siue consistat in positiuo, siue in negatiuo, quia solùm contra Nestorium volebant excludere à Christo personalitatem creatam.

34\. Tandem obiicies pro tertia conclusione contra hanc quartam, inconueniens illatum à Scoto *5. contra secundam viam*, quia scilicet sequeretur quòd anima separata esset persona, quod est contra Ricardum 10. de Trinitate cap. 23. patet sequela, quia illa caret communicatione vt *quo* ad alienum suppositum. Respōdeo dupliciter quòd licèt anima separata careat communicatione vt *quo* actualiter & aptitudinaliter ad alienum suppositum, non tamen caret communicatione vt *quo* aptitudinaliter ad proprium suppositum, & hoc sufficit vt suprà diximus. Secundò respondeo quòd prædicta negatio communicationis vt *quo* debet supponere pro materiali naturam substantialem integram indiuiduam, vt notanter diximus in conclusione quarta, & negatio quam habet anima separata hoc non supponit.

QVÆSTIO V.

Vtrum subsistentia totius sit simplex, vel composita?

Non loquimur in præsenti de subsistentia totius merè spiritualis vt Angeli, qui solùm componitur ex genere & differentia, sed de subsistentia totius materialis, quod componitur ex materia & forma, siue forma sit spiritualis vt in homine, siue materialis vt in equo. Inquirimusque, an sicut totum est compositum ex suis partibus, vel essentialibus, si totum sit essentiale, vel integralibus si totum sit integrale, ita subsistentia totius sit composita ex partialibus subsistētiis ipsarum partium: quæ difficultas solùm habet locum in sententia quam probabiliter defendimus, quòd subsistentia sit entitas quædam positiua, neque loquimur de compositione, quæ fit ex subsistentia & hæccitate, quia hanc omnes admittunt, sed de compositione, quæ fit per solas subsistentias. 1.

Circa quam difficultatem tenet, & latè defendit partem affirmatiuam Suarez 2. tom. Metaphys. disp. 34. sect. 5. qui non solùm partibus, sed etiam quibuscumque modis substantialibus, & vnionibus suam specialem assignauit subsistentiam in toto, ex quibus subsistentia totalis coalesceret, fuitq; plausibilis hæc opinio, licèt noua aliquibus Recentioribus. 2.

Et probatur Primò, quia animæ rationali non videtur posse negari propria subsistētia, cùm illam habeat, quando est separata, aliàs non esset vnita Verbo, quando in triduo existit à corpore separata. idem argumentum fieri potest 3.

poteſt de corpore; ergo ſubſiſtentia totius componitur ex prædictis ſubſiſtentiis partium. Et confirmatur, quia ſecundùm D. Thomam 1. p. quæſt. 75. art. 2. & 1. contra Gentes cap. 68. quem ibi ſequuntur Caietanus & Ferrara, anima rationalis diſtinguitur ab aliis formis materialibus, ex eo quòd hæc ſit forma ſubſiſtens, cùm habeat proprias actiones, & hæ ſint ſuppoſitorum.

4. Secundò probatur, quia experimur in entibus homogeneis, v. g. in aqua, quòd ſi diuidantur ex vno ente ſubſiſtenti reſultant duo entia per ſe ſubſiſtentia; ergo ex iſtis duabus ſubſiſtentiis componebatur illa totalis, quia non videtur, quare tunc in ſingula parte producatur noua ſubſiſtentia.

5. Tertiò probatur, quia per ſubſiſtentiam totius materialis non ſolùm ſubſiſtit ipſum totum, ſed etiam immediatè ſubſiſtunt partes; ergo prædicta ſubſiſtentia eſt extenſa, & conſequenter non ſimplex, ſed compoſita ex partibus, non ſecùs, ac eſt ipſum totum quod ſubſiſtit.

6. Quartò probatur, quia ſecundùm omnes Theologos Verbum aſſumpſit humanitatem mediis ſuis partibus; ergo aſſumpſit partes; ergo iſtæ ſuam partialem ſubſiſtentiam habent, aliàs Verbum non aſſumeret, cùm ſolùm poſſet aſſumere illud, quod eſt capax ſubſiſtentiæ.

7. Sed ſicut hæc opinio eſt noua, ita etiam non eſt vera: vnde omnes Theologi negant partibus ſubſiſtentiam, non diſtinguendo completam aut incompletam, partialem aut totalem, vt videre eſt in S. Thoma, & eius expoſitoribus 1. p quæſt. 25. art. 1. & 3. p. quæſt. 2. art. 2. & in Scholaſticis in 1. d. 23. & in 3. d. 5. tenent expreſsè Vaſquez in præſenti diſp. 32. Lorca diſp. 29.

8. Quare dicendum nobis eſt primò, quòd partes non habeant partialem ſubſiſtentiam in totò, neque ſubſiſtentia totius componatur ex ſubſiſtentiis partium, ſed potiùs quòd partes tam eſſentiales quàm integrales ſubſiſtant in toto ſubſiſtentiâ totius.

9. Prædicta concluſio probatur Primò, quia propria ratio ſubſiſtentiæ totalis eſt ita eſſe per ſe, vt non ſit in alio, non ſolùm vt accidens, quia hæc eſt perſeitas ſubſtantiæ vt ſubſtantiæ, ſed non eſſe in alio tamquam in ſuſtentante, ſed omni parte intrinſecum eſt, vt ſic, eſſe in alio; ergo ſubſiſtentia totius non componitur ex ſubſiſtentiis partium, aliàs componeretur ex rationibus ſibi oppoſitis.

10. Secundò probatur, quia compoſitio, quam facit ſubſiſtentia totius, eſt cum natura indiuidua immediatè, & mediatè cum partibus; ergo eſt actus propriæ naturæ completæ, & non conueniens partibus. & hinc eſt quod Verbum diuinum (ſecundùm omnes de quo infrà) aſſumpſit naturam, & eâ mediante partes, & non è conuerſo.

11. Tertiò probatur vrgentiùs, quia ſi ſubſiſtentia totius componeretur ex ſubſiſtentiis partium, ſequeretur quòd ſicut totum compoſitum ex partibus habet prædicata deducta ex prædicatis illarum, qualiter homo dicitur rationalis, quia habet animam rationalem, & dicitur materialis, quia habet materiam, &c. ita prædicata ſubſiſtentiæ totius deducerentur ex prædicatis ſubſiſtentiarum partium: ſed nullum deducitur, quia quòd ſit incommunicabilitas vt *quod* ad indiuidua deducitur ex hæccitate, quòd ſit incommunicabilitas vt *quo*, & conſequenter vt *quod* ad perſonas non ſolùm deducitur ex partibus, ſed etiam eſt oppoſitum, quia partes ſunt communicabiles vt *quo*; ergo ſubſiſtentia totius non componitur ex ſubſiſtentiis partium.

12. Quartò probatur, quia partes intrinſecæ ſunt partes compoſiti vt indiuidui, & extrinſecæ compoſiti vt ſubſiſtentis: vnde materia & forma in Chriſto, licèt ſint & dicantur partes perſonæ diuinæ, non tamen ſunt, neque dicuntur partialiter perſona diuina, quia perſona diuina non poteſt diuidi in partes, ſed hoc etiam eſt verum de perſona creata; ergo ſicut ſolùm conuenit illis eſſe partes totius, ita ſolùm conuenit illis ſubſiſtere ſubſiſtentia totius.

13. Dico ſecundò: Partes ſubſtantiales ſiue materiales ſint vt forma & materia equi, ſiue ſpirituales ſint vt anima rationalis, quando ſeparatæ exiſtunt, habent ſuam propriam & ſpecialem ſubſiſtentiam. hæc concluſio

est communis, illamque tenent Recentiores citati cum Suare vbi suprà. Et probatur primò, quia ex diuisione continui subsistentis fiunt duo continua per se subsistentia; ergo partes separatæ habent suam subsistentiam. Secundò, in triduo, quando anima Christi mansit à corpore separata, tam corpus Christi quàm anima fuerunt Verbo vnita, vt fides docet; ergo ex eo, quia separatæ habere poterant suas speciales subsistentias, si sibi relinquerentur; patet consequentia, quia Verbum solùm fuit vnitum, vt terminaret in ratione subsistentis, sicut propter hanc solam rationem terminauit integram naturam humanam. Tertiò, quia partes separatæ sunt actualiter independentes ab alieno supposito vt *quo*, & vt *quod*; ergo licèt sint aptitudinaliter dependentes à proprio supposito, non tollit quòd habeant aliqualem rationem subsistentiæ, & consequenter quòd possint habere, dum separatæ existunt, suam propriam & specialem subsistentiam, quam nequeunt habere, dum actualiter sunt in toto: vnde malè Caietanus vbi suprà asseruit, quòd anima rationalis, quando post resurrectionem reuniatur corpori, non deperdet in illo subsistentiam, quam habebat separata, quia hoc esse falsum patet, cùm sit actualiter dependens à proprio supposito, & anteà non erat.

14. Dices primò: Ergo anima rationalis separata, cùm sit subsistens, erit persona, quia erit eius subsistentia, intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, sicut substantia Angeli. Respondetur negando, quia non erit existentia incommunicabilis naturæ intellectualis, sed alicuius partis, quia anima rationalis ex natura sua est pars naturæ rationalis. Dices secundò: Partes quando separantur, non habent agẽs à quo producatur entitas positiua subsistentiæ, & quando reuniuntur à quo corrumpatur; ergo non habent proprias subsistentias. Respondetur, quòd sicut, quando quantum continuum diuiditur, puncta terminatiua resultant naturaliter; & quando reunitur, puncta continuatiua producũtur à partibus proximioribus, & terminatiua per expulsionem desinunt esse; ita contingit in subsistentiis partium, quòd ab ipsis resultant, & per subsistentiam totius corrumpuntur. Dices tertiò: Accidens, quod est separatum, est actualiter independens, & nihilominùs non est subsistens; ergo similiter partes substantiales separatæ. Respondetur quòd accidens neque aptitudinaliter est dependens ab aliquo, à quo recipiat subsistentiam per se; insuper eius dependentia est ab aliquo, tamquam à subiecto in quo debet naturaliter inhærere, non sic autem contingit in partibus substantialibus separatis.

Sed faciamus satis argumentis, quæ militant contra primam conclusionem. 15. Ad primum concedo antecedens, & nego consequentiam, quia anima rationalis, licèt separata habeat propriam subsistentiam, non tamen coniuncta, quia tunc subsistit subsistentia totius, cuius est pars propter rationem dictam. Ad cõfirmationem dico, alias formas etiam materiales esse per se subsistẽtes, quando separatæ existunt: dicitur tamen anima rationalis per se subsistens, & non aliæ formæ, quia illa ex natura sua est incorruptibilis, & semper existens, & licèt in proprio supposito haberet proprias actiones independentes ab illo, nõ sequitur quòd in illo habeat aliquid suppositalitatis, quia actiones solùm dicuntur esse suppositorum, ex eo quòd cùm sint accidentia, earum esse supponit naturaliter esse completum naturæ integræ substantialis, & consequenter esse suppositorum, quia priùs est esse, quàm operari, non tamen quia actiones dicant per se habitudinem ad subsistentiam, absque hac enim (dummodò aliquod ens habeat singularitatem existentem) potest operari, quare actiones per se & elicitiuè sunt singularium existentium, concomitanter autem suppositiuè & denominatiuè sunt singularium subsistentium.

Ad 2. respõdet Lorca vbi suprà n. 3. 16. quòd partes non habere suas subsistentias in toto, debet intelligi de partibus essentialibus, & modis essentialiter differentibus; non verò de partibus integrantibus & homogeneis, quia cùm diuisibiles sint ratione quantitatis, ita habent diuisibilem subsistentiam, non aliter ac substantia est diuisibilis.

Sed cõtrà, quia substantia habet partes entitatiuas, quæ extendi possunt ad extensionem quantitatis; subsistentia 17. verò

verò est quidam modus, sed modò nullus attribuit partes entitatiuas; ergo. Et confirmatur insuper, quia hæc subsistentia est eiusdem rationis in composito ex partibus essentialibus, & in composito ex partibus integralibus; ergo sicut ibi est indiuisibilis, ita & hîc. Antecedens patet, quia vtrobique est ratio incõmunicabiliter existendi; quare dicendum nobis est, subsistentiam compositi homogenei non componi ex subsistentiis partium, sed esse indiuisibilem, denominareque totum compositum incommunicabile, quod compositum si diuidatur ex natura rei resultant aliæ subsistentiæ, sicut resultat indiuisibile terminatiuum in diuisione lineæ. hæc sententia præter rationes assignatas ex eo patet, quia compositum essentiale etiam habet suas partes essentiales extensas, & nihilominùs eius subsistentia est inextensa; ergo similiter compositum integrale.

18. Ad tertium concedo, quòd per subsistentiam totius subsistant minimæ partes; ergo est extensa, & consequenter composita, distinguo consequentiam extensione intrinsecâ nego, extrinsecâ concedo, sicut enim humanitas quæ est extensa subsistit per subsistentiam simplicem & indiuisibilem secundùm omnes, quæ solùm dicitur extensa extrinsecè ratione extensionis humanitatis, non ratione sui, & sicut anima rationalis est extensa ratione corporis, ita subsistentia totius homogenei, & cuiuscumque compositi integralis est extensa non intrinsecè, sed extrinsecè.

19. Ad quartum respondeo potiùs Verbum assumpsisse partes mediâ humanitate secundùm Theologos, quàm è contrà; quare inferiùs disp. 7. quæst. 3. & disp. 8. per totam latè explicabimus aliquas locutiones Conciliorum, & Patrum, dicentes assumpsisse humanitatem mediis partibus, pro nunc sufficiat illam locutionem sic explicare, scilicet assumpsisse humanitatem mediis partibus, hoc est, non sine partibus naturæ humanæ, scilicet animâ & corpore, quas habuisse Christum negarunt aliqui hæretici, contra quos hoc fuit stabilitum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum persona creata possit ad se sumere alienam naturam?

POstquam egimus de personalitate creata, inquirimus præsentem quæstionem, quia circa illam diuerso modo debemus loqui pro diuersitate opinionum circa rationem formalem personalitatis creatæ, quare ad decisionem illius, nota non esse quæstionem de actione assumptionis, an scilicet aliqua persona creata possit in genere causæ efficientis, vt causa principalis vel instrumentalis, ad se sumere alienam naturam, quia hoc spectat ad disputationem de causis Incarnationis, sed esse quæstionem de terminatione, seu de assumptione formali; an scilicet sicut Verbum terminauit naturam humanam, ita persona aliqua creata possit terminare alienam naturam; quia tamen personalitas creata secũdùm præfatas opiniones quæstionis quartæ formaliter constituitur entitate positinâ, & constituitur negatione, ideò est priùs examinanda, supponendo quòd consistat in positiuo. 1.

Prima sententia in hac quæstione negat posse personam creatam terminare alienam naturam. ita D. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 1. sequuntur Suarez disput. 13. sect. 4. Vasquez disp. 25. Lorca disput. 23. ex aliis Durandus in 3. d. 1. quæst. 5. Paludanus quæst. 1. art. 2. Gabriel quæst. 2. art. 3. dubitatione 5. & adducitur Scotus quæstione 4. putans illam probabilem absque eo quòd distinguat an personalitas consistat in positiuo, an in negatiuo, quare tenemur in vtroque sensu sententias oppositas existimare probabiles, sicut secundùm mentem eius existimauimus quæstione illâ sententias illas probabiles circa rationem formalem personæ. ita Faber dist. 1. disp. 6. cap. 1. vnde hanc sententiam vt probabilem defendo, & probo per solutionem argumentorum. 2.

Et sic impugnatur, quia persona creata est omnino independens, cùm sit incõmunicabilis vt *quo*, & vt *quod* alieno supposito; ergo potest terminare alienam naturam. Probo consequentiam, quia non aliâ ratione Verbum diuinum termi- 3.

terminauit naturam humanam, nisi quia fuit omnino independens & incommunicabilis. Respondent supradicti Auctores concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad cuius probationem diuersimode respondent, Caietanus 3. parte q. 3. art. 1. dicit Verbum diuinū terminasse naturam humanam, non solùm quia fuit omnino independens & incōmunicabilis, sed quia personalitas illius est infinita, continetque virtualiter omnes perfectiones, & terminare dependentiam dicit perfectionem, quare non potest competere personæ creatæ. Sed contrà arguit Scotus *§. respondeo*, quia sequeretur quòd aliqua perfectio deesset in Patre, & in Spiritu sancto, quæ de facto est in Filio. Insuper quia hoc latè impugnatur in materia de Trinitate, vbi à Scotistis negatur, quòd personalitates diuinæ dicant perfectionem & infinitatem.

4. Secundò respondent Vasquez & Lorca quòd Verbum terminauit naturam humanam, quia cùm sit persona supernaturalis habet virtutem intrinsecam ad terminādum aliquam naturam, cuius terminatio possit per actionem supernaturalem reduci in actum: at verò persona creata neque ex virtute sua, neque ex virtute supernaturali potest reduci in actum vt terminet naturam alienam, non ex virtute sua, quia aliàs esset agens naturale, à quo efficienter posset reduci in actum, nam cuicumque potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis, & hæc non datur vt persona creata possit terminare naturam alienam; non ex virtute superaddita, quia neque potest esse accidens, vt apparet, neque substantia alia, quia erit communicabilis, neque subsistentia, quia hæc non potest recipi in alia subsistentia, neque potest esse aliquis specialis Dei concursus, quia hic spectat ad genus causæ efficientis, persona autem solùm terminat in genere causæ formalis.

5. Sed contrà primò, quia persona diuina non terminat in quantum supernaturalis, sicut neque quantum infinita, sed solùm in quantum incommunicabilis, quia sola incommunicabilitas est quæ desideratur à natura indiuidua vt sit persona; prætereà quia personalitas diuina non est supernaturalis, neq; naturalis intrinsecè, sed extrinsecè & denominatiuè pro quanto Deus dicitur Auctor naturæ vel gratiæ. Secūdò, non sequitur ex eo quòd personalitas creata possit terminare virtute propriâ alienam naturam, quòd posset reduci in actum per agens naturale, primò quia anima separata virtute propriâ potest informare corpus, & non informabit absque virtute supernaturali causante resurrectionem seu reunionem; secundò quia licèt posset aliquod agens naturale causare vnionem inter naturam alienam, & personam creatam, tamen hoc non sufficit, sed insuper requiritur quòd esset aliquod agens naturale potens impedire resultantiam naturalem propriæ personalitatis ab aliena natura, quæ personāda erat per personalitatem naturæ propriæ, quod nequit reperiri, & sic sicut natura indiuidua non est naturaliter in potentia passiua proxima vt personetur alienâ personalitate, quia naturaliter non est agens impediens propriam, ita non est necesse quòd sit naturaliter potentia actiua, quæ possit causare hanc vnionem.

Dico ergo probabiliter cum Scoto *§. si tenetur*, vnde & ad confirmationem, quòd persona creata non potest terminare alienam naturam, quia non est nata esse actus vel potētia respectu alterius, benè tamen diuina, quia nata est esse actus, seu terminus; sed cùm adhuc desideretur ratio huius, illam assignant Suarez optimè, quia scilicet persona creata est modus creatus, de cuius ratione est solùm modificare subiectum in quo est, sicut sessio, figura, &c. quod non contingit in persona diuina. Dices hoc esse verum de modis accidentalibus, vt sunt prædicti; non tamen de substantialibus, vt sunt subsistentia diuina & humana. Sed contrà, quia non est ratio, quare modi accidentales non possint de potentia Dei modificare naturam extrinsecam, & modi substantiales possint, cùm vtrumque fiat extrinsecè, & per terminationem cuiusdam vnionis. 6.

Sed vt ampliùs declaretur solutio Scoti & Suarez, debet attendi quòd modus subsistentiæ creatus non est natus esse actus respectu alienæ naturæ, benè tamen subsistentia diuina personalis (de subsistentia absoluta non loquor 7.

quor cùm sit infinita, continensque omnem perfectionem & rationem subsistendi) nam modus creatus per simplicem emanationem emanat à propria natura: vnde solùm pertinet ad naturam à qua emanat, sicut quia punctum terminatiuum lineæ resultat ab illa solùm potest illam terminare, non aliam, & hoc ex natura sua; subsistentia verò diuina non emanat, nec resultat à natura diuina, sed per veram productionem producitur: vnde non ita spectat ad naturam diuinam, quòd non possit esse actus naturæ alienæ, & illam terminare: per hoc patet quàm probabilis sit hæc sententia.

8. Secunda sententia opposita affirmat posse personalitatem creatam terminare alienam naturam: hanc sententiam probabilem censuit Scotus vbi suprà, Gabriel, similiter & Ocham in 3. d. 1. q. 1. Basolis q. 6. Almain. q. 2. dub. vlt. Faber disp. 6. cap. 1. Vnde sic impugnatur Primò, quia si personalitas creata posset aliquam alienam naturam terminare, posset similiter infinitas, sed hoc arguit infinitam perfectionem, quæ repugnat puræ creaturæ; ergo persona creata non potest terminare alienam naturam. Respōdetur cōcedendo quòd posset terminare infinitas naturas, si darentur; sed hoc non arguit infinitatem, sicut non arguit in albedine infinitatem, quòd posset terminare infinitas similitudines, si darentur.

9. Secundò impugnatur, quia vna natura creata non potest simul terminari à pluribus personis; ergo neq; vna persona creata potest simul assumere plures naturas. Respondetur rationem disparitatis esse claram, quia vna natura creata nō potest simul terminari à pluribus personis, nam quælibet earum est causa totalis personandi seu terminandi naturam, & sic nequeunt causare eumdem numero effectum: at verò vna persona creata respectu diuersarum naturarum non causat eamdem personationem, seu terminationem, sed diuersam, quod non repugnat, sicut neque repugnat quòd vna causa efficiens producat diuersos effectus, vel quòd vnus terminus terminet diuersas relationes.

10. Tertiò impugnatur per ea quæ adduximus pro prima sententia. Sed respondeo illa iam esse impugnata per argumenta in contrarium adducta. modò solùm videtur vrgere id quod adduximus eum Suare, scilicet quòd modus creatus solùm modificat propriū subiectum, non alienum, & consequenter quòd persona creata non potest terminare naturam alienam. Sed responderi potest id esse verum de modificatione intrinseca, non de extrinseca, qualis est hæc; insuper de modis accidentalibus, & non de substantialibus, præcipuè de his quæ sunt ratio per se subsistendi, & quando dicis non esse rationem huius. Respondeo rationem esse, quòd modi accidentales, vt sessio, figura, indiuisibile terminatiuum, &c. præstant suum effectum inhærendo, cùm sint accidentales, & sic extrinsecè, & vbi non inhærent non possunt illum præstare; at verò modi substantiales subsistentiæ non præstant suum effectum inhærendo, & sic possunt extrinsecè terminare alienam naturā, sicut personalitas Verbi, quæ se habet vt modus in probabiliori sententia extrinsecè terminauit naturam humanam; quare manifestè constat hanc etiam sententiam esse probabilem.

Restat ergo vt quæstionem examinemus, supposito quòd personalitas creata constituatur entitate negatiuā, & duplicem inuenio similiter in hac re sententiam, vnam, quæ negat, & supponitur à Thomistis, amplectiturque ab aliquibus Scotistis: cuius fundamentum est, quia in relationibus ratio formalis terminandi debet esse positiua, sicut & ipsa relatio, & consequenter cùm vnio naturæ alienæ cum personalitate creata sit relatio, non poterit terminari formaliter à personalitate creata, cùm cōsistat in negatiuo. Altera verò sententia affirmat, defenditurque à Fabro vbi suprà, & ab aliis Scotistis; & ratio pro ipsa est, quia relatio solùm requirit extrema positiua, & non requirit quòd rationes formales extremorum sint positiuæ (ita respondet Pytigianus supra quæstionem 4. art. 2. & citat Lichetum, & Basolis pro hac solutione) sicut relationes diuersitatis, quæ pertinent ad primum genus relatiuorum, fundantur in carentia vnitatis, quæ est ratio formalis terminandi illas; quare cùm prædicta vnio fundetur in aliqua 11.

natura positiua, & terminetur ad alteram naturam positiuam, vt affectam personalitate creatâ. hinc est quòd etiamsi hæc consistat in negatiuo possit terminare illam, & per hoc patet ad fundamentum oppositum. Vtramque sententiam probabilem iudico, & primò potest respondere ad hoc argumentum, hoc esse speciale in relationibus diuersitatis propter earum naturam; secùs autem contingere in aliis relationibus, præcipuè vnionis, quæ postulant in termino formali rationem positiuam, cùm sint rationes positiuæ vnionis.

DISPVTATIO VII.
DE
VNIONE HYPOSTATICA
EX PARTE NATVRÆ
TERMINATÆ.

Postquam explicuimus omnia, quæ ad rationem personæ Verbi attinent, venit agendum de natura assumpta à Verbo, & circa hoc de omni natura assumptibili ab ipso, de quibus agit Scotus per totam distinctionem secundam, & aliqua attingit distinctione primâ & quintâ.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm qualibet natura creata sit terminabilis à persona Verbi?

1. Natvra creata alia est purè spiritualis vt Angelus, alia corporalis & rationalis vt homo, alia irrationalis vt leo, alia substantialis vt lignum, alia accidentalis vt albedo, alia totalis vt compositum, alia partialis vt caput; & quidem si de natura corporali, & rationali, & totali sermo fiat, certum est terminabilem esse à persona Verbi, quia quod de facto fit in natura humana Christi Domini, quæ est corporalis, rationalis & totalis, certum est possibile fuisse, & consequenter idipsum censendum esse de qualibet alia simili natura. Difficultas ergo huius quęstionis solùm est circa alias naturas, de quibus suo ordine agendum est.

PARS PRIMA.

An natura angelica assumi potuerit à Verbo?

2. Partem affirmatiuam docent Scholastici cum Magistro in 3. d. 2. ibi Scotus, D. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. ad 3. & eius expositores, & aliqualiter colligitur hæc veritas ex Paulo ad Hebr. 2. *Numquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* vbi videtur supponere potuisse Verbum illos apprehendere, seu ad se sumere. Et ratio huius est, quia Angelus habet suam rationem personæ distinctam realiter ab ipsa natura angelica; ergo sicut propter hanc rationem Verbum assumpsit naturam humanam, ita potuit assumere naturam angelicam.

Albertus in 3. d. 2. censuit oppositum, ex eo quòd in Angelis idem sit natura & persona iuxta illud Arist. 7. metaphys. cap. 6. *In his quæ sunt per se* (explicat ipse Albertus, id est, in substantiis separatis) *idem est quod quid est, & id cuius est* (id est natura & persona) sed natura non potest assumi simul cum persona; ergo neque natura angelica, quæ non distinguitur à sua persona. Respondetur Aristotelem diuerso modo explicari à Scholasticis: Primò, *In his quæ sunt per se* (id est in substantiis) *idem est quod quid est, & id cuius est, id est,* idem est definitio & definitum, nam in definitione accidentium, cùm definiantur per ordinem ad aliquod extrinsecum, scilicet per ordinem ad subiectum, nō est idem 3.

quod

quod quid est, & id cuius est, quia non est idem accidens, & subiectum illius. Secundò, *In his quæ sunt per se* (hoc est in substantiis) *idem est quod quid est, & id cuius est*, hoc est, natura & suppositum sunt eiusdem prædicamēti ad differentiam accidentium, quæ sunt in substantiis, quæ non sunt eiusdem prædicamenti, quia subiectum ponitur in prædicamento substantiæ, & accidens (quod inhæret illi propter quod dicitur esse illius) habet suum prædicamentum distinctum: vnde noluit Aristoteles dicere, quòd in substantiis separatis idem sunt natura & persona.

4. Dices: Persona angelica est incorruptibilis: at si Verbum assumeret illius naturam, deberet eius personalitas corrumpi; ergo. Respondetur primò, quòd si assumeretur à Verbo in instanti, quo natura angelica fuit creata, & deberet personari, tunc talis personalitas non corrumperetur, sed solùm nō oriretur, quando naturaliter deberet oriri, sicut contingit in natura humana Christi Domini. Secundò, etiamsi assumeretur à Verbo postquam propriâ personalitate fuit natura angelica personata, in quo casu talis personalitas corrumperetur, non sequitur inconueniens, quia entitas angelica non est corruptibilis ab agente creato & naturali, benè tamen à Deo, qui annihilare & corrumpere potest per suspensionem concursus, quo illam conseruat. Prætereà Angelus non est corruptibilis per actionem & reactionem, sicut substantia corporalis.

5. Sed inquires quare Verbum non assumpsit naturam angelicam, sed humanam, cùm illa sit nobilior istâ, & illa assumi potuerit sicut ista. Respondetur de hoc latè nos egisse disputatione 1. quæstione 7. vbi diximus hoc fuisse, vt in assumptione naturæ humanæ aliquo modo omnis assumeretur natura, nam homo habet viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, &c. Prætereà vt nos redimeret ex speciali iustitia, in qua congruum est, vt idem satisfaciat, qui fuit offensor; & sic si natura humana in Adamo fuit offendens, ipsa in Christo fuisset satisfaciens. Prætereà vt dæmon vinceretur ab illa natura, quam vicerat.

PARS SECVNDA.

An natura substantialis irrationalis assumi potuerit?

NEgarunt aliqui Verbum diuinum assumere potuisse naturam irrationalem, v.g. leonis, equi, &c. ita Henricus quolibet 13. q. 5. Carthuzian. in 3. d. 2. q. 2. Reus Mirandulanus in Apologia in defensione quartæ propositionis, & quia eius sententia nota erroris fuit ab aliquibus adusta propter corpus Christi in triduo, quod mansit vnitum Verbo, illam limitauit ad naturas irrationales, quæ non dicunt ordinem, sicut corpus hominis ad animam rationalem. Hanc sententiam reputant probabilem Ricardus in 3. d. 2. art. 1. q. 4. Gabriel d. 1. q. 2. art. 1. & 2. & tribui solet D. D. Bonauenturæ d. 2. q. 1. art. 1. sed solùm negat fuisse congruum, non verò quòd fuerit possibile, & tribuitur Alensi 3. p. q. 7. memb. 1. quatenus ait non posse naturam assumi à Deo, nisi mediâ gratiâ iustificante, cuius creatura irrationalis non est capax. hæc sententia probabitur argumentis posteà soluendis. 6.

Vera tamen & communis sententia docet, Verbū assumere potuisse quamcumq; naturam irrationalem, substantialem, & totalem. ita Scotus in 3. d. 2. q. 1. *§. ad 2. argumentum.* D. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. ad 1. & clariùs in 3. d. disp. 2. q. 1. art. 1. & 4. contra Gentes cap. 5. Durand. Almayn. & alij plures, quos citant Recentiores in præsenti. Et probatur Primò ex Patribus, nam Nissenus in Oratione magna, quæ est 27. ait, *Omnes naturas creatas eiusdem rationis esse, quantum ad assumptionem à Deo, & differentiam vnius ab altera, quantum ad hoc nullius esse momenti.* Et Tertullianus lib. de carne Christi contra Marcionem capite 4. dicit, *Non fuisse indecens quòd Verbum assumpserit verum corpus terrestre, nam & potuit si voluisset assumere corpus de lupo aut vacca.* 7.

Secundò probatur à priori, quia natura prædicta irrationalis habet propriam subsistentiam; ergo capax est, quòd subsistentia Verbi suppleat illam, & consequenter cùm sit in potentia obedientiali quòd possit assumi à Verbo, 8.

bo, in quo casu talis natura subsistens per subsistentiam Verbi non diceretur persona, sed suppositum, quia persona solùm est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, vt patet ex dictis disputatione antecedenti, quæst.4.

9. Sed contrà sunt argumenta primæ sententiæ: Primò, quia esse est sicut operari ex Arist. 4. Metheorum, & ex Damasc. lib. 3. de Fide cap. 18. sed natura irrationalis non potest habere operationes diuinas, videlicet visionem beatam, fruitionem, &c. ergo neque esse diuinum, scilicet esse subsistens, vel suppositum. Et confirmatur, quia maius est vniri Deo in persona, quàm ipsum videre, sed hoc est naturæ irrationali impossibile; ergo & illud. Respondetur ad argumentum, quòd principium prędictarum operationum est intellectus, vel voluntas, non autem suppositalitas; & sic solùm probat argumentum, quòd natura irrationalis non potest eleuari ad illa principia, non verò ad suppositalitatem. Ad confirmationem dico, quòd quidquid sit an maius esset vniri Deo in persona, quàm ipsum videre in natura capaci vtriusque, tamen in natura capaci visionis non est maius, neque minus, quia comparatio solùm fieri potest in natura, in qua vtrumque potest reperiri.

10. Secundò, vnio hypostatica est forma sanctificans, sed sanctitas non potest reperiri in natura irrationali; ergo. Et confirmatur, quia quod est indecens & incongruum non potest fieri à Deo ex Anselmo lib.2. *Cur Deus homo*; sed indecens esset, quòd Deus diceretur musca, canis, &c. ergo non potest vniri naturæ irrationali. Respondetur ad argumentum, quòd duplex est sanctitas, vna qua res, quæ à virtute religionis coluntur, dicuntur sanctæ; alia qua anima est sancta in ordine ad beatitudinem. primam haberet tunc illa natura irrationalis assumpta à Verbo, vnde adoraretur adoratione latriæ, sicut in triduo fuit corpus Christi adoratum. secundam non haberet, quia in sententia Scoti talis vnio non est sanctitas formalis in ordine ad gloriam, & in sententia D.Thomæ, licet sit talis sanctitas, tamen reddere sanctum est effectus secundarius, qui potest non oriri propter incapacitatem subiecti, quia effectus primarius illius est vnire naturam cum persona Verbi. Ad confirmationem dico, quòd duplex est indecentia, vna negatiua, scilicet non congruentia, seu non ita congruum & decens, & vt sic concedo quòd esset indecens Verbum assumere naturam irrationalem, neque illæ denominationes ponerent imperfectionem, quia sunt extrinsecè, & proueniunt ex communicatione idiomatum, sicut neque istæ, *Deus moritur*, *Deus conspuitur*; alia est indecentia positiua, seu contraria, quæ ponit imperfectionem in Deo, & hanc relegat Anselmus à Deo.

PARS SECVNDA.

An natura accidentis possit assumi à Verbo?

Negant communiter Recentiores Suarez disp.14. sect.vltimâ, Vasquez disp. 30. cap. 5. Lorca disp. 27. & aliqui Scotistæ in manuscriptis cum Basolis in 3. d.2. q. 2. sed multò meliùs affirmat Almainus ibidem Marsilius quæst.3. art.1. & tamquam sententiam probabiliorem defendunt ex nostris. Pytigianus quæstione 1. art. 8. Faber disputatione 6. cap. 2. Cuius fundamentum est, quia ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. §. *de* 1. *dico*, & quolibet 19. art. 2. litt.M, accidens dicit duas habitudines ad subiectum. primam tamquam substentificati ad substentificans, quæ caret omni imperfectione. secūdam tamquam inhærentis ad id in quo inhæret, & hæc dicit imperfectionem. sed primam potest Verbum terminare, quia habet rationem substentificantis; ergo natura accidentis separata à subiecto poterit assumi immediatè (de quo procedit difficultas) à Verbo. Et confirmatur, quia Verbum, vt assumat naturam humanam, non informat illam, neque natura humana recipitur in Verbo, sed solùm quasi extrinsecè terminatur ab illo; ergo licèt accidens non inhæreat in Verbo, poterit quasi extrinsecè terminari ab illo. 11.

12. Sed cōtrà obiiciunt Aduersarij, quia Verbum non potest sibi vnire naturam accidentalem in existentia, quia posset essentia actualis accidentis absque propria existentia manere, quod est falsum, neque potest sibi vnire illam in subsistentia,

stentia, quia accidēs non est capax subsistentiæ, sicut neq; subsistentia est capax inhærentiæ; ergo. Respōdetur concedendo quòd non potest sibi vnire accidens in existentia, nego tamen quòd non possit vnire in subsistentia, quia licèt accidens sit incapax essendi per se subsistentiæ, sicut subsistentia est incapax essendi in alio accidētis, tamen esse per se subsistentiæ est diuersum ab esse per se substantiæ, nam hoc dicit carentiam inhærentiæ; illud verò dicit independentiā ab alio tāquam à sustentante, vt latè diximus disputatione 6. & huius perseitatis est capax natura accidentis, non intrinsecè, sed extrinsecè, quia à subiecto à quo sustētificatur illā recipit.

13. Sed dices primò: Esse per se subsistentiæ supponit esse per se substantiæ; ergo non potest in accidenti reperiri. Respōdetur quòd antecedēs est verum non solùm de ipsa substantia, sed etiam de ipso accidenti, quia accidens non potest esse per se perseitate subsistentiæ, quam recipit à subiecto, nisi præsupponat quòd subiectum sit per se perseitate substantiæ, si enim subiectum non est substantia non posset sustentificare naturam accidentis, tamen hoc nihil concludit contra nos.

14. Dices 2. Saltem subsistētia est modus proprius substantiæ; ergo non potest competere accidenti. Respondeo quòd subsistentia intrinseca est modus proprius substantiæ: vnde posita à parte rei substantia statim ab illa oritur subsistentia, tamen subsistentia extrinseca quam habet accidens à subiecto vel supposito, à quo sustentatur in quantum extrinseca est, non est modus proprius substantiæ, sed accidentis.

15. Dices 3. Prædictæ duæ habitudines accidentis ad subiectum inhærentis & substentificati sunt eædem realiter, & solùm formaliter distinctæ; ergo nequit vna ab altera separari. Respondetur negando antecedens, quia licèt naturaliter & de facto simul recipiantur, tamen de possibili hoc non repugnat, & sicut de facto datur in Eucharistia accidens actuale absque inhærentia actuali (in quo Deus non supplet sustentificantem subiecti, aliàs accidens esset illi hypostaticè vnitum, sed solùm conseruat per suum concursum existentiam accidentis) ita posset dari accidens actuale sustentificatum à Verbo absque inhærentia actuali, & cùm oppositum non probetur non est diuinæ omnipotentiæ denegandum.

PARS QVARTA.

An partes substantiales possint à Verbo terminari?

HÆc difficultas tam procedit de partibus essentialibus, quæ sunt materia & forma, quàm de integralibus, quæ sunt caput, manus, &c. & quidem si sermo sit de illis vt separatis à suo toto, cuius sunt partes, quæ scilicet possunt naturaliter existere separatæ, vt anima rationalis, corpus organicum, &c. conueniunt omnes Verbum diuinum posse illas terminare, quia de fide est terminasse in triduo corpus separatū, & animam eius separatam, habent enim partes separatæ suam specialem subsistentiam, vt probauimus disp. antecedenti quæst. 5. quare duo sunt in præsenti examinanda. 1. an partes materiales separatæ, v. g. materia prima, forma equi, & aliæ similes (quæ nequeunt naturaliter cōsistere separatæ) possint terminari à Verbo. 2. an omnes partes tam materiales quàm spirituales non separatæ, sed existentes in toto possint terminari à Verbo. 16.

Circa primum Vasquez disp. 30. c. 5. & aliqui Recētiores negant partes materiales separatas posse terminari à Verbo. Fundamentum, quia putant materiam primam & formas materiales non habere propriam subsistentiam, neque subsistere alia subsistentia, quàm subsistentia totius; & consequenter si ab illo separentur, non posse subsistere subsistentia Verbi. Sed contrà ad hominem, quia in sententia Vasquez etiam anima rationalis & eius corpus non habent separata propriam subsistentiam, & tamen habuerunt illam anima Christi & eius corpus acceptam à Verbo in triduo; ergo etiamsi materia prima & formæ materiales separatæ non habeant propriam subsistentiam, poterunt tamen illam habere à Verbo. 17.

Quare nobis dicendum est, partes substantiales, materiales separatas posse terminari à Verbo. ita Suarez disp. 14. sect. 3. hãc cōclusionem probant aliqui, quia. 18.

quia licèt prædictæ partes separatæ nõ habeant propriam subsistentiam, tamen sunt capaces subsistentiæ, siquidem habent in toto illam; ergo etiam poterunt illam habere separatæ. Sed hæc ratio meo videri nulla est, quia partes in toto solùm sunt capaces subsistentiæ totius, solùm enim per illam subsistunt, quæ subsistentia non est composita ex subsistentiis partium. vt contra Suarez probauimus disp. antecedẽti, q. 5. sed partes prout separatæ non sunt capaces subsistentiæ totius, aliàs eadem formaliter esset subsistẽtia totius, & partium; ergo ex eo quòd partes sint in toto capaces subsistentiæ totius, non rectè colligitur quòd separatæ sint capaces subsistẽtiæ. Et confirmatur, quia subsistentia totius est incommunicabilis vt *quo* & vt *quod* actualiter & aptitudinaliter; sed subsistentia partis non est incommunicabilis vt *quo* aptitudinaliter, quia dicit inclinationem, vt tãquam pars cõmunicetur toti; ergo separata non potest subsistere subsistentia totius; ergo si subsistit, est quia non repugnat illi specialis subsistentia partis, licèt repugnet subsistentia partialis.

19. Ratio ergo vera pro hac sentẽtia est, quã Suarez vbi suprà & plures Recentiores cum eo tradiderunt, quia licèt de facto prędictæ partes materiales nõ habeant propriam subsistẽtiam, sicut neq; existẽtiam, quia si separantur, corrumpuntur, tamen si de potentia Dei cõseruentur in sua existentia illis est cõnaturaliter debita specialis subsistentia, non aliter ac est debita animæ rationali, corpori humano, & his similibus, quæ naturaliter cõseruantur separata, quia omnes rationes, scilicet subsistẽtiæ, & independentiæ, quæ conueniunt istis, propter quas separata existunt per se, & subsistunt, conueniunt & illis, & sic debent subsistere, sũt enim actualiter independentes vt *quo*, & vt *quod*; & consequenter Verbũ quod potest propriam subsistentiam supplere, poterit & illã, quam possunt habere partes separatæ. Et per hoc patet ad fundamẽtum Aduersariorum.

20. Circa secundum affirmat Suarez ibidem, pòsse diuinum Verbum terminare aliquam partem ex illis, quæ actualiter sunt in toto, non assumptã aliã, neq; assumpto ipso toto. Fundamentũ est, quia partes in toto (in eius sententia) habent suas speciales subsistentias partiales, ex quibus componitur subsistentia totius, & consequenter Verbum poterit supplere subsistentiam vnius partis, non supplendo subsistentiam alterius, vel subsistentiam totius. Sed hoc iam est à nobis impugnatum illã quæstione 5.

Quare dicẽdum nobis est quòd Verbum non possit terminare partem aliquam actualiter existentem in toto. Et ratio huius est. 1. quia partes in toto solùm subsistunt per totius subsistẽtiam; ergo nõ sunt capaces alterius subsistentiæ. patet consequentia, quia duplex causa totalis non potest simul & immediatè causare eũdem numero effectum, sed hoc contingeret, si aliqua pars, quæ subsistit per subsistentiam totius, simul subsisteret per subsistentiam Verbi. 21.

Et confirmatur, quia subsistentia totius consistit in indiuisibili; ergo nequit corrumpi quãtùm ad hoc quod est dare esse subsistens illi parti; ergo. vel Verbum nõ potest supplere hanc partialem subsistentiam, vel duplex causa totalis causaret eumdem numero effectum. 2. dato casu quòd subsistentia totius sit composita ex subsistentiis partium, vt vult Suarez, sequeretur quòd similiter posset componi ex subsistentia creata, quæ daret esse subsistens aliis partibus; & increatã, quæ daret esse subsistens huic parti, quod videtur falsum. Omitto alia argumenta, quæ adduci solent, quia vel falsa sunt, vel parum vrgent. 22.

QVÆSTIO II.

Vtrùm natura humana existens cum propria personalitate sit assumptibilis à Verbo?

Tripliciter potest natura actualiter personata propriã personalitate assumi à personalitate Verbi: Primò, taliter quòd destruatur propria personalitas per nouam Verbi aduenientem, & in hoc sensu cõueniunt omnes, quòd natura humana sit assumptibilis à Verbo, quia semper est in natura potentia obedientialis vt assumatur à Verbo, dũmodo non sit vtraq; persona diuina, scilicet & humana simul terminãs naturam creatam. Secũdò, taliter quòd non destruatur propria personalitas, sed potiùs etiã ipsa assumatur cũ natura, quod nullus admittit posse fieri, quia personalitas de formali vel de cõsequenti dicit dupli- 1.

duplicem negationem actualis & aptitudinalis communicationis: vnde non poterit alteri personæ communicari, & prætereà quia aliàs vltimus naturæ terminus qui est personalitas posset terminari. Tertiò, taliter quòd licèt non destruatur personalitas, tamen non assumatur, sed sola natura terminata per ipsam assumatur à Verbo. In quo sensu refert Suarez disputatione 4. sect. 1. aliquos dixisse posse assumi à Verbo: tamen contraria sententia est vera, & latè à nobis probata disputatione antecedenti, quæstione 2. vbi probauimus plures personas non posse simul assumere eamdem numero naturam; quare in hac quæstione solùm desideratur solutio aliquarum obiectionum.

2. Prima obiectio est, quia id potest fieri quod factum est de facto, sed de facto Verbum assumpsit hominem secũdùm plures locutiones Conciliorum & Patrum, quæ videri possunt apud Recentiores, homo autem in concreto significat naturam humanam personatam; ergo assumpsit personam. Respondetur prædictas locutiones non esse veras de rigore sermonis, vt malè asseruit Ludouicus Viues in Annotat. in libros D. Aug. de Ciuit. Dei cap. 17. sed potiùs esse piè interpretandas & intelligendas, taliter quòd ly *homo* sumatur pro humanitate, vel non pro extremo assumpto à Verbo, sed pro termino assumptionis, qui fuit, quòd humanitas fieret per talem assumptionem, homo in concreto, quia per talem assumptionem Verbum dedit humanitati esse personam, & sic hominem in concreto. hanc sententiam habet Magister in 3. d. 6. cum quo Scholastici omnes, & D. Thomas 3. p. quæst. 4. art. 3. & Ioannes Maxentius in Dialogo primo cõtra Nestorium dicit: *Ego à Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo, sed Deum sine diminutione diuinitatis suæ factum hominem fateor, ne si susceptum hominem dixero duas videar in Filio Dei prædicari personas.* Quare de facto Verbum non assumpsit hominem, sed humanitatem, & consequenter argumentum hoc factum de actu ad potentiam nullum est.

3. Secunda obiectio est, quia si Verbum assumpsit naturam humanam absq; propria personalitate, esset perpetuò violenta, quia violentum est, quod est à principio extrinseco contra naturalem inclinationem, carentia autem propriæ personalitatis proueniens à principio extrinseco, scilicet à Deo, vel à Verbo esset violentia facta humanitati: quæ obiectio, vt benè docuit Suarez disputatione 34. quæstione 1. solùm procedit in casu, quo personalitas creata formaliter consistat in positiuo, quia si consistat in negatiuo nulla erit violentia, nam ad negationem nulla datur inclinatio positiua.

Respondetur cum communi sententia negando quòd natura humana existat in Verbo violenta, quia nulla violentia debet esse perpetua, sed in assignanda ratione huius differunt Auctores; Caietanus 3. p. art. 3. ex eo negat manere violentam, quia natura humana ita satiatur personalitate Verbi, vt auferatur ab ea inclinatio, & appetitus naturalis ad propriam, sicut appetitus elicitus cognito maiori bono non fertur in minus bonum. Sed contrà, quia inclinatio & appetitus innatus ad propriam personalitatem est propria passio naturæ; ergo nequit à natura humana separari, sed semper debet perseuerare (qui appetitus est desiderij si fertur in bonũ possibiliter futurum, & est complacentiæ si fertur in bonum præsens) exemplum autem non est simile, quia appetitus elicitus sequitur cognitionem, & sicut deficit deficiente cognitione, ita mutatur mutatâ cognitione; at verò appetitus innatus non sequitur cognitionem, sed naturam, imò est ipsa natura prout dicit inclinationem & pondus ad suam perfectionem, vt patet in materia prima, quæ adhuc existens, & informata anima rationali dicit inclinationem, & appetitum desiderij ad alias formas, & sic non potest deficere, neque auferri, nisi deficiat ipsa natura. 4

Vasquez disp. 34. cap. 4. ex eo negat violentiam, quia hæc debet esse contra inclinationem actiuam illius, quod illam patitur, natura autem humana Christi non habet inclinationem actiuã ad propriam personalitatem, sed solùm passiuam. Sed benè impugnat Lorca disputatione 30. numero 8. quòd hæc solutio supponit vnum dubium, & admittit quoddam falsum. Supponit dubium, quia incertum est, an inclinatio naturæ sit purè passiua, an etiã actiua 5

Et verisimiliùs affirmat communior sententia Theologorum & Metaphysicorum, quam tenuimus disputatione antecedenti, quæstione 4. in responsione cuiusdam argumeti, quòd sit actiua, & quòd personalitas procedat actiuè non ab agente, sed à natura, sicut passiones fluunt ab essentia actiuè, & non ab agente extrinseco producente essentiam: vnde ad minus sequeretur, quòd in sententia horum natura humana esset violenta in Verbo. Admittit quoddam falsum, quia vt benè Lorca in præsenti, & nos latè 2. physicorum quæstione 2. violentum est, quòd fit non cōtra principium actiuum, sed contra principium passiuum, quia hoc est de ratione naturæ definitæ ibidem ab Aristotele cap. 1. scilicet quòd sit *principium motus & quietis*, &c. quidquid in contrarium velit Vasquez, etiam 1. 2. disp. 25. ibidem allegatus, vbi probauimus materiam primam esse veram naturam, licèt solùm habeat principium passiuum, & inclinationem passiuam ad formas.

6. Aliam adducit rationem, quare non sit violenta, Suarez disp. 8. sect. 3. scilicet quòd ad violentiam non solùm sit requisita carentia propriæ perfectionis, sed etiam quòd hoc proueniat à forma contraria, & repugnante ipsi appetitui, quod non contingit in præsenti, quia personalitas Verbi non est contraria, neque repugnat appetitui, sed tribuit supernaturalem quemdam modum existendi, ad quem natura dicit potentiam obedientialem. Sed contrà insurgit Vasquez, quia corpus graue quiescit violenter sursum, & tamen quiescit per solam priuationem motus deorsum; ergo violentia non prouenit etiam à forma repugnante & contraria. Sed hæc instantia nulla est, quia potest dici quòd quiescit violenter sursum, non solùm per priuationē motus deorsum, sed etiam per formam contrariam, scilicet per vbificationem sursum, quæ contraria est vbificationi deorsum. Meliùs ergo impugnatur à simili, quia si daretur materia prima absque omni forma esset violenta, & tamen non per formam contrariam, sed solùm per priuationem formæ, ad quam naturalem dicit inclinationem.

7. Respondendum ergo nobis est cum Lorca vbi suprà num. 9. naturam humanam Christi non esse violentam in Verbo, quia ad violentiam non solùm requiritur carentia propriæ formæ, sed etiam quòd propria forma non suppleatur per aliam perfectiorem formam eminentiori modo continentem effectum illius, quod non contingit in præsenti, quia personalitas creata, quam natura humana Christi deberet habere, suppleta est per personalitatem Verbi, quæ est perfectior forma, & modo eminentiori præstat effectum personandi, quem præstaret propria personalitas creata. Itaque licèt maneat & perseueret appetitus in natura humana innatus ad propriam personalitatem, quia nequit auferri, vt contra Caietanum diximus, tamen natura humana non manet violenta, quia eminentiori modo manet personata, sicut etiamsi materia prima habeat appetitum ad formam equi, quando habet animam rationalem, tamen non manet violenta, quia perfectiori modo est informata: vnde priuatio propriæ subsistentiæ in natura humana Christi non causat violentiam.

Hanc sententiam nostram confirmo ex doctrina Scoti, quam latè tradidi disputatione antecedenti, quæstione 4. quia personalitas diuina perfectè supplet personalitatem creatam, quam natura humana Christi deberet habere; ergo supplet negationem communicationis aptitudinalis, hoc est cum aptitudine seu inclinatione ad aliud suppositum, vt ipse Scotus locis ibi adductis hoc explicat; ergo per personalitatem Verbi est negata hac inclinatione; ergo non manet violenta. Patet consequentia, quia si adhuc natura humana vt supposita in Verbo haberet inclinationem ad aliud suppositum, & illi maneret aptitudinaliter cōmunicabilis, non maneret perfectè personata personalitate Verbi, nec personalitas creata, quam aliàs haberet perfectè suppleta, quod est falsum; ergo dicendum venit, quòd natura humana Christi mediâ personalitate Verbi habet negationem communicationis cum inclinatione ad alienam personam, & sic quòd sub illa non manet violenta. 8.

Similiter potest confirmari hæc sententia ex alia doctrina Scoti, quâ docet quòd ad formas supernaturales datur 9.

in

in natura creata appetitus naturalis, quæ doctrina latè traditur in materia de beatitudine, & alibi sæpè; ergo sub personalitate diuina non manet secundùm genuinam Doctoris subtilis mentem natura humana Christi violenta.

QVÆSTIO III.

An Verbum assumpserit omnes partes essentiales naturæ humanæ?

1. DVplex est pars essentialis naturæ humanæ, corpus scilicet & anima rationalis, sicut & cuiuslibet compositi substantialis materialis, est materia & forma. Circa primam partem, scilicet circa corpus, referuntur duo errores: Vnus asserebat Christum non habuisse verum corpus, sed solùm apparens & phantasticum. ita asseruit Cedron circa tempora Apostolorum, vt refert Tertullianus lib. de Præscriptionibus c. 51. August. hæres. 21. Epiphan. hæresi 41. & eumdem errorem secuti posteà sunt Marcion, Lucanus, Manichæi, & Proclyanitæ, seu Prodianitæ, vt refert Lorca ex Patribus disputatione 33. quorum fundamentum erat, quia constituebant duos Deos, vnum bonorum, alium malorum, inter mala verò referebant corpora, & ideò inferebant corpus verum, quia malum est, non potuisse assumi à Filio Dei, & eidem errori consensit Apelles, vt habet August. hæresi 23. nisi quod ampliùs explicuit corpus Christi fuisse compactum ex elementis ad modum corporum, quæ assumuntur ab Angelis, & in morte fuisse in elementa resolutum.

2. Alius error asseruit, quòd licèt corpus Christi non fuerit apparens, sed verum, non fuit tamen humanum, neque ex materia terrestri, nec simile aliis corporibus, sed ex materia cælesti. ita asseruit Valentin. vt referunt Tertull. in prædicto lib. cap. 49. & lib. de Carne Christi cap. 15. August. hæresi 11. Irenæus lib. 1. cap. 5. eumdem errorem tenuerunt Gnostici Apollinaris, qui & addidit corpus Christi non solùm fuisse cæleste, sed & diuinum, & Deo consubstantiale, & de eius substantia. Fundamentum erat illud ad Corinthios 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis.*

Contra vtrumque errorem semper docuit Ecclesia, & definiuit Christum Dominum habuisse verum corpus humanum terrestre, & simile in omnibus, ac eiusdem naturæ cum aliis hominum corporibus. ita definitur in Anathematismis Cyrilli approbatis à pluribus Conciliis, præcipuè Anathematismo 2. & 5. idem definiunt plura Concilia, Calcedonense actione 5. Constantinopolitanum 5. actione 8. can. 4. & 11. Synodus 6. generalis actione 11. Concilium Toletanum 1. & 11. in confessione fidei: Hispalense 2. cap. 11. & plura alia: definit Leo epist. 11. & 83. Eutichianus epist. ad Episcopos Beticæ. Damasc. in confessione fidei. Et probatur ex S. Scriptura Ioan. 1 *Verbum caro factum est.* Ad Hebræos 2. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse Dominus participauit eisdem.* Et rursus: *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Luc. 24. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videbitis me habere;* & tamen sublato vero corpore Christi tota fides eius, & suæ Incarnationis ruit, quia non potest esse verus homo, verè conceptus, passus, & mortuus, &c. legatur Ambros. lib. de Sacramento Dominicæ Incarnationis cap. 7. Cyrillus lib. de Fide ad Theodosium. August. epistolâ 146. 3.

Ad fundamentum primi erroris respondeo lumine solo naturæ constare, quòd tantùm sit vnus Deus. Sed obiiciunt primò illud ad Philippens. 2. *In similitudinem hominum factus;* ergo non fuit verus homo, sed similis. Respondetur primò similitudinem non excludere proprietatem; sicut Genes. 5. dicitur, *Adam genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam.* Secundò quòd licèt excludat proprietatem, vt putauerunt Ambros. & Chrysost. tamen loquitur de Christo, vt Deo, qui apparuit in carne similis aliis hominibus, ac si esset purus homo, sicut illi, cùm tamen esset verus Deus. 4.

Obiicies secundò illud 2. ad Corinth. cap. 5. *Et si cognouimus Christum secundùm carnem; sed iam non nouimus.* vbi Faustus ait, Paulum mutasse sententiam priùs existimantem habuisse Christum veram carnem, posteà non. Respondetur quòd iste blasphemat, putans quòd Apostoli habuerunt errorem, quem deberent 5.

 retra-

retractare. Sensus ergo huius loci est, quòd Apostoli priùs cognouerũt Christum in carne præsentem, posteà absentem ab oculis carnalibus, intendebant enim allicere fideles ad vitam spiritualem, quæ habetur per cognitionem fidei, non per visionem oculorum.

6. Obijcies tertiò Marcion: *Corpus non est particeps redemptionis*; quia 1. ad Corinth. 15. dicitur, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; ergo Christus solùm redemit animas, & consequenter non indiguit corpore. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dico per carnem & sanguinem non intelligi ipsas substantias carnis & sanguinis, sed corruptionem ipsarum per pravos affectus. Vnde statim subdit Paulus: *Neque enim possidebit corruptio incorruptionem*. Et ad Galat. 5. *Omnia genera peccatorum dicuntur opera carnis*.

7. Ad fundamentum secundi erroris dico plures Patres explicare prædictum locum de diuinitate, ratione cuius dicatur, *Christus homo de cælo cælestis*. ita Nazianzenus epist. 1. ad Ellodorum, August. 13. de Ciuit. Dei cap. 23. D. Thomas 3. p. q. 5. art. 2. ad 1. alios verò explicare de Christo secũdùm humanitatem propter modum mirabilem conceptionis factæ virtute Spiritus sancti, sed litteralis & germana expositio est Chrysostomi ibidem, vbi dicit debere intelligi de ipso corpore Christi comparato cum corpore Adami, secundùm quod differebant, non in substãtia, sed in qualitate, quia primus homo trãstulit in nos corpus terrenum, hoc est terrenis affectibus obnoxium; secũdus verò homo, scilicet Christus, transfert in nos corpus cæleste, hoc est glorificatum post resurrectionem, de qua tũc agebat Paulus proponens quæstionem, qualia corpora futura sint post illam, & respondens futura esse spiritualia, hoc est ornata dotibus propriis Spiritus, quia Christus fuit nobis causa & principium habendi simile corpus, luce, impassibilitate, agilitate, & aliis dotibus præditum.

8. Circa secundam partem essentialem, scilicet circa animam rationalem, etiam est duplex error. Primus negat in Christo fuisse animam rationalem, & dicit loco ipsius Verbũ fuisse illius animam. ita tenuit Arrius, vt refert Aug. hær. 49. Epiphan. hæresi 69. Secundus error licèt concedat in Christo animam viuentem & sentiẽtem, negat tamen habuisse mentem, id est animam rationalem. ita Apollinaris, qui in principio conuenit cum Arrio, posteà tamen aliquibus conuictus argumentis, solùm negauit animam rationalem, quam dicebat suppleri à Verbo. ita referunt Athanas. in epist. ad Epictetum, Vincentius Lirenens. lib. aduersus heresum nouitates cap. 17. & plures alij. Fundamentum est vt refert Athanas. lib. de Incarnat. quòd anima rationalis sit capax peccandi; ergo est releganda à Christo.

Sed Veritas Catholica à pluribus stabilita Conciliis & summis Pontificibus, est quòd Christus Dominus habuit veram animam rationalem, sicut & ceteri homines. ita Concilium Calcedonense & Ephesinum actione 1. Synodus 5. generalis actione 8. can. 4. & 11. & in 6. actione 11. Toletanum 1. 6. & 11. Carthaginens. 4. cap. 1. Leo 1. epist. 11. Athanas. in Symbolo fidei: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens*. Et probatur Primò ex S. Scriptura Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; & quòd hęc sit spiritualis cap. 27. *In manus tuas Domine cõmendo spiritum meum, & inclinato capite èmisit spiritum*, & quòd hęc sit rationalis probatur ex effectibus, quia Lucæ 7. dicitur, *Miratus Iesus fidem illorum*; & c. 2. *Proficiebat sapientia coram hominibus*; admiratio autem & sapientia propria sunt animæ rationalis. 9

Secundò probatur ratione physica, quia in homine eadem est anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis, vt in libris de anima tradunt Catholici; ergo malè Apollinaris negauit vnam, & concessit aliam. Tertiò, ratione theologica, quia Deus non potest informare corpus; ergo Verbum non potuit esse forma corporis Christi. Prætereà quartò, quia non minùs indigebat remedio & medicinâ anima rationalis, quàm corpus; ergo fuit etiam assumpta à Verbo, aliàs non curaretur, vt colligit Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. & Augustinus vbi suprà. 10

Ad fundamentum prædicti erroris respondetur quòd licet anima rationalis sit capax peccati, tamen in supposito Verbi potuit à peccato præseruari, & 11

à peccati fomite, sed ex qua parte hoc illi proueniat, dicemus infrà disputatione 18. q. 1. & q. 4. parte 1.

12. Sed inquires duo, quæ huic sunt annexa quæstioni: primum, an Verbum assumpserit vnionem animæ & corporis? seu vt meliùs dicam, an assumpserit prædictas partes essentiales prout vnitas inter se vnione, quæ sit accidens, vel substantia secundùm diuersas sententias, licèt talis vnio non sit pars essentialis naturæ humanæ, sed conditio sine qua non. Secundum, an possit dici Christum cõstare ex tribus substantiis.

13. Circa primum fuerunt quidã Theologi temporibus Alexandri Tertij, quorum sententiam refert Magister in 3. d. 6. & 7. non tamquam errorem, sed tamquam opinionem, qui asserebant quòd Verbum non assumpsit animam & corpus inter se vnita, sed separata & diuisa: quem errorem priùs retulit & impugnauit Hugo de S. Victore in Apologia de Incarnat. Christi, quæ habetur tom. 3. & posteà Scholastici in prædicta d. 6

14. Vnde Veritas Catholica est, quòd Verbum assumpserit corpus & animam non separata diuisa, sed vnita Et probatur primò ex decretis suprà citatis, vbi habetur Christum habuisse corpus animatum. legatur præcipuè epistolà 8. Cyrilli approbata in Concilio Calcedonensi & Ephesino, & epistolà Sophronij, quæ habetur in 6. Synodo generali actione 11. Secundò probatur, quia in eisdem decretis habetur quòd Christus fuerit verus homo, sicut & verus Deus, sed homo non est verè talis, nisi habeat corpus & animam inter se coniuncta; ergo. Et confirmatur, quia quomodo posset mori, cùm mors sit separatio animæ à corpore; & quomodo posset resurgere, cùm resurrectio sit restauratio eiusdem vnionis. Tertiò probatur, quia hic error in speciali damnatur (vt benè probat Lorca à num. 16.) ab Alexandro Tertio in Concilio Lateranensi sub illo celebrato, vt refertur in cap. *Cùm Christus de hæreticis*, & in eodem Concilio parte 49. cap. 2. Verba autem Concilij talia sunt, *Ne quis de cetero audeat dicere Christum non esse aliquid* (S. Thom. art. 6. legit, non esse quid) *secundùm quod homo, quia sicut Christus verè est Deus, ita est verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Ex quibus verbis habetur quòd Christus sit aliquid, seu quid secundùm quod homo, hoc est quòd sit substantiale in esse hominis, & non quale, hoc est accidentaliter homo. Prætereà quartò habetur quòd sit verus homo subsistens ex anima rationali, & carne; ly autem *ex* vnionem inter se significat.

Sed contrà est fundamentum erroris, quia scilicet sequeretur quòd esset quaternitas in personis diuinis; nam si Christus est verus homo, efficiet quartam personam cum tribus diuinis. Sed friuolum argumentum, quia licèt Christus sit verus homo, eius personalitas non est quarta, sed est vna ex tribus, quæ cum diuina essentia efficiunt Trinitatem. 15.

Circa secundum plures ex Patribus concedunt fuisse in Christo tres substantias, diuinam scilicet subsistentiam, corpus & animam. ita August. 13. de Trinit. cap. 17. Gelasius lib. de duabus naturis circa finem, & alij. quorum fundamentum erat, vt aduersarentur erroribus, qui fuerunt circa quamlibet ex istis substantiis. 16.

Sed hanc propositionem reprobant expressè Damascenus lib. 3. de Fide cap. 16. Paulinus Archilerensis in sacro Syllabo, & displicuit Benedicto 2. in confessione fidei Patrum Hispaniæ, vt constat ex Conciliis Toletano 4. & 15. sed non reprobatur ab his Patribus prędicta propositio tamquam falsa & contraria fidei, sed tamquam minùs propria, & quæ aliquam occasionem præbeat hæreticis: Primò, quia nomen *substantia* non solet significare naturam incompletam, sed completam in vsu Patrum: vnde communi vsu conceduntur in Christo ab ipsis duæ substantiæ, & vna hypostasis: quare concedendo tres substantias videntur inducere tres naturas. Secundò, quia numerando partes diuisim videmur significare, aut non fuisse inter se vnitas, aut non esse partes, & sic non liceret plures alias partes, videlicet integrales corporis humani Christi multiplicare, vt caput, manus, &c. quæ differunt essentialiter. 17.

Quare conuenientior loquendi modus est, vt concedamus alias tantùm substantias, sicut & duas naturas, licèt nullum sit inconueniens, quòd tres sub- 18.

substantias concedamus, dummodo loquamur cum addito, scilicet duas partiales vnam totalem naturam efficientes, & similiter tollitur ratio erroris, si dicendo tres substantias, illas expresse explicemus, dicendo personalitas, corpus, & anima.

QVÆSTIO IV.

An Verbum assumpserit partes integrantes, sanguinem, humores, & ea quæ tam ad ornatum, quàm ad naturæ necessitatem pertinent?

1. Regula communis & certa Theologorum est, Verbum diuinum omnes eas partes integrãtes assumpsisse, quæ veræ partes substantiales sunt corporis humani tam simpliciter necessariæ, & siue quibus consistere corpus non potest, vt caro, ossa, caput, cor, quàm secundùm quid, & ad perfectionem requisitæ, vt oculi, manus, pedes, &c. ita vt non solùm fuerint vnita corpori assumpto, sed etiam ipsum diuinum Verbum participauerint. Cuius ratio est, quia assumpsit verum corpus humanum; quare eatenus dubitari potest de his, quæ sũt in titulo quęstionis, an sint assumpta à Verbo, quatenus dubitatur an sint corporis humani partes.

2. Primò ergo dubitatur, an sanguis sit vera corporis pars? & consequenter an fuerit assumptus à Verbo? Circa quod prima sententia negat fuisse partem, & consequenter negat à Verbo diuino fuisse assumptum. ita Durandus in 4. d. 10. quæst. 1. Gabriel super canon. lectione 53. Ricard. in 3. d. 2. quæst. 1. allegatur Abulẽsis in paradoxa 2. c. 40. & 43. sed solùm negat sanguinem in triduo mansisse Verbo vnitum, anteà verò, & pòst, potiùs dicit oppositum. Probatur primò hæc sententia ratione physica, quia sanguis est alimentum aliarum partium, sed alimentum non est pars in actu, sed in potentia, vt fatentur Philosophi & Medici cum Aristotele lib. de partibus animalium cap. 3. ergo sanguis non est actualis pars corporis humani. Et confirmatur, quia sanguinem non informat anima; ergo non est humani corporis pars.

3. Deinde probatur rationibus theologicis, & sit secunda probatio in ordine, quia si sanguis esset pars & vnitus Verbo, sequeretur primò quòd cùm separatus fuit à corpore in triduo mortis, posset tunc dici, *Deus est sanguis, Deus est effusus*, per communicationem idiomatum; sicut dicitur, Deus est homo. Secundò sequeretur non esse verum illud axioma, *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*; nam in terris mansit aliquid sanguinis Christi post resurrectionem, quod probat Siluester in Rosa aurea quæstione 32. ex quadam epistola Pij Secundi missa ad Abbatem S. Mariæ Diœcesis Xantonensis, in qua approbat quamdam reliquiam sanguinis, quæ in illa Ecclesia colebatur; & Platina refert in Vita Leonis III. ipsum approbasse cultum alterius sanguinis, qui Mantuæ asseruabatur; & Nicephorus lib. 1. c. 30. refert B. Virginem, & B. Ioannem, dum assisterent Christo in cruce patienti, collegisse aliquid sanguinis eius, & conseruasse in vasculo; & idem Siluester in Rosa aurea tractatu 2. in sermone 2. feriæ 5. hebdomadæ resurrectionis refert se vidisse Marsiliæ in sepulcro Mariæ Magdalenæ terram sanguine permixtam in vase, quam traditio ferebat Magdalenam seruasse tempore passionis. Et Faber disp. 42. in fine ait, Venetiis in Conuentu Fratrum Minorum Conuentualium seruari ampullam vitream, in qua est balsamum, & vna gutta sanguinis, quæ fertur esse Christi, & ita rubicunda, ac si esset recenter emissa: hic autem omnis sanguis non potest esse Verbo hypostaticè vnitus, quia nihil est vnitum post resurrectionem, quod non sit in ipsa Christi humanitate; ergo sanguis non est pars corporis, nec vnitus Verbo.

Tertiò probatur vrgenter, quia illa est vera corporis pars, & vnitur Verbo, 4.
quæ per se significatur sub hoc nomine *corpus*: sed sanguis non significatur per se sub hoc nomine *corpus*; ergo. Maior est clara. Minor probatur, nam si sanguis per se significaretur à nomine *corpus*, poneretur per se, & ex vi verborum consecrationis panis; sed non ponitur per se, & ex vi verborum, sed concomitanter, vt tradit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. ergo non significatur per se, sicut significantur aliæ corporis partes.

Secunda

5. Secunda sententia distinguit in corpore duos sanguines, vnum nutrimentalem, & de hoc negat esse veram corporis partem propter rationes dictas; alium de veritate naturæ, qui est perfectè decoctus, & de hoc affirmat esse veram partem, & vnitum fuisse Verbo, reassumptumq; ab ipso in resurrectione. ita Caietanus, & alij vbi suprà, & hæc distinctio sanguinum desumpta est à S. Thoma quodlib. 5. art. 3. Siluestro loco allegato, qui vnum sanguinem, scilicet illum, qui est de veritate naturæ, asserunt fuisse necessariò reunitum; alterum verò non ita. Sed tam Philosophi & recentiores Theologi, quàm Medici non agnoscunt aliquam substantialem differentiam inter sanguines, quia neque loco, neque qualitate, neque officio potest hæc substantialis differentia notificari. quare non videtur admittenda, licet differentia accidentalis ratione quantitatis posset admitti; sed si vera esset talis differentia substantialis, libenti animo esset admittenda hæc sententia, quia per eam clara esset solutio ad argumenta prædicta.

6. Tertia certa & indubitata sententia affirmat sanguinem fuisse veram corporis partem, & consequenter verè hypostaticè vnitum Verbo. ita D. Thomas quodlib. 5. art. 5. & 3. p. quæst. 54. art. 2. Caietanus & Thomistæ ibidem, Capreolus in 4. d. 11. quæst. 1. art. 5. Sotus d. 10. quæst. 1. art. 2. Siluester in Rosa aurea tit. 3. quæst. 30. Turrecremata super capita inuitat de consecratione d. 2. Albertus Magnus tit. de Sacrificio Missæ. Noster Lyra super epist. ad Hebræos cap. 2. in illa verba, *quantò magis sanguis Christi*. Suarez disp. 15. sect. 6. Vasquez disp. 36. cap. 4. Lorca disp. 3. num. 22. Faber vbi suprà supponit Pytigian. in 3. d. 9. quæst. 1. art. 4. neq; in contrarium habet aliquid Scotus in 4. d. 10. quæst. 4. vel 2. parte distinctionis quæstione 2. vbi solùm distinguit partes corporis: Primò, vt animabiles per animam rationalem, quâ ratione disponitur per formam corporeitatis, vt sic enim est animabilis, in quo sensu negat sanguinem esse partem corporis, & hoc etiam negant Vasquez cap. 5. & alij Thomistæ, qui admittunt vnitum fuisse Verbo, licet non animetur, nec viuat. Secundò, vt partes sunt aliquid corporis, ipsumque componentes, seu vt corpus sumitur pro tota hominis materia, & vt sic admittit Scotus sanguinem esse partem: vnde non est contra ipsius mentem, quòd vt sic sanguis fuisset vnitus Verbo hypostaticè, sicut & aliæ corporis partes.

Hæc sententia probatur Primò ex Aristotele 1. de partibus animalium cap. 2. & 3. & lib. de Historia animalium cap. 19. vbi dicit sanguinem esse partem, sicut cerebrum & medullas, quod non solùm debet intelligi, quantùm ad consistentiam vitæ, sed etiam in ratione partis. Seneca lib. 2. quæstionum naturalium, Damasc. 2. de Fide cap. 12. hoc idem asserunt. Et confirmatur, quia omnium Philosophorum cōsensu compositio ex quatuor elementis intrinseca est homini; compositio autem ex quatuor humoribus, quorum vnus est sanguis respondet compositioni ex elementis; ergo. vnde homo appellatur *microcosmos*, id est mundus abbreuiatus, quia constat quatuor elementis, vel formaliter, vel virtualiter contentis. 7.

Secundò probatur ex sacra Scriptura, quæ sanguini Christi tribuit esse pretium nostræ redemptionis; ergo fuit Verbo vnitus ratione cuius vnionis posset habere valorem & efficacitatem in ratione pretij. Antecedens patet Matth. 26. *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Et 1. Ioan. 1. *Sanguis Christi filij eius emundat nos ab omni peccato*. Et Paulus ad Hebræos 9. *Quantò magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras*. 8

Neque obstat obiectio Vasquez, scilicet ex his testimoniis nō probari, quia cùm remissio facta sit per modum meriti, in quo conditio offerentis attenditur, non poterit sanguini Christi attribui, sed debere intelligi de ipso Christo effundente sanguinem, alias sudori & lacrymis Christi posset eodem modo attribui. Quia contrà benè obiicit Lorca, nā sanguis Cristi fuit pretium, sicut & humanitas. Vnde 1. Petri 1. dicitur, *Non incorruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati*; ergo non solùm est attendenda ratio meriti, & conditio offerentis, sed etiam ipsum pretium, quod fuit sanguis, licet vtrumque simul reperiatur, vel vt meliùs dicam, attendendus 9.

dendus est maior valor meriti ex ratione pretij voliti à Christo Domino solui; quare redemptio nostra dicitur facta per modum meriti, & per modum sacrificij, & veræ satisfactionis, in quibus res oblata, & eius valor attenditur, sudori autem & lacrymis non tribuitur in S. Scriptura redemptio, fortassis, quia sunt excrementa, & consequenter non sunt vnita Verbo.

10. Deinde alia sunt S. Scripturæ testimonia, in quibus aliquãdo sanguis significatur vt pars hominis, cùm per ipsum (per figurã Synedochen in qua sumitur pars pro toto) significatur homo Matthæi 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, id est homo. Et ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*, id est aduersus hominem. Aliquando verò significatur tamquam pars vnita Verbo ad Hebr. 2. *Quia pueri communicauerunt carni & sãguini, & ipse similiter participauit eisdem*. vbi eodem modo asserit participasse sanguinem & carnem, quo etiam modo loquuntur plures Patres Cyrillus anathematis. 5. & ep. 8. Nazianz. orat. 5.

11. Tertiò probatur efficacissimè ex duobus decretis Clemẽtis 6. primum habetur in Extrauag. *Vnigenitus de pœnitentiis & remissionibus*, vbi dicit vnam guttam sanguinis Christi fuisse sufficientem ad nostram redemptionem propter valorem, quem habuit ex vnione ad Verbũ. 2. habetur in Directorio inquisitorum 2. p. q. 10. (cuius meminit Siluester suprà q. 3. in quo præcipitur inquisitoribus Barchinoniæ, quòd damnent vt hereticam propositionem cuiusdam predicatoris, qui dixerat sanguinem non mansisse vnitum Verbo, & deificatum in triduo, qui & fecerunt illã propositionem retractare, & refert Siluester Pium II. confirmasse hoc decretum, sed circa veritatem huius decreti secundi, & circa historiam hanc legatur Dormilius Thadei in Nitela Franciscana à folio 443. vbi oppositum manifestè concluditur, & sic hoc argumentum ex primo Clementis decreto desumit suam vim.

12. Vnde quartò probatur ratione theologicã, quia secundùm Concilium Tridentinum vbi suprà sanguis Christi continetur sub speciebus panis per concomitantiam propter connexionem cum carne; sed si nõ esset pars corporis, nulla esset connexio, sicut nulla est connexio vestis, quam in cœna habebat corpus Christi, & cibi non digesti existentis in stomacho Christi, & excrementorum, quæ omnia non sunt in Sacramẽto aliquo modo; ergo. Et confirmatur primò, quia eâdem adoratione videtur debere adorari sanguis in calice, qui per se adoratur, cùm contineatur primò & per se sub speciebus vini, ac adoratur corpus Christi in hostia: sed hoc adoratur adoratione latriæ propter vnionem ad Verbum; ergo & sanguis propter eamdem rationem. Secundò confirmatur, quia omnes Theologi in 4. d. 44. affirmant sanguinem futurum esse in corporibus resurgentium; propterea quòd fuerit, quo membra in hac mortali vita fouebantur, spiritus vitales & animales elaborabantur, quibus potentiæ habiles reducuntur ad suas operationes, eratq; ad eas instrumentum generale: vnde Augustinus epistolâ 146. dicit fuisse in corpore Christi resurgentis; ergo quia est vera pars corporis.

Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum probare, quòd sanguis, ex eo quod est alimentum, non est pars viuens & animata, quia alimentum conuertitur per nutritionem substantialem in substantiam aliti, & alitum in præsenti est viuens; non verò probare, quòd non sit pars integralis, pertinens per se, & non accidentaliter ad hoc compositum corpus; neque intendo negare aliquam partem animatam non esse aliquando alimentum, quòd iterùm conuertatur in aliam substantiam aliti, quia ad hoc sufficit diuersitas in formis partialibus corporis, sed solùm quod ex natura sua non sit vt sit commune alimentum, sicut sanguis. 13.

Dices: Si in triduo consecraretur hostia, esset in illa corpus exangue, & consecratio esset eiusdem rationis, ac præsens; ergo sanguis non est per se pars corporis. Respondetur concedendo antecedens (quod est expressum apud Scotum vbi suprà) & negando consequentiam, quia corpus quod significatur per verba consecrationis, est illud quod verè est à parte rei, quando verba proferuntur, & sicut in triduo fuit exangue, ita antè & pòst fuit cum sanguine, qui sanguis est vera pars corporis vt viui, licèt non in se viua. 14.

Ad confirmationem respondeo magis 15.

gis

gis esse receptum à Philosophis & Theologis sanguinem non animari. ita tenet Scotus suprà §. *hic duo sunt videnda*, neque est necessarium quòd sit pars viuens, vt assumatur à Verbo, sufficit enim quòd sit pars per se corporis viui assumpti à Verbo.

16. Sed obiicies Primò Aristotelem lib. de Historia animalium cap. 19. vbi dicit, Sanguis, quando vita conseruatur; semper vnus animatur & feruet. Respondetur primò, quòd animatur, hoc est, continuè per nutritionem animatur, non tamen in se; secundò, quòd calor ab Aristotele 2. de partibus animalium cap. 7. vocatur anima animalis, quia viuificat membra eius, licèt ibi dicat potiùs esse animæ instrumentum, sicut ascia est instrumentum fabri, & calor est in sanguine, & in problematis sect. 28. quæst. 10. calorem vocat quasi animantem, & sic sanguis in sententia Aristotelis est animatus calore, non anima rationali.

17. Secundò obiicies, quia per emissionem sanguinis deliquium patitur homo, & moritur; ergo est pars animata. Præterea solâ imaginatione sanguis mouetur circa cor; ergo quia habet animam. Respõdetur ad primum, quòd moritur homo per emissionem sanguinis, quia est instrumentum vitæ, quo deficiente cessant operationes viuentis efficientis illas medio sanguine. Ad 2. quòd sanguis non mouetur à se, sed à partibus viuentibus immediatis, quæ imaginatione mouentur mediis spiritibus vitalibus, sicut si ab eisdem partibus foras emittuntur excrementa, licèt non sint partes viuentis, præcipuè propter timorem. Sanguinem non viuere ex eo patet, quia eadem forma substantialis & indiuisibilis, vt anima rationalis non potest informare partes discretas ab aliis partibus viuentibus, cum quibus nulla est continuatio, & sanguis est discretus. Præterea, quia aliàs sanguis extractus, & continuatus cum eo, qui est in venis, esset animatus, quod patet esse falsum, & tandem sanguis neque vegetatur per intus susceptionem, sed solùm per iuxta positionem, neque sentit, neque habet aliquem effectum vitæ; ergo non viuit.

18. Ad primum inconueniens secundæ rationis respondeo, quòd idiomata non communicantur secundùm partes naturæ: vnde non dicitur, *Verbum est anima*, vel *est corpus*; & sic non dicitur, *Est sanguis*, vel *est effusum*, sed communicatur secundùm totam naturam, quare dicitur; *Deus est homo*.

Ad 2. respondeo illud axioma debere intelligi, quòd ex his partibus in quibus saluatur ratio humanitatis numquam dimisit aliquam; benè tamen dimisit quamplures, quæ per decretionem deperduntur, sicut deperduntur à reliquis viuentibus; imò in triduo dimisit humanitatem, licèt non partes eius, & in circumcisione præputium; quare licèt in triduo sanguis emissus à Christo fuerit à Verbo vnitus, vt dicitur ex Clemente in illa extrauaganti, tamen in resurrectione potuit aliqua pars dimitti, & totus alius reuniri, quod videtur necessariò dicendum de eo sanguine, qui crucem, lãceam, & clauos intinxit, cuius hodie in illis extat vestigium, & fortassis poterit similiter dici de aliqua particula sanguinis ex his quæ adduximus in argumento, & ex aliis, licèt cõmunior sit antiquorum opinio, vt refert Syluester sanguines, qui venerãtur esse cuiusdam imaginis Saluatoris Berithi à Iudæis contumeliis eisdem affectæ ac fuit Christus Dominus; ex qua profluxit copia sanguinis seruati ab Episcopo in magna veneratione, & aliis Ecclesiis missi, & ex aliis imaginibus quas historiæ referunt. ita tenet S. Tho quęst. 14. art. 2. ad 3. & quodlibet 5. art. 5. secutus Athanasium in quodam sermone de passione imaginis Christi, vbi prædictam refert historiam, & in præsenti tenent similiter Recentiores. neq; contraria opinio est censenda vt erronea, vt Turrecremata volebat, sed potiùs standum est veritati historiæ suprà citatæ ex Nitela Frãciscana circa vnionem sanguinis cũ Verbo in triduo mortis Christi, vbi accuratissimè veritas facti manifestatur, & quod, & qualiter tenendum sit, ostẽditur. Neq; similiter est necessarium asserere id quod ait Vasquez, scilicet prędictos sanguines reliquisse esse substantialiter sanguines, & sic non esse Verbo vnitos, quia licèt hoc fortassis sit verum de aliquibus, non tamen de omnibus, cùm aliqui habeant verum sanguinis colorem. 19.

Ad tertium argumentum responde- 20.

tur non negari à Concilio ibi sanguinem esse partem, sed potiùs concedi, cùm dicat adesse in hostia per concomitantiam, quod solùm contingit in his, quæ partes sunt, sed sumit ibi corpus, prout abstrahit à mortuo & viuo, quia eisdem verbis posset consecrari in triduo, & est certum quòd sanguis non sit pars corporis mortui, quare sanguis vt diximus est per se pars corporis viui, non viua, non tamen corporis abstrahentis à viuo & mortuo.

21. Hoc quod resolutum est de sanguine, est similiter asserendum de aliis humoribus, scilicet de pituita, biliatra, & flaua; nam eodem modo, quo sanguis, ad corpus humanum pertinent: vnde cum corpore Christi resurrexerunt, vt inquit Augustinus epist. 146. & cum eo Siluester, Caietanus, & Recētiores alij relati, imò nomine sanguinis mixtio omnium humorum intelligenda est, humores enim si sunt in naturali dispositione cum sanguine permixti sunt, & cum eo diffusi in totum corpus, nam quando sunt à corpore separati potiùs sunt excrementa, in quo statu vocauit eos excrementa Aristoteles 4. de partibus animalium cap. 1. & 1. de generatione animalium cap. 18.

22. Idem censeo dicendum de spiritibus vitalibus & animalibus, quia multò magis necessarij sunt ad vitam, quàm sanguis. Idem similiter dico de rore & cambio, quæ sunt quidam sanguines cum diuersis, & fortassis substantialibus transmutationibus, vt fiant partes corporis viuentis propter eamdem rationem. Neque obstat quòd citò euanescant & amittant formas substantiales, quia sicut citò amittunt illas, ita citò amittunt vnionem ad Verbum. ita Vasquez cap. 7. contra Suarez sect. 7. & Lorcam n. 41. quorum fundamentum est, quia putant quòd generentur ex cibo, priusquàm sanguis. Sed hoc esse falsum, & priùs generari sanguinem; probat Vasquez ex Philosophis & Medicis: vnde Chilus, qui ante sanguinem generatur, non est Verbo vnitus, neque saliua & sudor, quia sunt excrementa; & ideò non sunt futura in corporibus gloriosis.

De his autem, quæ pertinent ad naturæ necessitatem, quales sunt dentes & vngues, aliqui censent quòd non sint partes integrantes, & consequenter non fuisse vnitas Verbo: sed nullo firmo nituntur fundamento. Ideò probabiliùs censeo quòd sint partes, imò & quòd informentur animâ, quia continuantur cum aliis partibus animatis, & crescunt more animalium per intus suceptionem, & consequenter quòd fuerint vnitæ Verbo. Et si dicas, Non sentiunt. Respondetur hoc idem esse de ossibus, vel fortassis sentiunt in remisso gradu. 23.

Maior est difficultas de his, quæ pertinent ad ornatum vt capilli, sed licèt non sint ita necessarij: Censeo dicendum etiam esse partes (quidquid sit an viuant, necne) & consequenter Verbo vnitas, reperiuntur enim ad debitam conseruationem aliarum partium, & ad pulchrum ornatum totius compositi, non secùs, ac folia respectu arboris: vnde certissimum est, quòd capilli sint futuri in corporibus gloriosis, quæ omnia videntur probari ab Ambrosio lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. & Athanasio epist. ad Epictetum, cuius meminit Epiphanius hæres. 77. in quantum (contra hæreticos asserentes, quòd diuinitas in Christo fuerit conuersa in carnem) inferebat sequi fuisse conuersa in vngues & capillos; ergo quia supponebant Verbum fuisse hypostaticè vnitum vnguibus & capillis. 24.

DIS-

DISPVTATIO VIII.
CIRCA ORDINEM, QVEM HABVIT VERBVM IN ASSVMPTIONE TOTIVS NATVRÆ HVMANÆ, ET IN ASSVMPTIONE SVARVM PARTIVM.

EXactis disputationibus de vnione hypostatica secundùm se ex parte Verbi terminantis, & naturæ terminatæ, venit agendum de ordine quem habuit Verbum medio ipso terminandi naturam, & partes; quare duo sunt in præsenti examinanda. 1. an fuerit aliquis ordo assumptionis inter totam naturam, & partes eius. 2. an priùs assumpserit vnam partem, quàm aliam, de quibus agit Scotus in 3. d. 2. quæst. 2.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm fuerit aliquis ordo assumptionis inter totam naturam, & partes eius?

1. 
SVPPONO Primò pro hac & sequenti quæstione; quòd si sermo sit de ordine temporis nullum fuisse ordinem inter assumptionem totius naturæ, & partium, quia in pluribus Conciliis definita est hæc propositio, humanitas Christi non priùs extitit, quàm assumpta fuisset à Verbo. ita definitur in Concilio Ephesino can. 13. & in epist. Cyrilli contra Nestorium approbata in Concilio Calcedonensi actione 1. vnde cùm partes sint de intrinseca ratione naturæ, consequens est quòd nullâ prioritate temporis possit assumi natura, quin assumantur partes.

2. Similiter nulla fuit prioritas temporis, in qua à Verbo assumerentur partes absque toto. Colligitur hæc veritas ex his, quæ contra Origenem definita sunt quintâ Synodo generali, & referuntur à Nicephoro lib. 7. cap. 27. & 28. à Leone 1. epistolâ 11. decretali ad Iulianum; asserebat enim Origenes lib. 1. Teriarchon, quòd animæ rationales fuerunt ab initio mūdi cum Angelis productæ, & propter earum demerita corporibus inclusæ; & de anima Christi dicit lib. 2. cap. 6. quòd ex eo quòd Deo adhæreret inseparabili charitate, meruit vt illi hypostaticè vniretur longè ante assumptionem corporis ex Virgine. Et ex canone 3. eiusdem Synodi colligitur dixisse carnem Christi formatam fuisse, & præcessisse antequam vniretur Verbo: definitur autem in dicto Concilio vtrumque esse falsum, scilicet quòd anima non priùs fuerit existens, quàm vniretur corpori & Verbo; & quòd corpus non fuerit priùs existens, quàm vniretur animæ & Verbo: quare quęstio hęc solùm procedit de prioritate naturæ, vel rationis.

3. Prima sententia solùm constituit ordinem rationis inter assumptionem naturæ & partium, & negat ordinem realem; itaque asserit simul, & semel, & secundùm naturam fuisse assumptas, sed secundùm rationem priùs fuisse naturam assumptam à Verbo, quàm partes propter duo. 1. propter dignitatem, quia hęc est maior in tota natura, quàm in qualibet eius parte. 6. in fine à Deo intento, quia ad redemptionem humani generis magis conducebat natura, quàm eius partes, & sic priùs à Deo fuit intenta, sed in tempore non fuit priùs executa. ita tenet Durandus in 3. dist. 2.

4. Secunda sententia non solùm constituit ordinem rationis, sed etiam realem naturæ, & asserit priùs natura fuisse partes à Verbo assumptas, quàm totum, & quòd mediis illis assumpserit totum. ita tenet Caiet. 3. p. q. 6. art. 1. 2. & 5. & tribuitur D. Thomæ art. 5. asserenti quòd licèt in intentione priùs à Deo fuerit tota natura humana assumpta, quàm partes, sed quòd in executione priùs assumpserit partes. referūtur pro ea Ricardus in 3. d. 2. art. 2. q. 1. Abulensis paradoxâ 2. cap. 42. Herbeus relatus à Capreolo in 2. d. 15. q. 1. art. 3. *§. ad illud quod tangitur.* amplectitur illam Suarez disp. 7. sect. 1. & 2. quia cùm sustineat partes in toto habere partiales subsistentias, ex quibus subsistentia totius componatur, ita consequenter dicit partes priùs fuisse à Verbo assumptas, quàm totū: vnde docet tres fuisse vniones, duas quibus duæ partes essentiales fuerunt Verbo vnitæ, & aliam quâ tota humanitas fuisset assumpta. Hæc sententia probatur primò ex Augustino lib. de Agone Christiano c. 18. vbi dicit: *Incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus, & sic demum totum hominem assumpsit;* ergo priùs assumpsit partes, quàm totum. Secundò probatur à Caietano, quia ordo resolutionis, seu decisionis indicat ordinem compositionis, seu inceptionis, illud enim quod in compositione fuit primum, in resolutione manet vltimum, sed in resolutione seu morte Christi partes vltimò manserunt vnitæ; ergo in compositione fuerunt vnitæ primò. Tertiò probatur, quia priùs natura existunt partes, quàm totum; ergo priùs fuerunt assumptæ. Neque obstat (inquit Caietanus) quòd in vnico temporis instanti fuerint tam totum, quàm partes assumptæ, quia si in vno temporis instanti Deus crearet Domum, priùs intelligitur fecisse fundamētum, quàm parietes.

5. Tertia & vera sententia loquitur cum distinctione, & ait, quòd dupliciter potest aliquid assumi. Primò vt medium *quod*, id est, quod verè & immediatè assumitur, & mediante ipso assumitur aliud, v. g. vas in quo portatur aqua, est medium *quod*, quia est quod in se assumitur, & medio ipso assumitur aqua, & in hoc sensu negat partes fuisse priùs assumptas à Verbo, quàm totum, sed potiùs è contrà, quia quod priùs fuit assumptum à Verbo, est totū constans ex partibus, & mediante ipso fuerunt assumptæ partes (quod priùs debet intelligi de prioritate rationis, non de prioritate reali, vt ait Durandus, & tenet Lorca disp. 33. n. 13.) Secundò potest aliquid assumi vt medium *quo*, id est, non quod verè & immediatè assumatur, sed quòd sit ratio, quare aliud assumatur, & iterùm subdiuiditur in medium *quo* ex necessitate naturæ, id est, quòd sit ratio orta solùm ex necessitate naturæ, quare aliud assumatur, & in medium *quo* ex congruentia, id est, quòd sit ratio orta solùm ex congruentia, quare aliud assumatur, & in hoc sensu partes fuerunt priùs assumptæ prioritate naturæ reali, quàm totum. Hæc sententia sic explicata deducitur manifestè ex Scoto vbi suprà quæst. 2. *§ ideò quantum.* Sequitur Capreolus vbi suprà, Lorca num. 11. quia tamen habet duas partes, sunt seorsim probandæ. Prima pars, scilicet quòd partes non sint priùs assumptæ, vt medium *quod*, sed potiùs totum.

Probatur Primò ratione Scoti, quia illud est primò assumptibile à Verbo, vt medium *quod* assumitur, quod est in se primò personabile; sed totum est primò personabile, & non partes in se; ergo. Maior probatur, quia Verbū suppleuit personalitatem creatam; ergo tunc suppleuit, quando personalitas creata deberet adesse. Minor probatur, quia ex dictis disp. 6. quęst. 5. partes non habent in toto propriam subsistentiam, sed potiùs subsistunt per subsistentiam totius. Et per hoc patet ad fundamentum Suarez, & ad aliud dubium, quod ab ipso inquiritur, scilicet an partes vt vnitæ assumantur, an verò ante vnionem? quia si non assumuntur, nisi mediante toto, vt vnitæ debent assumi. 6.

Secundò probatur, quia non videtur veritati, & dictis Conciliorum & Patrum consentaneum adstruere plures in Incarnatione vniones, quia in Symbolo fidei illam hoc modo confitemur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Incarnatio autem, quâ Deus factus est homo, requirit totam naturam, nam quęlibet pars seorsum non facit hominem. Insuper fides docet 7.

docet Incarnationem factam fuisse in plenitudine temporum, quando Christus ex Virgine conceptus est; ergo excludit omnem Incarnationem anteriorem.

8. Quod autem hæc prioritas, in qua totum est priùs à Verbo assumptum, quàm partes, sit rationis, & non realis; ex eo patet, quia totum intrinsecè & essentialiter includit partes, & nequit intelligi sine illis; ergo nequit intelligi quòd assumatur totum, quin eâdem indiuisibili assumptione assumantur partes. quare solùm poterit illis omnibus conuenire prioritas & posterioritas per distributionem accommodam intellectus applicantis personalitatem priùs composito, & deinde ratione illius partibus, & licèt totum realiter distinguatur non solùm à partibus disiunctis, sed etiam ab illis vt simul sumptis & vnitis, sed non vt vnificatis; vt explicui 1. physic. disp. 2. quæst. 3. tamen est quid posterius illis, & intrinsecè includit illas, & sic nequit subsistere, & personari absque illis.

9. Secunda pars, scilicet quòd partes sint priùs natura assumptæ, vt medium *quo* ex necessitate naturæ, quàm totum. Probatur facilè, quia illud est medium *quo* ex necessitate naturæ, quod non assumitur, sed solùm est causa, & ratio vt aliud assumatur, vel fiat assumptibile: sed partes sunt causæ vt compositum sit, ita sunt causæ vt sit personabile & assumptibile; ergo sunt medium *quo* ex necessitate naturæ, sed causa est prior prioritate reali naturæ suo effectu; ergo hac prioritate sunt partes vt medium *quo* priùs assumptæ, quàm totum.

10. Ad argumenta respődeo. Ad ea, quæ sunt Durandi, dico benè probare de medio *quod*, quia vt sic tota natura fuit priùs prioritate rationis assumpta, quàm partes, non prioritate reali, non tamen probare de medio *quo*, nam vt sic è contrario accidit, vt probatum est. Neque obstat, quòd fuerit vnica & indiuisibilis assumptio totius & partium, quia ordo non constituitur inter assumptiones ipsas, sed inter extrema assumpta, inter quæ vnum extremum dicimus priùs natura assumptum vt *quo*, quàm aliud.

11. Ad primum secundæ sententiæ ex verbis Augustini respondeo loqui de medio *quo* congruentiæ, vt dicam quæstione sequenti. Ad 2. dico ex ordine resolutionis non sumi efficax argumentum ad ordinem compositionis, præcipuè si vtraque sit miraculosa, quia potest fieri compositio vna simplici productione totius compositi. Præterea quia partes non fuerunt vltimatè vnitæ Verbo, quando separatæ sunt in morte à toto, sed potiùs tunc primò debuerunt vniri eâ vnione totali in suo genere, quæ partibus separatis semper debetur. Ad 3. respondet Lorca n. 15. negando partes priùs natura existere, quàm totum. Sed contrà, quia causa saltem hac prioritate est prior, quàm effectus, sed partes sunt causa totius; ergo. Quare respondeo secundò concedendo, quòd partes existunt priùs; ergo assumuntur priùs, distinguo, vt medium *quo* concedo, vt medium *quod* nego: quia sicut anima rationalis (inquit Scotus) est medium *quo*, seu ratione cuius homo sit risibilis, non ipsa est risibilis, sed quod est risibile est ipse homo, & non aduenit risibilitas vsquedum sit completa, & integra humanitas, ita licèt partes sint medium *quo*, homo sit subsistens, & priores natura illo, tamen non sunt in se priùs subsistentes, sed quod est subsistens est homo, cui non aduenit subsistentia, seu personalitas vsquedum sit completus in esse totali.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Verbum diuinum priùs assumpserit vnam partem, quàm aliam?

EX dictis in antecedenti quæstione manet probatum Verbum non assumpsisse priùs prioritate temporis vnam partem, quàm aliam, quia si omnes sunt assumptæ medio toto nulla fuit priùs alia assumpta. Similiter propter eamdem rationem manet probatum nullam fuisse assumptam priùs alterâ personalitate naturæ, vt medium *quod*, quia contra Suarez ostendimus partes non esse in se immediatè assumptibiles à Verbo, nisi post separationem ipsarum à toto. Restat ergo solùm difficultas in hac quæstione, an aliqua pars sit priùs à Verbo assumpta, quàm alia prioritate reali naturæ, vt medium *quo*. 1.

Huic quæstioni occasionem præbent aliqua dicta Conciliorum & Patrum, 2.

trum, nam Nazianzenus epist. 1. ad Cledonium expresse dicit carnem assumptam fuisse à Verbo mediâ animâ, quod etiam repetit in aliis locis, cuius sententiam imitatus est Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. & habetur in edicto fidei Constantini imperatoris, quod refertur & approbatur in 6. Synodo generali actione 18. & in epistola ad ipsum Imperatorem Leonis secundi, quam locutionem approbāt etiam omnes Scholastici cum Magistro 2. Sentent. cum alia locutione Augustini relata à nobis quæstione antecedenti dicentis quòd Verbum assumpserit carnem mediâ animâ, & animam medio spiritu. Alij Patres mediâ mente.

3. Durandus vbi suprà, sicut solùm admittit ordinem & prioritatem rationis inter totum & partes, ità solùm admittit ordinem & prioritatem rationis inter partes ipsas: vnde admittit & explicat prædictas locutiones, quòd anima sit prior carne secundùm rationem, quia intellectus considerat maiorem perfectionem, & dignitatem in ea, quàm in carne, & quia magis participat fructum redemptionis: propter quæ dico fuit priùs assumpta, sed non prioritate naturæ, quia omnium partium sicut & totius fuit vna & indiuisibilis assumptio.

4. Sed contrà, quia sic loquitur de anima vt medium *quod*, falsum, & contra se dicit, quia anima in se immediatè non priùs assumpta fuit, quàm caro; si loquatur de illa vt medium *quo*, parum dicit, quia anima fuit causa in genere causæ formalis, vt de facto assumeretur à Verbo caro, sicut & caro fuit causa in genere causæ materialis vt assumeretur anima, & sic anima fuit in illo genere prior prioritate naturæ reali, quàm corpus ex necessitate naturæ, & non solùm per intellectum. Insuper anima fuit causa congruentiæ vt assumeretur caro, quia licèt hæc sine anima posset assumi à Verbo, tamen non fuit congruum vt absque illa assumeretur, imò fuit necessarium supposità ordinatione & volūtate Dei, quā voluit satisfactionem Christi fieri per modum meriti, quia hoc nequit fieri absque libertate, & consequenter absque anima. quare partes priùs prioritate naturæ fuisse à Verbo assumptas vt medium necessarium, & congruum defenditur à Recentioribus, præcipuè Vasquez disp. 37. Lorca disp. 35. & deducitur clarè ex doctrina Scoti vbi suprà. quare propter prędicta est à nobis defendendum. Neque Durandus debet reprehendi à Vasquez cap. 5. quia ponit prioritatem dignitatis in anima, nam vt optimè probat Lorca contrarium asserere est contra D. Thomam, & contra rationem, quia sicut magis nobile est corpus animatum animâ rationali, quàm non animatum, ita maior est dignitas in anima vt assumatur à Verbo (non dico maior potentia obedientialis) quàm in corpore. Quare ad fundamentum Durandi respondeo sicut suprà, quòd licèt non sint plures assumptiones inter partes, sed vna solùm, tamen hic ordo, & prioritas non ponitur in assumptionibus, sed inter ea quæ assumuntur, inter quæ vna pars est medium quare alia assumatur, & sic est prior non vt medium *quod* assumitur, sed vt medium *quo*, seu vt ratio quare alia pars assumatur.

Hoc ipsum, quod diximus de hac locutione, Verbū assumpsit carnem mediâ animâ, est dicendum de alia locutione Augustini, Verbum assumpsit carnem mediâ animâ, & animam mediâ mente, seu spiritu. Solùm est difficultas quid veniat intelligendum per spiritum & mentem ad distinctionem animæ? Medina 3. p. q. 6. art. 2. Suarez ibidem, & disp. 17. sect. 4. dicunt nomine animæ intelligi ipsam substantiam animæ secundùm gradum vegetatiuum & sensitiuum; nomine autem spiritus aut mentis eamdem animam secūdùm gradum rationalitatis. Sed contrà, quia licèt hoc possit esse verum in sententia Scoti, quæ inter prædictos gradus admittit distinctionem formalem ex natura rei, tamen in eorum sententia, quæ solùm admittit distinctionem rationis, non potest esse verum, quia quod ex natura rei non est distinctum ab alio, quomodo poterit à parte rei esse medium in ordine ad illud. Vasquez disp. 38. c. 2. dicit nomine animæ intelligi ipsam substantiam animæ rationalis, & nomine mentis & spiritus potentiam intellectiuam. Sed contrà, quia si Verbum assumpsit animā medio spiritu, seu mēte; ergo priùs assumpsit mentem & spiritum, seu potentiam intellectiuam: sed 5.

in sententia Thomistarum potentia intellectiua, & aliæ potentiæ sunt accidentia; ergo priùs Verbum assumpsit accidentia animæ, quàm substantiam animæ, quod negant omnes, & meritò, non solùm de accidentibus supernaturalibus, quæ supponunt vnionem, quia dantur intuitu illius à Deo, sed etiam de naturalibus, quia priùs completur natura in esse substantiali, quàm in esse accidentali, & subsistentia pertinet ad complementum naturæ in esse substantiali: vnde accidentia potiùs assumuntur mediâ substantiâ, quàm è contrà.

6. Dices sufficere ad verificationem prædictæ locutionis, quòd anima sit vltimatè disposita ad recipiendam mentem. Sed contrà, quia hoc non est assumere animam mediâ mente, sed mediâ dispositione ad mentem. Præterea, Apollinaris, contra quem Patres proferunt prædictas locutiones, primò dixit Verbum deseruisse loco animæ. Contra quam propositionem Patres statuerunt primam propositionem supradictam, scilicet Verbum assumpsisse carnem mediâ animâ. Secundò dixit argumentorum vi oppressus, Verbum assumpsit carnem mediâ animâ, non tamen mediâ mente, seu spiritu. Contra quam propositionem statuerunt Patres hanc propositionem: Verbum assumpsit carnem mediâ animâ, & animam mediâ mente, seu spiritu. Sed si Apollinaris per animam intelligeret substantiam animæ rationalis, intelligeret animam dispositam ad habendam mentem, quia ex se est talis secundùm sententiam Thomistarum; ergo ad verificandam talem Patrum locutionem non sufficit quòd sit vltimatè disposita.

7. D. Thomas 3. p. q. 6. art. 2. ad 3. Caietanus, & communiter Expositores eius ibidem nomine animæ non intelligunt ipsam substantiam animæ, sed potentias inferiores, videlicet vegetatiuam & sensitiuam, & nomine spiritus & mentis intelligunt potentias superiores, scilicet intellectum & voluntatem. Sed contrà primò, quia si tales potentiæ in eorum sententia sunt accidentia, solùm assumuntur mediâ substantiâ animæ, & non è contrà. Secùdò quia Apollinaris non tam loquebatur de potentiis, quàm de ipsa substantia animæ, quia Patres illum impugnantes dicunt solam animam fuisse *medium inter diuinitatem corporisq́; crassitiem.* Præterea dicunt eam esse similiorem & propinquiorem diuinitati. Præterea mentem vnitam fuisse hypostaticè. Præterea quam vocant mentem, vocant etiam animam rationalem, quæ omnia de sola potentia non possunt verificari, vt benè probat Lorca num. 8. sed de ipsa substantia animæ rationalis, quamuis posteà approbet omnes prædictas explicationes.

Quare prior expositio Medinæ & Suarez approbatur tamquam verior à nobis, scilicet quòd nomine animæ intelligant substantiam animæ secundùm gradus vegetandi & sentiendi, & nomine spiritus & mentis ipsam substantiam animæ secundùm gradum rationalitatis, secundùm quem competit animæ, quòd sit spiritualis vt sic, & quòd habeat mentem seu intellectum; & hoc mihi persuadeo ex eo quòd Apollinaris primò intendebat auferre à Christo substantiam animæ, & loco ipsius ponere Verbum; posteà verò argumentis conuictus, confessus fuit substantiam animæ, sed ad vegetandum & sentiendum, non tamen ad intelligendum seu ratiocinandum: & hoc voluerunt Patres destruere, & adstruere quòd etiam habuerit substantiam animæ rationalis & discursiuæ, quare Verbum assumpsit animam secundùm inferiores gradus medio gradu superiori rationalitatis, id est, assumpsit substantiam animæ secundùm quod habet gradus inferiores, non sine substantia animæ secundùm quod habet gradus superiores ratiocinandi & volendi; inter quos gradus superiores & inferiores in eadem anima nulla intercedit physica prioritas. 8.

Dubium appendix an organizatio corporis Christi præcesserit tempore animationem eiusdem?

AD ordinem quo Verbum assumpsit partes humanitatis aliquo modo attinet explicatio huius dubij, quia si organizatio præcedit tempore animationem illius, & consequenter 9.

vnionem hypostaticam, sequitur quòd corpus Christi fuerit priùs in se subsistens, quàm assumeretur à Verbo. Insuper sequitur, quòd Virgo Maria non fuerit vera mater Christi. primum scilicet quòd fuisset in se subsistens priùs, patet, quia in illo tempore fuisset ens per se actualiter non communicatum. 2. scilicet quòd Virgo non fuerit mater Christi, patet, quia quælibet mater ex eo concurrit actiuè ad generationem hominis in sententia nostra probabiliori, quia suâ virtute educit formam corporeitatis, & quando sic educit statim corpus informatur animâ rationali, & sic fit homo. quare illa est vera Mater hominis, sed si organizatio (ad quam Virgo attingit) præcedit tempore animationem, & consequenter vnionem ad Verbum, solùm posset Virgo esse mater illius corporis, non verò Christi, qui includit integram humanitatem & vnionem ad Verbum; ergo non potest organizatio præcedere tempore animationem.

10. Ex alia parte vrget difficultas, quia organizatio includit motus locales, quibus sanguis, vel semen ducitur in matricem, vbi formatur corpus, & includit motus alterationis, quibus prædicta materia condensatur vt fiant ossa, cartilagines, &c. & rarefit vt fiant alia, scilicet caro; &c. sed motus non potest fieri in instanti, sed in tempore; ergo organizatio præcedit tempore animationem. Præterea, quia virtus creata non potest agere in instanti.

11. Ad explicationem huius D. Thomæ 3. p. q. 33. art. 1. distinguit in organizatione & congregationem sanguinis in matricem, & ipsam formationem corporis, quæ in receptione condensationis & raritatis consistit. primam dicit fieri in tempore, quia includit motum localem, de cuius ratione est successio temporis. secundam verò dicit fieri in instanti. Sed contrà quia etiam secunda includit motum, de cuius ratione est successio temporis.

12. Scotus verò in 3. d. 2. q. 3. distinguit vtrumque motum ab eductione formæ corporeitatis, per quam formaliter cõstituitur corpus in sua sententia, vel ab informatione animæ, per quam in sententia D. Thomæ. & de primo dicit, posse dici, quòd fuerit in tempore breuissimo, scilicet in illo, quo Virgo Maria pronuntiauit illa verba, *Ecce ancilla Domini*, &c. & similiter posse dici, quòd Deus suppleuerit vtrumque motum, ponens absque illo terminos motus, scilicet sanguinem in matricem, & partes densas & raras (in quibus Virgo non potuit concurrere, nisi fortè passiuè, si non est necesse ad hoc, quòd fiat per solam creationem sanguinis, & partium dispositarum, quia tunc neque passiuè) De secundo verò dicit, quòd necessariò fuit in instanti, sicut contingit naturaliter, quia eductio formæ substantialis corporeitatis semper fit in instanti, & ad hanc concurrisse Virginem naturaliter in quo instanti corpus informatur animâ, & vtrumque vnitur Verbo.

Quare Virgo dicitur vera mater Dei & Christi, & saluantur locutiones Conciliorum & Patrum, quæ magis vrgent in præsenti, & adducuntur à Suare tomo 2. supra 3. partem disp. 11. sect. 2. in quibus dicitur, quòd in eodem instanti fuit caro Christi concepta, animata, & vnita Verbo. ita docet 6. Synodus generalis actione 11. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 2. Basilius homil. 25. de humana Christi generatione, Fulgentius de fide ad primum cap. 18. 13.

Et per hoc patet ad argumenta in contrarium. Ad 1. negat, quòd corpus fuerit in se subsistens, quia in instanti in quo educta est forma corporeitatis, & fuit corpus, in illo fuit animatum & vnitum Verbo. Ad 2. quòd fuerit vera Mater Christi propter eamdem rationem, scilicet propter eductionem formæ corporeitatis in instanti quo fuit corpus animatum, & Verbo vnitum, siue suâ virtute præcesserint motus illi, siue non iuxta diuersas sententias probabiles. Ad 3. quòd virtus creata, licèt non possit supplere motus, & ponere terminos illorum, quia si hoc fortè fit, est solùm virtute diuinâ, tamen attingit naturaliter ad eductionem formæ substantialis, quia hæc semper fit in instanti, quidquid sit de dispositionibus antecedentibus. 14.

DISPVTATIO IX.

DE

CAVSIS INCARNATIONIS.

INcarnatio cùm sit actio necessariò debet habere causam efficientem, quæ scilicet potest esse multiplex, principalis, instrumentalis & dispositiua (quæ ab aliquibus reducitur ad materialem, quia disponit materiam; ab aliis verò ad efficientem, quia vero influxu producit suum effectum) & similiter moralis, quæ liberè & meritoriè influit. De quibus omnibus est agendum, quia de causa finali Incarnationis iam egimus disputatione 4. de materiali certum est quòd sit ipsa humanitas Christi, quæ est capax mutationis; de formali verò iam diximus, quòd si Incarnatio sumatur pro actione, pertinet ad diuersa prædicamenta iuxta qualitatem ipsius; si verò sumatur pro re acta, & quatenus vnio est, quòd dicat relationem extrinsecùs aduenientem de quibus omnibus, & de extremis huius relationis, seu respectus egimus per omnes antecedentes disputationes.

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam fuerit causa efficiens physica principalis Incarnationis, & an habuerit aliquam causam instrumentalem vel dispositiuam?

1. CONVENIVNT Scholastici cum D.Thoma 3. p. q. 3. art. 1. & Scoto in 3. dist. 5. §. *ad primam*, quòd causa efficiens physica principalis Incarnationis sit tota Trinitas, licèt hæc sententia non sit de fide, vt benè probat Lorca disputatione 18. numero 4. est tamen verissima, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & vnio relatiua est opus ad extra, vt contra Caietanum negantem aliquid interuenire inter naturam humanam, & personalitatem Verbi probauimus suprà. Prætereà tamquam certum apud omnes supponit Lorca ibidem, quòd virtus ad causandum hoc mysterium ita sit propria Trinitati, vt nulla creatura fuerit, vel esse potuerit causa illius, cuius ratio potest esse, quia vnio est supernaturalis, & quia per illam Verbum diuinum alligatur humanitati.

Sed sicut mihi videtur non repugnare rationi, neque esse contra mentem Scoti, sed potiùs ex ipsius doctrina deduci, quòd potest Deus aliquam creare creaturam, quæ habeat virtutem ad producendum aliquam formam substantialiter supernaturalem (non dico ad creandum, neque an talis creatura sit substantia vel accidens) sicut de facto datur causa secunda partialis supernaturali, v.g. lumen gloriæ, &c. cuius effectus non aduenit supernaturaliter tali causæ, quia respectu ipsius naturalissimus est, sed est supernaturalis propter insufficientiam virtutis aliarum causarum naturalium, ita non video esse oppositum rationi, neque Scoto posse dari aliquam creaturam de potentia Dei, quæ habeat virtutem ad producendum prædictam vnionem relatiuam, quæ non erit supernaturalis respectu illius, sed respectu virtutis insufficientis aliarum causarum spectantium ad ordinem vniuersi: vnde eius supernaturalitas non obstabit, sicut neque obstat ad hoc, quod effectus aliquis supernaturalis solùm habeat causam partialem, quæ minor est ad talem supernaturalitatem præstandam. 2.

3. Neque obstabit quòd alliget diuinum Verbum, quia hoc habet de facto ipsa vnio, quæ est creatura, & nulla est repugnantia, quòd sicut hoc habet hæc creatura formaliter, alia possit illud habere efficienter. ita arguit Scotus loquendo de charitate in 4. d. 1. quæst. 1. *§. ideò dici potest*; in fine verò, *sed ista rationes*, vbi dicit, quòd sicut charitas est formalis ratio acceptationis Dei, ita non est repugnãtia, quòd sit ratio effectiua. An verò hoc habuerit de facto Virgo Maria non disputo, licèt fatear hoc non esse necessarium vt conceperit & peperit Deum & hominem, & vt sit vera mater eius.

4. Circa 2. Suarez disp. 10. sect. 1. (cum quo aliqualiter consentit Lorca n. 7.) (scilicet quantum ad possibilitatem) censet aliquam creaturam potuisse esse instrumentum seu causam instrumentalem Incarnationis, imò & censet tamquam probabile sic se habuisse B. Virginem, quamuis hoc non sit necessarium vt verè fuerit Dei mater, & similiter se habuisse humanitatem Christi non ad primam vnionem, sed ad vniones partium, quas per nutritionem acquirebat, imò & ad vnionem totius, quæ reparata est in resurrectione. Quod probatur Primò ex Isichio hom. 2. de B. Virgine, quæ habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum, vbi eam vocat instrumentum Incarnationis. ex Ambrosio epist. 82. vbi dicit, *Per mulierem caro eiecta est de Paradiso, per Virginem tamen vnita est Deo*. Bernard. hom. 4. super *missus est*, & lib. 5. de Consideratione circa finem, vbi ait, Mariam fuisse illam Euangelij mulierem, quæ tria sata farinæ miscuit, ex quibus fermentata est vna massa, quia coniunxit tres substantias, animam, carnem, & Verbum.

5. Secundò probatur, quia creatura potest esse instrumentum physicum ad causandum aliquos effectus supernaturales, vt sunt Sacramenta in opinione Thomistarum; ergo similiter potest esse instrumentum ad producendum hunc effectum vnionis.

6. Tertiò, quia instrumentalis virtus creaturæ quodãmodo infinita est, quia non est naturalis potentia, sed obedientialis, cuius efficacia non mensuratur ex naturali perfectione creaturæ, sed ex infinita Dei omnipotentia; ergo poterit attingere hunc effectum, licèt supernaturalior sit reliquis.

Vera tamen sententia negat creaturam esse instrumentum physicum ad Incarnationem, & consequenter negat B. Virginem & humanitatem Christi sic se habuisse. Fundamentum est à priori, quia causa instrumentalis, vel est illa, quæ nullam virtutem habet in actu primo, & in esse quieto, sed solùm causat effectum in actu secundo per incompossibilitatem formalem, vt serra scindit lignum, quia eius durities sit incompossibilis cum quantitate ligni, & sic mota serra à principali motore expellit quantitatem à loco in quo est, vt habet Scotus in 3. d. 1. q. 5. *§. ad primam ergo* infrà litt. F, & nos docuimus 2. physic. disp. 4. quæst. 1. in quo sensu sumitur propriè causa instrumentalis, & vt sic nulla est creatura, vel potest intelligi, quæ habeat virtutem ad vnionem hypostaticam; vel causa instrumentalis est illa, quæ aliquam virtutem habet in actu primo, & in esse quieto, tamen non omnimodam & sufficientem, sed quæ indigeat compleri in actuali motione, & in actu secundo, in quo sensu sumitur ab aduersariis (& in sententia Scoti appellatur vera causa principalis partialis, quia sicut in actu secundo potest compleri, ita in actu primo, & in esse quieto completur per aliam concausam, siue inhærentem, siue assistentem) & vt sic fateor, quòd de potentia Dei possit intelligi aliqua creatura habens inchoatam virtutem ad vnionem, sicut dixi in principio quæstionis, quòd possit dari causa principalis Incarnationis, & consequenter B. Virginem & humanitatem Christi potuisse illam virtutem habere, nego tamen illam habuisse de facto. 7.

Ratio huius est, quia nullum est firmum fundamentum vt prædictam virtutem tribuamus alicui creaturæ, nec sufficit, vt benè ait Lorca num. 7. quòd appareat facere ad dignitatem Virginis & humanitatis Christi, nam multa ad id faciunt, quæ non conceduntur, v.g. quòd Virgo esset causa instrumentalis omnis gratiæ, quòd humanitas Christi esset instrumentum ad creationem omnium animarum, & sicut in Sacramento de facto non admittitur à Scoto in 4. d. 1. Vasquez disp. 25. quia in 8.

in illo nulla apparet virtus physica in actu primo respectu gratiæ, vel effectus gratiosi, imò nec de possibili omnibus permanentibus, sicut modò se habent, ita neque debemus admittere in nostro casu, quandoquidem absque tali superaddito est vera & perfectissima Mater Christi.

9. Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum prædictas locutiones Patrum non debere intelligi de vera causa instrumentali, cùm non loquerentur in rigore scholastico, sed pro tanto dici instrumentum Incarnationis pro quanto genuit, & concepit humanitatem, quæ Verbo vnita est, non tamen quia habuerit immediatam causalitatem in vnionem. Ad 2. respondetur quòd creatura non est, neque potest esse de potentia Dei causa instrumentalis ad effectum supernaturalem, si de causa propriè instrumentali, & in primo sensu supradicto loquamur: si verò loquamur in secundo sensu, iterùm distinguo de creatura, quæ de facto est, & vt sic nego quòd sit, vel possit esse causa instrumentalis, vel de creatura possibili; & vt sic concedo, quòd possit esse causa instrumentalis huius effectus supernaturalis, licèt magis propriè & veriùs debeat appellari causa principalis partialis, sicut intellectus respectu visionis beatificæ ad quam concurrit lumen supernaturale gloriæ. Ad 3. nego quòd virtus instrumentalis sit infinita, neque eius probatio placet, quia potentia obedientialis non est actiua, sed quòd sit actiua non solùm est attendendum ex omnipotentia Dei, sed etiam ex virtute innata, & capacitate creaturæ, quæ semper est finita, sed hoc nihil interest ad propositum.

10. Circa 3. Alexander 3. p. q. 7. memb. 1. art. 1. Gabriel in 3. d. 2. q. vnicâ, art. 2. Paludanus q. 2. art. 3. & videntur consentire D. Thom. q. 2. art. 2. quæstiunculâ 1. D. Bonau. art. 3. q. 2. & d. 18. art. 2. q. 1. affirmant de facto præcessisse ad vnionem hypostaticam in humanitate Christi prioritate naturæ gratiam habitualem ipsam adornantem & disponentem ad vnionem, quæ gratia adstruitur tamquam omnino necessaria ab Alexandro & Gabriele, ex eo quòd nulla natura est capax subsistẽtiæ Verbi, nisi quæ est capax gratiæ, quare hæc debet esse medium & dispositio. A Paludano verò, & ab aliis adstruitur non tamquam necessaria, sed tamquam congrua, ex eo quòd, quæ infinitè distant, vt natura humana & Verbum appropinquentur mediâ aliquâ dispositione, sicut propter eamdem rationem disponitur intellectus lumine gloriæ, vt possit attingere Deum.

Sed vera sententia docet nullam gratiam habitualem, aut aliam similem dispositionem præcessisse in natura humana Christi ante vnionem ad Verbum, neque ex necessitate, neque ex congruentia. ita Scotus in 3. d. 2. q. 2. *§. quantum ad 2. articulum principalem.* D. Thomas 3. p. q. 2. art. 10. & quest. 6. & 7. art. 13. vbi retractauit id quod suprà dixerat. Sequuntur Scotistæ & Thomistæ. Rada controuers. 4. art. 6. Faber disp. 9. cap. 5. Suarez disp. 10. sect. 2. Vasquez disp. 4. Lorca disp. 19. Et probatur Primò ratione Scoti, quia tunc fuit à Verbo natura humana personata, quando in se per creatam personalitatem deberet personari: sed ante receptionem cuiuscumque accidentis personatur natura, quia priùs perficitur in esse substantiali, quàm habeat perfectionem accidentalem; ergo nulla antecessit gratia, aut dispositio accidentalis ad vnionem. 11.

Et confirmatur, quia vt diximus ex Scoto disp. 4. natura humana Christi ordine intentionis fuit priùs prædestinata ad gloriam, posteà ad gratiam, & posteà ad vnionem hypostaticam; ergo ordine executionis priùs habuit vnionem hypostaticam, quàm gratiam, sicut gratiam priùs quàm gloriam. 12.

Secundò probatur ratione D. Thomæ, quia gratia vnionis pertinet ad esse Christum, gratia verò habitualis ad eius operationem; ergo prior est illa, quàm ista, quia priùs est esse, quàm operari. 13.

Ad fundamenta Aduersariorum respondetur. Ad primum Alexandri nego, quòd nulla alia natura sit capax subsistentiæ diuinæ præter eam, quæ est capax gratiæ, nam vt suprà latè dictum est disp. 7. etiam quælibet natura substantialis & irrationalis, quæ non est capax illius, potest assumi à Verbo. Ad 2. Paludani dico eodem modo manere distantia Verbum, & naturam humanam prout ornatam gratiâ, quare 14.

magis congruum est, quòd seruetur ordo diuinæ prouidētiæ in eo quòd priùs natura fiat persona, quàm grata Neque lumen gloriæ requiritur in intellectu vt dispositio ad Deum videndum, sed vt comprincipium requisitum vt possit videre.

15. Sententia autem nostra solùm debet intelligi de facto, quia de possibili reputo verum, quòd posset natura humana priùs existens ornari gratiâ, quàm vnione hypostatica, quia personalitas solùm est prior accidentibus secundùm ordinem naturæ, & ordinem non ita intrinsecum, vt sit ratio formalis, vel conditio essentialiter prærequisita, sed tantùm secundùm aptiorem ordinem naturæ.

QVÆSTIO II.

An humanitas Christi potuerit mereri substantiam Incarnationis?

1. IN præcedenti quæstione egimus de causis physicis Incarnationis. Nunc iam incipimus agere de causis moralibus, quæ agunt per meritum vel impetrationem. Et primò inquirimus de humanitate Christi, non de Christo, qui iam includit vnionem, de quo agemus in sequenti quæstione, sed de ipsa humanitate ante vnionem. Et titulus quæstionis procedit de possibili, quia de facto supposito cum communi sententia, quam Lorca disput. 20. reputat esse de fide, nullo modo illam meruisse. ita habet Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 15. & alibi sæpè, vbi probat nostram electionem ad gloriam, & ad gratiam esse sine meritis, sicut prædestinatio humanitatis Christi ad vnionem hypostaticam. Prætereà plures Patres nullam in humanitate Christi agnoscunt actionem nisi theandricam, id est Dei & hominis; ergo nullam, quæ non procedat ab humanitate vnita Verbo. Prætereà in rebus magni momenti, & quæ sunt supra naturam non est loquendum absq; sufficienti fundamento S. Scripturæ, vel Patrum: vnde etiam si oppositum fuisset possibile, non est asserendum fuisse de facto. Et ratio est, quia de facto tunc natura humana assumpta est à Verbo, quando fieret (si sibi relinqueretur) subsistens per subsistentiam creatam: sed priùs fieret subsistens, quàm operans, quia priora sunt, quæ pertinent ad esse substātiale, quàm ad accidentale; ergo de facto natura humana Christi non meruit vnionem.

2. Neque obstant aliquæ S. Scripturæ locutiones, vbi vnio hypostatica tribuitur meritis Christi, quæ non potuerunt esse, nisi sint humanitatis, vt patet ex psalmo 44. *Dilexisti Iustitiam*, &c. *propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ;* nam vnctio illa secūdùm plures Patres est qua natura humana sanctificata est diuinitate & supposito Verbi. Et ex Apocalypsi cap 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem.* quod etiam indicat Basilius homil. de humana Christi generatione, vbi ait de humanitate: *Digna fuit Vnigeniti diuinitati coniungi.* Respondetur enim, quòd in primis verbis, lex *propterea*, secundùm aliquos non denotat causam meritoriam, sed finalem, vt non sit sensus propter meritum iustitiæ vnxit te Deus; sed potiùs, *Ideò vnxit te Deus, & in hunc finem facta est vnctio, vt diligeres iustitiam*, &c. Secundùm alios verò licèt denotet causam meritoriam, tamen per nomen vnctionis non intelligunt vnionem, sed gaudium de exercitio regni, dominij in creaturas, victoriæ & triumphi contra hostes, &c. gaudium autem nomine olei solet in Scriptura significari, & in illo vngebantur Reges, quando eligebantur. In secundis verbis, ly *dignitas Agni*, vel non significat meritum, sed proportionem naturæ; vel si significat meritum, *accipere diuinitatem*, sumitur pro ostentatione ipsius. Basilius lege *digna* non accepit propriè, sed pro eo quod est decens & congruum, sicut domus dicitur digna, vt à Rege habitetur.

3. Difficultas ergo solùm procedit de possibili. Circa quam nota Primò, quòd si aliquod meritum est concedendum humanitati Christi in illo priori naturæ, quo est existens ante vnionem non esse concedendum operibus elicitis solùm ex viribus naturæ absque gratia, quia si propter improportionem non conceditur illis ratio meriti respectu primi auxilij, multò maiorem improportionem habebunt respectu vnionis hypostaticæ, quod debet intelligi attentâ prouidentiâ Dei, quæ de facto datur circa merita, non verò de po-

tentia

tentia Dei absoluta, quia tunc actum purè naturalem ex motiuo honesto elicitum posset Deus, vt condignè meritorium acceptare, vt diximus disputatione 2. quæstione 2.

4. Secundò est notandum nullâ prioritate temporis præcessisse humanitatem Christi ante vnionem ad Verbum, vt contra aliquos hæreticos statuimus disputatione 8. quæstione 1. sed solùm præcedere prioritate naturæ, in qua potest reperiri meritum, & in subsequenti præmium, nam ex communi sensu Philosophorum solùm quòd prioritate naturæ præcedat agens ad actionem, quæ statim potest præmiari.

5. Notandum est tertiò, quòd si in humanitate Christi daretur talis actio, siue procedens ex auxilio gratiæ, siue merè naturalis, non solùm posset esse meritoria de congruo vnionis hypostaticæ, sed etiam de condigno, quia vt latè diximus disputatione 2. & 3. acceptatio Dei addit valorem & dignitatem merito de se non æquali, & constituit proportionem cum præmio.

6. Circa hanc difficultatem duplex est sententia: Prima negat posse naturam humanam Christi adhuc de potentia Dei mereri suam vnionem hypostaticam. est communis apud Thomistas. Et probatur primò à Caietano super 3. partem quæstione 2. art. 11. quia actiones sunt suppositorum, sed humanitas ante vnionem non est suppositum; ergo nullam potest habere actionem, ac per consequens nullum meritum. Secundò probat Vasquez disputatione 21. cap. 8. quia gratia humanitatis, quâ mereretur, vel esset illi data intuitu vnionis, & sic iam vnio deberet præcedere; vel ex affectu adoptionis, & sic iam humanitas Christi esset filia Dei adoptiua, & non naturalis, quod est falsum. Tertiò probat Faber in 3. disp. 44. cap. 5. quia non potest natura humana existere in rerum natura, quin sit suppositata; ergo neque potest operari absque supposito. Præterea, quia prius est esse, quàm operari, subsistentia autem pertinet ad esse.

7. Secunda sententia per oppositum affirmat naturam humanã Christi posse de potentia Dei mereri suam vnionem hypostaticam. tribuitur Caietano vbi suprà, & similiter possent defendere, qui antecedenti quæstione dixerant humanitatem Christi præcessisse ad vnionem per gratiam habitualem dispositam, quia consequenter possent asserere præcessisse cum merito. quare sicut ibi in fine quæstionis confessi sumus illud fuisse possibile de potentia Dei, ita in præsenti fatemur hoc non repugnare. Et probatur Primò ex Aristotele 1. Metaphys. vbi ait, quòd actiones sunt singularium: sed natura humana Christi ante vnionem esset singularis; ergo.

Secundò probatur, quia humanitas tunc non consideratur in abstracto metaphysico (vt quidam putat) aliàs tantùm esset natura specifica, sed in concreto, quatenus concernit singularitatem, sicut accidẽtia separata à subiecto in Eucharistia, quæ solùm sunt abstracta abstracto physico; ergo sicut hæc accidentia exercere possunt suas actiones, ita illa natura humana singularis poterit exercere suas actiones & operationes, præcipuè eas quæ fiunt per intellectum & voluntatem, & consequenter mereri præmium vnionis hypostaticæ à Deo stabilitum in tali casu: vnde non solùm reperiretur agens vt *quo*, id est ratio agendi, sed etiam agens vt *quod*, licèt non vltimatè completum, quale est singulare non subsistens. 8.

Tertiò probatur, quia id est concedendum Dei potentiæ, quod non implicat contradictionem, sed in hoc nulla est implicatio, vt patebit ex solutione argumentorum; ergo, &c. 9.

Ad argumenta respondetur. Ad primum, quòd actiones sunt suppositorum de lege ordinaria, quia secundùm leges naturæ natura priùs constituitur in esse completo substantiali, quàm exerceat aliquam operationem; non tamen de potentia Dei, quia subsistentia non est principium essentialiter influens, neq; conditio essentialiter requisita, sed tantùm naturaliter (in quo sensu debent accipi omnia, quæ adducuntur à Lorca num. 13. ex Arist. 1. de anima textu 64. & ex Damasc. lib. 3. de Fide cap. 15. & lib. 4. cap. 7.) quare adhuc illa ablata poterit natura operari, & reperietur in illa agens vt *quo*, & vt *quod* incompletum, inadæquatum, vt probauimus. Neque consideratur tunc natura purè in abstracto, quia vt sic equinitas tantùm est equinitas, non tamen operans, sed 10.

sed aliqualiter in concreto, licèt non vltimatè.

11. Neque obstat primò, quòd Ioannes Theologus in Concilio Florentino sessione 18. dicat, quòd diuina Essentia non generat, bene tamen Pater, quia actiones sunt suppositorum. Respondetur enim loqui secundùm ipsius sententiam, quæ admittebatur fortè ab Aduersariis, scilicet à Græcis, cum quibus disputabat. quare ratio prædictæ veritatis est, quia si Essentia generaret inter Filium genitum, & Essentiam generantem esset relationis oppositio, & per consequens Essentia & Filius realiter distinguerentur, sicut Pater & Filius distinguuntur.

12. Neque obstat secundò, quòd sublatâ prædictâ propositione, scilicet *actiones sunt suppositorum*, primò auferretur valor infinitus operibus Christi Domini, quia illum participant à supposito. Respondetur enim quòd in casu nostræ quæstionis actiones humanitatis non haberent valorem infinitum, sicut habent illæ de facto, in quibus influit suppositum, quæ influentia, vt latè diximus disputatione 3. non est physica, sed moralis, pro quanto procedunt à tali, vel à tali persona: vnde tunc indigerent acceptatione Dei, vt æquiualerent præmio vnionis. Secundò auferretur quòd Virgo Maria esset mater Dei, quia si generatio solùm terminatur ad naturam, & non ad Deum, solùm esset mater naturæ, non Dei. Respondeo etiam: Generatio hominis non terminatur ad animam rationalem, quia hæc à solo Deo creatur, & tamen homo generat hominem, quia generat substantiam constantem animâ rationali, & dispositam ad illam, ita licèt Virgo Maria non attingat suâ actione, nisi ad solam humanitatem singularem, quia tamen talis humanitas genita est, vt petens subsistentiam vltimatam, quam Deus seipso præstare voluit, ideò verè dicitur genuisse Deum, & sicut homo generat hominem, licèt non generet subsistentiam, ita Virgo generat hominem Deum, licèt non generet Deitatem: vnde benè explicari possunt prædicta mysteria absque tali propositione.

13. Ad 2. argumentum respondeo, quòd prædicta gratia, data humanitati in illo casu, potuit dari intuitu vnionis hypostaticæ, tamquam propter finem motiuum, qui licet præcedat in intentione, non tamen in executione, & potuit dari ex affectu adoptionis, quia non repugnat quòd Christus secundùm humanitatem sit Filius Dei adoptiuus, vt infrà dicemus. Præterquam quòd tunc non consideratur vt Christus, sed tantùm vt humanitas Christi.

Ad 3. quod est Fabri, respondeo primò quòd in præsenti solùm consideramus humanitatem in illa prioritate naturæ, quâ antecedit ad vnionem, & tunc neque est persona, nec non persona, sicut humanitas in prioritate naturæ neque est risibilis, nec non risibilis. Secundò, quòd si loquamur de humanitate vt de potentia Dei potest præcedere prioritate temporis ante vnionem, non potest non esse suppositata, si ratio suppositalitatis consistat in negatiuo, si autem consistat in positiuo, vtrumque dici probabiliter, & si non supponitaretur, nihilominùs posset operari. Ad illud, quod dicit, quòd priùs est esse, quàm operari; ergo prior subsistentia, quàm operatio. Respondetur antecedens omnino esse verum, consequens verò solùm esse verum naturaliter, & secundùm congruam dispositionem, quam habent ea, quæ reperiuntur in natura, non verò secundùm potentiam Dei, quia subsistentia non est intrinseca naturæ, neque conditio essentialis ad operationem. 14.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Christus meruerit, aut mereri potuerit substantiam Incarnationis?

IN præcedenti quæstione locuti fuimus de merito humanitatis Christi ante vnionem, nunc verò loquimur de ipso post vnionem, quare notanter diximus in titulo quæstionis, vtrùm Christus, qui dicit humanitatem iam vnitam, & quantum ad primam partem, scilicet an meruerit de facto Incarnationem; conueniunt omnes, Christum non meruisse suam vnionem hypostaticam. Fundamentum est, quia vnio hypostatica fuit principium valoris infiniti, quem opera Christi habebant; ergo talia opera non poterant talem vnionem 1.

nem mereri, patet consequentia, quia secundùm omnes principium meriti non potest cadere sub merito, aliàs homo posset mereri suam iustificationem, & similiter primum auxilium, quod est absurdum. Et confirmatur, quia in his, quæ à diuina solùm voluntate dependent, nil certum possumus affirmare, nisi sufficienti confirmetur auctoritate, & nullam in præsenti habemus ad affirmandum oppositum, imò Augustinus locis citatis in præcedenti quæstione negat absolutè respectu Incarnationis aliquod in humanitate præcessisse meritum; ergo multò minus in humanitate iam vnita, si autem aliqua in contrarium possint obiici ibidem soluimus.

2. Licèt autem Christus non meruerit substantiam Incarnationis, benè tamen meruit de cõdigno illam restaurare per resurrectionem, & similiter meruit partiales incarnationes, quæ per nutritionem quotidianam fiebant, nam eodem passu, quo alimentum in propriam humanitatem Christi substantiam conuertebatur, vniebatur diuino supposito, sicut & præexistens substantia. Fundamentum huius est, quia opera Christi Domini habebant valorem infinitum syncathegorematicè; ergo poterant mereri omne præmium Christo possibile, & congruum sibi dari, sed tam resurrectio, quàm omnis partialis incarnatio poterat dari illi in præmium, & aliàs cõsentaneum est, quòd de facto illud adeptus fuisset; ergo illas meruit. ita tenet Suarez disp. 10. sect. 4. Neque obstat, si dicas, quòd restauratio vnionis habita per resurrectionẽ debebatur ex vi primi decreti, quo humanitas Christi prædestinata est ad vnionem hypostaticam sibi coæuam, & sic independenter à meritis. Respõdetur enim, quòd ordine intẽtionis solùm gratia, & gloria fuit animæ Christi prædestinata vt coæua, vt videri potest apud Scotum in 3. d. 7. q. 3. non verò vnio hypostatica humanitati, aliàs in triduo non esset dissoluta humanitas, vt perseueraret vnita, quod patet esse contra fidem, quandoquidem Christus verè mortuus est, quare licèt partes verè fuissent in triduo vnitæ, & ipsis coæua fuerit vnio hypostatica, non tamen humanitati, quæ dicit totũ compositũ ex prędictis partibus, & sic quòd eius vnio per resurrectionem restauraretur, benè potuit à Christo promereri.

Circa quæstionem de possibili Suarez disp. 10. sect. 4. loquitur cum distinctione, & ait, quòd Incarnatio & potest sumi in intentione secundùm quam à Deo est prædestinata, & in executione vt in tempore, & in re posita est, & executa. Si primo modo sumatur Incarnatio non potuit mereri à Christo, benè tamen in secundo, & quidem quantum ad primum ex eo probat, quia ante primum decretum, quo hypostatica vnio est intenta, nõ præsupponebatur Christus, neque præsupponebantur eius merita in esse existentiæ, sed solùm in statu possibilitatis, vel conditionato; ergo neque præsupponebatur causa physica (scilicet Christus) quæ mereretur, neque causa moralis, scilicet merita, quibus mereretur præmium. patet consequentia, quia in præmium existens non possunt influere realiter causæ non existentes, vt est apud omnes manifestum. Quantum ad secundum ex eo probat, quia Christus, & eius merita pręcedunt vt futura per decretum intentionis, & præuisa scientia visionis à Deo ante executionem Incarnationis; ergo potuerunt in illam influere. patet consequentia, quia non aliter influxerunt merita Christi in gratiam antiquis Patribus collatam, nisi vt pręuisa in intentione futura, non in executione. quod totum confirmatur duplici exemplo, primò quia ex communi doctrina prędestinatio nostra in intentione est facta ante præuisionem meritorum, & in executione ab illis dependet, ita contingit in Incarnatione. 2. dux militi potest dare equum, & arma per modũ anticipatę solutionis in pręmium eorum, quæ, vtens armis, & equo strenuè acturus est in militia, ita Deus potest dare executionem Incarnationis Christo per modũ anticipatæ solutionis eorum, quæ cũ ipsa Incarnatione & eius meritis strenuè postea erit acturus. 3.

Contraria verò sententia est cõmunis & vera, & affirmat absque distinctione quòd Incarnatio Christi non potuit adhuc de potentia Dei mereri à Christo; non solùm in intentione, sed neque in executione. ita tenet Vasquez disp. 21. cap. 5. & 6. Lorca disp. 20. n. 33. Et probatur primò ex Aug. vbi sup. in antreced. quæstione, & præcipuè in Enchiridio cap. 4.

cap. 26. & serm. 8. de Verbis Apostoli, vbi ex eo probat non potuisse hominem Christum mereri suam Incarnationem, quia homo Christus priùs tempore fuit, quàm eius meritum: quæ ratio non valeret, si in intentione posset mereri executionem. Secundò probatur, quia, vt obiicit Vasquez, si hoc esset verum, non relinquitur firmum fundamentũ, quare Christus de facto illam non meruerit, cùm hoc non minùs conducat ad excellentiam meritorum Christi, quàm quòd meruerit incarnationem in resurrectione, & incarnationes partiales in nutritione, ad quas piè credit Suarez, merita Christi esse à Deo ordinata, tamquam ad præmium. Omitto aliam impugnationem Vasquez, scilicet quòd non dentur diuersi ordines intentionis & executionis in decretis Dei, quia hoc supponimus ex sæpè sæpiùs dictis esse falsum.

5. Tertiò probatur à priori, quia principium meriti non potest cadere sub merito, sed Incarnatio Christi non quomodocumque, sed vt est executa, est principium meritorum Christi; ergo non potuit cadere sub illis. Maiorem probo, quia aliàs duo essent sibi ad inuicem causæ, & consequenter idem esset causa suiipsius, quia v. g. si ego possem esse causa Patris mei, qui fuit causa, vt ego existerem, ego fuissem causa meiipsius; ita similiter si illud quod est per se principium meriti in genere causæ efficiẽtis moralis in eodem genere causæ posset causari à merito, idem esset causa suiipsius. Minor probatur, quia vnio hypostatica vt intenta (hoc est vt decreta decreto intentionis) solùm dedit valorem meritis Christi vt intentis: sed merita Christi vt intẽta non habent valorem, quia sunt (& in genere causæ efficiẽtis, in quo genere deberent illum habere) sed solùm habent valorem vt sint (seu in genere causæ finalis) ergo Incarnatio non quomodocumque, sed vt executa, est principium meritorum Christi. patet consequentia, quia merita Christi, sicut & cuiuslibet alterius iusti, solùm habent ex parte merentis executionem causalitatem efficientem: causa autem efficiens tantùm influit, quando iam est, vel in actu, si effectus est realis, vel in apprehẽsione, & pręscientia, quæ supponat actualitatem realem, saltem pro sua temporis differentia, si effectus est moralis; ergo quòd Deus præmiet prædicta merita (quod est effectus moralis) supponit pręsciẽtiam meritorum, seu scientiam visionis meritorum pro sua temporis differentia existentium, quæ habeant valorem in actu participatum ab vnione in actu, & non ab vnione hypostatica in intentione.

6. Vnde non valet solutio Suarez, quâ cõmuniter vtitur in argumentis, quòd principium meriti nõ potest cadere sub merito in eodem statu, benè tamen in diuersis, v. g. merita in intentione non possunt mereri vnionem in intentione, neq; merita in executione vnionem in executione, benè tamen potuisse mereri merita in intentione vnionem in executione, quia sunt diuersi status. Nam contrà est, quia si merita in intentione non exercent causalitatem meritorum, quæ est causalitas causæ efficientis, sed solùm exercent in executione, habemus intentum contra ipsum.

7. Omnia prædicta cõfirmantur exemplo, quia licèt à medico intẽdatur potio amara propter sanitatem, & emissio sanguinis propter potionem amaram, tamen in illo statu sanitas & potio amara non respiciuntur à medico; quia sunt, sed vt sint; nam vt sit sanitas, intendit potionem amaram; & vt sit conueniens potio amara, intendit emissionem sanguinis; ita eodem modo, licèt ordine intentionis propter suam gloriam manifestandam intendat Deus gloriam, gratiam, & infinita merita Christi, & propter merita intendat vnionem, non poterunt merita vt sic influere, quia sunt, quia tunc solùm respiciuntur à Deo vt sint. quare circa illa verba Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, notarunt Hieronymus & Augustinus, & Concilium Arausican. 2. can. 27. D. Paulum non dixisse, *quia eramus sancti*, sed *vt essemus sancti*, vt sic aduerteretur, & notaretur sanctitatem nostram non fuisse causam meritoriam nostræ electionis, quia hoc denotaretur per particulam, *quia eramus*, sed solùm fuisse causam finalem, quæ denotatur per particulam, *vt essemus*.

8. Ex quo etiam infertur, quòd neque potuit dari vnio hypostatica per modum anticipatæ solutionis, vt secundò respon-

respondet Suarez, quia contrà est; nam ad hoc etiam requiritur, quòd merita præuideantur, quia sunt, hoc est vt diximus in genere causæ efficientis moralis.

9. Sed dices: Merita Christi in intentione iam sunt, quia sunt efficaciter volita à Deo, & vt sic sunt obiectum diuinæ visionis, quæ supponit existentiam obiecti; ergo influunt, quia sunt. Respõdetur quòd ordo intentionis diuersus est ab ordine executionis secundùm cõmuniorem sententiam, quam tenet ipse Suarez: sed hęc diuersitas (siue sit rationis, siue sit realis) non potest esse alia, nisi quòd decretum intentionis solùm prętet futuritionem, & existẽtiam virtualem, pro quanto ex vi illius decreti Deus tenetur habere aliud decretum executiuum actualitatis, & decretum executionis prętat, seu respicit ipsam actualitatem & existentiam, aliàs non essent hi duo ordines multiplicãdi; ergo vsquedum accedat decretum executionis circa merita, non poterunt influere, quia sunt: nam vt sic requirunt existentiam, & actualitatem formalem, sed ad hoc decretum executionis circa merita, iam pręcedit decretum executionis circa vnionem, vt patet; ergo nullo modo influunt in illam, quia sunt. Nam merita, & omnia alia, prout concipiuntur ordine intentionis, non habent esse reale actuale formale, quia hoc habent à decreto executionis, sed solùm habent esse virtuale & intentionale, seu esse volitum à diuina voluntate, vel habent esse in actu signato (vt aliqui explicant) non tamen in actu exercito, & vt sic etiam cognoscuntur à diuina visione, quatenus habent virtualem existentiam intentionalem, & quasi in actu signato, vel habent actum entitatiuum, seu in esse Entis, non tamen habent actum existentialem, seu productionis extra causas, sed sine hoc non operantur, quia sunt, aliàs aliquod creatum verè esset, & non extra causas, quod est falsum.

10. Tertiò probatur, quia intẽtio efficax infert executionem efficacem; ergo intentio efficax gratuita infert saltem aliquam executionem gratuitã, sed Deus ordine intentionis efficaciter, & gratuitò intẽdit vnionem hypostaticam; ergo & in executione. Et confirmatur exemplo, quia ex hac doctrina cõmuniter colligitur, quòd ex eo quòd Deus efficaciter & gratuitò intendit dare gloriam prædestinatis, dat in executione gratuitò primam vocationem efficacem; ergo similiter in nostro casu, cùm vnio hypostatica sit primum quod in executione datur, debet dari gratis, & non ex meritis. Respondet Suarez nullum esse incõueniens prędestinatos posse mereri primam vocationem. Sed contrà putant communiter Auctores, nam aliàs hoc posset esse euasio Pelagianorum & Semipelagianorum, nam possent dicere quòd possemus mereri per merita subsequentia primam vocationem, & sic licèt hæc sit necessaria, tamen non dari nobis gratis, sed ex nostris meritis iam præuisis, quod impugnant Ecclesiæ Patres, qui licèt loquantur de meritis antecedentibus, tamen hoc est, quia non veniebant in mentem merita subsequentia, vtpote impossibilia ad exercendum causalitatem efficientem.

Ad argumentum Suarez respõdetur, quòd licèt merita Christi futura pręcedant in intentione ad vnionem hypostaticam in executione, tamen non præcedunt cum actualitate, & existentia formali, & in actu exercito, sed virtuali, & in actu signato quòd non sufficit vt probauimus, ad hoc vt possint influere per modum causæ efficientis. Ad probationem consequentiæ dico, quòd merita Christi influxerunt in gratiam antiquis Patribus collatam antequam existerent merita in sua temporis differentia, non tamen antequam prędeuiderentur à Deo, vt determinata non solùm per decretum intẽtionis, sed etiam per decretum executionis, vt enim diximus disput. 4. q. 1. ordo executionis immediatus est ad ordinem intentionis, & vterque antecessit ad decretum cõferendi gratiam primis parentibus ex meritis Christi. 11.

Ad exempla respõdetur. Ad primum quòd nostra prędestinatio dependet in executione à meritis, non solùm intentis, sed etiam executis, & sic exemplum non est ad propositum. Ad 2. dico, quòd in donatione equi & armorum sũt duo consideranda. 1. substantia ipsorum. 2 relatio dominij, quam acquirit miles. primum influit efficiẽter in pugnam, & pugna non influit meritoriè in substantiam equi & armorum, sed in secũdum, 12.

 scilicet

scilicet in relationem dominij, quæ non est causa per se pugnæ, sed per accidens omnino: vnde potest dari prædicta relatio per modum anticipatæ solutionis, ab eo, qui possit præuidere merita vt executa (saltem coniecturaliter) antequam sint; at verò merita Christi non per accidens, sed per se deberent influere in substantiam Incarnationis secundùm Suarez: vnde duo essent sibi ad inuicem causæ, & consequenter vnum esset causa suiipsius, vt suprà explicuimus, quod est falsum.

13. Sed inquires pro maiori claritate huius quæstionis, supposito quòd merita Christi vel hominis iusti aliquando influunt in genere causæ finalis, & aliquando in genere causæ efficientis, quâ ratione distinguantur hi duo modi influendi in ipsis meritis, vt sic clariùs constet quòd merita Christi accepta ordine intentionis non potuerunt mereri substantiam Incarnationis. Et respondeo quòd quando merita influunt in genere causæ finalis, non influunt in aliquid tamquam in præmium, quia cùm solùm moueant voluntatem Dei, vt ipsamet merita habeant esse, non postulant vt aliquid sibi detur in præmium, sed tantùm postulant id vt sit eorum principium, & causa dans illis esse, quare postulant quòd detur voluntas in actu primo libera, dignificata per gratiam, & per personam diuinam, si sint valoris infiniti, & quòd hæc habeat obiectum honestum debitè circumstantionatum, quæ sunt principia, quæ dant esse merito, non tamen præmia ipsius; at verò quando influunt in genere causæ efficientis, non fluunt in aliquid, tamquam in retributionem seu præmium, quia non postulant illud vt ipsa merita sint, sed quia ipsa merita sunt, vnde id quod postulant non se habet tamquam principium, sed tamquam effectus, & sic licèt vtrobique moueatur volũtas Dei ad aliquid agendum amore, seu gratia ipsorum meritorum, sed non eodem modo, vt patet ex dictis, sed in genere causæ finalis, vt sint ipsa, vult esse alia; in genere causæ efficientis, quia sunt propter ipsa, vult esse alia per modum præmij & retributionis: quâ ratione non voluit Deus vnionem hypostaticam, quando ordine intentionis voluit Deus quòd darentur merita Christi infiniti valoris; & vt hęc talia essent, voluit esse vnionem hypostaticam, quia non per modum præmij, sed per modum principij voluit esse ipsam, & sic merita non influxerunt in genere causæ meritoriæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm antiqui Patres meruerint, vel mereri potuerint substantiam Incarnationis?

1. QVantum ad quæstionem de facto Patres antiqui, qui præcesserunt aduentum Christi, non meruerunt substantiam Incarnationis. Cuius ratio est, quia cùm Christus sit omnium caput morale & redemptor, nulla fuit gratia requisita ad meritum, quæ non proueniret ab illo, & consequenter quæ non supponeret Incarnationem quoad substantiam præuisam, quare solùm potest esse quæstio de possibili.

2. Circa quam notãdum est, quòd gratia, per quam Patres potuerunt de potentia Dei mereri substantiam Incarnationis, posset esse duplex: Vna, quæ non esset ex meritis Christi Patribus concessa, sed ex mera Dei liberalitate, quod non repugnat. primò quia pòtuit Deus hanc illis conferre, antequam decerneret esse Christum. 2. quia licèt præcederet Christus, & eius merita potuit Deus illa non acceptare in ordine ad prædictam gratiam, tamquam ad præmium, nam licèt hoc exigerent ex condignitate in ordine ad rem, & ex congruentia in ordine ad creditorem, tamen non obligabant Deum ex iustitia, nisi accedente eius acceptatione, quæ potuit non accedere, & per hanc gratiam certum est potuisse Patres mereri substantiam Incarnationis. Cuius ratio est, quia si præmium erat supernaturale, similiter erat & meritum, & insuper erat ex gratia Dei, & ex hominibus in amicitia Dei existentibus, & potuit ordinari à Deo ad tale præmium (quæ sunt conditiones per se de facto requisitæ ad meritum) ergo, &c. & hoc meritum SS. Patrum non solùm posset esse de congruo (quod concedunt, qui asserunt acceptationem non posse augere valorem) sed posset, & esset de

con-

condigno, si fieret per acceptationem Dei antecedentem, quæ vt diximus disp. 2. & 3. potest non solùm dare ius iustitiæ, sed etiam augere valorem, & reddere meritum ęquiualens cum pręmio.

3. Alia gratia posset esse, sicut ea, quæ est de facto, scilicet ex meritis Christi, & per hanc affirmant aliqui antiquos SS. Patres potuisse mereri substantiam Incarnationis. ita Valencia disp. 1. q. 2. puncto 8. Suarez disput. 10. sectione 6. Alexander 3. p. q. 8. memb. 3. art. 2. adducitur S. Thomas q. 2. art. 11. in quantum asserit quòd Patres meruerunt de congruo substātiam Incarnationis, cum quo Caietanus, & plures Expositores ipsius. Ratio huius sententiæ est, quia non repugnat; & insuper credibile est, petitiones SS. Patrū fuisse apud Deum non vacuas, sed meritorias, cùm essent rationabiles, & Deo gratæ; sed in illis petitionibus postulabant Incarnationem, vt patet Isaiæ 16. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Psalmo 105. *Visita nos Domine in Salutari tuo*, &c. ergo meruerunt substantiam Incarnationis.

4. Sed verior & communior est contraria sententia, quæ asserit antiquos Patres non potuisse mereri substantiam Incarnationis in recto, adhuc de congruo per gratiam concessam illis ex meritis Christi. ita Scotus noster in 4. d. 2. q. 1. *§. ad 1. argumentum.* D. Bonauent. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. Marsilius, Ricardus, Sotus, & alij relati à Vasquez disput. 22. cap. 4. Feuardens. noster in caput 2. libri 5. Irenęi. Et fundamentum est, quia sicut in antecedentì quęstione diximus quòd principium meriti caderet sub merito, si merita Christi meruissent substantiam Incarnationis, quæ erat principium valoris ipsorum, ita in præsenti contingeret, nam merita SS. Patrum meruissent substantiam Incarnationis, quæ erat principium per se valoris ipsorum meritorum Patrum, quia gratia dignificans prędicta merita Patrum procedebat ex meritis Christi, & hæc merita habent valorem ex substantia Incarnationis, & consequenter de primo ad vltimum, idem esset causa suiipsius. Et confirmatur, quia si consideramus merita Patrum, vt causam Incarnationis, debuerunt præuideri ante illam scientiâ visionis: si verò consideremus talia merita, vt effectus gratiæ acceptæ à Christo, & ab eius Incarnatione non debuerunt præuideri, sed potiùs Incarnatio esset præuidenda; ergo idem secundùm substantiam præuideretur, & non præuideretur, quod est falsum.

Neque obstat primò solutio Suarez de meritis Christi prout consideratis in ordine intentionis, in quo præcedunt ad merita SS. Patrum; & prout considerata Incarnatione ordine executionis, in quo subsequitur prædicta merita Patrum, quia satis superque est impugnata in pręcedenti quęstione. 5.

Neque obstat secundò solutio aliorum Recentiorum, qui asserunt merita Christi esse causam finalem meritorum SS. Patrum, at verò merita SS. Patrum esse causam efficientem moralem substantiæ Incarnationis, & nullum esse inconueniens, quòd duo sint ad inuicem causæ in diuerso genere causarum. Quia contrà est, nam tam merita Christi, quàm antiquorum Patrum influunt in genere causæ meritoriæ; ergo vtraq; vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ finalis. Pręterea quia merita Christi non influunt in merita SS. Patrum, nisi *quia sunt*; ergo in genere causæ efficientis, vt latè vbi suprà. 6.

Quare in hoc apparet distinctio causæ efficientis moralis à causa finali, quòd licèt vtraque causa influat mouendo & attrahendo voluntatem, tamen diuerso modo, vt diximus quæstione antecedenti, quia causa finalis attrahit voluntatem ad hoc vt eligat media, ipsa causa, quæ solùm est in apprehensione, fit realiter, & à parte rei; vt sanitas respectu medici; at verò causa efficiens moralis attrahit voluntatem ad aliquod efficiendum, non vt ipsa sit, sed quia iam ipsa est, v. g. delictum iam factum à reo attrahit voluntatem Iudicis ad punitionem, & meritum iam exhibitum, vel à Deo iam pręuisum cum actualitate attrahit ad prémium, in qua doctrina conueniunt Scholastici, inter quos est D. Thomas quęstione 29. de Veritate cap. 6. 7.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ iam ostendimus repugnantiam illius, idem enim esset causa suiipsius in eodem genere causæ. Ad illud quod dicit de orationibus Patrum, respondeo 8.

cum Vasquez primò non esse necessarium semper illas impleri. 2. dico non petiisse Incarnationem, quia hanc tamquam certissimam ex promissionibus factam supponebant, sed illius accelerationem (de cuius merito infrà dicemus) vel petiisse Christum propriis oculis videre. 3. potest dici cum aliquibus Iunioribus meruisse Incarnationem, quia hæc fuit iterùm intenta à Deo propter orationes Patrum, tamquam propter finem impulsiuum. itaque non meruerunt ipsam substantiam Incarnationis (vt benè notauit Lorca dispntatione 21 in fine, quia similiter sequeretur quòd principium meriti caderet sub merito) sed quòd iterùm intenderetur à Deo, seu quòd complaceret se in decreto facto. Ex quo non debet deduci meruisse illam, & effectus illius, scilicet redemptionem totius generis humani, vt Aduersarij coacti sunt confiteri, quia aliàs meruissent sibi gratiam, quâ dignificabantur & eliciebantur eius merita, & sic principium meriti caderet sub merito, & meruissent sibi primum auxilium, &c. quod est expresse contra mentem Augustini & Patrum.

9. Vnde ex vi præsentis decreti non primi, sed secundi (quod fuit quasi quædam complacentia efficax, quia futurizaret effectum, si non inueniret futurizatum) Christus venit dependenter à meritis Patrum, non tamen per se, & in recto, sed per accidens, & in obliquo, merita verò eorum per se, & in recto dependebant ab aduentu Christi, seu ab Incarnatione vt executa.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Christus meruerit suæ Incarnationis circumstantias?

1. TRiplex est differentia circumstantiarum, aliæ enim sunt circumstantiæ antecedentes Incarnationem, vt quòd Christus fuerit prænuntiatus à Prophetis, annuntiatus ab Angelo, conceptus à Virgine præseruata ab originali, descendens à Dauid, &c. & has circũstantias iterùm subdistinguo, quia aliæ sunt, quæ directè respiciunt, siue immediatè, siue mediatè substantiam Incarnationis, quales sunt, quòd procedat à Maria, &c. aliæ sunt, quæ non respiciunt directè substantiam Incarnationis, sed laudes, prærogatiuas, & honores debitos huic substantiæ, quales sunt, quòd procedat à Maria, vt virgine, vt præseruata ab originali, quòd Incarnatio sit prædicta à Prophetis, annuntiata ab Angelo, &c. præterea aliæ sunt circumstantiæ concomitantes, vt quòd executio Incarnationis fuerit in tali tempore, in tali loco, sine opere viri, &c. & tandem aliæ sunt subsequentes Incarnationem in executione, vt laudes Pastorum, cantus Angelorum, adoratio Magorum, &c.

Et ab his vltimis incipiendo conueniunt omnes Christum illas meruisse. Fundamentum est, quia Christus (vt inferiùs dicemus) à primo instanti suæ conceptionis cœpit mereri merito infinito syncathegorematico, vt suprà diximus; ergo meruit quidquid congruenter potuit habere rationem præmij: sed prædictæ circumstantiæ congruenter possunt induere rationem præmij, cùm sint specialia beneficia Dei, cedantque in honorem Christi, & sint duratione posteriores; ergo meruit illas. Controuersia ergo huius quęstionis solùm procedit de duabus prioribus. 2.

Circa quam prima sententia distinguit de illis circumstantiis, vel vt fuerunt beneficia aliorum hominum, qualiter fuit beneficium Mariæ, quòd esset virgo, & præseruata ab originali; & Gabrieli, quòd esset nuntius destinatus ad tale mysterium, & in hoc sensu ait Christum illas meruisse, vel vt dicunt ordinem, & respiciunt Incarnationem ipsam, & vt sic illas non meruisse. ita Suarez disp. 10. sect. 4. Fundamentum ipsius est, quia licèt de possibili omnia prædicta possent cadere sub merito Christi, sicut in quæstione 3. dixerat de executione Incarnationis, tamen quòd de facto cadant ea, quæ respiciunt illam, non est connaturale naturæ rerum, cùm sint antecedentia & concomitantia, & id quod meretur debeat esse subsequens. vnde esset multiplicare miracula absque necessitate. Sed contrà, quia etiam illæ circumstãtiæ prout sunt beneficia Mariæ, Gabrielis, &c. sunt antecedentes & concomitantes. Prætereà, quia merita Christi in intentione non sunt sufficientia, vt latè diximus in prædicta quæstione 3. 3.

Se-

4. Secunda sententia asserit Christum de facto meruisse omnes illas circumstantias antecedentes & concomitantes, quæ non dicunt ordinem essentialem, & per se ad Incarnationem, taliter quòd meruerit omnes circumstantias per accidens quoquomodo consideratas, & hæc sententia appellat causas per se solas illas, quæ ita essentialiter requiruntur, quòd effectus non erunt, nisi ipsæ sint, vnde dicuntur causæ per se perscitate se tenente ex parte effectus. ita Vasquez disp. 21. cap. 8. Fundamentum est, quia id, quod non est per se requisitum ad Incarnationem, neque erit per se requisitum ad meritum Christi; ergo attenta natura rei poterit optimè cadere sub merito illius, solùm enim implicat quòd principium per se meriti cadat sub illo, non verò principium per accidens, semel autem admissa non repugnantia debet similiter admitti de facto Deum ordinasse Christi merita ad prædicta præmia, quia omne præmium possibile petitur ab ipsis ex congruitate, quod aliter contingit in meritis creaturarum, quæ solùm exposcunt gratiam & gloriam.

5. Dico primò: In hac quæstione Christus Dominus non meruit eas circumstãtias Incarnationis antecedentes, quæ directè respiciunt Incarnationem, siue habeant se vt causæ per se perscitate se tenente ex parte effectus, siue perscitate se tenente ex parte causæ. Hęc conclusio colligitur ex his, quæ à nobis dicenda sunt in sequentibus quæstionibus cum Lorca, & aliis Auctoribus. Hæc conclusio probatur à priori, quia quodlibet principium, quod de facto est principium alicuius rei (licèt potuerit non esse) non est, imò nec potest esse, supposito quòd sit principium, effectus ipsius rei in quocumque genere causæ, sed circumstantiæ, quæ directè respiciunt Incarnationem secundùm esse physicum, sunt de facto principia, & causæ ipsius, has enim appellamus directè respicientes Incarnationem, licèt de possibili possent non esse, & ratione huius dicantur causæ per accidens; ergo nequeunt esse effectus Incarnationis. Maior probatur à priori, quia quodlibet principium etiam illud, quòd posset non esse principium, quando actualiter est principium, antecedit aliquã prioritate naturæ in suo esse ante effectum, cùm sit causa illius; ergo nequit subsequi, & esse causatum ab illo, aliàs darentur duæ contradictoriæ, scilicet quòd antecederet in suo esse in prioritate naturæ, & quòd non antecederet in suo esse in prioritate naturæ. Minor iam patet, quia loquimur de illis circumstantiis, quæ de facto sunt causæ, & influunt efficienter in effectum, licèt de possibili possent non influere. Et confirmatur conclusio pluribus argumentis, quæ in sequenti quæstione adducemus circa maternitatem Virginis, quæ hoc ipsum probant.

Dico secundò: Christus Dominus meruit eas circumstantias antecedentes & concomitantes, quæ non respiciunt directè substantiam Incarnationis, sed laudes, prærogatiuas, & honores. hæc conclusio est communis. Et probatur, quia in his saluatur, quòd principium meriti non cadat sub merito, nam prædictæ circumstantiæ non sunt principia, neque per se, neque per accidens Incarnationis, quæ est principium meriti, cùm non influant in illam, sed in laudes & honores ipsius. Insuper non repugnat, quòd antecedant, vel concomitentur Incarnationem ad hoc, vt Christus illas meruerit, nam etiam antecesserunt & concomitabantur gratiæ iustificantes Patrum & iustorum, & tamen illas meruit Christus, & tandem congruum erat vt Deus ordinaret Christi merita ad talia præmia; ergo ex nullo capite repugnat, quòd Christus meruerit tales circumstantias. 6.

Respondeo ergo ad fundamenta Aduersariorum. Ad Suarez dico, quòd licèt circumstantiæ considerentur non solùm vt sunt beneficia hominum & Angelorum, sed etiam vt respiciunt aliquo modo Incarnationem; in quantum sunt prærogatiuæ, & honores ipsius, posSũt mereri à Christo, quia quòd sint antecedentes & concomitantes non repugnat, vt patet in gratia iustorum, qui fuerunt tempore Incarnationis, & SS. Patrum, qui antecesserunt Christum, nec fuit miraculum illam mereri, imò potiùs esset miraculum illam non mereri, cùm meritis Christi propter eorum infinitatem secundùm quod deberentur omnia præmia possibilia & congrua. 7.

Ad

8. Ad fundamentum secundæ sententiæ dico nos non negare Christo, quòd meruerit circumstantias, quæ sunt causæ per accidens illius, ex eo quòd non sit congrua Dei ordinatio ad illas tamquam ad præmium; sed propter repugnantiam ortam ex natura rei, quia principium licèt sit de per accidens, tamen eo ipso, quod de facto est principium, non potest esse principiatum ab eo, quod est effectus illius, vt suprà probauimus. quare illas circumstantias, quæ de facto sunt causæ Incarnationis (licèt de possibili ipsa Incarnatio & vnio hypostatica posset existere per alias causas, & non dependeat taliter ab his causis, quas habet de facto, quòd ipsis non existentibus non existeret, quare dicuntur causæ per accidens illius) licèt per se non influant perscitate se tenente ex parte effectus, nihilominùs eo ipso quòd de facto sunt causæ illius, de facto non potuit illas mereri.

9. Dices: Potuit Christus decerni etiam decreto executiuo, antequam decerneret Deus prædictas circumstantias, quæ sunt causæ; ergo potuerunt eius merita præuideri scientiâ visionis ante illas; ergo & consequenter potuit Deus ordinare prædicta merita ad illas, vt ad præmium. Respondetur negando antecedens, quia decretum executiuum includit actionem non solùm pro materiali, & pro re acta (quæ identificatur cum termino) sed etiam pro formali, & prout est relatio producentis ad productum, quia totum hoc reperitur per se in executione, vt latè dicam in quæstione sequenti, & sic necessariò hæc numero executio includit determinatè hanc numero causam, licèt alia esset possibilis: vnde eius merita non potuerunt præuideri vt executa ante totalem causam, & consequenter neque potuerunt ordinari ad prædictas circumstantias, tanquam ad præmium.

QVÆSTIO VI.

An beatissima Virgo meruerit maternitatem Dei, quam habuit?

1. HÆc quæstio procedit de facto, quia de possibili, sicut diximus quæstione 4. quòd SS. Patres potuerunt mereri substantiam Incarnationis per gratiam non collatam illis ex meritis Christi, sed ex sola liberalitate Dei, ita possumus dicere quòd potuisset Virgo mereri esse matrem Dei ex gratia collata non ex meritis Christi, sed ex liberalitate Dei, sed quia si hoc esset de facto, esset detrahere à Christo excellentiam Capitis moralis, ratione cuius omnis natura humana recipit ab ipso gratiam actualem & habitualem, ideò quæstio præsens solùm controuertitur de facto, & de gratia collata ex meritis Christi.

Circa quam prima sententia affirmat B. Virginem meruisse maternitatem Dei. Inter Auctores autem huius sententiæ, primò dicunt aliqui illam meruisse de condigno. tribuitur Mayori in 3. d. 4. q. 4. & probabile censet Gabriel q. vnicâ, art. 3. dub. 3. & absolutè docet Abulensis paradoxâ 1. cap. 34. Almain. d. 4. q. vnicâ in fine. Secundò dicunt alij non meruisse illam de condigno, neque de congruo, sed alio merito medio maiori quàm secundo, & minori quàm primo, & vocant illud meritum dignum. tribuitur de Marsilio in 3. q. 5. art. 3. dub. 1. tenet D. Bonau. in 3. d. 4. art. 2. q. 2. & probabilem censet Vega quæstione 4. de Iustificatione. Tertiò dicunt reliqui hoc meritum fuisse solùm de congruo. ita S. Thomas in 3. d. 4. q. 3. art. 1. ad 2. Ricard. art. 3. Caiet. supra 3. partem, quæst. 2. art. 11. Suarez disp. 10. sect. 8. Vasquez disputatione 23. cap. 4. 2.

Quæ diuersæ sententiæ fundantur in pluribus Patrum locutionibus, quorum aliquæ dicunt Mariam propter vitæ sanctitatem & puritatem effectam fuisse matrem Dei, quod insinuat meritum cōdignum. Aliæ locutiones, quòd fuerit dignum Filij sui habitaculum, vt dicitur in Collecta Ecclesiæ, vbi adstrui videtur meritum dignum; & tandem aliæ, quòd meruerit portare & gignere Dominum Christum, quod vt minimum debet intelligi de merito de congruo, quas locutiones refert Vasquez cap. 2. & nos omittimus, tum quia eas admittimus, tum ne videamur nimietate diffusi in eas referendo. 3.

Id autem in quo conueniunt omnes, scilicet Virginem meruisse maternitatem Dei, probant à priori, quia omnis dignitas, & perfectio non repugnans, debet 4.

debet tribui B. Virgini; sed quòd meruerit suam maternitatem, est perfectio, & dignitas non repugnans mereri ab illa; ergo, &c. Minor probatur, nam circumstantia hæc, scilicet quòd Christus sit genitus ex hac Virgine, non est intrinseca, & per se, quia ipsemet Christus esset, licèt non esset ex hac Matre, causa enim efficiens extrinseca omnino est ad rationem indiuiduam effectus (quod & nos docuimus 2. physic. disp. 1. q. 6. cum Scoto in 2. d. 20. q. 2.) ergo potuit decernere Christum & eius merita de facto, & intuitu illorum dare Virgini Mariæ gratiam actualem & habitualem, quibus mereretur maternitatem Dei, quam poterat habere, & non habere, & potuerunt prædicta merita acceptari in ordine ad tale præmium. Deinde probant à posteriori, & ab effectu, quia de facto maternitas Virginis fuit dependens à cōsensu illius; si enim non diceret illa verba, *Ecce Ancilla Domini*, &c. dicunt Patres Christum non fuisse in illa incarnatum ex vi præsentis decreti, sed ille consensus & illa verba fuerunt meritoria; ergo de facto meruit Christi maternitatem.

5. Secunda sententia & magis vera à nobisque defendenda asserit B. Virginem de facto non meruisse munus maternitatis, non solùm de condigno, & de digno, sed neque de congruo. hanc sententiam colligo ex Scoto in 4. d. 2. q. 1. §. *ad 1. argumentum*, vers. *posset dici*, vbi negat Virgini Mariæ de facto habuisse merita respectu Incarnationis, ex quo debet desumi, quod neque respectu maternitatis. similiter tribuitur D. Thomæ 3. p. q. 2. art. 11. ad 3. & Soto lib. 2. de Iustitia & iure q. 1. art. 4. docet, & tenet Lorca disp. 22.

6. Probatur primò ex Patribus asserentibus hanc dignitatem maternitatis aduenisse Virgini non ex meritis propriis, sed ex gratia. ita docet Hieronymus in Dialogo contra Pelagianos, Fulgentius lib. 1. de Incarnatione cap. 7. Bernardus in Sermone de Natiuitate.

7. Dices hoc debere intelligi de meritis naturalibus. Sed contrà, quia merita naturalia de facto non sunt merita, sed Patres vtuntur voce meritorum; ergo debet intelligi de operibus, quæ de facto sunt vera merita. Prætereà quia Patres absolutè loquuntur, & hanc explicationem non addunt; ergo conuenientiùs intelliguntur de quocumque merito.

Secundò probatur à priori: Virgo non potuit mereri de congruo munus maternitatis; ergo neq; de digno, neq; de condigno. Consequentia est manifesta, quia meritum congruum est minimum inter prædicta merita, vt omnes fatentur; & nos diximus latè disput. 2. q. 1. vbi similiter refutauimus dari meritum dignum distinctum à condigno. Antecedens, in quo tota est difficultas, probatur ex his quæ diximus quęstione anteced. cōclusione 1. quia principium, quod de facto est principium alicuius rei, licèt potuerit non esse principium de possibili, tamen supposito quòd sit de facto principium, non est, neque potest esse effectus illius rei, cuius est principium: sed quòd Virgo fuerit mater Christi, fuit de facto principium Incarnationis; ergo maternitas, nec fuit, nec potuit esse effectus Incarnationis prout de facto executæ, sed si Virgo mereretur maternitatem, esset effectus illius mediatè, quia, vt supponimus, merita ipsius Virginis procederent ex gratia collata ex meritis Christi, quæ merita Christi significatur per Incarnationem & vnionem hypostaticam prout de facto executam, ergo nō potuit illam mereri: probatio verò antecedentis, in quo est tota difficultas, satis liquet in prædicta anteced. quæstione, in cuius fine fecimus satis obiectioni, quæ fit contra istam rationem à contraria sententia. 8.

Tertiò probatur, quia decreta executionis de facto respiciunt ea, quæ in executione rei reperta sunt, tamquam per se requisita prout de facto, sed de facto in executione generationis, quâ Virgo Maria genuit Christum, non solùm reperitur Incarnatio Verbi, quæ posset fieri per aliam matrem (hoc est actio Incarnationis materialiter sumpta) sed etiam reperitur Verbi Incarnatio prout ab hac Matre, & secundùm rationem formalem actionis dependentis ab hac causa producente; ergo decretum executionis, quod de facto reperitur in Incarnatione includit per se non solùm respectum ad Incarnationem secundùm rationem materialem, sed etiam secundùm rationem formalem, & prout ab hac Matre, 9.

ergo de facto non potuit in executione præuideri Incarnatio, nisi prout ab hac matre tamquam à causa, & consequenter hæc causa, seu hæc causalitas non potuit de facto esse effectus Incarnationis, esset autem effectus si Incarnatio influeret in merita Virginis, per quæ Virgo mereretur maternitatem.

10. Neque obstat, si dicas, quòd respectu Incarnationis de facto reperiuntur in Deo duo decreta executiua, vel vnum cum duplici respectu, quorum vnum terminetur ad substantiam Incarnationis, etiam prout est actio, & fieri materialiter secundùm omnem rationem indiuiduam, & hoc præcedit præuisionem meritorum Christi, & Virginis futurorum in executione; aliud verò terminetur ad circumstantiam maternitatis, & ad Incarnationem secundùm rationem formalem huius actionis, scilicet prout causatam ab hac Virgine, & hoc fuit post præuisionem meritorum Christi, & cõsequenter potuit esse post præuisionem meritorum Virginis, & potuit illis dari in præmium. Quia contrà est, nam decretum executionis respicit suum obiectũ vt executum, imò ratione illius habet quòd sit executum, aliàs non distingueretur à decreto intentionis, sed non potest obiectum in se esse formaliter executum, nisi sit formaliter effectum & causatum ab hac numero causa, quam habet in executione; ergo Incarnatio non potest decreto aliquo executionis, vel per aliquem respectum ipsius respici vt executa secundùm rationem materialem, & non secundùm rationem formalem executionis & causationis.

11. Confirmatur primò, & declaratur, quia à parte rei non exequitur, seu causatur res formaliter, nisi per causationem exequentem & causantem. vnde nequit res formaliter esse executa, nisi sit principium aliquod exequẽs & causans; ergo decretum executiuum, quod ex natura sua respicit rem, vt sic in hoc statu, nequit formaliter respicere rem absque executione; ergo neq; Incarnationem in executione, nisi in conceptu ipsius intret executio, seu causatio, per quam formaliter est exequenda: sed hęc fuit illa actio Virginis; ergo in decreto Dei executiuo non possunt admitti illi duo respectus distincti, & ad inuicem distantes, & illæ præcisiones, sed necessariò debet includere causationem Virginis, & consequenter quòd non possit supponi Incarnatio ad merita Virginis.

Et confirmatur 2. & vrgentissimè, quia per hoc numero decretum executiuum, decreta fuit hæc numero existentia, sed ista non est, quòd Christus sit extra has vel illas causas creatiuas vel eductiuas vagè, sed quòd sit extra hanc numero & determinatam causam generatiuam à qua, vel ad quam hęc numero existentia, similiter & decretum suam indiuiduationem; ergo hæc includitur in hoc numero decreto executiuo. patet consequẽtia, quia per decretum etiam executiuum, quòd Christus existat, nõ existit in re, nisi accedat aliud, scilicet quòd sit extra hãc vel illam causam determinatam, præterquam quòd decretum de existentia vt sic est confusum, & in genere, quod non admittitur in Deo, debet enim esse de hac determinata existentia, & sic de hac essentia & indiuiduo extra has causas. 12.

Et confirmatur 3. & declaratur ampliùs, quia si Deus decerneret, quòd Christus existeret per hãc vel per illam causam (quas pręcognoscebat posse influere in existentiam ipsius) nõ assignando aliquam determinatam adhuc non esset Christus determinatus decreto executionis requisito vt absolutè existeret à parte rei; ergo decretum executionis necessariò requirit determinationem alicuius causæ & causalitatis in indiuiduo. Antecedens probatur, quia absoluta existentia à parte rei, quã indiuiduum existit extra causas, debet non minùs esse indiuidua & determinata, quàm ipsa entitas indiuidui, quæ per talem existentiam formaliter existit, sed indiuidualitas existentiæ sumitur in ordine ad determinatas & indiuiduas causas & causalitates, sicut indiuidualitas entitatis sumitur ex veriori sententia & doctrina ex indiuidualitate materiæ & formæ; ergo decretum vt Christus existeret per hanc vel illam causam non determinando aliquam non constitueret Christum absolutè à parte rei existentem, sed expectaretur aliud, quod causam determinaret; ergo decretum executionis, quod de facto fuit circa Christum, inclusit tãquam causam determinatam, eam quã habuit 13.

de

de facto, scilicet Virginem Mariam, & suam causalitatem, scilicet suam generationem.

14. Quartò probatur prædicta sententia, quia SS. Patres non potuerunt mereri substantiam Incarnationis ex gratia collata ex meritis Christi, licèt prædictæ gratiæ conueniret per accidens, quòd esset ex meritis Christi, non aliâ ratione, nisi quia principium meriti caderet sub merito, vt cum Auctoribus contrariæ sententiæ diximus quæstione 4. ergo licèt Incarnationi sit per accidens procedere ab hac numero matre, non poterit cadere sub merito ipsius, vel sub meritis Virginis dependentibus ab ipsa, quòd procedat ab illa, & consequenter neque Virgo poterit mereri maternitatem Dei.

15. Quintò probatur, quia implicat quòd aliquis mereatur relationem prædicamentalem, nisi mereatur positionem vel fundamenti, vel termini, sed beata Virgo non meruit fundamentum vel terminum relationis maternitatis; ergo non meruit maternitatem. Maior probatur, quia positis extremis necessariò consurgit relatio ex natura talis relationis; ergo quando per operationes liberas mereretur talem relationem, pro tanto illam Virgo mereretur, pro quanto mereretur à Deo, quòd ponatur fundamentum vel terminus ex quibus consurgit. Minor probatur, quia cùm terminus maternitatis non sit sola humanitas (aliàs non esset dicenda Mater Dei) sed Christus, qui de facto non potuit cadere sub merito, cùm sit principium meriti, vt latè probauimus quæstione 4. etiam cum Aduersariis, & insuper non potuit mereri fundamentum proximum, quod fuit actio generatiua, vel potentia generatiua connotans talem actionem, ratione cuius fundat Virgo relationem maternitatis, nam actio ita connexa est ex natura sua cum termino, vt ad positionem ipsius ponatur terminus, & non ad positionem ipsius, non ponatur terminus; ergo qui non meretur terminum, non potest mereri actionem, aliàs posset aliquis non mereri calorem, & mereri calefactionem, quod videtur impossibile, cùm calefactio in suo conceptu intrinseco includat pro materiali ipsum calorem in fieri. Prætereà, quia actio productiua est ita essentialiter connexa cum terminuo in fieri (vel cum actione pro re acta (vt loquebar in Logica in prædicamento actionis, & lib. 5. physic.) vt nequeat adhuc de potentia Dei absoluta intelligi formale actionis absque illo materiali; ergo ita est essentialiter connexa hæc actio cum hoc termino in fieri, vt si sit impossibile quòd mereatur terminus, similiter sit impossibile quòd mereatur actio, sed actio indiuidua & & determinata dicit necessariam & essentialem connexionem cum causa indiuidua & determinata; ergo & hæc numero generatio cum hac numero matre.

Sed dices primò: Peccator ex auxilio gratiæ meretur de congruo fieri Filium Dei adoptiuum, & nihilominùs non meretur Deum esse, qui est terminus talis filiationis; ergo similiter Virgo, licèt non mereatur Christum esse, seu esse Incarnationem, potuit mereri maternitatem ad illam. Respondeo quòd quæcumque filiatio ex natura sua non est productiua termini, sed supponit potiùs illum, maternitas autem potiùs supponit producere terminum, & sic est dispar ratio. 16.

Dices secundò: Virgo licèt non potuit mereri terminum suæ maternitatis quoad substantiam, & quoad entitatem, benè tamen prout proueniētem ab ipsa, & consequenter potuit mereri actionem & causalitatem, quæ est fundamentum, vel conditio ad maternitatem terminatam ad terminum sub illa ratione. Respondetur quòd terminus maternitatis fuit Christus quoad entitatem & substantiam, non secundùm illam reduplicationem prout proueniens ab ipsa, quia hoc, vel est ipsa actio, quâ Christus prouenit seu producitur à matre, & sic fundamentum & terminus maternitatis esset idem; vel est relatio filiationis, quâ Christus refertur ad matrem, ex eo quia prouenit ab illa, maternitas autem non terminatur ad filiationem, sicut neque filiatio terminatur ad maternitatem, sed ad extrema absoluta in quibus fundantur, quia tamen iste terminus Christus prout de facto fuit executus includit hāc actionem seu causalitatem, ideò hæc actio non potuit de facto cadere sub meritis Christi, & consequenter neque sub meritis Virginis, vt iam diximus. 17.

18. Sed omittamus plura alia argumenta, quæ fiunt à Lorca, & ab aliis pro hac sententia, quia vel debilia, vel omnino falsa sunt, & faciamus satis argumentis pro prima sententia adductis. Ad primum, quod est ex auctoritatibus Sanctorum, in quibus Virgo appellatur digna, condigna, & congrua ad maternitatem Dei. Respōdetur cum D. Thoma citato pro nostra sententia Virginem dici meruisse maternitatem, non quia illam meruerit propriè, sed quia meruit eum puritatis gradum vt congruè esset mater Dei, quare SS. Patres in illis locutionibus meritum, dignitas, condignitas solùm significant quamdam coaptationem & correspondentiam puritatis Virginis cum maternitate Dei, qui modus loquendi communis est apud Patres. vnde Ecclesia in benedictione Cerei paschalis ait, *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*; & Cyprianus epist. 8. dicit, *Paruulos meruisse vt assumerentur ad æternam beatitudinem.*

19. Neque obstat quòd meritum ibi tribuatur operibus; ergo debet sumi propriè. Respondeo enim: Etiam tribuitur operibus dignitas & condignitas à Patribus, & nihilominùs plures ex Aduersariis explicant de condignitate impropria, seu de dignitate & condignitate se tenente ex parte personæ, quæ potest esse absque omni merito, sicut domus dicitur digna vt à Rege habitetur; ergo similiter possumus nos explicare nomen *meritum* in prædictis locutionibus. ita respondet Lorca.

20. Sed addo quòd licèt Virgo non meruerit maternitatem Christi, ne principium meriti caderet sub merito, & propter alias rationes suprà dictas, pie tamen credo meruisse reliqua omnia munera maternitatis, videlicet nutritiones omnes secutas ad generationem, quæ nimirum possent fieri à solo Deo, vel ab alia causa, portationem in vtero per nouem menses, quæ poterat non esse, quia poterat statim ac concepit parturire, lactationem tempore infantiæ, & omnia alia obsequia, quæ pueris præstantur, quæ possent fieri ab alia nutrice, quæ omnia cùm independentia sint à prima conceptione, similiter sunt independentia à maternitate, quæ solùm fundatur in generatione, & terminatur ad Filium vt primò productum, & consequenter supponunt Incarnationem, & sicut de Christo diximus quæstione 3. quòd licèt non potuerit mereri substantiam Incarnationis, benè tamen partiales vniones inuentas in nutritione, & totalem inuentam in resurrectione, quia principium meriti, quod est prima Incarnatio, non caderet sub merito, ita similiter possumus dicere de Virgine, quòd potuit mereri supradicta obsequia matris ex meritis Christi, & de facto meruit, non solùm merito congruo, sed etiam condigno, quod potuit acceptatio Dei præstare, & eius opera ordinare, tam ad gloriam, quàm ad præfata, tamquam ad inadæquata præmia: & in hoc sensu intelligo Patres propriè locutos fuisse de meritis Virginis, nam prædicta omnia à maternitate, seu à femina habente rationem matris promanabant, & maternitas vulgariter & cōmuniter possunt appellari, licèt non scholastico modo, quia hæc tantùm consistit in prima geniti conceptione. videantur ea, quæ inferiùs dicemus disput. 20. de Adoratione quæstione 5. parte 1. circa adorationem Virginis vt matris. vnde ponderanda sunt verba, quibus communiter vtuntur, *quia quem meruisti portare*, portare permanentiam, & generationem, quasi habitualem dicit, sicut similiter dicit habitaculum in illis verbis, *dignum Filij tui habitaculum* (& ly *dignum*, videtur denotare meritum fuisse condignum) & Lucæ 1. dixit illi Elisabeth, *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi*, &c. Nota ly *perficientur*, vbi notat beatitudinem Virginis ex perfectione maternitatis, non ex ipsa maternitate, quæ perficitur, cùm autem Patres Ecclesiæ videntur loqui sine distinctione de maternitate, & de perfectione maternitatis, quæ perfectio etiam maternitas appellatur, debent explicari secundùm istum sensum.

Nec meo videri deficit pactum saltem implicitum Dei cum Virgine, vt Virgo mereretur prædicta in illis verbis Lucæ 1. *Quomodo fiet istud*, &c. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Et respondet Virgo: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; vbi licèt tam loquatur de prima Christi generatione à Virgine, quàm de perfectione 21.

&c

& muneribus maternitatis, & respectu prioris non posset habere rationem pacti ad valorem meriti, quia vt diximus principium meriti caderet sub merito, benè tamen potuit habere rationem pacti respectu posterioris; illa autem verba Isaiæ 1. *Ecce Virgo concipiet*, &c. & cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, &c. solùm continere videntur prophetiam, & loqui de prima Christi generatione.

22. Ad probationem à priori respondeo primò concedendo pro nunc Virgini esse tribuēdam omnem perfectionem, & dignitatem non repugnantem; nego tamen, quòd ei non repugnet mereri maternitatem, quia licèt hic numero Christus secundùm entitatem posset esse ab alia numero matre, vel à Deo per creationem producente, non tamen secundùm hanc numerò existentiam indiuidualem, quia cùm hæc habeatur per talem productionem indiuiduam, quæ indiuiduatur etiam ab agente à quo promanat & dependet, non potest concipi, quòd ea perseuerante posset procedere ab alia causa efficienti.

23. Vel respondeo secundò, quòd licèt possit procedere hic numero Christus, & quantum ad essentiam, & quantum ad existentiam ab alia numero matre, non tamen prout subiacuit de facto præsenti decreto Dei executiuo, quia hoc secundùm suam indiuiduationem & hæccitatem respexit hanc numero causam, scilicet Virginem, à qua de facto processit Christus genitus.

24. Et si cōtra primam solutionem obiicias, quòd essentia & existentia sunt realiter indistincta; ergo non potuit Christus secundùm essentiam procedere ab alia matre, & non secundùm hanc numero existentiam. Respondeo quòd etiam in sententia Scoti natura, quæ est communis negatiuè, potest quantum est ex se contrahi per hanc vel per illam hæccitatem & indiuiduationem, & nihilominùs realiter identificantur inter se; & ratio est, quia conceptus tantùm præcisiui non auferunt identitatem realem; idem ergo dico in præsenti casu, quòd licèt realiter identificentur essentia & existentia numerica Christi, tamen essentia quatenus est ex se abstrahit ab hoc, quòd contrahatur per hanc vel per illam existentiam, quæ vel modaliter, vel formaliter distinguitur ab illa.

Ad rationem à posteriori respondeo primò Incarnationem dependere ex vi præsentis decreti à consensu Virginis, non tamquam à causa meritoria maternitatis prout primò terminata ad Christum, sed tamquam à conditione sine qua non, quæ conditio erat meritoria vitæ æternæ, in quo sensu sunt vera omnia testimonia Patrum. Secundò respondeo quòd propter dictum consensum meruit Virgo maternitatem, non prout primò terminatam ad primam Christi generationem, sed prout terminatam ad perfectionem illius, & ad reddendum Christo obsequia matris, & sic deberi explicari Ecclesiæ Patres. 25.

Ex quibus patet non esse necessarium resoluere aliam quæstionem, scilicet an meritum maternitatis Virginis fuerit dignum, condignum, vel congruum, siquidem negamus aliquo merito adhuc de congruo illam meruisse. Similiter non est necessarium resoluere aliam quæstionem, an meruerit Virgo electionem ad maternitatem, quia sicut negamus quòd de facto meruit maternitatem, ita consequenter debemus negare meruisse electionem ad maternitatem, & locutiones Patrum hoc indicantes, explicamus, sicut suprà adductas. 26.

Et si inquiras quibus operibus meruit de condigno beatissima Virgo exhibere Christo omnia munera & obsequia matris, & perficere (vt ita dicam) generationem Christi primò factam? Respondeo meruisse quibuslibet operibus supernaturalibus elicitis à Virgine post pactum illud à nobis assignatum, *Quomodo fiet istud*, &c. ex quo ius & valorem acceperunt, & præcipuè propter aliquem actum dilectionis Dei tunc elicitum, & insuper meruisse de congruo hoc ipsum per opera antecedentia ad illud pactum, quia ad meritum de cōgruo non requiritur pactum antecedens, vt latè diximus disputatione 2. & gratia, quæ requiritur ex meritis Christi, solùm potest respicere Incarnationem vt factam in Christi generatione, non tamen in nutritionibus. Neque obstat quòd gratia solùm sit 27.

semen gloriæ, vt obiicit Vasquez, quia hoc debet intelligi de facto, & communiter, & secundùm actualem Dei acceptationem communem, non autem de potentia Dei, & secundùm acceptationem Dei specialem, quam sicut admittimus in Christo vt redimat genus humanum, admittere possumus in Virgine vt mereatur exhibere Christo obsequia matris.

28. Hoc ipsum quod diximus de meritis B. Virginis circa maternitatem, dicendum est de meritis SS. Patrum, qui fuerunt Christi progenitores, & habuerunt promissionem illius, scilicet quòd non meruerunt de facto, quòd essent progenitores illius, sicut neque Virgo quòd esset illius mater, quia quòd hæc causalitas sit mediata, vel immediata, non tollit quòd principium alicuius sit principiatum ab ipso, & cõsequenter quòd idem sit causa & effectus suiipsius, benè tamen potuerunt mereri progenituram, sicut & Virgo maternitatem propter finem impulsiuum, sed sicut quæstione 4. huius disputationis, & disp. 4. quæstione 1. in simili notauimus, hoc non tam est mereri progenituram & maternitatem, quàm mereri quòd Deus complaceat in decretis, quæ habuit dandi illis progenituram & maternitatem, in quo sensu debent intelligi testimonia S. Scripturæ, quæ eorum meritis tribuit has dignitates, vt Genes. 22. dicitur Abrahæ: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti Filio tuo propter me, in semine tua* (id est in Christo, vt explicat Paulus ad Galat. 3.) *benedicentur omnes gentes*. Et Psal. 131. dicitur Dauidi: propterea quòd voluerit Deo ędificare templum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. id est Christum, vt omnes explicant. Et Lucæ 1. dicitur Virgini, *Inuenisti gratiam apud Deum ecce concipies*. quare ex istis non probant Aduersarij Virginem absolutè & directè meruisse maternitatem, neque progenitores progenituram, sed vel quòd in Christo benedicantur omnes gentes, vel quòd Christus ponatur spiritualiter super sedem regni Dauidis.

QVÆSTIO VII.

An Patres antiqui meruerint reliquas Incarnationis circumstantias?

DE duplici circumstantia est iam difficultas: Prima est circumstantia temporis, quam Theologi vocant accelerationem, scilicet an meruerint Patres, vt hoc tempore potiùs, quàm in alio longiori facta fuerit Incarnatio? Secunda est visio corporea, & annuntiatio Christi per verba demonstratiua illius. De prima circumstantia, est prima sententia, quæ affirmat quòd antiqui Patres illam meruerint. ita D. Bonauent. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. D. Thomas ibidem q. 3. art. 1. & 4. Gabriel, Rupert. Almain. & plures alij, quos referunt, & sequuntur Suarez disp. 10. sect. 6. & Vasquez disp. 22. cap. 4. & sub dubio affirmat Scotus in 4. d. 2. q. 1. in solutione ad 3. litt. M. Et probatur primò ex eo quòd non repugnet illam meruisse, cùm sit circumstantia non solùm per accidens, sed etiam extrinseca Incarnationi; ergo hæc numero Incarnatio potuit à Deo prædefiniri absque meritis, & posteà quòd esset in tali breuiori tempore ex illorum meritis. 1.

Secundò probatur ex pluribus sacræ Scripturæ locis, nam Psal. 11. habetur, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, id est non ampliùs differam remedium, sed accelerabo salutem. vbi Hieronymus & Augustinus explicant de aduentu Christi in carne. Et Psal. 78. dicit Dauid: *Veni Domine, & noli tardare, citò anticipent nos misericordiæ tuæ*. Et Daniel. 9. dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt vngatur Sanctus Sanctorum*. vbi videtur significari propter orationes Danielis abbreuiatum fuisse tempus aduentus Christi. 2.

Secunda & verior sententia negat antiquos Patres meruisse circumstantiam temporis, seu accelerationem Incarnationis, prout acceleratio significat abbreuiationem temporis iam efficaciter statuti à Deo. ita defendit Lorca disp. 22. à num. 3. & colligitur primò ex communi sententia, quæ asserit (vt vidimus disp. 1. q. 8.) tempus Incarnationis statutum fuisse determinando illud, 3.

illud, quod erat conuenientius ad finem Incarnationis, & ad communem salutem hominum; cùm ergo propter finem communem, & tanti momenti statutum sit, non decuit propter finem particularem, & propter consolationem aliquarum personarum inuerti decretum habitum à Deo circa tempus, dato pro nunc quòd non repugnet immutabilitati Dei, quòd decretum eius efficax mutetur propter diuersum finem de nouo cognitum, à qua difficultate modò supersedeo.

4. Ad argumenta contrariæ sententiæ respondeo. Ad primum dico, quòd non repugnat, quia est circumstantia extrinseca, vnde idem Christus, & eadem opera eius essent, licet veniret in alio tempore, & dato quòd non repugnet ex alio capite, sed nihilominùs non decuit mutari decretum temporis statuti propter finem communem, & tanti momenti, propter alios fines particulares. Ad S. Scripturæ testimonia respondeo. Ad primum ibi non loqui de aduentu Christi, sed de remedio opportunè collato iustis in tribulationibus & persecutionibus, quas patiuntur ab iniustis, vt patet ex contextu totius psal. & licèt intelligatur cum Hieronymo & Augustino de aduentu Christi, tamen prædicta verba non significant accelerationem, sed causam aduentus Christi, quæ fuerit in remedium miseriæ inopum, & gemitus pauperum. Ad 2. testimonium dico prædicta verba esse desideria Patrum prolata more humano, quæ sunt à Deo executa more diuino.

5. Ad 3. quod est difficilius, respondet Lorca, & benè, quòd Daniel non petebat accelerationem aduentus Christi, sed libertatem sui populi à captiuitate Babylonica; vnde licèt reuelata simul fuerit Incarnatio, hoc supererogationis fuit, non concessio petitionis. Prætereà, quia verbum illud, *abbreuiatæ sunt*, in Hebræo non significat diminutionem & accelerationem temporis, sed definitionem & determinationem illius. Prætereà si in proprio & rigoroso sensu accipiatur, reddit hunc sensum: Daniel confortare, quia tēpus, in quo adueniet Messias, iam est breue, & non multùm superest, nam solùm supersunt 70. hebdomades, intellige annorum.

6. Inquires: Dato quòd Patres non potuerint mereri accelerationem Incarnationis, prout acceleratio significat abbreuiationem temporis iam statuti & determinati, potuerint nec mereri, quòd Christus veniret in hoc tempore, & non in alio longiori, determinabili, & definibili à Deo? Respondeo quòd sic, in quo sensu reputo esse veram primam sententiam, & locutum fuisse Scotum, licèt sub dubio, quia loquebatur in speciali de B. Virgine, cuius merita saltem de congruo meo videri meruerunt, quòd in illo tempore fieret Incarnatio, & hoc probant rationes & testimonia adducta pro prima sententia, non tamen quòd meruerint tempus prout acceleratum, ita vt postulet mutationem diuini decreti iam facti. Neque contra hoc est ratio pro nostra secunda sententia adducta, quia optimè potuerunt coincidere, imò & coinciderunt fines communes Incarnationis cum fine particulari præmiandi Virgini & Patribus eorum merita per aduentum Christi in tali tempore, & sic propter illos omnes fines potuit decerni Incarnatio in tali tempore, non tamen propter fines communes primò decerni, & posteà per particulares mutari, & decerni tempore propinquiori.

7. De secunda circumstantia, quæ est visio Christi, & annuntiatio aduentus illius, per verba demonstratiua conueniunt omnes, ita extrinsecam esse Incarnationi, vt possit cadere sub meritis antiquorum Patrum, imò de facto cecidisse in Abraham, iuxta illud Ioan. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est*. exultauit, id est vehementer concupiuit. Et in S. Simeone, cui promissum fuerat, *non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*. & idem sentit de Anna prophetissa Ambros. lib. 1. in Lucam cap. de Simeone & Anna.

8. Sed ex hac doctrina infert Vasquez disp. 23. cap. 5. dicendum fore prædictos Patres etiam meruisse accelerationem Incarnationis, quia si meruerunt videre Christum, ergo aliquid eis fuit concessum, quòd aliàs non fieret; ergo vel quòd prolongaretur miraculosè eorum vita, & hoc non videtur admittendum sine necessitate; vel quòd acceleraretur Christi Incarnatio ad hoc, vt ab ipsis

ipsis videretur. Respondeo primò facilius esse concedendum primum ex his duobus, quàm quòd acceleraretur Christi Incarnatio. Respondeo secundò hoc non esse necessarium admittere, quia quod specialiter fuit eis datum propter sua merita nullum ex prędictis fuit, sed quòd viderent, cognoscerent, & constanter prædicarent Christum, ad quod fuit requisita specialis reuelatio, & instructio Spiritus sancti, quam si non haberent, licèt viderent, non viderent vt Christum, quia nō cognoscerent ipsum, neque consequenter prædicarent, ad hoc autem non fuit requisita aduentus Christi acceleratio.

DISPVTATIO X.

DE VNITATE ET PLVRALITATE CHRISTI.

IAm diximus contra Nestorium in Christo non fuisse duas personas, sed vnam; & contra Eutichetem non fuisse vnam naturam, sed duplicem, diuinam scilicet & humanam. Nunc venit agendum, an fuerit in illo duplex existentia, vel vna? an duplex voluntas, & totidem operationes? de quibus agit Scotus in 3. distinctione 6.

QVÆSTIO PRIMA.

An in Christo fuerit vnica tantùm existentia?

1. PRIMA sententia affirmat, quòd sicut in Christo tantùm est vnica subsistentia Verbi, quâ natura humana etiam subsistit, ita tantum est in ipso vnica existentia Verbi, quâ natura etiam humana habet actualitatem à parte rei, & existit extra causas, & extrà esse possibile, & consequenter negat hæc sententia existentiam creatam naturæ humanæ. est communis inter Thomistas. ita Capreolus in 3. d. 6. q. 1. Caietan. 3. p. q. 17. art. 2. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 25. & 42. Et probatur Primò ex verbis Sophronij in Epistola Synodica approbata in 6. Synodo generali actione 11. & 13. *Natura humana in illo* (id est in Verbo) *& non in seipsa habuit existentiam vnam cum Verbo.* Et ex Damasc. lib. 3. cap. 22. referuntur hæc verba: *Natura humana per existentiam Verbi existit.*

2. Secundò probatur, quia existere competit supposito, sicut & esse, & operari, nam reliqua non sunt, *quod est*, hoc enim tantùm dicitur de supposito, sed *quo aliquid est*; ergo sicut in Christo est tantùm vnum suppositum, ita & vnum existens, & consequenter & vna existentia, sicut & vna suppositalitas.

Tertiò probatur ex duplici inconuenienti: Primò quia vnio hypostatica non esset substantialis, neque efficeret vnum ens per se, nam si Verbum existens adueniret naturæ humanæ iam existenti ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se. Secundò quia Virgo Maria non esset Mater Dei, nam generatio terminatur ad esse actuale illius, quod generatur; ergo vel generatio Virginis debet terminari ad existentiam diuinam, vel si terminatur ad existentiam creatam non erit Mater Dei.

Secunda sententia est opposita & verior, secundùm quam dicendum nobis est, naturam humanam in Christo habuisse propriam existentiam creatam, & non extitisse existentia increata Verbi. ita Scotus noster in 3. d. 6. q. 1. §. *concedo.* Durandus q. 3. Gabriel q. 2. art. 3.

art. 2. Almainus quæstione 2. & ex Thomistis Paludanus quæstione 3. in fine, & refertur Herbeus quæstione 1. articulo 3. Estque communis inter Recentiores Suarez disputatione 36. sectione 1. Vasquez disputatione 71. capite 2. Valenciam tomo 4. disputatione 1. quæstione 17. puncto vnico; Lorcam disputatione 54. numero 4. Ex nostris Rada controuersiâ 7. articulo 3. conclusione 8. Pytigianus super 3. Scoti distinctione 6. quæstione 1. artic. 2. Faber ibidem disputatione 14. capite 2. & coguntur tenere quotquot asserunt existentiam non distingui realiter ab essentia actuali & singulari. Hæc sententia probatur à diuersis pluribus rationibus, quas adducit & reiicit Lorca vbi suprà à numero quinto.

5. Sed omissis illis probatur Primò à priori: Existentia non distinguitur realiter ab essentia actuali (imò neque formaliter ex natura rei, vt tradidi 1. Physic. disputatione 7. quæstione 3.) sed essentia naturæ humanæ Christi est diuersa ab essentia Verbi; ergo & eius existentia est diuersa. Minor est de fide, maior latè traditur à Scotistis vbi suprà, quare in præsenti sufficit illam breuiter probare ex eo quòd in illo priori, quo concipitur humanitas Christi ante vnionem, non est intra causas formaliter, aliàs sola causa formalis esset, quæ præconciperetur ad vnionem, homo enim conceptus in Sole, qui est causa eius, formaliter tantùm est Sol; ergo est extra causas; ergo existens, sed non existens per existentiam Verbi, quia præconcipimus humanitatem ante illam; ergo per existentiam propriam. Et confirmatur, quia si existentia dat esse existens essentiæ per modum formæ intrinsecè informantis, vt asserit contraria sententia, cùm Verbum licèt possit terminare naturam humanam per modum subsistentis, non possit illam informare per modum formæ intrinsecè informantis, vt omnes concedunt, sequitur quòd natura humana non possit existere per existentiam Verbi.

6. Secundò probatur similiter à priori, & per causam ratione Scoti, quia natura humana Christi extrahitur extra causas à tota Trinitate tamquam à causa efficienti, nam actiones ad extra sunt indiuisæ; ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia Verbi. Probo consequentiam; quia extrahi extra causas habet pro termino existentiam, tam in fieri, quàm in facto esse; sed non existentiam Verbi, quia hæc est increata, & non potest produci per existentiam propriam.

Tertiò probatur à posteriori, quia si diuina existentia communicatur naturæ humanæ; ergo vnio hypostatica facta est in aliquo essentiali & communi tribus personis, quod est falsum. 7.

Ad hoc argumentum nequit responderi, nisi dicatur quòd in Deo dantur quatuor existentiæ, vna absoluta & communis, & tres relatiuæ. Sed hæc solutio destruit fundamentum suæ sententiæ, quia ex eo debent dari quatuor existentiæ, vt quælibet entitas actualis distincta habeat suam distinctam existentiam, quod est, quod nos intendimus, & quod Aduersarij negant; nam natura humana Christi est entitas actualis distincta ab entitate Verbi; ergo habet distinctam existentiam ab illo. 8.

Quartò probatur, quia natura Angeli existentis modò potest assumi à Verbo, sed modò est existens per propriam existentiam, & ista non destrueretur per assumptionem Verbi, quia eodem modo maneret extra causas, & eodem æuo mensuraretur, sicut anteà; ergo. &c. Et confirmatur, quia existentia Verbi mensuratur æternitate, sed tam existētia prædictæ naturæ angelicæ, quàm naturæ humanæ Christi non mensuratur æternitate, sed æuo, vel tempore; ergo hæc præstat existere, & non illa. Patet consequentia, quia essentia non mensuratur duratione, nisi ratione existentiæ & actualitatis extra causas. 9.

Quintò probatur, quia homo propriis oculis, & Angelus virtute natali intuitiuâ videbant naturam humanam Christi extra causas existentem, quando Christus cum hominibus conuersatus fuit, sed existentia increata Dei non potest oculis corporeis videri, imò neque intellectu solùm viribus naturæ relicto, præcipuè in Aduersariorum sententia; ergo videba- 10.

tur ratione existentiæ propriæ. Probo consequentiam; quia sicut essentia non est actualis nisi per existentiam, ita non est visibilis & cognoscibilis intuitiuè nisi per existentiam, quod experientia confirmat, quia ex eo Antichristus modò non videtur, neque intuitiuè cognoscitur ab intellectu, quia non existit. quæ argumenta probant nostram sententiam, etiamsi existentia sit realiter distincta ab essentia, vt volunt Thomistæ.

11. Ad argumenta in contrarium respondeo. Ad primum respondent aliqui, quòd Sophronius per existentiam intelligit subsistentiam, & hanc dicere esse vnam cum Verbo; sed contradicit huic solutioni Lorca numero 15. quia iuxta lectionem Græcam debet legi, *existentia*, vel *vita*. quare ipse meliùs respondet, quòd addita est illis verbis illa vltima particula, *vnam cum Verbo*, quæ non reperitur in illis, & vt sic vera sunt, quia natura humana non existit priùs (scilicet tempore) in se, & posteà in Verbo, sed eodem instanti temporis, quo existit in se, assumpta fuit à Verbo; verba autem Damasceni non inueniuntur apud ipsum, vt asserit ipse Lorca.

12. Ad 2. respondeo, quòd existentia in abstracto competit naturæ actuali in abstracto, & existere in concreto naturæ in concreto, & sic de supposito dicitur existere, sicut de natura existentia, quare actiones dicuntur denominatiuè de supposito, sicut & reliqua alia, vt sæpè sæpiùs diximus: vnde de Verbo diuino dicitur, quòd producatur, quòd generetur à Virgine, quòd existat per existentiam creatam non simpliciter, sed in esse hominis.

13. Ad 3. respondeo, & ad primum inconueniens, nihil referre, quòd Verbum diuinum adueniat enti in actu constituto, si nondum est completo, cùm autem natura humana Christi licèt esset existens, nondum esset subsistens, potuit optimè vnum per se substantiale in esse personæ constituere cum diuino Verbo; vt autem sit vnio substantialis, solùm requiritur quòd sit vnio substantiarum habentium se per modum actus & potentiæ.

Ad secundum inconueniens dicimus, quòd neque Virgo posset attingere efficienter existentiam increatam Verbi; ergo ratione huius non potest dici Mater Dei, sed hoc dicitur de Virgine per communicationem idiomatum; & sicut dicitur homo hominem generare, licèt non producat animam rationalem, quia in instanti, quo eius actio finitur, est homo constans corpore & animâ: ita Virgo dicitur Deum generasse, quia in instanti terminatiuo generationis fuit Christus, seu homo Deus.

Sed superest vnum dubium, an Christus sit vnum esse, vel plura? quod debet resolui per explicationem huius vocis *esse*, quæ quadrupliciter potest accipi, vt insinuat Scotus vbi suprà, *§. respondeo*, litt. A, primò pro esse essentiæ. 2. pro esse subsistentiæ. 3. pro esse, quod significat copulam, quâ intellectus componit & vnit affirmando vnum de alio, vt in hac propositione, *homo est animal*. 4. pro esse existentiæ. Primum cùm solùm differat in modo concipiendi ab essentia, tot sunt esse in Christo, quot essentiæ. ita Scotus expresse ibidem. 2. cùm esse sit actus subsistentiæ, & hæc solùm sit vna in Christo tantùm est concedendum vnum esse subsistentiæ. 3. multiplicatur iuxta multiplicationem Prædicatorum, quæ de Christo possunt verâ enuntiatione prædicari. 4. sicut duplex est existentia, ita duplex habet existere; & sic Christus existit homo, & existit Deus. 14.

Dices: In Christo sunt plures essentiæ, scilicet humana, & diuina; ergo Christus non est vnum esse, sed plura. Respondent Aduersarij, quòd esse supponit pro existentia; & consequenter sicut vnam tantùm concedunt in Christo existentiam, ita & vnum esse. Sed iam patet ex dictis, qualiter *esse* potest multipliciter accipi, verum est tamen quòd *esse* absolutè prolatum supponit pro actu entis, seu pro essentia in actu, & sic redit in idem, ac existentia, quia hæc est actus entis, seu essentiæ; & consequenter sicut in Christo sunt plura entia, & plures essentiæ in actu, ita & plura *esse*: si tamen velis, quòd esse supponat pro actu entis in concreto (quod verius reputo) vt sic est dicendum, quòd in Christo est vnum esse sim- 15.

simpliciter, quia est vnum suppositum, & plura secundùm quid, hoc est, plura dicuntur de Christo in concreto, scilicet quòd sit homo, quòd sit Deus, non tamen quia plura concernant supposita, quare dicuntur plura secundùm quid, aliàs simpliciter dicerentur, neque ly *secundùm quid* significat accidens, sed substantiam incompletam alicuius, sic intelligo & explico Scotum §. *concedo*, verò 2. *dico*, & deinceps.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Christus sit aliqua duo appellandus?

1. MVltùm refert in mysteriis nostræ fidei non tantùm rectè sentire, sed etiam sincerè loqui, quare præsens quæstio non est contemnenda, quia de vocibus, in qua primò certum est quòd Christus possit dici vnus masculinè, quia si duo masculinè diceretur, esset locutio hæretica, nam significaret duas personas. ita definitur in Epistola Concilij Alexandrini, quæ est decima apud Cyrillum, & in 5. Synodo generali collatione 8. can. 1. & in 6. can. 4. & idem habetur apud plures Pontifices, & Patres relatos à Recentioribus. Ratio huius est, quia vnus & duo in masculina acceptione personam significant, sicut vnum & duo in significatione neutra significant naturam. ita expressè Damasc. lib. 3. de Fide cap. 7. in fine, Nicenus lib. 3. Thesauri cap. 25. & plures alij apud Vasquez disp. 70. cap. 1. quos sequuntur Scholastici cum D. Thoma in 3. d. 6. q. 2. art. 2. Scoto q. 2. §. *ad* 1. *argumentum*. vnde non licet dicere, Pater, Filius & Spiritus sanctus *sunt vnus*, sed *sunt tres*; nec licet dicere, *sunt tria*, sed *vnum*. quare tota difficultas est, an Christus possit dici duo in significatione neutra, an debeat dici vnum?

2. Circa quam prima sententia (quam sine nomine Auctoris refert Durandus quæstione 1. & quæ aliquibus Recentioribus non apparet improbabilis) affirmat Christum debere dici duo, & non vnum. Et probatur primò ex aliquibus locutionibus Patrum, quæ hoc videntur significare. 2. quia prædictæ voces in neutra significatione referuntur ad naturas, sed in Christo sunt plures naturæ, & non vna, quia est diuina & humana; ergo debet dici duo.

Secunda sententia negat, quòd propriè loquendo possit Christus dici duo, neque vnum. ita Durandus in 3. d. 6. q. 1. Cuius fundamentum est, quia adiectiua secundùm regulas Grammaticæ, quando prædicantur de substantiuo, debent sequi genus subiecti substantiui, sed Christus est generis masculini, & vnum & duo sunt generis neutrius; ergo hæc adiectiua nequeunt prædicari de illo substantiuo, scilicet *Christus*. 3.

Tertia communis & vera sententia affirmat, quòd Christus non debeat dici duo neutraliter. ita ferè omnes Scholastici cum D. Thoma, & Scoto vbi suprà. Hanc conclusionem probant aliqui testimonio Cyrilli epistolâ citatâ, vbi ait: *Sed neque Deum, vel Dominum Christi Verbum Dei nominamus, ne apertè in duo vnum Christum diuidamus.* Sed hæc verba (sicut & alia similia) nihil probant, quia ly *duo* potest sumi in significatione masculina, præterquam quod (ait Lorca) aliter habetur in omnibus codicibus, scilicet, *ne in duos diuidamus*, & sic nihil probat. Similiter nulla est probatio Vasquez cap. 3. videlicet, quia si diceremus, Christus est duo, diuideremus Christum in duo, quod est contra prædictum Cyrillum. Responderi enim potest nullum esse inconueniens diuidere Christum in duo in neutra significatione, quia vt sic refertur ad naturas, & istæ sunt duæ in Christo; & similiter potest responderi, quòd Cyrillus locutus fuit masculinè. 4.

Præterea ipse Vasquez & Lorca disputatione 67. probant hanc sententiam, quia duplex natura, quæ est in Christo, habet vnionem cum personalitate Verbi, & consequenter sunt vnum in persona; ergo de Christo non potest prædicari, quòd est duo, sed vnum. Sed contrà primò, quia duo concernit suppositum in genere masculino, non tamen in neutro, quia vt sic solùm respicit naturam, & hæc est duplex; ergo licèt aliàs vniatur cum supposito, tamen prout concernitur à voce *duo* in genere neutro non respicit suppositum, & cōsequenter non impeditur Christus, vt dicatur *duo*, cùm eius natura sit duplex, & distincta vna ab alia. 5.

Secundò, quia etiam tres diuinæ personæ vniuntur in essentia, & tamen tres dicuntur in concreto, quia vt sic referuntur ad supposita (vt benè ait Scotus quæstione 1. §. *ad argumenta*, & malè citatur à Lorca pro sua probatione) & sumuntur in significatione masculina; ergo in eadem, & eodem modo sumitur *duo*, si referatur ad naturas Christi, prout concernunt suppositum, in qua acceptatione est propositio falsa. Tertiò, quia ipsi fatentur Christum posse dici *duo*, dummodo ponatur aliqua particula denotans dualitatem naturarum, sed eo ipso quòd accipiatur in significatione neutra, hoc denotatur; ergo quòd illæ vniantur cum persona Verbi non tollit veritatem huius propositionis, *Christus est duo*, in significatione neutra.

6. Quare prætermissis his rationibus. Probatur ratione Scoti, §. *ad quæstionem*, quâ plures alij probant extendendo ipsam, quia *duo* refertur ad ipsas naturas Christi, prout inter se sunt distinctæ, vt sic enim sunt duo; ergo eodem modo potest prædicari de Christo, sicut ipsæ naturæ prout inter se distinctæ, sed prout inter se distinctæ sumuntur in abstracto, quia prout vnitæ, & coniunctæ sumuntur in concreto, & in abstracto non possunt prædicari de Christo, quia hæc est falsa, *Christus est natura humana, seu humanitas; Christus est natura diuina, seu diuinitas*; ergo similiter hæc, *Christus est duo*. Ex quo patet, quòd neque possit dici, *Christus est vnum*, quia hæc vox in significatione neutra concernit naturas, quæ non sunt vna, licèt vniantur in persona Verbi, omnes tamen conueniunt, quòd in obliquo, vel in recto, additâ aliquâ particulâ restringenti ad naturas, possit Christus dici duo, vt in his, *Christus habet duo, in Christo sunt duo*, scilicet humanitas, & diuinitas.

7. Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad 1. dico Patres numquam locutos fuisse sine aliquo addito restringenti ad naturas, vel in obliquo, quod ex professo probat Lorca referens numero 8. eorum verba, vbi videri possunt. Ad 2. dico, quòd eo ipso, quòd prædicta vox *duo* refertur ad naturas, non potest prædicari de Christo, quia debet sumi in abstracto, sicut & ipsæ naturæ, quatenus distinctæ, & sicut prædictæ naturæ in abstracto non possunt prædicari in recto de Christo, ita neque *duo*.

Ad argumenta secundæ sententiæ dico, quòd licèt prædicta sententia sit aliqualiter vera, vt patet ex dictis, non tamen propter fundamentum cui nititur; & sic respondeo, quòd licèt verum sit, quòd adiectiua debent sequi genus substantiui, quando adiectiuè prædicantur de illo, non tamen quando substantiuè, vt patet in hac propositione, quæ habetur Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, vbi ly *vnū*, quod est adiectiuum, & prædicatur de Patre & Filio, qui sunt masculini generis, ponitur non in genere masculino, sed in neutro, quia non sumitur adiectiuè, sed substantiuè: vnde in grãmatica deficit, qui ex grammatica argumentabatur; talis autem propositio est vera, quia natura diuina propter infinitatem etiam in abstracto prædicatur de personis, vt in his, *Pater est Deitas, Filius est Deitas*; & consequenter hæc est bona, *Ego & Pater vnum sumus*. 8.

Vasquez cap. 3. n. 14. licèt fateatur, quòd Christus non possit dici *duo* sumpto *duo* neutraliter, & in recto, affirmat tamen posse dici, *Est aliud & aliud, est hoc & illud, est aliquid & aliquid, est vnum & aliud, est vtrumque*, quæ sunt Synonoma. quod probat primò, quia tales locutiones habentur apud Patres, quos referunt. 2. quia secundùm Damascenum lib. 3. cap. 7. Christus non est tantùm homo, nec tantùm Deus; ergo est aliud quàm homo, & aliud quàm Deus, & consequenter aliud & aliud. 9.

Sed contraria sententia est vera, & expressa apud Scotum, §. *ad 1. argumentum*, tenet Lorca n. 9. & citat D. Thomam q. 17. art. 5. in solutionibus argumentorum. Et probatur eodem fundamento, quia si ex eo quòd vox *duo* sumitur in abstracto, ex eo quòd significet naturas in abstracto, non potest in recto absolutè prædicari de Christo; ergo quia *aliud & aliud*, & reliquæ voces eodem modo debent sumi, non poterunt propter eamdem rationem de Christo prædicari in recto, sed vel cum addito, vel in obliquo, sicut vox *duo*: vnde Patres sic loquuntur, vt probat Lorca; vel si aliter, debent explicari benignè: & per hoc patet ad primum. 10.

Ad

Ad 2. respondeo, concedendo antecedens, & negando consequens, quia solùm infertur; ergo in Christo est aliud, seu aliquid, quod non est Deus, scilicet natura humana; & aliud, quod non est homo, scilicet natura diuina.

11. Dices: Christus est Deus, Christus est homo, sed aliud est Deus, aliud est homo; ergo Christus est aliud, & aliud. Respondetur quòd sicut minor propositio solùm est vera in abstracto, & non in concreto, ita & consequentia euadit falsa; & sic sicut minor facit hunc sensum, aliud est Deus, aliud est homo, id est, alia est natura diuina, alia humana: in quo sensu est vera, & sumitur in abstracto, & falsa si faciat hunc sensum, aliud est suppositum naturæ diuinæ, aliud naturæ humanæ, in quo sumitur in concreto, ita consequentia euadit falsa, quia mutat suppositionem vocis, nam in maiori *homo* & *Deus* sumuntur in concreto, & in consequentia in abstracto, & facit hunc sensum; ergo Christus est aliud, & aliud, id est, ergo Christus est natura humana, & natura diuina, quæ propositio est falsa, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in Christo sit vna voluntas, & vna operatio?

1. Postquam expliculmus vnitatem substantialem Christi, agimus de vnitate & pluralitate potentiarum & operationum, & non quærimus de aliis potentiis & operationibus à voluntate & eius operatione. 1. quia obiter de illis erit sufficienter sermo, dum de his egerimus. 2. quia de his fuit contentio cum hæreticis, quæ modò est examinanda.

2. Et omisso errore Eutichetis, & hæreticorum, qui dicuntur Minophitæ, qui sicut vnam tantùm naturam mixtam seu compositam ex duabus constituebant in Christo, ita vnam tantùm volũtatem & operationem in ipso constituebant. Et omisso errore Nestotij, qui sicut Christum purum esse hominem asserebat, solùm per affectum vnitum diuinitati, ita consequenter distinguebat eorum voluntates & operationes. Et omisso errore Apollinarij, & aliorum, qui asserebant Christum assumpsisse carnem sine anima, aut animam sine mente: vnde dicebant voluntatem substituisse diuinam loco voluntatis humanæ. Omissis, inquam, his erroribus, de quibus latè egimus suprà disp. 5. q. 1. fuerunt alij hæretici dicti Monotelitæ, quasi reliquiæ præcedentium, qui etiamsi fatentur in Christo duas naturas distinctas, & vnitas in vna persona Verbi, tamen negabant quòd natura humana Christi habuisset voluntatem humanam, incepit error iste anno 622. & vexauit Ecclesiam præcipuè orientalem 60. annis, cuius auctores fuerunt Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, & Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Paulus & Petrus successores Sergij, & Macharius cum Stephano discipulo, qui interfuerunt in 6. Synodo generali, vbi condemnatus & extinctus fuit.

Hæretici isti variè & inconstanter (vt moris est) loquebantur, vt asserit Agato Papa in Epistola relatâ à 6. Synodo generali art. 4. & licèt tantùm admitterent in Christo voluntatem & operationem diuinam, & negassent humanam, tamen an solùm loquerentur de potentia, an de operatione? Et si de operatione, de qua operatione? Et si de operatione voluntatis, an etiam negarent operationem intellectus? dubitatur. Quem errorem non fuisse relatum fideliter à Scholasticis, asserit Vasquez disp. 73. cap. 1. se autem fideliter collegisse ex Conciliis, in quibus fuit damnatus, sed neque ab ipso fuisse exactè explicatum, sicut neque ab Auctoribus illius, optimè probat Lorca disp 69. à num. 4. vterque autem conuenit in eo quod ad exactam notitiam erroris ad nullam aliam partem potest meliùs recurri, quàm ad 6. Synodum, vbi plura verba illius referuntur. 3.

Dicendum ergo nobis est in hac re, tamquam de fide certum, quòd in Christo fuerit duplex voluntas, similiter & duplex operatio. Hæc conclusio probatur auctoritate Agatonis Papæ to. 3. Conciliorum in 6. Synodo generali actione 4. vbi ex Agatone habentur hæc verba, *Et vnamquamque eius naturam, proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam, omnia, quæ diuina sunt; & humanam, omnia, quæ humana* 4.

sunt absque vllo peccato, & infrà. Nec tamquam separatas in duabus personis, vel subsistentiis. Ex quibus verbis patet omnia esse duplicata in Christo, quæ pertinent ad naturas, exceptâ personalitate in qua facta est vnio; admittit ergo duas naturas, duas potentias intellectus & voluntatis, duas operationes, quarum vna sit diuina, altera humana. Idem constat ex eadem Synodo actione 11. in Epistola Sophronij agentis de Incarnatione, & probantis contra Eutichetem omnia pertinentia ad naturam esse duplicata in Christo. & hoc ipsum constat ex Concilio Calcedonensi actione 5. & ex Symbolo Athanasij, *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.*

PARS PRIMA.

In qua fit satis tribus dubiis ortis ex hoc errore.

5. PRimum dubium est, quid nomine voluntatis intellexerint supradicti hæretici Monothelitæ, an potentiam, an operationem? vtrumque enim potest intelligi eodem nomine. S. Thom. 3. p. q. 18. art. 1. indicare videtur eos, non solùm intellexisse operationem, sed etiam potentiam; quod exponens Caietanus ait, quòd licet hæretici solùm loquantur de actu, tamen consequenter infertur negauisse potentiam, ne maneret perpetuò otiosa.

6. Dicendum igitur nobis est cum Lorca disp. 69. quòd solùm actum negauerunt, non potentiam. Et probatur primò, quia Agato Papa vbi suprà definit voluntatem (de qua ipsi agebant) definitione Augustini dicentis, quòd sit *motus animæ*, sed motus animæ est operatio, & non potentia; ergo, &c. Secundò, quia si negarent potentiam, inciderent in errorem Apollinarij asserentis, quòd in Christo non fuit mens humana, intelligens nomine mentis vel animam prout rationalem, & sic prout intellectiuam & volitiuam, vel ipsas potentias animæ rationalis, at prædicto errori ipsi non acquiescebant, vt patet ex dictis in principio quæstionis. Tertiò, quia Natalis hereticus in Actione 8. expresse concedit appetitum animæ rationalis in Christo, & negat actum illius his verbis, *Numquam animata rationalis Domini caro diuisa, atque ex proprio appetitu naturalem sui fecit mentionem*; ergo habuit voluntatem, cuius in tantum Christus oblitus fuit, in quantum nullum ipsius habuit actum.

Secundum dubium est, quid intelligerent nomine operationis? posset enim intelli, quòd non solùm negarent actum voluntatis elicitum, sed etiam imperatum, & consequenter omnes actus aliarum potentiarum, quæ à voluntate imperantur. tamen pro explicatione huius Nota cum S. Thoma q. 19. art. 1. quòd prædicti hæretici vocabant actus imperatos opus, vel operatum, aut potiùs (vt sæpiùs legitur in 6. Synodo) passiones, & actum imperantem vocabant operationem. 7.

Quo supposito dicendum est solùm negauisse actum voluntatis humanum imperantem alias potentias, non verò actus aliarum. Et ratio est, quia has potentias vocabant passiones, & eorum actus opus, seu operatum, quod totum admittebant in Christo, vt patet ex actione 4. 8. 10. & 11. Concilij, & præcipuè ex Confessione Macharij actione 8. vbi ait: *Si autem passio de eo dicatur per humanitatem, quæ per omnia passionis est capax, hæc operatus est, operatur enim verè diuinitas per corpus, quod circa eam est, omnium salutem, vt corporis quidem sint passiones, Dei verò operatio.* 8.

Tertium dubium est, an excluserint operationem intellectus humani, sicut & voluntatis? & dicendum est quòd sic, quod patet ex pluribus verbis Concilij, & patet ex fundamento sui erroris, scilicet quia si in Christo fuisset voluntas humana (hoc est operatio) sequeretur in eo fuisse peccatum. Ex quo fundamẽto etiam debuerant colligere non fuisse operationem intellectus dictantis de opere peccaminoso. 9.

Sed Veritas Catholica contra prædictum errorem est, quòd in Christo fuerit voluntas humana, & consequenter intellectus, non solùm sumptis pro potentiis, sed etiam sumptis pro operationibus. ita 6. Synodus, & omnes Ecclesiæ Patres, & illius fit mentio passim in S. Scriptura Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; & Lucæ 22. *Nõ mea voluntas, sed tua fiat.* Et insuper Christo tribuitur tristitia, & obedientia, quæ sunt 10.

sunt actus voluntatis, & nequeunt conuenire diuinæ. Et ratio suadet, quia prædictæ potentiæ, & earum operationes pertinent ad perfectionem naturæ humanæ; ergo sicut hanc habuit Christus, ita & illas. Et confirmatur, quia ratio meriti non potest stare sine his operationibus intellectus & voluntatis, sed Christus meruit pro nobis remissionem peccatorum, & gloriam, &c. ergo Christus Dominus non solùm habuit reliquas potentias, & earum operationes, sed etiam intellectum & voluntatem cum omnibus suis operationibus non dicentibus repugnantiam vel indecentiam cum vnione hypostatica, de quibus infrà. ita Scotus d. 14. q. vnicâ, D. Thomas vbi suprà.

11. Solùm est aduertendum, quòd quando Concilia definiunt in Christo esse duas voluntates naturales, vel in Christo esse voluntatem naturalem, ly *naturalem* non sumi prout opponitur contra liberum, neque contra supernaturale, neque in eo sensu, quo Theologi vocant voluntatem *vt natura* ad distinctionem voluntatis *vt ratio*, de quibus fit in materia de actibus, sed sumi pro exigentia naturæ: vnde volunt definire voluntatem humanam & diuinam in Christo iuxta exigentias talium naturarum, & loquuntur de voluntate humana secundùm quod est appetitus cum ratione liber, non secundùm quod est appetitus vt sic, & sub ratione communi, quia in hac consideratione non est in Christo tantùm vnus appetitus, sed plures, scilicet sensitiuus, qui statim diuiditur in quinque sensus, & rationalis animæ, & intellectualis diuinæ naturæ, vt benè obseruauit Scotus vbi suprà.

12. Ad fundamentum erroris adductum in dubio tertio. Respondeo negando sequelam, quia optimè potuit voluntas humana Christi habere operationes non peccaminosas, à quibus à Deo potuit præseruari, vel per manutenentiam, vel per quid aliud, de quo in proprio loco.

13. Sed prætereà obiiciunt auctoritatem Honorij Papæ, qui in duabus Epistolis, quæ lectæ sunt in 6. Synodo actione 13. & 18. definiuit in prima, in Christo tantùm esse vnam voluntatem; & in secunda, non esse dicendum in Christo fuisse vnam, vel plures operationes. Sed respondetur quòd propter prædictas Epistolas fuit in prædicta Synodo ibidem, & in Epistola Leonis II. damnatus Honorius, & reputatus inter Monothelitas; controuertitur tamen inter Auctores in materia de potestate Papæ, an iure damnatus sit, & alij defendunt, alij accusant.

Lorca tamen in præsenti duo asserit: 14. Primum, quòd necessarium sit defendere Honorium, quia prædictæ decretales factæ sunt ab ipso, in quantum Papa, & non distinguuntur ab aliis sic factis; & consequenter posset de eo dici, quòd errauit in quantum Papa, quod est hæreticum. Secundum, quòd Honorius nullo modo errauit, quia nil dicit Catholicæ fidei contrarium in illis Epistolis malè intellectis ab hæreticis; nam quod in prima dicit, scilicet in Christo fuisse vnam tantùm voluntatem, loquitur de vnitate morali, hoc est de conformitate, quam habuit voluntas humana cum diuina, quia fuit semper illi vniformis, non de vnitate physica; quod colligitur ex antecedentibus & consequentibus. & patet ex testimonio S. Maximi Episcopi in Dialogo quodam cum Pyrro Monothelita, qui seruatur in Bibliotheca Vaticana, vt refert Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. in quo Dialogo Maximus testatur hunc fuisse sensum Honorij. Et confirmat testimonio Ioannis secretarij Honorij, cuius manuscripta fuit Epistola, & tunc viuebat, asserentis hunc fuisse sensum Pontificis.

Quando autem Honorius in secunda 15. Epistola prohibet ne dicatur vna, vel plures operationes tantùm respicit ad modum loquendi, & prohibuit vsum harum vocum ad sedandas contentiones, & quia obscurè & impropriè vtebantur ab hæreticis; at verò quantùm attinet ad rem ipsam, definit, quod de fide dicendum est, inquit enim, *Non oportet dicere vnam, vel duas operationes, sed vnum operantem, & duas naturas operatrices; diuinam, quæ Dei sunt operantem; & humanam, quæ carnis sunt exequentem; & vtramque, quæ propria sunt operantem.* quare prohibere voces, seruato Catholico sensu, nullum fuit peccatum, sed fortassis pro eo tempore conueniens; postquam autem hæretici perseuerauerunt

runt in asserendo vnam operationem, Ecclesia condemnauit, & præcepit affirmari duas.

16. Vnde ad obiectionem suprà positam ex condemnatione Honorij Respondet Lorca, primò falsò insertam fuisse ab hæreticis prædictam condemnationem, à quibus vitiati sunt codices sextæ Synodi, & Leonis; quod colligit ex aliquibus coniecturis, scilicet ex odio Græcorum contra Romanum Pontificem, quorum mos erat corrumpere Conciliorum & Patrum codices. Ex quo Auctor Latinus & Catholicus ponit nomen Honorij in Epistola prima Agatonis Papæ, & in originali hoc non reperitur, sed potiùs asseritur ab ipso omnes suos antecessores prædicto errori restitisse. Secundò, admittit talem condemnationem factam fuisse à Synodo, tamen asserit quòd Synodus errauit, condemnabo Honorium, in hoc enim Synodus & Pontifex potuerunt errare, quia non erat causa fidei, sed causa facti; & iudicium de particulari persona.

17. Prætereà obiiciunt hæretici pro suo errore testimonium D. Dionysij in Epistola ad Caium, vbi Christi operationes appellat græcè *Theandricas*, latinè *Deiviriles*, id est, quæ non sint Dei tantùm, nec hominis tantùm, sed Dei & hominis. his verbis. Ceterùm non secundùm Deum diuina faciens, sicque secundùm hominem humana, sed Deo homine facto, nouâ quâdam Dei & hominis operatione, nobiscum conuersatus est; ergo operatio humana (inferunt) non erat distincta ab operatione diuina. Pro cuius solutione & explicatione sit sequens huius Quæstionis Pars.

PARS SECVNDA.

Quid sit operatio Theandrica?

18. EX prædictis verbis Dionysij sumitur occasio disputandi, quid sit operatio Theandrica? hæretici enim ex eo quòd Dionysius non appellabat Christi operationes plures, sed vnam Theandricam, quæ simul esset Dei & hominis, deducebant non esse in Christo operationem, quæ solius esset Dei; & operationem, quæ solius esset hominis. Sed contrà primò, quia neque deducere poterant, quòd operatio Christi solius esset Dei, vt ipsi asserebant, nam operationes humanitatis, passiones, vel operatum appellabant. Secundò, quia hæc explicatio est condemnata à 6. Synodo, & expressiùs à Concilio Lateranensi consultatione 5. canone 13. quare referam diuersos Scholasticorum philosophandi modos circa hanc difficultatem.

Et primò explicarunt aliqui apud Damascenum lib. 3. cap. 14. quòd operatio Theandrica idem sit, quod operatio vna composita ex operatione diuina & humana; non aliter ac Eutichetes dixit, quòd Christi natura erat composita ex duabus tãtùm partialibus, vnam aliam totalem causantibus. Sed explicatio ista est hæretica, sicut simile in quo fundatur: vnde 6. Synodus actione 17. in definitione fidei asserit esse duas operationes in Christo inconfusè & inseparabiliter; sicut enim fides docet esse in Christo duas naturas distinctas, & non confusas, & simul cum hoc inseparabiles propter vnionem ad Verbum, ita asserit hoc ipsum de operationibus, quòd sint distinctæ, & habeant inter se vnionem. 19

Quæ autem sit hæc vnio? non explicant Concilia, & ideò aliqui explicant de vnione per influxum, quia diuina influit in humanam operationem, quatenus illa est operatio agentis principalis, ista agentis instrumentalis, quâ ratione operationes Christi miraculosæ dicuntur *Theandricæ*, quia in eis ostendit se esse hominem & Deum, vt in deambulatione per aquas, ambulare est humanum, & consistere est diuinum. Hęc explicatio Catholica est, sed nimis restringit operationem Theandricam. 20

Ideò alij explicant etiam de vnione morali, quia operatio humana accipit valorem à diuina natura. ita Vasquez disput. 5. cap. 5. quare, inquit, merita Christi fuerunt infiniti valoris. 21

Alij verò explicant de vnione morali, quia accipiebant valorem non à natura diuina, sed à personalitate Verbi iuxta dicta à nobis disputatione 3. quæstione 2. de merito Christi infinito parte 1. & 2. vnde per communicationem idiomatum dicuntur de Deo, quæ hominis sunt; & de homine, quæ Dei sunt. ita Lorca vbi suprà in dubio incidenti 22

de

de operatione Theandrica. Vtraque explicatio Catholica est, & approbatur, sicut & præcedens à Damasceno lib. 3. cap. 19.

23. Sed duo mihi displicent, primò quia vt sic humana operatio non est vnita operationi diuinæ, & è contrà in quo sensu videntur appellari *Theandricæ* à Dionysio, qui asserit, quòd ex eo quòd Deus factus est homo, conuersatus est nobiscum, *nouâ Dei & hominis operatione*. vnde videntur operationes inter se debere vniri, vt quælibet sit vna Dei & hominis operatio. 2. quia secundùm hunc modum dicendi solùm videntur appellari Theandricæ operationes meritoriæ, nam solùm istæ participant valorem infinitum, siue à natura, siue à persona, & excludi, quæ operabatur Deus, v. g. creatio animarum, conseruatio vniuersi, & quæ operabatur secundùm partem vegetatiuam, vt nutritio, &c. quod videtur contrarium illis verbis einsdem Dionysij, *Non operabatur diuina secundùm Deum, neque humana secundùm hominem*.

24. Quare saluo meliori iudicio dicendum existimo operationem Christi diei Theandricam propter conformitatem, quam inter se habebant operatio diuina & humana, prout talis conformitas erat illis (non ex natura rei, sed ex congruentia) debita ratione vnionis hypostaticæ, in quo sensu omnis operatio Christi dicitur Theandrica, & simul cum distinctione reali & physica ipsarum operationum reperitur vnitas moralis, quæ solùm possit reperiri in ipsis, quia licèt operatio Virginis & aliorum Sanctorum habuerit conformitatem cum operatione diuinæ voluntatis, non tamen erat talis conformitas debita ratione vnionis hypostaticæ; sicut in Christo, neque ex illis fit vna physicè ex duabus, tamquam ex partibus, vt asserebat error suprà refutatus, sed vna moraliter.

25. Hæc conclusio probatur Primò ex dictis, quia Dionysius, ex eo quòd Deus homo factus sit, duplicem eius operationem, scilicet humanam & diuinam, vnam & nouam appellauit; sed hæc vnitas, & nouitas non potest consistere in vnitate, & nouitate physica; ergo in morali, quæ ita noua sit, sicut ipsum mysterium Incarnationis, & in hoc sensu videtur intelligi à Damasceno, quando post supradicta asserit, *Hoc enim ostendit Dei virilis operatio, quòd sit operatio Dei viri facti, & humanati*. Et confirmatur, quia hic modus dicēdi includit omnem actionem Christi, tam diuinam, quàm humanam, dici Theādricam, quia sicut voluntas diuina conformabatur cum appetitu partis vegetatiuæ Christi volendo nutritionem carnis, &c. ita voluntas humana conformabatur diuinæ volendo creationem animarum, conseruationem mundi, &c.

Secundò probatur, quia Concilium Lateranense consultatione 5. can. 13. condemnat eum, qui dixerit hanc vocem, *operatio Theādrica*, significare vnam operationem, & non duas, his verbis, *Si quis secundùm sceleratos hæreticos Dei virilem operationem, quam Græci dicūt Theandricam, vnam operationem insipienter suscipit, aut non esse duplicem cōfitetur secundùm SS. Patres, aut ipsam Dei virilis, quæ posita est., nouam vocabuli distinctionem vnius esse designatiuam, & non vtriusque mirificæ operationis vnionis demonstratiuam; anathema sit*; ergo operatio Theandrica ex vi vocis debet significare vtramque operationem, sed non per modum plurium, vt patet ex vltimis verbis, *vtriusque mirificæ operationis vnionis demonstratiuam*; ergo per modum vnius, sed non physicè; ergo moraliter. 26.

Et confirmatur, quia ratione communicationis idiomatum quælibet operatio Christi seorsim sumpta, & vt distincta ab alia, & sine inclusione illius poterit dici Theandrica, sed hoc reiicit Concilium; ergo. Respondet Lorca concedendo, sed asserit Concilium solùm approbauisse hanc vocem in priori sensu de operibus miraculosis & meritoriis, quia pro tunc periculum erat fauendi hæreticis in quacumque alia, modò autem non est, quia sufficienter constat de sensu Catholico. Sed contrà, quia Concilium regulam tradidit generalem circa significationem prædictæ vocis, & excludit quamcumque non significatiuam vtriusque operationis; ergo non est vnde colligamus solùm loqui de priori. Per hoc autem patet ad fundamentum hæreticorum, concedimus enim Christi operationem dici Theandricam, negamus tamen esse vnam physicè, sed 27.

sed duplicem; propter conformitatem tamen, seu vnionem moralem debitam ratione physicæ vnionis hypostaticæ, significatam per modum vnius, dicitur vna, & significatur per modum vnius.

28. Sed iterùm obiiciunt hæretici, quia si in Christo essent plures operationes, reperiretur contrarietas voluntatum. ita argumentantur Macharius, & eius discipuli; imò vt hoc negaret Apollinaris, affirmauit fuisse à Verbo carnem assumptam sine anima, aut saltem animam sine mente, sed pro hoc dubio sit tertia huius Quæstionis Pars.

PARS TERTIA.

An in Christo fuerit contrarietas voluntatum?

29. Excitant hoc dubium tum obiectio facta in fine Partis antecedentis, tum testimonia S. Scripturæ, quæ adduximus in hac Quæstione in probatione Catholicæ veritatis, in quibus videtur esse aliqua contrarietas, tam inter voluntatem humanam Christi, & diuinam, quàm inter volūtatem humanam, & humanam ipsius. Et primò non vrget illud Ioan. *Non veni facere voluntatem meam*, quia non continet sensum aduersatiuum, sed comparatiuum; quasi diceret, Non veni præcisè & principaliter vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem Dei, per quam mea voluntas semper regulatur. Sed vrgent illa testimonia Matthæi & Lucæ, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* quæ tristitia contraria erat voluntati diuinæ, quòd moreretur, imò & humanæ, quâ acceptauit mortem. Similiter vrgent illa verba, *Transeat à me calix iste.*

30. Sed omissis variis Patrum expositionibus, quas adducit Lorca disp. 70. & quæ aliquam violentiam inferunt textui. Vera & communis sententia tenet, Christum fuisse tristatum de sua morte, & aliquo affectu refutasse illam, vt ostenderetur in eius humanitate non solùm fuisse affectus insignis fortitudinis, sed etiam affectus infirmitatis, tamen in his voluntatibus nulla fuit contrarietas, neque inter se, neque cum voluntate diuina, vt definitur in 6. Synodo actione 17. in decreto fidei, & in Concilio Lateranensi sub Martino 1. consultatione 5. can. 16. sed quâ ratione contrarietas non sit, est dubium.

Circa quod primò explicant aliqui in eo consistere, quia voluntas Christi tristari voluit, & quia voluntas diuina idipsum voluit, vt ostenderetur infirmitas naturæ humanæ, & sic non fuerunt contrariæ, sed conformes, imò & voluntas humana secundùm rationem superiorem hoc voluit: vnde etiam illi fuit conformis. ita D. Thomas art. 5. D. Bonau. in 3. d. 17. art. 1. q. 3. Ricard. ibidem, Gabriel q. vnicâ, Carthuzian. q. vnicâ, Durandus q. 1. & desumitur ex Damasceno lib. 3. de Fide cap. 19. Sed licèt hæc ex parte explicet conformitatem tristitiæ cum voluntate diuina & humana, non tamen explicat conformitatem voluntatis humanæ non patiendi, seu transeundi calicem cum voluntate tum humana, tum diuina, volente efficaciter quòd moreretur. 31.

Ideò secundò explicant alij, quòd prædictæ voluntates non dissentiant in volito formali, seu in ratione volendi, sed solùm in volito materiali, nam appetitus sensitiuus Christi, & eius voluntas, vt est portio inferior, recusabant mortem vt disconuenientem naturæ, voluntas autem diuina & humana secundùm portionem superiorem acceptabant illam vt necessariam ad salutem generis humani. Ad contrarietatem autem requiritur, vt affectus sint non solùm circa idem volitum materiale, sed etiam sub eadem ratione, quæ explicatio vera & tenenda est. 32.

Præthereà non erant hi affectus contrarij, quia vnus erat simplex & efficax, alius verò efficax & absolutus: vnde etiam in volito materiali non dissentiebant, quia efficax respiciebat mortem cum executione, inefficax verò non ita, qualiter in homine naufragium patiente reperitur voluntas inefficax retinendi merces, & efficax proiiciendi in mare; & in Deo inefficax, quâ vult omnes homines saluos fieri; & efficax, quâ vult quòd non omnes saluentur, quæ voluntates non sunt contrariæ. ita explicant D. Thomas articulo 6. Scotus distinctione 15. quæst. vnicâ, §. de vltimo. Ricardus, Gabriel, & D. Bonauentura. Carthuzianus vbi suprà, & alij Auctores. 33.

Sed

34. Sed obiicies, quia Agato Papa in Epistola Synodica relata in 6. Synodo actione 4. & ipsa 6. Synodus actione 10. ex voluntate humana recusandi mortem, colligunt in Christo esse voluntatem humanam distinctam à diuina; ergo illa fuit efficax, aliàs non colligeretur distinctio voluntatum, sicut neque colligitur in homine, & in Deo, ex eo quòd habeat vnam efficacem, & aliam inefficacem. Ad hoc argumentum concedunt aliqui argumentum Pontificis & Synodi esse inefficax; sed hæc solutio solùm est bona, quando alia non suppetit. Ideò respondeo consequentiam esse bonam, quia Pontifex non infert illam ex volũtate recusandi mortem præcisè, sed ex eo quod Christus de hac voluntate dixit ad Patrem: *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Ex quo infert, quòd aliqua voluntas sit in Christo, quæ non sit in Patre; & Synodus infert, quià illa recusatio mortis fuit per modum orationis, quæ naturæ diuinæ nõ potest cõpetere.

Finis Mysterij.

DISPVTATIO XI.

DE GRATIA CHRISTI, PROVT EST QVIDAM HOMO SINGVLARIS.

Postquam egimus de Mysterio Incarnationis, venit agendum de his omnibus, quæ accepta sunt à Verbo diuino cum humanitate: & primò de his, quæ pertinent ad perfectionem gratiæ, quia tamen gratia diuiditur in gratiam gratis datam, quæ primò ordinatur in bonum communitatis, aut totius Ecclesiæ, & in gratiam iustificantem, quæ ordinatur in bonum subiecti habentis illam, & hæc iterùm subdiuiditur in habitualem & actualem; illa est forma, quâ aliquis constituitur iustus; ista est auxilium, quod Deus tribuit vt quis se disponat ad iustitiam; ideò primò est agendum de gratia habituali, deinde de reliquis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm in anima Christi fuerit gratia habitualis?

1. Nota primò in hac quæstione ex materia de gratia, quòd ratione gratiæ habitualis redditur quis gratus Deo, sanctus, & iustus. Primò dicitur gratus Deo, quia est obiectum diuinæ dilectionis, quà diligitur, & amatur ab ipso ad vitam æternam, & beatitudinem supernaturalem. 2. dicitur sanctus, quia est impollutus non habens maculam peccati saltem mortalis, nam illa maior sanctitas, quæ dicit carentiam etiam venialium, est propria Beatorum, & etiam fuit per speciale priuilegium in Virgine dum fuit viatrix. 3. dicitur iustus, & quia habet ius ad vitam æternam, & quia est rectus, seu rectè dispositus in ordine ad Deum.

Nota secundò, quòd hæc tria fuerunt in anima Christi perfectissimo modo. Primò fuit dilectus à Deo, Matth. 3. & 17. *Hic est meus Filius dilectus*. & loquitur de Christo secundùm humanitatem, vt patet ex contextu. Secundò 2.

fuit sanctus, Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum*, vbi loquitur de sanctitate creata secundùm Hilarium 7. de Trinitate, Athanas. orat. de natura humana assumpta, Chrysostomum homil. 60. in Ioannem. Tertiò, fuit iustus, Isaias 45. *Et nubes pluant iustum*, &c. Difficultas ergo quæstionis est, an hæc tria conueniant animæ Christi ratione gratiæ habitualis? an verò ratione alterius formæ?

3. Et primò videtur, quòd non conueniant ratione gratiæ habitualis, quia Christus est Deus per essentiam; gratia autem habitualis facit Deum per participationem, nam vt ait D. Petrus in Epistola 2. cap. 1. *Per illam reddimur consortes diuinæ naturæ*; ergo non fuit in Christo. Præterea etiamsi in Christo non fuisset ista qualitas, anima eius esset grata, sancta, & iusta coram Deo ratione vnionis hypostaticæ; ergo non fuit.

4. Sed certa conclusio est, quòd in anima Christi sit gratia habitualis. Conueniunt omnes Scholastici cum Magistro in 3. d. 13. vbi hoc supponit Scotus, & quærit quæstione 2. an illa gratia fuerit summa? Et probatur primò ex suprà adductis locis Scripturæ. Insuper & confirmatur ex Psalmo 44. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: sed consortes vnguntur gratiâ habituali, quæ est oleum lætitiæ, lucis, & claritatis æternæ; ergo. Et Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius plenum gratiæ & veritatis*; quod esse intelligēdum de Christo, & non de Ioanne Baptista (vt asserebant Erasmus, & Caietanus) probat Lorca disputatione 37. & patet ex contextu. Præterea Lucæ 2. dicitur, quòd *gratia Dei erat in illo*; ibidem dicitur, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* ecce qualiter distinguit sanctitatem nati, & filiationem Dei nati: sed hæc sanctitas prout distincta à filiatione Dei naturali prouenit à gratia habituali; ergo. Et confirmatur pluribus aliis locis adducendis in tota hac Disputatione.

5. Deinde secundò probatur ex Augustino 15. de Trinitate cap. 26. vbi ait: *Dominus ipse Iesus non solùm Spiritum sanctum dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, & propterea est plenus gratiâ, quia vnxit eum Deus Spiritu sancto, non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.* Et confirmatur ex Concilio Tridentino sectione 6. can. 7. vbi generaliter definit iustos iustificari per infusionem gratiæ & charitatis; ergo prædicti effectus conueniunt Christo ratione gratiæ habitualis.

Sed expressè de Christo Domino habetur hæc veritas in Concilio Ephesino 2. tom. Conciliorum parte 1. in Epistola 2. Cyrilli ad Monachos Ægypti, vbi habentur hæc verba: *Nomen hoc itaque Christus neque soli Emanueli, neque propriè quoque Emanueli conuenit, sed ceteris omnibus qui Spiritus sancti gratiâ vncti sunt, deriuata namque est vox hæc ab ipsa re, ab eo siquidem quòd inuncti sumus Christi appellamur; quod autem nos quoque hoc tam illustri, tamq; amplectendæ gratiæ dono verè locupletemur, id sapiens ille Ioannes eiusmodi oratione cõfirmat: Et vos, inquit, vnctionem habetis à Sancto. De ipso porrò Emanuele, ita scriptum extat* (Actor. 10.) *Iesum à Nazareth quomodo eum vnxit Deus Spiritu sancto, & virtute. Sed & D. quoque Vates Dauid eundem alicubi* (Psal. 44.) *ita affatur: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*, &c. *Et quid ergo eximium præ ceteris*, &c. Et numero 15. in fine colligit, quòd ex eo quòd Emanuel dicatur sanctificatus, non loquatur de ipso vt Deo, sed vt homine, quia Deus per naturam sanctus est. 6.

Iterùm confirmatur hæc veritas ex psal. 132. vbi de Christo secundùm Patrum expositionem intelliguntur illa verba, *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*; ergo sicut vnguendum quidem in barba & in ora est gratia habitualis, ita quod est in capite; ergo sicut per priora intelliguntur membra Christi, ita per vltimum ipse Christus secundùm quod homo: vnde D. Ambros. lib. de Spiritu sancto cap. 11. circa illa verba, *Christum natum & renatum*, ait, *quem natum de Spiritu sancto confitemini, quia negare non potestis, renasci negatis? magna insipientia est, vt quod est singulare hominum confiteamini, quod commune est hominum denegetis*; ergo ex Ambrosio insipientia est negare Christo 7.

Domino gratiam habitualem.

8. Ad primam rationem in contrarium respondeo, quòd quamuis Christus ratione naturæ diuinæ sit Deus per essentiam, tamen ratione naturæ humanæ potest esse Deus per participationem ratione gratiæ habitualis, quia simul cum vnitate personæ stat distinctio naturarum.

9. Sed dices: Reliqua accidentia naturæ humanæ Christi denominant suppositum diuinum, v. g. Christus moritur, Christus est albus, &c. ergo & gratia; ergo sicut potest dici de Christo in concreto simpliciter, & absolutè, quòd sit gratus, ita poterit dici quòd sit Deus per participationem. Respondetur negando hanc vltimam consequentiam propter metum hæreticorum callidè diuidentium in Christo supposita prætextu filiationis adoptiuæ, vt latè dicemus disputatione 17. quæstione 1. Et ratio est, quia esse gratum, est effectus, qui non repugnat Christo; tamen constituere Deum per participationem, repugnat quantùm ad denominationem, quia denotat ipsum non esse verum Deum: vnde sicut de ipso absolutè non potest dici quòd sit Filius adoptiuus, ita neque quòd sit Deus per participationem, benè tamen cum addito, scilicet secundùm naturam humanam, quia vt sic ratione gratiæ habitualis habet ius ad participandum naturam diuinam per modum hereditatis per visionem & fruitionem beatam, quod est esse Deum per participationem. Secunda ratio dubitandi petit Quæstionem sequentem.

QVÆSTIO II.

Ad quid fuerit necessaria gratia habitualis in anima Christi?

1. PRætermissâ sententiâ requirente gratiam habitualem in humanitate Christi, vt esset disposita ad vnionem hypostaticam, quam refutauimus in proprio loco. Duæ inueniuntur sententiæ in hac Quæstione: Prima affirmat, quòd Christus Dominus vt homo est, non indiguit simpliciter & necessariò gratiâ habituali ad hoc vt esset gratus, iustus & sanctus, quia totum hoc habuit ex vnione hypostatica ad Verbum diuinum, vnde inquit solùm fuisse gratiam habitualem necessariam secundùm quid, & ad melius esse. Hanc sententiam probasse videtur Dominicus de Soto in 4. d. 19. q. 1. art. 2. sed expresse tenet Suarez 3. p. disp. 18. sect. 1. Vasquez disp 41. cap. 3. Palatius in hac distinct. disp. 1. Vincentius de Gratia Christi q. 1. fol. 93. Valent. 3. p. q. 7. punct. 1. Toletus in caput 1. Lucæ annot. 104. Bannez 2. 2. q. 24. art. 3. dub. 2. §. vlt. Pesantius 3. p. q. 7. art. 1. disp. 1. Lorca disp. 36. Leon 1. p. variarum relectione de hac re Montessinos in materia de gratia Christi manuscripta quæstione 2.

Ceterùm inter prædictos Auctores aliqui huic sententiæ ita adhærent, quòd Vasquez doceat contrariam aduersari expressè doctrinæ Patrum & Conciliorum, & esse absurdam. Et Vincentius dicat neque cum probabilitate, neq; cum securitate affirmari posse. Sed priusquam proponam huius sententiæ fundamenta, Nota diuerso modo declarari ab Auctoribus sanctitatem Christi, quam omnes illi appellant substantialem ad distinctionem gratiæ habitualis, quam vocant accidentalem, nam Vasquez, Toletus, & Turr. deitati tribuunt sanctificationem, & reliquos effectus. Valencia, Lorca, & Leon personalitati Verbi, Montessinos tribuit vtrique, & tandem alij tribuunt vnioni, quæ est forma creata, & inhæret vel informat humanitatem, quia in hoc non inueniunt inconuenientia, quæ reperiuntur in illis. 2.

Hæc sententia probatur primò ex locis sacræ Scripturæ in antecedenti quæstione adductis pro sanctitate Christi, quia tamen potiùs videntur loqui de gratia habituali, ideò adducuntur plura testimonia Patrum, quæ ad tres classes possunt referri: In prima eorum, qui asserunt Christum fuisse vnctum, seu sanctum per naturam, & sanctitatem illius fuisse naturalem, & non acquisitam operibus aut labore, neque fuisse externam, aut gratis collatam, sicut in aliis hominibus. ita Hieronymus in Psal. 44. Ildephons. in Sermone de Purificatione Virginis, Concilium Francforense in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, Dionysius Alexand. in Epistola contra Paulum Samosatenum, vbi 3.

comparans Christum cum Ioanne Baptista probat antecessisse in sanctitate, *Quia in Ioanne quidem erat opus, & labor iustitiæ, in Iesu verò natura.* Et inferiùs, vt ostendat quo pacto sit Christus naturâ iustus, & non labore, sic ait: *Christus enim non solùm nomine, sed veritate est Christus Iesus, qui est ante sæcula Verbum, ipse factus est homo ex Maria incarnatus, non enim sortitus est vnctionem externam, sicut nos sortiti sumus, qui antè non vocabamur Christi, ipse verò Christus Dominus vt qui est.* ita alij Patres, sed hoc testimonium pro omnibus retulisse sufficiat.

4. In secunda classe referuntur testimonia eorum, qui asserunt Christum in ipsa conceptione fuisse vnctum, seu sanctificatum. ita Cyrillus de fide ad Theodosium. Anselmus super 1. caput ad Hebræos, Gregorius lib. 9. Registri epistolâ 61. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 6.

5. In tertia classe referunt testimonia eorum, qui asserunt humanitatem Christi fuisse vnctam & sanctificatam ipsâ diuinitate. Ita Nazianzenus oratione 2. de Paschate, & orat. 4. de Theologia, vbi habet hæc verba: *Christus propter diuinitatem* (scilicet dicitur) *ea enim humanitatis vnctio est non operatione, vt in aliis Christis sanctificans, sed totius vngenti præsentia, cuius hic effectus est, vt id quod vngit homo vocetur, & quod vngitur Deus fiat.* Et Damascenus lib. 3. cap. 15. non solùm dicit Christum vt hominem fuisse deitate vnctum, sed etiam Deitatem ipsam appellat vnctionem humanitatis. Idem habet Athanasius oratione contra Arrianos, allegatur enim 6. Synodus generalis, sed non dicit humanitatem fuisse sanctificatam deitate, sed fuisse deificatam. Alij verò allegantur, sed falsò, vt probat Lorca disp. citatâ, num. 7. & tandem alij comparantes humanitatem Christi vnitam Verbo ferro ignito.

6. Secundò probant ratione, quia eo ipso quòd humanitas fuit vnita Verbo, in primis erat obiectum diuinæ dilectionis, quâ ordinat ad beatitudinem. 2. erat impeccabilis, repugnabatque illi qualibet macula peccati. 3. illi debebatur gloria, & erat rectè disposita in ordine ad operationes, quæ circa Deum versantur; ergo non indiguit gratiâ habituali ad prædictos tres effectus, sed illos habuit vel ex diuinitate vnita, vel ex personalitate Verbi, vel ex vnione ipsa.

Ex quo consequenter duo inferunt. 7. primùm gratiam habitualem non esse simpliciter necessariam, vt Christus mereretur, & satisfaceret, quia sicut erat sanctus per prædicta, ita merens, & satisfaciens. Et confirmant ex eo quòd valor infinitus, vel saltem summus aduenit Christi operibus ex Diuinitate, vel ex Verbo; ergo ad rationem merendi infinitè, vel summè, non indiget gratiâ habituali. Et si inquiras ad quid requiritur hæc? Respondent ad hoc vt Christus non solùm sit substantialiter sanctus per vnionem, sed etiam accidentaliter, & per formam intrinsecè inhærentem, qualis est gratia habitualis, & sic sit omni modo sanctus. Secundò inferunt humanitatem Christi non potuisse de potentia Dei absoluta manere in puris naturalibus, quia eo ipso quòd esset vnita hypostaticè, esset sanctâ sanctitate substantiali, licèt posset esse absque sanctitate accidentali.

Secunda sententia opposita asserit, 8. quòd Christus Dominus indiguit simpliciter & necessariò gratiâ habituali ad prædictos tres effectus sanctitatis, quare licèt vnio hypostatica tribueret illi sanctitatem, quæ sumitur pro dignitate morali in ordine ad cultum & adorationem, siquidem ratione illius debet adorari adoratione latriæ, & ratione illius dicatur, & sit Filius Dei naturalis, tamen non constituit eius humanitatem gratam, iustam, & sanctam formaliter, & actu, sed solùm radicaliter, & in potentia. Hęc sententia communior videri debet, quàm præcedens, in primis quia nullus ex Antiquis agnouit sanctitatem (quæ est propria iustorum, de qua agimus) prouenire ab vnione hypostatica, sed à gratia habituali. Vnde D. Thomas 3. p. q. 7. art. 1. ad 1. ait, quòd cùm anima Christi non sit diuina per essentiam, oportet quòd fieret diuina per participationem, scilicet per gratiam (intellige habitualem, de qua agebat) & Scotus in 3. d. 2. q. 1. *§. contra istam opinionem*, & d. 12. q. vnicâ ad 1. & d. 19. q. vnicâ, *§. contra hunc modum*, vbi agit de impeccabilitate Christi, & de filiatione adoptiua ipsius secundùm humanitatem, supponit humanitatem non

non esse sanctam per vnionem, quare vt sententiam magis conformem doctrinæ ipsius defendunt Faber super 3. disp.28. cap.vnico, Ouandus d.13.q.2. dubitatione 3. & cōmuniter Scotistæ. Ex aliis Palud. d. 13. q. 72. Ricardus, Taper. art. 8. Marsilius q. 10. conclusione 1. & plures alij.

9. Ex qua sententia dico similiter inferuntur, sicut in prima contra illam. Primum, quòd gratia habitualis fuerit Christo simpliciter necessaria ad merendum, & satisfaciendum. ita tenet expressè D. Bonauent. in 3. d. 13. q. 1. Ouandus ibidem num. 8. Secundum, quòd de potentia Dei posset assumi à Verbo natura humana, & manere posteà in puris naturalibus, hoc est sine peccato, & sine gratia iustificante, licèt cum vnione hypostatica, quæ supernaturalis est. ita Durandus d.12. quæst.2. Capreolus d.13. q.2. art.3. Medina 3.p. q.7.art.1. quam sententiam vtpote veriorem probo sequentibus conclusionibus.

10. Dico primò: Christus secūdùm quod homo non fuit formaliter & actu gratus Deo, sanctus, & iustus ex vi vnionis hypostaticæ, hoc est, neque ex deitate, neque ex personalitate Verbi, neque ex vnione ipsa. Et probatur primò, quia non ex deitate tamquam forma, quia sicut neque recipi potest in humanitate, ita neque potest illam informare, ex quo argumento probat Scotus in 1. d. 17. contra Magistrum, quòd neque Spiritus sanctus, neque Diuinitas potest esse causa formalis sanctificans animam: Scotum autem sequuntur in hoc omnes Scholastici.

11. Sed dices primò cum Aduersariis, Non est forma, sed quasi forma extrinseca. Contrà primò: Ergo non sanctificat, sed quasi sanctificat extrinsecè; & tunc inquiro quid sit, quasi sanctificare extrinsecè? patet consequentia, quia humanitatem sanctificari non potest intelligi, nisi in genere causæ formalis, & per donum intrinsecè nobis inhærens, vt docet Concilium Tridentinum sessione 6. de Iustificatione. Contrà 2. Ergo si humanitas non fuit intrinsecè sancta per deitatem, debemus assignare aliam formam tamquam simpliciter necessariam, per quam sit intrinsecè sancta, aliàs reliqui iusti essent magis ab intrinseco sancti, quàm Christus vt homo. Contrà 3. quia diuinitas solùm præstare potest ius in ordine ad hereditatem increatam formaliter loquendo, quod solùm potest conuenire humanitati per cōmunicationem idiomatum; vel si præstare potest respectu huius subiecti ius ad hereditatem creatam, hoc similiter facit gratia habitualis; ad quid ergo recurrendum est ad vnionem, seu ad diuinitatem, si hoc habet gratia ex natura sua, vel ex lege Dei respectu cuiuscumque subiecti, quantò magis respectu istius?

Dices secundò: Licèt non sit forma intrinseca, non tamen est forma omnino extrinseca, quia est vnita realiter cum humanitate ratione personalitatis Verbi. Sed contrà, quia etiam albedo est realiter vnita cum dulcedine in pomo, & vna non comparatur tamquam forma, neque quasi forma cum altera; ergo neque similiter diuinitas cum humanitate, etiamsi sint in eadem persona. Prætereà, quia si est vnita realiter ratione personalitatis; ergo sicut ipsa personalitas non sortitur rationem formæ, sed rationem termini, ita & ipsa diuinitas; ergo non est in ratione formæ sanctificans adhuc extrinsecè. 12.

13. Secundò probatur conclusio, quia deitas vel se habet vt forma physica sanctificans humanitatem, vt asserunt Lorca & Montess. vel vt forma moralis, vt docent Vasquez & alij, sed neutro modo; ergo. Minor probatur quantùm ad primam partem, primò quia deitas esset pars ordinata ad compositum, quod est imperfectio. 2. quia humanitas esset dea, non aliter, ac est personata personalitate Verbi, & tunc essent formaliter & actu duo Dij. patet consequentia, quia effectus formalis & primarius deitatis esset deificare. 3. quia si Verbum assumeret naturam irrationalem, illam cōstitueret sanctam sanctitate iustorum. Neque obstat, si dicas, quòd natura irrationalis est incapax talis effectus, quia contrà est, quòd etiam repugnat creaturæ esse sanctam sanctitate diuinà, nam ipsa deitas est ipsa sanctitas essentialis; ergo vel præstabit necessariò suum effectum, vbicumque ponatur per vnionem hypostaticam; vel si non præstat, est ex eo quòd repugnet illi esse sanctitatem alicuius

cuius creaturæ. quare vnum ex duobus deberet dici, vel quòd Verbum non potest assumere naturam irrationalem, quod est contra ipsos, vel quòd diuinitas ex eo quòd vniatur, non acquirit esse formam sãctificatiuam illius cum quo vnitur. Minor ipsa probatur, quantùm ad secundam Partem, primò quia forma moralis est formaliter aliquod ens rationis; ergo licèt ortum habeat ab aliqua forma reali, scilicet à diuinitate, tamen formaliter non erit ipsa diuinitas; ergo diuinitas non est forma sanctificans. 2. quia aliàs nostra sanctitas esset forma perfectior, quàm sanctitas Christi, quia nostra est realis, illa rationis, scilicet denominatio extrinseca proueniens à Deitate. 3. quia Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 7. can. 11. loquens de sanctitate iustorum definit non consistere in aliquo extrinseco, quales sunt formæ extrinsecæ, scilicet iustitia Dei, & Christi, à quibus sumerentur denominationes iustitiæ, & sanctitatis hominum iustorum; (vt asserebant hæretici) sed ait, consistere in aliqua forma nobis intrinsecè inhærente; ergo diuinitas non est forma moralis, à qua sumatur, & deriuetur in humanitatem Christi denominatio sanctitatis.

14. Dices primò: Loquebatur Concilium de sanctitate iustorum contra hæreticos, non de sanctitate Christi. Contrà primò, quia sanctitas Christi, de qua disputamus, est sanctitas, quæ est propria iustorum, & præstat prædictos tres effectus. 2. quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed nostra iustitia est propter iustitiam Christi, quia ille deriuat in nos suam iustitiam; ergo si nostra iustitia est forma realis, & non moralis, multò magis iustitia Christi erit per formam realem, & non moralem. 3. quia si per impossibile humanitas esset cum peccato, quando fuit assumpta à Verbo, non posset per Deitatem sanctificari, & mundari à macula habituali peccati, præcipuè in sententia Vasquez 1. 2. disp. 207. asserentis non posse deleri absque intrinseca mutatione, à iustitia actuali, vel habituali prouenienti; ergo Christus secundùm quòd homo non habet prædictos tres effectus sanctitatis ratione diuinitatis, tamquam ratione formæ.

Dices secundò: Opera Christi Domini habuerunt valorem moralem, vel infinitum simpliciter, vel secundùm quid, secundùm diuersas sententias, prouenientem ex Deitate, vel ex persona Verbi, vel ex vtraque; ergo similiter potuit prouenire effectus sanctitatis in esse moralis ab illis. Respondeo quòd est dispar ratio de sanctitate, ac de valore morali operum, quia illa debet prouenire à forma intrinsecè inhærente, quæ sit sanctitas realis; hic verò ab æstimatione extrinseca, quæ solùm deriuat in rationem æstimatam quid rationis. præterquam quòd iam diximus disp. 3. q. 2. p. 2. quomodo valor moralis proueniat à persona Verbi, quasi in genere causæ efficientis, & à Deitate tamquam à causa finali. 15.

Tertiò probatur conclusio, quia diuinitas per se & formaliter solùm præstat ius in ordine ad hereditatem increatam; sed hoc non potest conuenire primò & per se naturæ humanæ Christi, sed solùm per communicationem idiomatum; ergo humanitas Christi neque physicè, neque moraliter potuit esse sancta per sanctitatem increatam Dei, sed solùm potuit sanctificari per sanctitatem creatam, quæ præstat ius in ordine ad hereditatem creatam, qualis est visio, & fruitio Beatorum: hoc autem ius de facto solùm habetur ratione gratiæ habitualis, propter quam *sumus heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* 16.

Eadem argumenta, quæ facta sunt contra hunc modum philosophandi, militant contra alium dicentem, quòd humanitas sanctificetur per personalitatem Verbi, quia neque similiter potest esse forma physica, neque moralis, cùm solùm se habeat vt terminus extrinsecus terminans dependentiam naturæ humanæ ad subsistendum. Et confirmatur, quia personalitas Verbi non terminat in quantum sancta, sed tantùm in quantum personalitas; ergo non sanctificat, sed tantùm personat. 17.

Prætereà modus vnionis non potest esse forma sanctificans, primò quia hoc absque fundamento dicitur, cùm locutiones Sanctissimæ & Patrum in tantum loquantur de vnione, in quantum respiciunt dignitatem Christi, prout prouenientem, vel à Diuinitate, vel à perso- 18.

personalitate Verbi, vel ab vtraque; non verò loquuntur de ipsa vnione formali, quæ est quid creatum, & in opinione positum an detur, vel non, vt diximus in proprio loco. Secundò, quia effectus huius vnionis est vnire, non sanctificare, quare eadem esset, si Verbum vniretur naturæ irrationali. Tertiò, quia si ad hanc formam creatam recurritur, quare non recurretur meliùs ad gratiam habitualem, quæ in omnium sententia est forma sanctificatiua, & illa quantum est ex se non poterit magis sanctificare, quàm ista. Quartò, quia talis vnio se habet vt causalitas, & via secundùm Thomistas; sed sanctitas Christi debet esse perfecta, & in facto esse; ergo, &c.

19. Dico secundò: Christus secundùm quod homo potuit de potentia absoluta sanctificari per aliam formam, quæ non esset gratia habitualis, quæ de facto reperitur in iustis. vnde hæc non est ita simpliciter, & per se necessaria, quod repugnat Christum sanctificari sine illa. hanc tenet Scotus in 1. dist. disputatione 17. quæstione 1. articulo 2. de omnibus creaturis capacibus sanctitatis, & loquendo de Christo tenet Faber vbi suprà numero 7. Et probatur primò ex communi doctrina Theologorum, quia Deus non alligatur causis secundis, & quod potest mediantibus illis, potest sine illis; ergo quidquid potest mediâ gratiâ habituali, potest sine illa. Secundò, quia gratia habitualis physicè solùm habet, quòd sit decor animæ, moraliter autem habet prædictos tres effectus illi annexos ex voluntate diuina (secundùm ea quæ dicuntur in materia de gratia ex doctrina Scoti) ergo de potentia Dei potuerunt esse annexi visioni beatæ, vel vnioni, quæ relatio est ad hypostasim, vel habitui infuso castitatis, verbi gratiâ, vel alteri formæ creatæ, & media illa anima Christi sanctificari, sicut media gratia habituali.

20. Dico tertiò: Christus secũdùm quod homo de facto, & secundùm legem Dei ordinariam indiguit gratiâ Dei habituali simpliciter & necessariò, vt haberet prædictos tres effectus sanctitatis. Hæc conclusio sequitur ex prima, quia si ex vi vnionis hypostaticæ humanitas Christi non potuit formaliter sanctificari, nec ratione naturæ diuinæ, nec ratione personalitatis Verbi, nec ratione modi. Insuper non constat nobis, quòd fuerit sanctificata de potentia Dei, vel per fauorem extrinsecum, vel per aliam formam creatam; ergo dicendum est, quòd fuit sancta per gratiam habitualem, & consequenter hanc esse simpliciter necessariam de facto ad hoc vt esset sancta, iusta, & grata Deo.

Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Et primò ad testimonia Patrum primæ classis dicimus appellare vnctionem, seu sanctificationem Christi naturalem, vel à natura. Primò, non quia fuerit à natura diuina formaliter, vel à persona, sed quia habuit à principio conceptionis illam, qualiter nos dicimur *natura filij iræ*, quia concepti sumus tunc in peccato originali. Secundò, quia gratia habitualis, quâ humanitas Christi sanctificatur, debita erat debito, quasi connaturalitatis ratione vnionis ad Verbum propter magnam congruentiam: vnde non sortiebatur absolutè rationem gratiæ, hoc est rationem indebitæ, neque data est ratione operum, sicut contingit in nobis, in quibus gratia recepta datur intuitu operum Christi. Tertiò, dicunt vnctionem Christi non fuisse externam, vel ad excludendum eam, quæ olim fiebat Regibus & Sacerdotibus, & nunc fit nobis in baptismo, ratione cuius dicimur Christiani: hic autem homo dicitur Christus ab vnctione interna diuinitatis vnitæ; vel ad excludendum nostram iustificationem, quæ superuenit nobis, cùm nati sumus in peccato, & non in gratia, & sic hæc aduenit rebus, quasi externè: Christus autem numquam fuit non vnctus, seu non sanctus. 21.

Vnde ad verba Dionysij respondeo Ioannem Baptistam indiguisse ad suam sanctificationem opere aut labore, quia saltem indiguit merito Christi illi applicato: Iesus verò ex natura fuit iustus, quia hoc habuit in primo instanti, & in conceptione suæ naturæ independenter à quocumque merito, neq; sortitus est vnctionem externam 22.

gratiæ habitualis, sicut nos sortiti sumus per baptismum, vel per sacerdotium, sed fuit Christus, id est vnctus internè, quia habuit vnctionem gratiæ debitam ratione vnionis, quæ illi erat intrinseca, & hoc ipsum confirmant auctoritates secundæ classis. vnde potiùs sunt pro nobis.

23. Ad testimonia tertiæ classis respondeo, quòd quando Sancti asserunt, quòd humanitas Christi fuit vncta, & sanctificata per diuinitatem, debet intelligi causaliter, non verò formaliter, quia fuit causa, origo, & fons, vnde fuit deriuata sanctitas gratiæ habitualis in humanitatem; non verò fuit forma, quâ formaliter sanctificaretur, quia esse formam repugnat, vt probauimus, quæ solutio optima est, sicut illa communis apud omnes Auctores, quando asseritur, quòd Spiritus sanctus est nostra iustificatio, & quòd nos vncti sumus Spiritu sancto, & quòd Christus sit nostra sanctificatio, iustitia, & redemptio, quas locutiones esse veras in sensu causali, non verò in formali, licèt præ se ferant sensum formalem, fatentur omnes, & necessariò. quia tamen testimonia Nazianzeni, Damasceni, & Athanasij dicunt humanitatem fuisse Deitate delibutam, & Deitatem fuisse vnguentum, chrisma, & vnctionem, quæ verba in rigore sermonis videntur significasse causam, & causalitatem formalem. Ad maiorem abundantiam dico debere intelligi de vnguento, chrismate, vnctione, & sanctitate, quæ præstat cultum, & adorationem, quæ in Christo reperta est ratione Deitatis, vel tamquam formæ, vel tamquam termini formalis specificatiui relationis ad illam, ratione cuius adoratur adoratione latriæ iuxta ea quæ dicuntur in materia de adoratione; non verò debere intelligi de sanctitate, quæ est propria iustorum, & præstat tres prædictos effectus. vnde in verbis adductis Nazianzeni assignatur pro effectu vnionis, quòd ille (scilicet homo) qui vngitur, Deus fiat: hoc autem est deificari, & fieri dignum, vt tamquam Deus adoretur, quam duplicem sanctitatem in Christo distinguunt Cyrillus epistolâ ad solitariam vitam, quæ habetur in Concilio Ephesino tom. 1. & in declaratione septimi Anathismi ibidem tom. 5. cap. 8. Bernard. homil. 4. in *Missus est*, & serm. 16. in Cantica; Chrysost. homil. de Sancto & venerando Spiritu; Hieron. in illud Abacuc, *Egressus est in salutem*, &c. Ambros. 1. de Spiritu sancto cap. 8. Et hoc etiam significat humanitatem esse, quasi ferrum ignitum, neque enim ignis informat partes ferri, sed extrinsecè illis adhæret existens in poris illius, & sic exemplum non tenet in omnibus.

Ad secundum argumentum ductum ex ratione Respondeo primò humanitatem ratione vnionis esse gratam, sanctam, & iustam causaliter, non verò formaliter, quia ratione Verbi, cum quo vniebatur, erat illi debita gratia habitualis, quâ de facto humanitas redditur formaliter grata, sancta, & iusta; quare asseruimus disputatione 4. quæstione 1. parte 2. quòd vnio hypostatica, gratia habitualis, & gloria Christi se habent sicut finis & media, & quòd vnio sit primum medium, quia in executione est causa quare detur humanitati Christi gratia, sicut gratia est causa quare detur gloria. Secundò respondeo, & in idem redit, quòd humanitas ratione vnionis est obiectum diuinæ dilectionis, quâ ordinat ad beatitudinem, est impeccabilis, est debita illi gloria ex iure, & est rectè disposita in ordine ad operandum supernaturaliter, quia totum hoc debetur illi mediatè ratione vnionis, non verò immediatè, nam vt sic totum hoc debetur gratiæ habituali. itaque est obiectum diuinæ dilectionis, quâ vult dare gratiam habitualem, cui hæc omnia sunt debita immediatè. Et per hoc patet ad argumentum, quod fuit causa huius Quæstionis, & similiter patet immeritò notari aliquâ censurâ hanc sententiam, imò necessariam duximus scientiam, seu opinionum percipere probabilitatem, ne censeremus aduersam, & ideò sit Quæstio sequens. 24.

QVÆSTIO III.

Quâ certitudine gaudeat, in anima Christi fuisse gratiam habitualem?

1. IN primis conueniunt omnes esse temerarium, qui negant in Christo gratiam habitualem, quia in re graui absque vrgenti ratione se opponeret torrenti Scholasticorum. Dubium ergo est, an hoc sit de fide? & partem affirmatiuam tenent Lorca disputatione 37. & Suarez disputatione 8. sectione 2. licèt differant in hoc, quod Lorca solùm admittit esse de fide, quòd habuerit gratiam, non verò vt habitualem; Suarez verò admittit vtrumque: Et probat Primò, quia in Christo fuit charitas, 3. ad Ephes. sed charitas vel est ipsa gratia habitualis, vel saltem inseparabilis ab illa; ergo. Et quòd sit habitualis colligitur ex verbis Ioan. 15. *Sicut ego diligo Patrem, & maneo in eius dilectione*, vbi *manere* significat permanentiam habitus, quæ non reperitur in actu.

2. Secundò probat ex Tridentino sessione 6. cap. 7. vbi generaliter definit de omnibus iustis, iustificari per iustitiam inhærentem, & per charitatem diffusam in cordibus nostris, & de fide est, quòd in ceteris iustis, ista iustitia, & charitas sit habitus; ergo & in Christo. Tertiò, quia id quod omnes sancti Patres docent tamquam de fide, est de fide: sed communis consensus illorum est, quòd sit de fide in Christo esse gratiam habitualem; ergo, &c.

3. Partem negatiuam tenet Vasquez disputatione 41. capite 1. & addit neque Scripturam, neque sanctos Patres aliquam mentionem fecisse gratiæ habitualis, aut aliquo modo illam indicasse, quod probat adducendo omnes auctoritates, & illas explicando vel de sanctitate accepta ex vnione hypostatica, vel de aliis gratiis gratis datis.

4. Pro explicatione nostræ sententiæ Nota quòd in ceteris iustis est de fide, quòd gratia, quâ iustificantur, est aliquid inhærens, quia ita habetur apud Concilium vbi suprà, non verò est de fide, quòd sit habitus, primò quia posset esse tam in pueris, quàm in adultis relatio extrinsecùs adueniens. 2. posset esse in adultis actus perseuerans, non retractatus, vnde non esset erroneus, vel errori proximus, qui gratiam vt habitualem negaret; quia non colligitur per euidentem consequentiam ex Scriptura, vel ex Conciliis.

In hac ergo Quæstione Dico primò: 5.
De fide est, quòd in Christo Domino præter vnionem hypostaticam fuerit aliquod donum creatum pertinens ad eius sanctitatem, quod nos appellamus gratiam. Hæc conclusio probatur ex locis adductis in prima Quæstione, vbi asseritur, quòd Christus fuerit vnctus Spiritu sancto, hoc est gratiâ, quia Spiritus sanctus non fuit vnitus hypostaticè cum natura humana Christi: vnde Patres Ecclesiæ super illud Psal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron*; & alibi sæpè asserunt eodem vnguento (hoc est eâdem gratiâ) vngi Christum; ac nos vngimur, iuxta illud Lucæ 2. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratiâ*, &c. sed nos vngimur per aliquid creatum, vt de fide tradit Concilium Tridentinum vbi suprà; ergo & Christus. Legantur Patres suprà citati ferè in fine præcedentis Quæstionis.

Dico secundò: De fide est, quòd 6.
hoc donum sit aliquid permanens in Christo, siue sit actus, siue habitus, siue relatio, siue quid aliud. Probatur ex capite 11. Isaiæ: *Requiescet super eum Spiritus Domini*. Ioan. 2. *Super quem videritis Spiritum sanctum descendentem, & manentem in ipso*. Lucæ 3. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane*. quæ verba exprimunt esse quid permanens illud, quo Christus est Spiritu sancto plenus. Et confirmatur, quia Lucæ 2. dicitur de Christo, quòd *gratia Dei erat in illo*; sed illud *erat* significat permanentiam, vt ex se patet; ergo, &c.

Dico tertiò: Non est de fide, quòd 7.
hoc donum permanens sit habitus. Et probatur, quia nullâ testimonia adducuntur, neque sunt magis vrgentia, quàm citata, quæ solùm probant hoc donum

donum esse quid permanens: sed non solùm habitus, sed etiam relatio, imò & actus possunt esse permanentia; ergo. Ex quo patet primò neque esse erroneum, vel errori proximum, qui negaret esse habitum. Et ratio est, quia hoc non potest inferri per euidentem consequentiam. Secūdò patet, quia etiamsi loquamur de iustificatione Christi, sicut de iustificatione hominum loquitur Concilium (quod negat Vasquez) imò & sicut de iustificatione paruulorum per baptismum, in quibus non reperitur aliquis actus ab ipsis elicitus; & etiam adultorum, qui solùm iustificantur per Sacramētum baptismi cum sola attritione, quæ formaliter non est gratia. Nihilominùs non inferri gratiam illorum esse habitum, quia licèt aliquis diceret, quòd non iustificantur per habitum, neque per actum, posset absque errore defendere, quòd iustificarentur per relationem extrinsecùs aduenientem ex illis, quas docuit Scotus, & licèt in hoc erraret, tamen non erraret contra fidem.

8. Dico quartò: Licèt non sit de fide, quòd sit habitus, est tamen de fide, quòd hoc donum permanens sit gratia. ita Lorca vbi suprà. Et probatur ex suprà adductis **S. Scripturæ** locis; nam Ioan. 1. dicitur, *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis.* habitare enim dicit permanentiam cum plenitudine gratiæ, sicut cum plenitudine veritatis. Et Lucæ 2. *Gratia Dei erat in illo;* ergo id erat permanenter in Christo, vt homine (in quo sensu debet intelligi Euangelista) erat, seu vocatur gratia; & epist. 11. dicitur, quòd *Iesus proficiebat ætate, sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines;* quæ verba iuxta Patrum intelligentiam significant, quòd crescebat in sapientia, & in gratia quantùm ad ostensionem & manifestationem illarum, quas ab initio suæ conceptionis habebat coram Deo & hominibus, sicut crescebat ætate. legatur Barrad. in Euangelia tomo 1. lib. 10. & quæ dicturi sumus quæstione 5. cap. 14. sed crementum, seu accretio supponit id, tamquam quid perseuerans in quo quis crescit, & illud dicitur gratia; ergo de fide constat, quòd hoc donum permanens Christi sit, & vocetur gratia.

Ad primum argumentum in contrarium Respondeo concedendo quòd in Christo fuit charitas, quæ vel est gratia, vel est inseparabilis ab ipsa. Insuper concedo, quòd hæc maneat in Christo, & quòd totum hoc sit de fide. Nego tamen, quòd sit de fide esse habitum, quia non solùm habitus est quid permanens, sed etiam actus & relatio. 9

Dices: Christus manet in dilectione Dei, sicut nos manemus, vt patet ex illis verbis Ioan. 15. citatis in principio quæstionis, sed nos manemus per gratiam habitualem; ergo & Christus. Respondeo quòd minor est vera, sed non de fide, quia posset quis dicere; primò quòd nos manemus in dilectione Dei, in quantum mandata eius non violamus, & non violatio præceptorum non est habitus. 2. quòd nos manemus in dilectione Dei passiua, quia dum iusti sumus semper diligimur à Deo, & vtroque modo Christus manet in dilectione Dei, & quia non violat eius præcepta, & quia semper diligitur à Deo. 3. quia hæc permanentia in dilectione Dei potest referri ad statum Beatorum, qui semper permanent in dilectione Dei, sicut Christus, qui fuit simul beatus & viator, & sic refertur ad actum, & non ad habitum. 10

Ad 2. respondet Vasquez ibi Concilium solùm agere de iustificatione impij contra hæreticos, non verò de iustificatione Christi, sed quidquid sit de hoc respondeo quòd neque Concilium definit esse habitum id, quo impij iustificantur, sed esse quid inhærens, & esse charitatem diffusam in cordibus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, quod etiam potest verificari de actu charitatis, & de relatione, vt diximus. 11

Ad 3. respondent aliqui, Patres Ecclesiæ numquam tradidisse tamquam de fide, quòd Christus sit sanctus per gratiam habitualem, imò plures ex relatis videntur asserere quòd sit sanctus per vnionem hypostaticam, & licèt ex eorum & S. Scripturæ testimoniis colligeretur quòd sit sanctus per gratiam habitualem, dum tamen hoc innitatur discursui, eo ipso non erit de fide, sed numquam hoc tradunt tamquam de fide. Respondeo tamen, quòd cùm licet Patres numquam disputarunt hanc 12

Quæ-

Quæstionem, vtrùm scilicet fuerit de fide, quòd gratia reperta in Christo fuerit habitus; & licèt de fide existimauerint, quòd fuerit aliquod donum creatum permanens, sicut in reliquis iustis, tamen numquam tradiderūt tamquam de fide, quòd fuerit habitus.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm gratia habitualis Christi Domini fuerit infinita?

1. IN hac Quæstione agimus de infinitate in actu, non de infinito in potentia, quia de hac erit sermo in subsequenti Quæstione. Et in primis Recentiores communiter distinguunt duplicem infinitatem actualem: Alia (inquiunt) est moralis, quam habet gratia habitualis, quia est in humanitate vnita Verbo diuino, à quo participat infinitam dignitatem moralem, sicut & opera eius infinitum simpliciter valorem, sed nos, sicut negauimus hunc valorem in Disputatione 3. quæstione 3. ita cōsequenter negamus in gratia hanc infinitatem moralem. Alia (inquiunt) est infinitas physica, quæ actualiter est infinita intentio graduum, & de hac procedit difficultas Quæstionis.

2. Prima sententia affirmat, quòd gratia habitualis Christi sit infinita in actu: ita tenent Mayor in 3. d. 13. q. 3. probabilem reputat Almaynus quæst. 1. qui dicit suo tempore fuisse sententiam communem Doctorum Parisiensium; fauet Gregorius in 1. d. 44. q. 4. quatenus ait non repugnare de potentia Dei; & videtur fauere D. Thomas 2. 2. quæstione 24. art. 7. vbi dicit, quòd gratia Christi potest crescere in infinitum. Ex quo sumitur primum argumentum, quia si gratia habitualis potest crescere in infinitum; ergo creuit de facto in Christo Domino. Et confirmatur, quia gratia hæc fuit in natura humana Christi ad exornandum illam propter vnionem hypostaticam: sed hæc fuit infinita in actu; ergo & illa, quia dispositio concomitans sequitur gradum naturæ ad quam disponit, sicut calor ad ignem.

3. Secundò probatur, quia gratia habitualis fuit principium gratificandi infinitos homines, si darentur; ergo fuit actu infinita, non enim posset gratificare, si in se non haberet infinitum valorem.

Secunda sententia est aliquorū Thomistarum asserentium, quòd gratia potest considerari & in esse qualitatis seu habitus, & in esse gratiæ. Si primo modo consideretur, est finita, quia est quid creatum. Si secundo modo, est infinita in Christo, quia reddebat Christum infinitè gratum, & principium merendi pro infinitis hominibus. Citantur pro hac sententia Victoria & Sotus in manuscriptis super tertiam Partem quæstione 7. art. 11. in quo articulo videtur illis fauere D. Thomas, & explicant exemplo monetæ; quæ quantùm ad materiale est aurea, vel argentea; at verò quantùm ad formale, scilicet quantùm ad valorem potest esse ita valorosa, sicut voluntas Principis voluerit. 4

Tertia sententia communis & vera tenet, quòd gratia habitualis Christi Domini neque in esse qualitatis, neque in esse gratiæ est physicè infinita in actu. Primam partem huius sententiæ tenent Scholastici ferè omnes cum Magistro in 3. d. 13. ibi Scotus *§. ad primam quæstionem*, & *§. ad argumenta*, Durandus, Capreolus & Paludanus quæstione 1. D. Bonauent. art. 1. quæst. 2. Probabilem reputat Almaynus vbi suprà, Ricardus art. 1. q. 2. Expositores D. Thomæ loco suprà citato, Suarez disp. 22. sect. 1. Vasquez disp. 46. cap. 2. Valentia q. 7. puncto 3. Lorca disp. 42. Montesinos disp. 3. q. 2. & ferè omnes prædicti Auctores, præcipuè Recentiores habent secundam partem huius sententiæ ibidem cum D. Thoma de veritate quæstione 29. art. 3. Altisiodorensis lib. 3. tractatu 1. cap. 5. 5

Prima pars huius sententiæ non eodem modo probatur ab omnibus, aliqui enim, licèt supponant gratiam habitualem posse de potentia Dei esse actu infinitam, probant non fuisse sic in Christo, ex eo quòd non fuit necessaria, nec ad finem redemptionis, quia licèt hæc sit infinitè valorosa: sed valor prouenit ex persona, cui humanitas est vnita, non verò ex gratia habituali, nec fuit necessaria ad vnionem hypostaticam, quia hæc fuit quid creatum, & finitum. Sed contrà primò ergo neque gloria essentialis, neque scientia infusa 6

fuerunt in Christo ab instanti suæ conceptionis. patet sequela, quia istæ formæ neque fuerunt necessariæ ad finem redemptionis, neque erant per se debitæ ratione vnionis, sed solùm ex quadam congruentia; ergo si gratia infinita est possibilis in Christo, debuit esse de facto, sicut & istæ formæ. Secundò, prædicta dona, sicut & reliqua alia non sunt data Christo ratione modi vnionis, qui est quid creatum & finitum, sed ratione personæ diuinæ; ergo nulla est ratio, quam assignant. ita impugnat Suarez vbi suprà.

7. Inter Auctores, qui negant posse dari gratiam habitualem, sicut & quamcumque aliam qualitatem infinitam in actu, probant Suarez ibidem, & Valencia 1. p. q. 7. art. 2. quia in his, quæ sunt per se subordinata, non est processus in infinitum ex Aristotele 2. Metaphys. cap. 2. sed gradus gratiæ, & cuiusuis qualitatis sunt per se subordinati; ergo, &c. Et confirmatur, quia si Deus vellet auferre vnum gradum, necessariò deberet auferre vltimum, quia ita sunt inter se concatenati & connexi, vt si auferret eum, qui in medio est, necessariò auferret reliquos omnes versus sursum: sed potest illum auferre; ergo necessariò debet assignari vltimus gradus.

8. Sed contrà primò, quia hæc doctrina de dissimilitudine & subordinatione graduum est dubia, & in veriori sententia (de qua egi primò de generatione disputatione 2. quæstione 5.) est falsa, quia gradus inter se comparati sunt æquales: vnde solùm causant maiorem intentionem per maiorem eorum multiplicationem absque aliquo ordine inter se, & potest Deus destruere quem voluerit. Secundò, quia Aristoteles loco citato solùm agit de subordinatione causarum: vnde colligit esse vnam primam causam, non de subordinatione graduum. ita impugnant Vasquez & Montesinos. Tertiò, quia non assignant rationem à priori, quare etiamsi gradus sint subordinati, debeat assignari vltimus gradus determinatus secundùm verba citata Aristotelis, imò & ipsi in sectione 2. non admittunt gradum vltimum determinatum, quia asserunt, quòd potest augeri gratia Christi.

Secundò probat Suarez, quia si gratia habitualis Christi fuisset actu infinita, etiam fuisset actu infinitum lumen gloriæ, quia ista duo sibi inuicem correspondent, & proportionantur; & tùc sequeretur, quòd visio elicita à tali lumine esset infinita in actu, & consequenter comprehensiua, quod repugnat Deo, quia vnum ex attributis eius est incomprehensibilitas. Neque obstat, si dicas, quòd qui haberet claritatem infinitam habitualem, non haberet infinitum amorem, quia vt respondet Montesinos, charitas modificatur à voluntate, quæ est potentia libera, & vtitur tali habitu, tamen intellectus non est potentia libera, & sic lumen agit secundùm vltimum de potentia. 9.

Sed contrà primò, quia etiam quodlibet agens finitum, ec ipso quòd finitum est, modificat infinitum, vt patet in causa secunda, quæ modificat primam; ergo intellectus creatus (qui in veriori sententia Scoti concurrit actiuè, & non solùm virtute luminis, vt asserunt Thomistæ, sed propriâ virtute) modificabit lumen infinitum. Secundò, quia gratia habitualis, prout distincta est à charitate, non datur ad agendum in genere causæ efficientis, sed ad perficiendum in genere causæ formalis: at verò lumen datur ad agendum, & sic debet attemperari cum concausa; ergo non currit eadem ratio ad hoc vt lumen sit infinitum, sicut gratia. Contrà tertiò (insurgit Montesinos) quia intellectus ad minus concurrit vt instrumentum; ergo indiget auxilio Dei vt agentis principalis; sed repugnat quòd auxilium sit infinitum, quia est concursus identificatus cum concursu causæ finitæ; ergo si daretur lumen infinitum, non ageret infinitè. 10.

Tertiò probat Vasquez, quia si daretur gratia habitualis infinita secundùm intentionem, sequeretur quòd non posset augeri, quia hoc est proprium entis finiti, sed nulla potest dari gratia habitualis, quæ non possit vel bonis operibus, vel ex diuina voluntate augeri, cùm sit participatio diuini esse, quod est infinitè participale; ergo. Confirmat Montesinos, quia nulla est dabilis qualitas actu infinita, aliàs potentia Dei ad extra esset exhausta, saltem in ordine ad illam, quod repugnat Deo consi- 11.

considerato in ordine ad creaturas; ergo neque est dabilis gratia infinita.

12. Sed contrà primò, quia hæc ratio infert inconueniens maximè controuersum, de quo in sequenti Quæstione, scilicet an quælibet gratia possit semper augeri. Secundò, quia vel nihil infert, vel est mera petitio principij, quia gratia Christi vel potuit de facto augeri bonis operibus, aut ex voluntate Dei, vel non, si potuit, vel potuit ex natura rei, aut ex congruentia, & tunc sequitur quòd de facto sit aucta in Christo ex vtroque capite, quia habuit opera bona, & optimè circumstantionata, & in opinione ipsius infinita; cùm autem hoc sit falsum, etiam in eius sententia nihil infert prędicta ratio, si non potuit, tunc inquiro, quare non potuit? vel quia est infinita, vel quia non est augmentabilis, & sic est petitio principij. Ad confirmationem dicemus in sequenti Quæstione.

13. Quartò probant aliqui Scotistæ ex differentia, quæ versatur inter gradus extensionis quantitatiuæ, & gradus intensionis qualitatiuæ, quia illi non differunt perfectione quantitatiuâ: vnde non est magis perfecta quantitas bipedalis, quàm pedalis, secùs verò isti, quia magis perfecta entitatiuè est qualitas vt octo, quàm qualitas vt quatuor, licèt gradus non differant specie, sed in indiuiduo, & materialiter: vnde sequeretur posse dari qualitatem entitatiuè infinitam, quod est falsum, cùm solùm Deus, & eius attributa sint entitatiuè infinita.

14. Sed contrà, quia duplex est infinitum in sua entitate, aliud extra genus, & constituitur per hoc, quod est esse perfectionem non habentem principium, neque finem in suo esse, & hoc solùm potest conuenire Essentiæ diuinæ, & non ponitur in prædicamento, ideò dicitur extra genus: aliud verò est infinitum intra genus, & constituitur per hoc quod est esse perfectionem non habentem principium, neque finem in gradibus, & hoc conuenit attributis Dei in sententia probabili, & Aduersarij fatentur, quòd de potentia Dei possit etiam dari in creaturis; ergo quòd sit entitatiuè (hoc est secundùm propriam entitatem) infinitum, non tollit in eorum sententia, quòd possit conuenire gratiæ Christi, quare aliundè debet probari, quòd hoc infinitum entitatiuè repugnet.

Quare eis rationibus nobis est probanda prædicta sententia, quibus lib. 1. Physic. disp. 3. quęstione 2. probauimus, qualitatem habere ex natura propria maximum quod sic. quarum prima ex Aristotele 8. Physic. vbi latè probat, quòd motus alterationis non possit ire in infinitum, sicut potest ire motus circularis, sed gratia est terminus motus alterationis; ergo. Secunda, quia dato aliquo gradu determinato summo, inquiro an ascendendo in intentione sit status, & sic iam habeo intentum, vel non, sed potest intendi magis ac magis; & tunc primò sequitur quòd requirat æternitatem Dei ad sui productionem, & quòd mensuretur illa, quod solùm conuenit Deo, patet cōsequentia, quia nulla est repugnantia, vt illud, quod habet gradus, successiuè producatur: vnde si gradualiter est infinitum, consumet totam Dei æternitatem in sua productione. 2. sequitur quòd si qualitas sit actiua (etiamsi producatur in instanti) possit producere aliquem effectum actu infinitum, v.g. calor calorem, quod nullus concessit creaturæ: 3. sequitur quòd eodem modo, quo qualitas gratiæ posset produci infinita in actu, posset simul produci aliqua substantia infinita in actu, & consequenter ita perfecta, sicut Dei substantia, præcipuè attributalis, patet sequela, quia si hoc illi non repugnat ex prædicato creaturæ, multò minùs illi repugnabit ex prædicato substantiæ; ergo gratia Christi Domini in esse qualitatis nequit adhuc de potentia Dei esse infinita in actu. 15.

Secunda pars sententiæ, scilicet quòd qualitas gratiæ in esse gratiæ non sit physicè infinita: Probatur primò optimè à Montesinos, quia albedo ex eo reddit subiectum finito modo album, quia in esse qualitatis est finita; ergo gratia in ratione gratiæ reddit finito modo gratum, quia in esse qualitatis est finita. Et confirmatur, quia esse gratiæ se habet, vt gradus specificus, & inferior respectu esse qualitatis, qui est genericus, & superior; ergo si secundùm vnum gradum, gratia est finita, ita & secundùm alterum. Secundò sic probo, quia 16.

quia ex finito & infinito non potest fieri vnum per se; ergo ex ratione qualitatis finitæ, & ex ratione gratiæ infinitæ non poterit fieri vnum per se, sed gratia secundùm totum suum esse est vnum ens per se; ergo si secundùm gradum qualitatis est finita, ita & secundùm gradum gratiæ.

17. Ad argumenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum iam probauimus impossibilem esse qualitatem physicè infinitam in actu, neque D. Thomas locutus fuit de infinito in actu, sed de infinito in potentia. Ad confirmationem respondet Montesinos, quòd etiamsi creaturæ ordinentur ad Deum, tamquam ad finem, non dicunt infinitatem, ita neque gratia, licèt ordinetur ad vnionem hypostaticam. Secundò, dicò, quòd vnio hypostatica per se terminatur ad personalitatem Verbi, & sic neque ratione sui (quia est finita) neque ratione personalitatis Verbi (quæ in sententia Scoti neque est finita, neque infinita) requirit dispositionem infinitam. Tertiò, dico, quòd prædicta conseruatiua dispositio solùm requiritur ex congruentia, non ex natura rei, quia benè potest conseruari vnio absque illa, argumentum autem procedit de dispositionibus ex natura rei requisitis.

18. Ad secundum argumentum respondeo, quòd gratia habitualis Christi de facto fuit principium gratificandi Angelos & homines solùm in numero finitos, & etiamsi de possibili fuisset principium pro infinitis, non requiritur quòd principium *quo*, scilicet gratia, sit infinitum, sed principium *quod*, scilicet persona Verbi, à qua deriuatur valor infinitus. Secundò, dico esse effectum moralem prouenientem ab acceptatione Dei, hoc quod est, gratiam esse principium gratificandi homines & Angelos, quod non arguit, gratiam habitualem esse physicè infinitam.

19. Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo, quòd gratia constituit naturam humanam Christi finito modo gratam, & habuit à voluntate Dei gratificare homines, vt benè probat exemplum de moneta, tamen hic valor de facto fuit finitus in actu, vt probauimus disputatione 3. & posset esse in potentia infinitus de potentia Dei, quia posset acceptari pro infinitis hominibus sincathegorematicè & in potentia, tunc autem talis infinitas esset moralis, non physica, & hoc est quod sibi vult Scotus in 3. d. 19. quando hoc asserit de operibus Christi, quòd habebant ratione suppositi diuini acceptabilitatem infinitam. quare gratia habitualis potest dici infinita in ratione gratiæ à D. Thoma, quia continet quidquid pertinet ad rationem gratiæ, scilicet virtutes omnes, gratias gratis datas, dona supernaturalia, &c. & quia est principium ad gratificandum infinitos homines si darentur, quâ ratione dixit quòd lux Solis potest dici infinita in genere lucis, quia habet quidquid pertinet ad rationem lucis, & potest illuminare infinitos homines, si darentur. ita Montesinos in præsenti.

QVÆSTIO V.

Vtrùm gratia habitualis Christi potuerit augeri?

INquirimus de gratia habituali, non de gratia vnionis, quia sicut illa non potuit augeri in bonitate termini, ita neque potuit in se augeri; & supponimus ex dictis quæstione antecedenti idem esse dicendum de gratia habituali in ratione gratiæ, ac in ratione qualitatis. vnde si ratione huius potest recipere augmentum, ita & ratione illius, & è contrà; & quæstio potest procedere de potentia ordinaria, & de potentia absoluta; & quidem si loquamur de ordinaria potentia, conueniunt omnes gratiam habitualem Christi non posse augeri. ita Scotus in 3. d. 13. in responsione ad 3. quæstionem, S. Thomas 3. p. q. 2. art. 12. & vtriusque Expositores ibidem, vbi referuntur plures Ecclesiæ Patres. Et ratio est, quia Christus fuit beatus ab instanti conceptionis, sed in Beatis non augentur gratia & dona, Deo sic ordinante, vt status ille sit inuariabilis, & immutabilis; ergo, &c. Prætereà Christo debet dari omnis perfectio sibi non repugnans, & aliàs sibi congrua, sed summa gratia illi non repugnat. Et insuper fuit cõgruum illam habere; ergo debuit dari. 1

Solùm videntur vrgere verba Lucæ cap. 11. *Puer Iesus proficiebat ætate, sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines*; ergo eius 2.

eius gratia habitualis augebatur de facto. Respondet dupliciter Damascenus 3. de Fide cap. 22. primò hæc verba debere intelligi de augmento gratiæ, non in persona Christi, sed in corpore eius mystico, quod est eius Ecclesia. Sed cōtrà, quia ita videtur loqui de augmento gratiæ, sicut de augmento ætatis, sed hoc fuit in propria persona; ergo & illud. Secundò & meliùs respondet debere intelligi, non de augmento gratiæ, & sanctitatis internæ, sed externæ, hoc est de operibus, quibus quotidie magis ac magis demonstrabat exteriùs suam gratiam, & sanctitatem, sicut quotidie crescebat in ætate. quæ expositio est communis apud SS. Patres, quos referunt Suarez, & alij Recentiores in expositione articuli 12. citati D. Thomæ; & Toletus super prædictum locum ait: S. Scriptura solet per habitus internos opera externa significare. Et Lucæ 11. dicitur, *Reginam Saba venisse videre sapientiam Salomonis*, id est verba, & opera, quæ ab eius sapientia originabantur.

3. Si verò loquamur de potentia absoluta, hæc quæstio eadem est cum illa, quâ 1. Physic. inquiritur an qualitas habeat maximum quod sic, seu terminum præfixum, & summum, vltra quem non possit esse ascensus; an verò non solùm sit finita in actu, sed etiam in potentia, ita vt perueniēdo ad summum gradum determinatum non possit esse ascensus adhuc de potentia Dei, sed ne lapidem intactum relinquamus, hanc difficultatem breuiter attingam.

4. Prima sententia in hac Quæstione affirmat gratiam habitualem Christi per potentiam Dei absolutam potuisse augeri, & consequenter non fuisse summam possibilem. tribuitur D. Thomæ vbi suprà, & infrà q. 10. art. 4. ad 3. & 2. 2. q. 24. art. 7. & de Veritate q. 23. art. 3. tenet Molina 3. p. q. 7. art. 12. Suarez disp. 22. sect. 2. Vasquez disp. 47. cap. 3. Valencia q. 7. puncto 2. Montesinos q. 3. §. 3. qui citant Capreol. in 3. d. 13. quæst. 1. art. 3. ad 3. contra secundam conclusionem, Gregor. Gabriel. & Ocham.

5. Fundamentum est primò, quia quantitas molis non habet terminum, & maximum quod sic; ergo neque qualitas gradualis, vt est gratia Christi. Secūdò, quia ex triplici capite potest prouenire quòd gratia habitualis non possit augeri aut ex parte efficientis, & hoc non, quia est infinitum, & sic non solùm infinita, sed etiam infinitè potest agere; aut ex parte subiecti, & hoc non, quia capacitas ipsius mensuratur per potentiam obedientialem, quæ est ad omne id, quod non implicat contradictionem; aut ex parte formæ, & neque hoc, quia gratia habitualis est participatio diuinæ naturæ, quare cùm hæc sit infinita, erit infinitè participabilis per gratiam. Tertiò, quia gratia habitualis augetur per opera meritoria; siue per remissa, siue per intensa secundum diuersas sententias, siue habeantur de lege ordinaria, siue de potentia Dei; ergo assignata gratia in superiori gradu potest adhuc augeri per opera, aliàs hæc non essent ex natura sua augmentatiua illius.

Secunda sententia modificat primam, & asserit quòd licèt gratia de se sit infinitè augmentabilis, tamen ratione subiecti, & propter defectum capacitatis illius non potest augeri. vnde ait, quòd in Angelo est maior capacitas ad habendum maiorem gratiam, quàm in anima Christi. ita D. Bonauentura in 1. d. 17. in 2. p. art. 1. q. 4. Ricardus eâdem d. art. 2. Driedo lib. de Captiuitate, &c. tit. 2. cap. 2. puncto 3. art. 6. sent. 8. Et probatur: Deus potest producere naturam cum maiori capacitate in infinitum (quia natura capacior est; quo perfectior est) quàm naturam humanam Christi; ergo gratia, quæ est in Christo, implet totam eius capacitatem, de se augmentabilis est, licèt non augeatur in hoc subiecto, quia impleta est eius capacitas. Et confirmatur exemplo, quia calor maior est in igne, quàm in aëre; ergo augmentum formæ debet attendi iuxta capacitatem subiecti, quia de se semper forma est augmentabilis. 6.

Tertia sententia absolutè negat gratiam habitualem Christi potuisse augeri de potentia Dei, quia fuit summa possibilis, non ratione subiecti, sed ratione formæ. ita expressè Scotus in 3. d. 13. *§. ad primam quæstionem*, & *§. ad secundam quæst.* Liquetus & Gataretus ibidem, Ouandus quæst. 1. art. 1. dub. 1. Faber disp. 29. cap. 2. Pytig. q. 1. art. 5. 7.

Ex aliis Caietanus super tertiam partem quæstione 7. art. 11. & 2. 2. quæstione 24. art. 3. Lorca disputatione 43. & 2. 2. disp. 19. qui citat pro se D. Thomam aliquibus in locis. Hæc sententia, quæ vera est, habet duas partes, quas sequentibus conclusionibus declaro.

8. Dico primò: Gratia habitualis Christi Domini non modificatur ratione subiecti ad hoc vt augeatur. In hac conclusione conueniunt Auctores primæ sententiæ; & probat primò Scotus *§. ad primam quæstionem*, vers. *secundùm quod magis est*, litt. F. Ideò aqua, vel aër non potest recipere calorem in quocumque gradu, quia si, v. g. vltra sex gradus recepisset, eorum natura corrumperetur, & conuerteretur in naturam ignis, sed etiamsi natura humana Christi recepisset alium gradum ex possibilibus de potentia Dei, vltra eos quos habet, non corrumperetur, neque conuerteretur in naturam Angeli, vel alterius creaturæ; ergo ex eo est, quia gratia nō modificatur ratione subiecti.

9. Secundò probatur, quia capacitas naturæ humanæ ad gratiam est potentia obedientialis, sed hæc per se respicit quidquid non repugnat; ergo si aliàs non repugnet maior gratia, quàm de facto est, vel ex parte gratiæ, vel ex parte alterius, non repugnabit ex capacitate subiecti. Et confirmatur primò, quia potentia obedientialis est potentia neutra; sed hæc sicut non determinat formam, ita neque determinat gradum formæ, vt patet in materia respectu formæ substantialis, & in pariete respectu albedinis: vnde posset habere magis ac magis intensam albedinem; ergo. Et confirmatur secundò, quia licèt vnum vas sit aureum, & aliud luteum, possunt esse æqualis capacitatis; ergo licèt anima Christi, & Angelus sic differant, possunt esse æqualis capacitatis, maximè cùm comparentur tamquam receptiua eiusdem rationis in ratione receptiuorum, sicut gratia recepta in eis est eiusdem rationis. Omitto alia plura argumenta.

10. Dico secūdò: Gratia habitualis Christi Domini fuit summa negatiuè, quia non potuit esse alia maior, licèt potuerit esse alia illi æqualis, neque potuit augeri adhuc de potentia Dei. ita Auctores 3. sententiæ. Hæc conclusio debet probari ex eo quòd nō sit possibilis alia maior, quod solet probari ab aliquibus ex eo quòd gratia sit creatura; ergo finita. Sed hæc ratio nulla est, quia etiāsi gratia sit infinita in potentia, & possit augeri, manet creatura, & finita in actu; debet ergo probari sic ratione Scoti, quia magis intensa qualitas petit magis perfectā potentiam productiuam; ergo determinata qualitas, v. g. vt octo, petit determinatam potentiam vt octo; ergo cùm potentia productiua gratiæ, quæ est potentia diuina, sit infinita in actu, & non in potentia, gratia poterit esse infinita in actu, & non in potentia; ergo si per ordinem ad potentiam Dei potest sumi infinitas effectus, vt concludunt Aduersarij, magis probaretur quòd posset dari gratia infinita in actu, quàm infinita in potētia; sed quòd sit infinita in actu, negāt etiam ipsi; ergo similiter debent negari, quòd sit infinita in potētia.

In idem redit illa probatio Scoti, quæ sic se habet. In his quæ sunt vnius potentiæ demonstratæ tantum contingit in actu esse, quantum contingit esse in potentia, vt asserebat Aristoteles 3. Physic. textu 69. hoc est, in his quæ petunt potentiam determinatam ex parte causæ, quia si sunt effectus, v. g. vt quatuor, debet demōstrari virtus ex parte causæ vt quatuor (quod nō reperitur respectu quantitatis, quia potentia vt duo potest quantitatem vt quatuor facere, vt sex, & vt octo, &c.) sed qualitas est ex his, quæ sunt vnius potentiæ demonstratæ, quia si sit vt sex, petit potentiam vt sex, &c. ergo tantum contingit, seu contingere potest esse in actu, quātum contingit, seu contingere potest esse in potentia; ergo potest Deus ponere in actu tantam qualitatem, quāta ponibilis est; ergo hæc nō est infinita in potentia. patet cōsequentia, quia hoc infinitū numquam habet omnes suas partes in actu. 11.

Dices: Hoc dictum Aristotelis intelligitur etiam de quantitate molis, vt ait Scotus *§. ad 1. quæst.* vers. *dico ergo*; ergo idem est de quantitate molis, ac de qualitate. Respondetur cōcedendo totum secūdùm sensum Aristot. qui intellexit quantitatē solùm augeri per ablationem partium ab alio quāto: vnde cùm omne quantū, quod de facto datur, habeat partes finitas, poterit in quāto quod augetur, esse tantū in actu, quantū in potētia: 12.

sed

sed tunc potentia non sumitur pro potentia productiua, sed pro potentia passiua, seu logica, quam habent partes vnius quanti ad esse in alio quanto. ita Scotus ibidem, tamen in sensu Theologorum, qui admittunt quantitatem posse augeri per alias partes creabiles à Deo, non est ita dicendum de omni quantitate, ac de qualitate, quia non procedit à potentia demonstrata.

13. Et confirmatur prędicta ratio Scoti, quia Deus cognoscit omnes gradus gratiæ producibiles à sua potentia, & tunc inquiro an gratia componibilis ex illis sit finita, aut infinita? si finita habeo intentum, si infinita; ergo potest à Deo produci simul, & vnicâ factione, quia gradus inter se neque petunt successionem, neque habent incompossibilitatem, & tunc qualitas gratiæ esset actu infinita, quod negant Aduersarij. Et notanter dixi, quia neque petunt successionem, neque habent incompossibilitatem propter partes quantitatis successiuæ, quæ propterea est infinita in potentia.

14. Ad fundamentum primæ sententiæ respondeo. Ad primum dicunt aliqui Scotistæ, quòd sit dispar ratio de quantitate, ac de qualitate, quia qualitas quando augetur, perficitur entitatiuè, secùs verò quantitas: vnde qualitas nequit esse infinita in potentia, benè tamen quantitas. Sed contrà, quia licèt quantitas per augmentum non perficiatur intensiuè, perficitur tamen extensiuè, & consequenter entitatiuè in proprio genere, quia propria quantitatis entitas est extensio; ergo sicut repugnat dari infinitum entitatiuè in potentia, quia posset à Deo produci simul, & vnica factione, & consequenter esset infinitum in actu in proprio genere, ita repugnabit dari quantitatem infinitam in potentia, quia posset dari in actu, licèt ad ipsam non requiratur potentia demonstrata.

15. Ideò aliter respondeo cum Scoto in 3. d. 13. *§. ad primam quæstionem*, vers. *Respondeo secundùm Auerroem*, quem sequitur Faber disputatione 29. cap. 2. & in 2. disputatione 47. num. 42. quod distinguendum est de quantitate continua & discreta, permanenti & successiua; si enim loquamur de successiua, debemus asserere, quòd hæc sit infinita in potentia, quia cùm in sua ratione formali includat successionem, numquam potest etiam de potentia Dei habere omnes suas partes simul, sed semper debent restare aliæ, & aliæ in potentia producibiles. Ex quo fit, quòd numerus, qui causatur ex diuisione continui, sit infinitus in potentia, quia continuum semper potest diuidi successiuè, & multò magis hoc est verum de motu, & tempore propter successionem ipsis intrinsecam; at verò si loquamur de quantitate continua permanenti, v. g. lineâ, corpore, &c. debemus asserere, quòd non sit infinita in potentia, & quòd illius sit assignandus terminus, qui sit maximum quod sic, sicut in qualitate, quia potest à Deo simul produci vnâ productione, cùm non includat successionem, neque habeant partes inter se incompossibilitatem, & cùm non sit infinita in actu (aliàs daretur infinitum actuale in esse entis, quod est proprium Dei) deberet esse actu finita, & per hoc patet ad primum.

Ad secundum respondet Scotus *§. ad argumenta*, vers. *ad tertium*, quod ex illo triplici capite prouenit, quòd gratia non sit infinita in potentia, quia efficiens infinitum non potest ad extra agere infinitum in actu, licèt agat infinitè, in eo quòd producat ex nihilo, quod nequit facere efficiens finitum, & similiter subiectum finitum non habet capacitatem ad formam infinitam, & tandem forma nequit esse infinita, quia licèt sit participatio diuinæ naturæ, eo ipso est finita, nam reliquæ creaturæ sunt participationes diuinæ naturæ, & sunt finitæ, quòd enim gratia sit specialiter participatio diuinæ naturæ primò prouenit ex eo quòd ratione acceptationis diuinæ sibi adiunctæ dat ius ad participandum illam per visionem, & fruitionem beatam: secundò ex eo quòd ratione sui constituit subiectum in statu supernaturalitatis, quod etiam præstant alij habitus supernaturales, licèt sint finiti actu & potentiâ, fides enim infusa est participatio diuini luminis, sicut charitas diuini flaminis, sicut Deo dante dicemus in propriis earum materiis. 16.

17. Ad tertium respondeo, quòd gratia, quando est in summo gradu, non potest augeri, & iam per opera bona elicita ex illa, quia etiamsi prædicta opera habeant aliquem valorem & dignitatem, non tamen valorem completum, & condignitatem, quia hoc prouenit ab acceptatione speciali Dei, quæ deficit, quando gratia est in summo gradu, sicut deficit quòd possit esse alius gradus superior ad præmiandum prædicta opera, quod etiam est dicendum ab Aduersariis in Christo Domino, & in Beatis, qui habent bona opera elicita à gratia, & non meritoria alicuius præmij, quia sicut isti non merentur ex eo quòd peruenerunt ad statum non merendi ex voluntate Dei, ita & ille, qui haberet summam gratiam, non meretur vlteriorem in propria persona.

18. Ad fundamentum secundæ sententiæ iam patet ex dictis in prima conclusione, quòd nulla est maior capacitas ad gratiam ratione subiecti, quia solùm respicit illam per potentiam obedientialem, & non per perfectionem naturæ: vnde tanta capacitas est in anima Christi, quanta in Angelo, & è contrà: ex quo sequitur, quòd de potentia Dei posset purus homo habere tantam gratiam habitualem, quantam habuit Christus, licèt non maiorem, quia illa fuit summa negatiuè. Similiter diximus ad exemplum caloris respectu aëris, & respectu ignis, quòd respiciat subiectum, quia est dispositio naturalis corruptiua vnius, & conseruatiua alterius; at verò gratia est qualitas supernaturalis, quæ neque est corruptiua, neque conseruatiua alicuius formæ substantialis.

19. Dices: Virgo Maria fuit *gratiâ plena*, Lucæ 1. & Stephanus similiter actione 4. sed non habuerunt tantam gratiam, sicut Christus; ergo gratia debet modificari ratione subiecti. Respondetur concedendo, quòd de facto non habuerunt tantam gratiam sicut Christus, tamen de potentia Dei potuerunt illam habere, & sic non modificatur ex natura rei, sed solùm ex voluntate Dei ratione subiecti, seu propter congruentiam ortam ex subiecto. Et si inquiras, quare Virgo Maria & Stephanus dicuntur pleni gratiâ, siquidem non habuerunt summam gratiam, sicut Christus. Respondeo: In sacra Scriptura solet per plenitudinem significari, quòd nimium & superabundans est, qualiter Lucæ 4. dicitur, *Repleti sunt omnes in synagoga irâ.* Et Actorum 5. *Repleti sunt zelo*, &c. Et quia Virgo Maria & Stephanus habuerunt nimiam & superabundantem gratiam, ideò dicuntur repleti gratiâ, sed non sicut Christus, qui habuit omnem plenitudinem, & summitatem negatiuam gratiæ, non enim potuit produci alia maior, secundùm quod natura vnita Verbo congruenter postulabat, & significatur in illis verbis Lucæ 2. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.*

Dices: Ergo posset homo, dum est in via, peruenire ad eum statum, vt eius gratia non posset augeri, quod est damnatum in Concilio Viennensi, & refertur in Clementina ad nostrum de hæreticis; patet sequela, quia homo, qui haberet summam gratiam, non posset recipere augmentum illius. Respondeo concedendo sequelam de potentia Dei, Concilium autem loquitur de facto contra Begardos & Beguinas asserentes, quòd homo potest in via peruenire ad illum statum, in quo haberet summam gratiam sicut Christus, contra quos definit Concilium oppositum, quia ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrûm data est gratia secundum mensuram*, quæ mensura non adimpletur, nisi in fine vitæ, seu in vltimo actu meritorio; Christo autem non qualiscumque mensura, sed sine mensura, vt ait Ioan. 3. data est gratia, id est non modificata, sed summa data est in primo conceptionis instanti, neque potest cadere à gratia de facto, sicut homo cadit per peccatum. 20.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm in Christo Domino reperta fuerit gratia actualis?

Pro hac Quæstione Nota primò, quòd etiamsi humanitas Christi fuerit Verbo vnita, indiguit gratiâ actuali ad operationes supernaturales, quia mansit creatura, & potentiæ illius in statu naturali, vnde indigebant formis, & concursibus sibi indebitis ex vi præcisè suæ naturæ, quæ gratia proueniebat non à solo Verbo, sed à tota Trinitate, quia est opus Dei ad extra. 1.

Nota

2. Nota secundò ex materia de gratia, quòd gratia in communi diuiditur à Scholasticis in habitualem, & actualem; habitualis est non solùm qualitas, quâ formaliter iustificamur, sed etiam omnis virtus per se infusa, scilicet fides, spes, charitas, &c. quæ nobis in iustificatione infunditur; actualis verò (de qua nunc agimus) est quædam motio diuina, quæ à Deo datur in ordine ad operationem supernaturalem, qua transacta non permanet, ideò etiam solet appellari speciale auxilium, & hæc gratia actualis diuiditur iterùm in gratiam antecedentem seu excitantem, & in concomitantem seu adiuuantem. Prima, est quædam sancta cogitatio, quæ nobis proponitur, vt prosequendum bonum honestum, & vt fugiendum malum inhonestum, media quâ propositione excitatur voluntas; similiter est subitus quidam motus voluntatis amoris, vel timoris, quem excitat diuinus Spiritus in ordine ad hoc ipsum. Secunda, est quidam concursus Dei specialis concomitans concursum nostrum; imò identificatus cum illo, medio quo Deus adiuuat potentias naturales, vt supernaturaliter operentur, & de hac duplici gratia procedit Quæstio.

3. Circa quam asserit Suarez, quòd licèt Christus de possibili indiguerit gratiâ actuali adiuuante ad quamcumque operationem supernaturalem, sicut quælibet creatura, tamen de facto non indiguit gratiâ excitãte, quia hanc supplebat visio beatifica; si autem visionem beatificam non haberet, indiguisset similiter illâ.

4. Sed in hac re Dico primò: Anima Christi non indiguit gratiâ excitante actuali ad operationes beatificas, quales sunt fruitio & amor Dei. Fundamentum est, quia istæ operationes consequantur ad visionem beatificam, quæ sufficienter proponit obiecta supernaturalia earum, & efficaciter mouet ad amorem. Insuper non computatur inter gratias actuales, quia quasi habitualiter perseuerat, & constituit statum beatificum; de ratione autem gratiæ actualis est citò transire, & non constituere statum, vt suprà diximus ex communi sententia. In hac conclusione conueniunt supracitati Auctores.

Dico secundò: Ad alias operationes liberas supernaturales pertinentes ad statum viatoris, indiguit Christus gratiâ excitante, v. g. ad amorem Dei vel proximi, ad actus virtutum moralium, obedientiæ, humilitatis, &c. ita Montesinos vbi suprà. Et probatur, quia prædicti actus non consequuntur per se ad visionem beatificam, sed ad alios actus intellectus, quibus debebat moueri ad operãdum vt viator, licèt enim de facto mereretur per fruitionem beatam, vt infrà dicemus disputatione 14. de merito Christi quæstione 1. parte 1. tamen talis actus per accidens fuit viatoris, sicut per accidens fuerunt coniuncti isti duo status in Christo: vnde vt seruetur connaturalis & proportionatus ordo cognitionum pro statu viatoris, sunt in ipso admittendi alij actus, tum intellectus, cùm voluntatis; ergo eorum initium debet sumi ex diuersa sancta cogitatione, ac est visio beatifica. Et confirmatur, quia ab huiusmodi actibus poterat Christus cessare; ergo vt inciperet velle, debuit præcedere iudicium intellectus, quo iudicaret hic & nunc esse amandum, obediendum, &c. & ad iudicium sancta cogitatio, quæ fortassis non fuit distincta à scientia infusa ex parte excitationis, nisi etiam sit necessaria aliqua specialis attractio ad bonum superaddita cognitioni, ratione cuius talis excitatio dicatur etiam actualis, & per modum transeuntis; & notanter dixi *etiam*, quia excitatio, etiamsi multùm duret, vt in Virgine, semper computatur inter gratias actuales; quia non constituit aliquem statum, vt visio beata. 5.

6. Dices: Etiam Christus posset cessare ab amore, seu fruitione beata. Respondeo hoc esse verum ex natura voluntatis, non tamen ex natura beatitudinis, & ex speciali Dei prouidentia.

7. Dico tertiò: Ad seruandum omnia præcepta, & vitandum omne malum morale, & operandum omne bonum sine defectu indiguit anima Christi hac gratiâ excitante. Hęc conclusio est contra Montesinos. Et probatur, quia anima Christi non est facta impeccabilis ex vi vnionis hypostaticè præcisè, vt infrà dicemus disputatione 18. quæstione 1. ergo absque gratia prædicta non habebat vires ad seruandum omnia præ-

præcepta, & vitandum omnia peccata, &c. sicut neque sunt in aliis hominibus sine illa. Et confirmatur, quia propter hoc ponimus in anima Christi habitus per se infusos, & alia dona supernaturalia, inter quæ præcipua sunt gratia excitans, & gratia adiuuans: vnde si de facto non fuit tentatus ex suggestione appetitus, neque habuit inclinationem ad malum, fuit propter prædicta dona; tamen de possibili potuit tentari, & ad malum inclinari, imò de facto fuit tentatus à dæmone.

8. Dico quartò: Prædicta sancta cogitatio, seu gratia excitans fuit animæ Christi debita ratione vnionis ad Verbum, non ex natura rei, sed ex cõgruentia, & ideò in rigore non est dicenda gratia formalis, sed in radice, quia prædicta fuit data gratis. Et probatur, quia gratia habitualis, & alia dona hoc habent; ergo & hæc gratia, nisi velis quòd debitum ex congruentia non destruit formalem rationem gratiæ, quæ solùm videtur opponi debito iustitiæ, qualiter seruat rationem gratiæ, quæ datur peccatori contrito.

Inquires an habuerit Christus in humanitate motus indeliberatos & subitos? Respondet Montesinos, quòd fortassis non habuit illos, quia videntur inuoluere aliquam imperfectionem, nisi dicatur quòd ipsemet Christus deliberatè voluerit habere illos, sicut voluit deliberatè habere mortis metum quasi naturalem. 9.

DISPVTATIO XII.

DE VIRTVTIBVS ET DONIS, ATQVE GRATIIS GRATIS DATIS, QVÆ FVERVNT IN ANIMA CHRISTI.

POstquam egimus de gratia habituali, & actuali animæ Christi, venit agendum modò de virtutibus, quæ sunt quædam qualitates inclinantes tamquam causæ, & principia in actus studiosos, seu in operationes bonas ex obiecto, & circumstantiis, quarum aliquæ possunt esse per se infusæ, vt virtutes Theologales; aliæ, vel per se infusæ, vel per se acquisitæ secundùm diuersas sententias, vt virtutes morales. Similiter venit agendum de donis, quæ sunt specialia beneficia Spiritus sancti in ordine ad operationes extraordinarias: & tandem de gratiis gratis datis, quæ dantur in ordine ad bonum commune.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm fides virtus Theologica fuerit in anima Christi?



1. QVADRVPLICITER accipitur fides, primò prout est gratia gratis data, & de hac non agimus, quia de illa erit sermo, dum sit de gratiis gratis datis. 2. prout fides idem est, quod fidelitas, & neque de hac agimus, quia dicemus, dum agamus de virtutibus moralibus. 3. prout fides sumitur pro fiducia, quæ est fides cum spe, & de hac dicemus quæstione sequenti. 4. prout fides est credulitas, seu assensus de non visis, & hæc est duplex, vna humana, quæ nititur testimonio humano (& non fuit in Christo, quia fallibilis est talis fides: vnde si præbebat assensum his, quæ ab aliquo homine dicebantur, non nitebatur testimonio humano, sed quia aliundè certò sciebat) alia

alia est diuina, quæ nititur testimonio diuino, ideoque dicitur Theologalis, & de hac procedit quæstio.

2. Circa quã vnanimis cõsensus Theologorum asserit in Christo non fuisse fidem, neque actualem, neque habitualem. De actuali probatur, quia repugnat cum visione beata circa idem obiectum, nam ex ratione sua formali includit quòd sit cognitio eorum, quæ non apparent; quare licèt sit actus positiuus, imbibit intrinsecè priuationem apparentiæ, seu claritatis (intellige claritatis obiectiuæ) vt probat Scotus in 3. d. 31. q. vnicâ, §. *Respondeo*; ergo de obiecto, quod apparet per actualem cognitionem claram, non potest esse fides actualis; & sic Apostolus ad Corint. 15. ait, *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*. id est, cùm venerit visio clara, euacuabitur fides: sed in Christo fuit visio clara & beata, etiam circa omne cognoscibile ab instanti suæ conceptionis, vt infrà probabimus disputatione 15. quæstione 1. ergo non fuit in eo fides actualis.

3. Quòd autem non fuerit habitualis patet, quia habitus, licèt non repugnet cum actu visionis, est tamen otiosus, vbi actus ipsius est de facto impossibilis; sed actus fidei, vt probaui, est de facto impossibilis in Christo; ergo. Notanter autem dixi non posse de facto esse fidem actualem circa idem obiectum, circa quod est cognitio clara, quia circa aliud obiectum potest esse: vnde Scotus vbi suprà §. *ad 1. argumentum*, vers. *ad tertium potest dici*, litt. H, loquendo de Beatis, admittit in illis fidem actualem circa aliqua credibilia, quæ non pertinent per se, neque concomitanter ad visionem beatam; tamen prædicta fides non admittitur in Christo, quia licèt per visionem beatam, vel per scientiam infusam cognouit clarè tam possibilia, quàm omnia, quæ habent existentiam pro quauis temporis differentia, vt infrà dicemus disputatione citatâ; sed, sicut de potentia absoluta potuit non cognoscere omnia per prædictas cognitiones claras, ita de potentia Dei potuit habere fidem circa aliqua obiecta clarè non cognita.

4. Dices primò: Licèt in Christo non fuerit fides actualis, potuit tamen esse habitualis: Primò, quia hæc non repugnat cum habitu luminis gloriæ, sicut neque repugnat quòd vna potentia sit ad opposita contrariè & contradictoriè, sicut est voluntas. Secundò, quia potentia nutritiua, generatiua, & aliæ potentiæ manent in Beatis, & tamen semper sunt otiosæ; ergo neque repugnabit, quòd habitus fidei sit in illis, licèt sit otiosus. Respondetur concedendo, quòd non repugnet esse in Christo propter primum, sicut neque repugnat esse in reliquis Beatis propter eamdem rationem; nego tamen quòd non repugnet propter secundùm, quia illæ potentiæ ex eo manent, quia pertinent ad integritatem naturæ, habitus autem fidei non pertinet ad integritatem naturæ, & insuper est otiosus.

Dices secundò: Licèt fides per se infusa non fuerit in Christo ad operandum, fuit tamen ad integritatem formæ iustificantis, nam iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificatione c. 7. in iustificatione, hæc simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem. Respondetur primò, quòd fortè propter hoc est probabilis contraria nostra sententia. Secundò respondetur & meliùs, quòd ibi Concilium loquitur de prima hominis impij iustificatione, & sic debet per tres prædictos habitus reparari, licèt non omnes sint forma iustificans, quia ex eodem Concilio ibidem vnica est causa formalis nostræ iustificationis, & hæc est charitas, vel identificata cum charitate. 5.

Dices tertiò: Caput & membra in physicis relatiuè se habent, & habent eamdem formam corporeitatis; ergo idem contingit in capite, & membris metaphoricis: sed membra Christi sunt ipsius membra propter fidem, tãquam propter formam, vt dicemus disputatione sequenti; ergo hæc debuit esse in Christo, tamquam in capite. Respondetur primò sicut ad præcedentem obiectionem, quòd fortassis propter hoc admitti potest in Christo fides infusa, licèt aliàs perpetuò quantùm ad operationem fuerit otiosa. Respondetur tamen & meliùs secundò, quòd cùm hæc locutio sit metaphorica, non debet in omnibus vniuocari, sed sufficere quòd influat in membra per modum principij, & quòd habeat formam excellentiorem fide, eius notitiam eminentia- 6.

nentialiter continentem, qualis est lumen gloriæ, & visio beata, per quam possit esse etiam caput hominum beatorum, & Angelorum, qui non sunt membra Christi per fidem, sed per lumen & visionem.

7. Sed inquires an saltem fuerit in Christo ex parte voluntatis pia affectio ad credendum? & si fuit, an etiam esset in eo habitus ad connaturaliter eliciendam piam affectionem? Et supponimus, quòd hæc in nobis saltem aliquo modo supernaturalis est, & procedit ex gratia. vt definitur in Concilio Arausicano secundo. Circa quod Suarez quæstione 7. S. Thomas in Commentario articulo 3. affirmat, quòd licèt in Christo non fuerit credulitas, seu actus credendi, fuit tamen in illo non solùm pia affectio ad credendum, sed etiam habitus ad talem piam affectionem. de habitu probat, quia hic ponitur ad connaturaliter eliciendum actum. & de actu probat etiam ex his, quæ dicit D. Thomas in prædicto articulo Respondendo ad 2. argumentum, scilicet quòd in Christo fuerit meritum fidei: sed meritum hoc consistit in actu piæ affectionis, quâ voluntas Christi determinabatur ad credendum diuino testimonio, si proponeret aliqua credibilia; ergo in Christo fuit actus, & habitus piæ affectionis. Sed tam actum piæ affectionis, quàm habitum negant Lorca disp. 38. *§. de fide*, num. 7. Montesinos art. 3. q. 2. Fundamentum Lorcæ est, quia actus fidei non datur in Christo; ergo neque pia affectio, & consequenter neque habitus, quia iste ministerialis est, & subseruiens habitui fidei. Montesinos probat, quia pia affectio vel est actus efficax, & hic non est de re impossibili de facto; vel inefficax, scilicet conditionatus, quo, v.g. Christus vellet credere, si proponeretur à Deo aliquid credibile, & hic non, quia potest oriri ex virtute obedientiæ. Addit tamen quòd sit probabile dari talem actum elicitum ex motiuo fidei, quod est credendi Deo, si diceret tamen propter hunc actum conditionatum non debere poni specialem habitum.

8. Sed in hac re Dico breuiter primò, quòd licèt in Christo daretur actualis assensus fidei diuinæ infusæ, non esset simpliciter necessarium quòd habuerit piam affectionem positiuam, sed sufficeret quòd habuerit non contramotionem voluntatis, sicut de reliquis hominibus credẽtibus traditur à Scoto in 3. d. 25. q. 2. *§. ideò dico*; & consequenter dico habitum non esse simpliciter necessarium. Fundamentum prædictæ conclusionis est, quia pia affectio est necessaria, vt actus fidei diuinæ sit liber, sed non per contramotionem voluntatis manet liber, quoad exercitium. & insuper ad actum negatiuum non requiritur habitus; ergo neque simpliciter requiritur pia affectio, neque habitus. Et confirmatur, quia posset intellectus, & voluntas Christi esse determinata ad credendum per fidem acquisitam, diuinam, vel humanam idem obiectum; ergo pia affectio, & habitus naturalis, quæ sufficerent ad hoc, sufficerent similiter ad actum fidei supernaturalis & infusæ.

Dico secundò: Pia affectio fuit in Christo, imò maior, quàm in aliquo alio, & hæc ex motiuo fidei. ita Suarez vbi suprà. Et probatur, quia non repugnat proponi Christo hoc obiectum, si Deus mihi reuelaret aliquod mysterium, deberem credere, quia est summè verax; ergo neque repugnat, imò congruentissimum fuit, quòd circa tale obiectum sibi propositum eliceret actum, quo vellet credere, si Deus reuelaret. Et cõfirmatur, quia sicut habuit promptitudinem animi circa bonitatem Dei, ita debuit illam habere circa veracitatem; sed hæc promptitudo est pia affectio ad credendum; ergo habuit piam affectionem elicitam propter Dei veracitatem, & sic propter motiuum honestatis fidei. 9.

Dico tertiò: Si in reliquis hominibus sit assignandus habitus ad connaturaliter eliciendum actum piæ affectionis (de quo non est modò locus disputandi, sed erit in materia de fide) etiam debet assignari in Christo, vt actus licèt conditionatus sit connaturaliter elicitus ab ipso. Probatur, quia sicut conditio non detrahit ab actu, quòd versetur circa motiuum illius virtutis; ita non debet detrahere, quòd elicitiuè procedat ab illa virtute, seu ab habitu, qui versatur circa motiuum illius virtutis, vt connaturaliter eliciatur, quia non est 10.

maior

maior ratio vnius, quàm alterius. Et per hæc fit satis fundamentis Lorcæ & Montesinos, dicimus enim quòd hic habitus, & actus potest etiam deseruire obiecto fidei conditionato, quod non est impossibile, & licèt actus circa actum fidei sit inefficax, non tamen circa actum piæ affectionis circa Dei veracitatem, & sic ex motiuo fidei.

QVÆSTIO II.

Vtrùm spes virtus theologica fuerit in Christo?

1. Actus spei est actus voluntatis, quo desideramus aliquod bonum adipiscendum, cuius adeptio est ardua; ad hoc autem, vt procedat à virtute theologali, debet respicere bonitatem Dei: vnde aliqua in præsenti se offerunt supponenda ex materia de spe; & aliqua disputanda. Primò suppono, quòd actus spei dicitur actus desiderij, quia versatur circa obiectum futurum, hoc est, apprehensum vt futurum; distinguitur tamen à desiderio etiam efficaci, quia respicit arduitatem in consecutione obiecti futuri.

2. Secundò suppono, quòd tam actus spei, quàm desiderij pertinent ad amorem concupiscentiæ, qui distinguitur ab amore amicitiæ in eo quòd amor amicitiæ respicit bonitatem personæ, cui volo bonum, quæ bonitas personæ dicitur absoluta, quia illam non refero ad aliud; at verò amor concupiscentiæ respicit bonitatem obiecti, quod alicui personæ amatæ (per amorem amicitiæ) concupisco, & hæc bonitas obiecti dicitur relata, quia illam refero ad personam, cui illam volo, siue hæc persona sit persona amici, siue sit persona propria. ita Scotus in 2. d. 6. q. 2. *§. circa primum;* & in 4. d. 49. q. 5. *§. ad quæstionem.* Notanter autem dixi, siue persona sit propria, siue amici, quia ex eodem Scoto ibidem, & præcipuè in 3. d. 26. q. vnicâ, *§. ad istam quæstionem,* vers. *hoc etiam probatur.* Voluntas habet duplicem affectionem, aliam commodi, aliam iustitiæ: quarum prima respicit bonum, vt mihi conueniens, licèt in me non sit bonitas, neque sint merita propter quæ illud mihi amem. Secunda respicit necessariò bonitatem personæ, vel merita illius cui concupisco aliquod bonum, & quia hæc bonitas seu merita fortassis possunt esse maiora in me, quàm in alio, ideò affectu iustitiæ possum concupiscere aliquod bonum, non solùm amico, sed etiam mihi.

Ex quo supposito tertiò, quòd affectus commodi, & affectus iustitiæ non sunt idem, ac amor concupiscentiæ, & amor amicitiæ, quia vterque affectus respicit bonum relatum; & per hoc distinguitur ab amore amicitiæ, qui non respicit bonum relatum, sed absolutum, & vterque affectus respicit personas, & per hoc distinguitur ab amore concupiscentiæ, qui non respicit personas, sed bonum concupitum, quæ omnia videbuntur Deo dante in materia de spe. 3.

Quartò supposito, quòd bonitas increata Dei (quæ necessariò debet respici à virtute theologali) diuerso modo attingitur ab amore amicitiæ, & ab amore concupiscentiæ, quia ab amicitia respicitur vt obiectum *cui*, & à concupiscentia vt obiectum *quod*, nam per amicitiam attenditur Deus, quasi esset vna persona, cui ex amore, & complacentia suæ infinitæ bonitatis volumus, & amamus tam bona intrinseca ipsius, vt sunt eius attributa, quàm extrinseca, vt sunt honores, & gloriæ, &c. quæ creaturæ ipsi exhibent. Per concupiscentiam verò (& consequenter per actum spei, qui est actus amoris concupiscentiæ, vt diximus) attenditur Deus, seu bonitas eius de se bona mihi, vel alteri (neque isti respectus mihi, vel alteri, sunt à parte rei aliquod distinctum ab ipsa bonitate Dei, quia ipsa bonitas de se est bona mihi, vel alteri) vnde ex affectu commodi possumus illam desiderare, & amare nobis, & ex affectu iustitiæ nobis, & aliis. 4.

Quibus suppositis primò quæritur an Christus habuerit actum spei veræ & propriæ, qui actus sit theologalis, circa gloriam sui corporis? Et notanter dico, veræ, & propriæ spei, quia quòd habuerit expectationem lato modo, seu desiderium, patet ex illo psal. 17. *Deus meus sperabo in eum:* quod Paulus ad Hebræos 2. interpretatur de Christo. Similiter dixi circa gloriam 5.

gloriam corporis; quia non potuit habere circa gloriam animæ, nam vt dicemus disputatione 15. quæst. 1. fuit beatus ab instanti suæ conceptionis, & spes non est de his, quæ habentur, nam ex Paulo ad Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes*. Similiter dixi, quòd sit theologalis, quia in quantum talis petit speciale obiectum, scilicet increatum.

6. Prima sententia affirmat, in Christo fuisse actum theologalem veræ & propriæ spei circa gloriam sui corporis. ita Suarez 3. p. quæst. 7. art. 4. & disputatione 1. de Spe sect. 8. num. 5. Ægidius Coninth disp. 19. de Spe dub. 11. Vasquez 3. p. disp. 43. cap. 3. Pytigianus in 3. d. 3. quæst. 2. art. 5. Fundamentum est, quia in gloria corporis Christi reperiuntur omnes conditiones requisitæ ad hoc vt sit obiectum actus spei, nam erat bonum futurum, arduum, seu acquisitu difficile, vel quia erat in potestate alterius (in quo Vasquez 1. p. disp. 84. cap. 1. ponit arduitatem) vel quia erat acquirendum per labores scilicet mortis & crucis; (in quo plures alij) ergo habuit actum spei. Insuper quòd sit theologalis, probatur, quia sperabatur à Deo omnipotente, & promittente, tamquam à ratione formali sub qua speratur; ergo eius obiectum formale erat theologale.

7. Neque obstat primò, quòd Christo esset debita gloria corporis ratione gloriæ animæ, quia arduitas non stat in contingentia, sed in eo quòd consequatur id quod speratur per labores.

8. Neque obstat secundò, quòd id quod speratur non sit quid increatum, quia sufficit quòd ratio sub qua speratur sit increata. vnde fides humana non est theologalis, etiamsi per eam credatur Deus vt trinus, quia ratio formalis sub qua, scilicet testimonium humanum non est quid increatum.

9. Secunda sententia opposita & vera negat in Christo fuisse actum veræ spei theologicæ. ita Caietanus, Medina & Bannez 3. p. quæst. 7. art. 3. Durandus in 3. d. 26. quæst. 3. num. 6. Lorca 2. 2. disput. 7. de Spe num. 15. & disput. 9. num. 7. & 8. & tomo de Incarnatione disp. 38. *§ de Spe*, num. 13. & alij Auctores qui non eodem modo probant illam. Et primò aliqui ex eo probant, quia beatitudo corporis naturaliter & necessariò, seu physicè debebat suo tempore procedere à gloria animæ; ergo non fuit respectu Christi ardua, & consequenter neque obiectum spei: sed hæc ratio, licet vera sit in doctrina Scoti in 3. d. 18. q. vnicâ in fine asserentis quòd gloria corporis resultat necessariò ex gloria animæ (quidquid in oppositum velit cum aliis Ægidius vbi suprà num. 144.) tamen non absolutè probat, quia amotio impedimenti, quo impediebatur resultantia gloriæ corporis à gloria animæ, pendebat à voluntate Dei, & consequenter cõsecutio prædictæ gloriæ corporis erat ardua.

Secundò probant alij, quia licèt spes circa gloriam animæ habeat pro obiecto bonitatem Dei cõsequendam tamquam obiectum videndum per visionem beatam (vnde respectu spei Dei bonitas se habet vt finis *qui*, & visio beata vt finis *quo*) tamen gloria corporis nullo modo attingit ipsum Deum, quia neque tamquam medium, neque alio modo habet connexionem cum visione beata, vt specificari possit ab obiecto ipsius: sed hæc ratio, licèt optimè probet, quòd in Christo, aut in alio non possit reperiri actus spei circa gloriam corporis, in quantum est amor theologalis, quia vt sic debet habere pro obiecto bonitatem Dei increatam, vt diximus in 4. supposito, & habet Scotus in 3. d. 26. q. vnicâ, tamen non probat quòd nõ possit habere actum spei, licèt prædictus actus non sit theologalis. quare hoc restat nobis probandum. 10.

Ratio ergo fundamentalis huius sententiæ est, quia de ratione intrinseca arduitatis (quæ ex parte obiecti spei se tenet, vt conditio essentialis) est contingentia, seu quòd obiectum proponatur vt aliquo modo contingens speranti: sed Christo non proponebatur gloria corporis, vt aliquo modo contingens, quia certò sciebat se illam consecuturum; ergo non habuit circa gloriam corporis spem. Maior in qua est tota difficultas probatur Primò ex differentia, quæ apparet inter desiderium efficax, & spem, quia qui desiderat, cùm efficaciter moueatur à bonitate obiecti futuri, non habet timorem non consequendi, sed solùm 11.

desi-

desiderat id quod consecuturus est; at verò qui sperat, habet desiderium admixtum cum timore, an fortè non consequatur, & sic respicit contingentiam.

12. Secundò probatur eadem maior à priori, quia qui desiderat bonum arduum ex eo quod contingens, & qui desiderat bonum arduum, sed non ex eo arduum, quia contingens, habet diuersas conditiones obiectiuas; igitur sufficientes ad causandum distinctionem specificam actuum. patet consequentia, quia diuersa conditio causat diuersum modum tendendi in obiectum, aliàs nullum esset argumentum in aliis actibus, quòd distinguantur sponte sumptum ex diuersa conditione: sed non potest negari ab aliquo, quòd qui respicit bonum arduum, quia contingens, habeat actum veræ spei; ergo qui contingentiam non respicit, etiamsi respiciat arduitatem ex alio capite prouenientem, non habet actum veræ spei.

13. Tertiò probatur, quia arduum, quod est molestum, & laboriosum est obiectum audaciæ, seu fortitudinis: sed hæc virtus est distincta à spe. vnde illa erigit animum ad sustinendum labores, hæc ad patienter sustinendum dilationem consequendi id, quod cum timore ne veniat speratur; ergo spes non est circa id, quod est arduum, quia molestum & laboriosum, sed quia contingens & dubium.

14. Quartò, quia eodem modo se habet spes circa bonum, ac timor circa malum, cùm sint opposita: sed timor oppositus spei non est de malo futuro necessario, sed contingenti, quia de necessario non habetur timor oppositus spei, sed oppositus fortitudini: vnde Christus timens mortem, asseruit, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* quasi diceret, Spiritus habet fortitudinem, & sic non timet mortem, quæ est obiectum necessarium; benè tamen caro, quæ vt humana talem fortitudinem non habet; ergo & spes est de bono contingenti.

15. Per hoc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ, quia spes non respicit obiectum ex eo arduum, quia est in potestate alterius, nam quòd cras oriatur Sol est in potestate Dei, & tamen non speratur, & Beati non habent spem de gloria corporis, licet sit in potestate Dei, aliàs in illis esset spes, quod videtur contra Paulum 1. ad Corinthios 13. vbi dicens, quòd *Charitas numquam excidit*, insinuat quòd fides & spes excidant in patria, vt etiam ad aliud propositum admittit Vasquez, quare immeritò admittit in Beatis actum spei circa prædicta: Neque respicit spes obiectum arduum, quia per labores, nam vt sic est obiectum solius audaciæ, seu fortitudinis, vt diximus. vnde quando aliquid laboriosum speratur non est, quia laboriosum, sed quia contingentia solet interuenire in superando labores: sed hæc non fuit reperta in Christo Domino.

16. Ad aliud respondetur negãdo, quòd prædictus actus sit theologalis, quia licèt verum sit, quòd in quantum talis debet specificari ab obiecto formali increato, & non à materiali, tamen obiectum formale spei non est id à quo speratur, nam hoc solùm est conditio obiectiua, vt docet Scotus in 3. d. 26. citatâ *§: ad quæstionem*, quia non mouet ad sperandum bonum persona à qua speratur, sed mouet id quod speratur, & hoc in amore theologali est bonitas increata Dei, quia vt sic allicit voluntatem ad eam sperandam & desiderandam, licèt non desideraretur efficaciter, nisi esset promissa: vnde ex eodem Scoto ibidem charitas & spes habent idem formale obiectum, licèt diuerso modo attingatur, ex eo quòd ex parte obiecti habent diuersas conditiones.

17. Ex quibus infero, quòd etiamsi in Christo fuerit desiderium efficax circa gloriam corporis, exaltationem proprij nominis, consummationem Sanctorum (siue Sancti cõsiderentur in quantum sunt aliquid Christi, scilicet membra corporis eius mystici, siue vt quid distinctum) non tamen circa hæc habuit spem, quia non respiciebat illa vt obiecta contingentia, sed sicut certò futura. Præterea neque aliis potest sperare beatitudinem, siue animæ, siue corporis, quia licet illa apprehendatur ab ipsis vt contingens, tamen Christus non sic apprehendit, nam certò scit, quorum gloria erit futura. Similiter neque animæ Purgatorij, quæ cognoscunt se esse in Purgatorio, possunt

possunt habere spem circa gloriam, nisi fortassis circa abbreuiationem temporis ad consequendum illam. Insuper neque viator cui facta est reuelatio propriæ prædestinationis, benè tamen potest prædictus viator aliis sperare beatitudinem ex affectu iustitiæ. Neque obstat quòd anima Purgatorij expectat beatitudinem magno conatu. Respondetur enim quòd conatus habet rationem desiderij efficacis; sicut Christus desiderio desiderauit manducare pascha cum discipulis, non tamen ratione spei veræ & propriæ.

18. Secundò quæritur, an licèt in Christo non reperiatur actus spei, reperiatur tamen habitus spei. partem affirmatiuam debent tenere illi, qui non distinguunt habitum spei ab habitu amoris concupiscentiæ, quia licèt in Christo non reperiatur actus spei, reperitur tamen desiderium efficax, tentio, & gaudium de Deó vt possesso per gloriam essentialem, qui actus procedunt ab amore concupiscentiæ, vnde procedunt ab habitu spei, licèt non sub nomine spei, quia vt sic requirit absentiam & fruitionem in obiecto, sed sub nomine amoris concupiscentiæ, ita tenent Salas 1. 2. tract. 2. disp. 7. sect. 6. Suarez & Ægidius supracitati, loquentes de actu desiderij, & de actu tentionis, & gaudij Beatorum.

19. Secunda sententia communis etiam inter eos, qui in Christo admittunt actum spei, negant habitum. ita Auctores supracitati in prima sententia, sed diuerso modo probatur aduersis. Primò Vasquez cap. 2. num. 10. probat, quia desiderare proprium bonum, & gaudere de bono adepto non est supra naturam, sed nobis valdè naturale; ergo ad hoc non est ponendus habitus supernaturalis. Præterea dato quòd hoc esset supernaturale, non est fingendus alius habitus theologalis, quia non attingit obiectum formale virtutum theologalium. Denique licèt habuerit actum spei, non debuit habere habitum, quia actus fuit, quasi in transitu; & sic (inquit) ad eliciendum illum sufficiebat auxilium supernaturale.

20. Sed contrà primò, quia si sperare bonum supernaturale petit habitum per se infusum spei, cur non petet desiderare, & tenere? Secundò, quia licèt circa obiectum supernaturale possit esse actus naturalis, tamen quando actus tentionis & gaudij habent rationem dotis sunt supernaturales, sicut matrimonium cuius sunt dotes, scilicet beatitudo; ergo prædicti actus sunt supra naturam nostram. Tertiò, quia non fingitur alius habitus theologalis, si habitus circa desiderium, tentionem, & gaudium est ipsemet habitus spei, licèt induat diuersas denominationes. Quartò, quia magis in transitu est spes nostra circa gloriam essentialem, quàm spes Beatorum circa gloriam corporis, quia minùs durat, & tamen propter nostram ponitur habitus spei; ergo, &c.

Secundò Lorca disp. 7. de Spe, n. 13. & 3. p. disp. 18. licèt admittat habitum supernaturalem ad eliciendum prædictos actus, tamen probat non esse habitum spei, sed charitatis, ex eo quòd in patria voluntas absorpta est in Deum, ita vt nihil possit amare, nisi propter ipsum. Sed contrà primò, quia actus amoris concupiscentiæ circa Deum vt bonum nostrum honestus est ex obiecto & circumstantiis, & non est incompossibilis cum amore charitatis; ergo licèt admittamus hunc, non debemus excludere illum, quia nullam imperfectionem aut indecentiam includit. Contrà secundò, quia ex opposita sententia sequeretur quòd Beati non haberent exercitium aliarum virtutum, quod est absurdum. 21.

Tertiò alij Recentiores ex eo probant, quia actus tentionis & gaudij spectat ad amicitiam moralem, quam quis habet circa seipsum, quia sicut hæc datur circa amicos, ita circa nos. Sed contrà primò, quia amor amicitiæ moralis respicit quòd sit inter duas personas, & quòd sit mutuus, vt Deo dante latè dicemus in materia de Charitate disp. 2. quæstione 1. vbi fit distinctio affabilitatis, beneuolentiæ, amicitiæ, & charitatis. Secundò, quia hic amor non est theologalis, nisi fortè inter personas diuinas, modò autem agimus de desiderio, tentione, & gaudio comprehensoris erga Deum. 22.

Sed in hac re dicendum nobis est, quòd si ponamus in Beatis, & in quocumque alio habitus propter rationes genericas, & non propter rationes specificas diuersorum actuum, fuisse in Christo 23.

Christo habitum spei, quia habuit actus supernaturales desiderij, tentionis, & gaudij circa gloriam animæ, qui habitus est theologalis, in quantum elicit tentionem & gaudium, non verò in quantum elicit desiderium circa gloriam corporis; quia illi actus habent obiectum theologicum, non verò isti, & omnes habent pro obiecto rationem genericam, nam conueniunt in ratione amoris concupiscentiæ, quæ respicit obiectum vt bonum referibile (intellige per affectum commodi referibile ad nos, per affectum verò iustitiæ ad nos, & ad alios) & consequenter ab illa ratione specificatur vnus habitus inclinans ad vnum actum in genere, & ad plures in specie.

Si autem ponamus diuersos habitus propter diuersas rationes specificas, tunc dicendum est quòd in Christo non fuit habitus spei, quia neque habuit actum spei, quia vt ex supradictis patet, distinguitur in specie ab actu desiderij efficacis, & multò magis ab actu tentionis & gaudij; & vtramque partem huius sententiæ censeo probabilem in doctrina Scoti, quia primam partem tenet expressè in 3. d. 31. q. vnica, §. *sed adhuc restat*, litt. D. & in 4. d. 49. q. 5. litt. C, vbi ait, quòd ab eodem habitu charitatis eliciuntur diuersi actus in specie, in via, & in patria propter diuersum modum tendendi ortum ex diuersa conditione, scilicet ex fide, & ex visione. Et fundamentum est, quia tunc habitus habet se vt potentia; vnde sicut hæc elicit diuersos actus in specie, ita habitus. Secundam verò partem tenet eisdem in locis in 3. §. *viso de fide*, litt. F. Et fundamentum est, quia sicut diuersus actus in genere petit diuersos habitus, vt connaturaliter eliciatur, ita diuersus actus in specie, sicut diuersæ ponuntur potentiæ in specie propter diuersos actus in specie.

25. Dices: Ex hac secunda parte sequitur, quòd multiplicentur habitus theologales, quia multi sunt actus in specie diuersi circa Deum, quod videtur falsum, quia tres tantùm numerantur, scilicet fides, spes, charit. s. Respondetur quòd ex eo solùm numerantur tres, quia solùm numerantur magis perfecti ad quos ceteri reducuntur, vel quia solùm numerantur sicut virtutes cardinales, quæ cùm sint plures, non numerantur nisi quatuor, quia ad illas plures aliæ, licet in specie distinctæ reducuntur. Et ex dictis patet ad fundamenta contrariarum sententiarum.

Restabat agere an in Christo fuerit charitas, sed hoc non disputatur; sed supponitur tamquam de fide ex illo ad Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere, & scire supereminentem scientiæ charitatem Christi:* quod ad minus debet intelligi de charitate actuali; sed de habituali colligitur ex his, quæ disputatione antecedenti diximus, scilicet quòd habuerit Christus gratiam habitualem, quia charitas, vel non distinguitur realiter ab illa, vt docent Scotistæ; vel si distinguitur, vt docent Thomistæ, est tamen inseparabilis ab illa. 26.

QVÆSTIO III.

Vtrum in Christo Domino fuerint virtutes morales?

1. Virtutes ideò dicuntur morales, quia versantur circa componendos mores; quatuor autem sunt principales, seu cardinales; prima est Temperantia, quæ versatur circa passiones concupiscibiles. 2. Fortitudo circa passiones irascibiles. 3. Iustitia, quæ respicit operationes in ordine ad alterum. 4. Prudentia, quæ versatur circa materias omnium virtutum, quia primò dirigit omnes operationes illarum dictando mediocritatem in materia, & in reliquis aliis requisitis: quia propter licet pertineat ad intellectum, nihilominus dicitur, & est virtus moralis, quia versatur circa componendos mores.

2. In hac re Dico primò: In Christo fuerunt aliquæ virtutes morales. est conclusio de fide, si loquamur de actibus, quia Matthæi 11. dicitur, *Mitis sum, & humilis corde*; & ad Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem*, &c. quod ad minus debet intelligi de actibus; sed de habitibus harum virtutum non est ita certa conclusio, sed non debet negari.

3. Dico secundò: In Christo fuerunt omnes virtutes morales, quæ non repugnabant, aut cum statu beatifico, aut cum vnione hypostatica. Est communis sententia Theologorum in 3. d. 26. Et probatur, quia virtus *est dispositio perfecti*

fecti ad optimum, id est, perficit potentiam in ordine ad optimũ, id est, actum eliciendum; ergo debuit esse in Christo, sicut est in ceteris Beatis, dummodo non habeat repugnantiam.

4. Neque obstat, si dicas cum Medina 3. p. q. 7. art. 2. quòd quamuis Christus non habuisset habitus virtutum, potuisset elicere actus ita perfectos, & ita intensos, sicut cum illis. Respondetur distinguendo de perfectione actuum, alia enim est essentialis, & vt sic concedo quòd posset elicere ita perfectos, id est, eiusdem speciei cum illis, qui procedunt ab habitibus, imò & ita intensos: alia verò est perfectio connaturalis, quam habent actus in eo quòd eliciantur ab habitibus, & si acquisiti sunt non solùm hoc, sed etiam quòd faciliter eliciantur, & vt sic nego quòd ita perfectos eliceret sine habitibus virtutum, ac cum illis.

5. Sed antequam examinemus aliqua dubia, quæ se offerunt in hac Quæstione, Nota dissidium quod versatur inter Auctores circa qualitatem harum virtutum; nam D. Thomas 1. 2. quęst. 63. art. 1. & 2. & cum eo Thomistæ omnes asserunt dari virtutes morales per se infusas propter fines supernaturales, quæ solùm deseruiunt ad connaturaliter operandum. Scotus verò in 3. d. 36. q. vnicâ, *§. contra hoc*, vers. *licet de istis*, videtur solùm admittere virtutes morales per se acquisitas vt respiciunt propria obiecta; nam vt respiciunt illa, non accipiũt supernaturalitatem ab illis, supernaturaliter tamen ordinari in finem supernaturalem ex imperio charitatis ab homine viatore, easdem autem esse in Beatis per accidens infusas, quamuis ibidem vers. *vel secundò videtur*, etiam probabiliter admittere virtutes morales per se infusas, vt patebit si attentè legatur. Imò hoc confirmatur ex distinct. 34. antecedenti, *§. ad istam quæstionem*, vbi non distinguit dona Spiritus sancti, quæ non sunt per se acquisita, sed per se infusa ab aliquibus virtutibus moralibus. vnde Scotistæ, qui ex Scoto negant dari virtutes morales per se infusas, non benè capiunt Scotum in præsenti, vbi tantùm vult quòd prædictæ virtutes non petunt per se infusionem ex obiecto, sicut Thomistæ hoc volunt de virtutibus theologicis: insuper quòd neque illam petant, ex eo quòd potentiæ debeant operari supernaturaliter, quia hoc possunt habere extrinsecè ex imperio charitatis, quare si supernaturales & per se infusæ possunt esse, hoc illis aduenit ex alio capite, scilicet, vel ex aliquo prædicato essentiali, vel ex aliqua differentia indiuiduali, vt in sententia Scoti dicemus de virtutibus theologicis, siquidem ipse admittit fidem diuinam acquisitam: sed de hoc agitur in materia de virtutibus, & modò non est locus disputandi.

Quidquid tamen sit de hoc certum est debere esse in Christo virtutes perfectiori modo possibili, & non solùm in gradu remisso & communi, sed in gradu heroico & summo secundùm ea quæ disputatione antecedenti diximus ex Scoto. vnde si virtutes morales sunt per se acquisitæ, debuerunt per accidens infundi Christo Domino in primo instanti conceptionis, sicut infusæ fuerunt Adamo, ne aliquando Christus careret aliquâ perfectione possibili ad operandum; quare meritò asserunt Recentiores numquam in Christo fuisse continentiam, sed semper habuisse temperantiam, quia illa versatur circa passiones & motus inordinatos insurgentes, quæ numquam fuerunt in Christo (vnde Aristoteles 7. Ethicor. cap. 9. dixit, quòd continentia non est virtus) hæc verò circa conseruationem motuum ordinatorum. totum hoc insuper patet ex eo quòd Christus habuit fomitem peccati extrinsecè extinctum ratione virtutum & donorum: sed hoc habuit à principio suæ conceptionis; ergo non fuit in eo continentia, sed temperantia. 6.

Sed primum dubium est, si cum Thomistis admittamus virtutes morales per se infusas, an simul cum illis essent in anima Christi aliæ per se acquisitæ, quibus operaretur ex motiuo & dictamine rationis naturalis? Negant Capreol. in 3. d. 33. q. 1. art. 1. concl. 4. Ricard. q. 6. Lorca *§. de virtutibus acquisitis*, num. 20. Fundamentum est primò, quia S. Thomas q. 1. art. 4. negat illas in Beatis; ergo neque sunt in anima Christi. Secundò, quia licèt dictamen rationis naturalis non repugnet Christo, tamen multò perfectius est operari ex motiuo supernaturali virtutis infusæ, 7.

fusæ. Tertiò, quia virtus moralis acquisita solùm requiritur vbi est contrarietas, & repugnantia ex parte appetitus: sed hæc non fuit in Christo; ergo. Quartò, quia omnia operantur Beati ex motiuo charitatis; ergo non operantur ex dictamine rationis naturalis.

8. Sed meliùs affirmant Suarez disp. 19. sect. 2. Vasquez disp. 42. cap. 2. Montesinos disp. 2. de Gratia, quæstione 1. Lorca etiam vbi suprà hoc admittit tamquam probabile. Et probant primò, quia D. Thomas 3. p. quæst. 7. art. 2. ad 3. admittit, quòd Christus ex electione voluerit mediocritatem in victu & potu ex dictamine rationis. Secundò probant, quia per hoc dictamen iudicabat Christus, quòd esset conueniens in omnibus virtutibus; ergo operabatur ex virtute acquisita: vnde operabatur ex prudentia acquisita. Tertiò, quia virtutes acquisitæ numerantur inter maxima bona ab Aristotele; ergo illas habuit Christus: vnde Scotus vbi suprà admittit illas infundi hominibus in beatitudine, si iam non infusæ sunt. quæ probationes pro nunc sufficiant nobis, quia quæstio illa, an virtutes morales sint per se acquisitæ ex eo quòd sequantur dictamen rationis naturalis, an ex eo solùm quòd procedant & acquirantur per actus naturales (quod videtur conformius his, quæ à nobis sunt dicenda cum Scoto circa scientiam per se infusam, & per se acquisitam) non est huius loci.

9. Ad primum respondet Suarez, quòd D. Thomas in secundo loco retractauit primum; sed quidquid sit de hoc, dicendum nobis est quòd sit dispar ratio de Christo, & de Beatis propter excellentiam capitis, quam habebat; & sic si possibiles sunt, admittendæ sunt in Christo Domino. Deinde respondeo ad secũdum argumentum, quod quamuis perfectius sit ex motiuo supernaturali operari, tamen non est imperfectio positiua operari ex motiuo naturali, sicut & operari actum inferioris virtutis, & non superioris, aliàs numquam exercuisset actus fortitudinis & temperantiæ, quia sunt inferiores charitate. Adde quòd & prædictos actus semper operabatur ex extrinseco imperio charitatis. vnde quartum argumentum nil concludit contra nos, quia imperium extrinsecum procedens à charitate non tollit, quòd actus fortitudinis v. g. procedat à virtute fortitudinis. Ad tertium respondetur, quòd sufficit cõtrarietas, & repugnantia possibilis, vt in Adamo, ad hoc vt ponantur prædictæ virtutes. Aliter respondent Thomistæ, quia non admittunt in Christo de potentia Dei peccatum, aut motum inordinatum.

Secundum dubium est, an virtus prudentiæ per se acquisitæ fuerit infusa in Christo Domino cum reliquis virtutibus in primo conceptionis instanti? Negat Vasquez, quia prudentia præsupponit scientiam naturalem speculabilium: sed hæc acquisita fuit à Christo decursu temporis; ergo & prudentia. 10.

Sed meliùs affirmant reliqui Recentiores. Fundamentum est, quia omnes virtutes morales habent necessariam connexionem cum prudentia; ergo in instanti non potuit illas habere, nisi tũc haberet prudentiam. Et confirmatur, quia in quolibet actu virtutis moralis requiritur actus prudentiæ directiuus, qui dictet mediocritatem circa quam est virtus; ergo ad hoc vt quilibet actus prudentiæ eliciatur cõnaturaliter præsupponit habitum, aliàs careret suâ perfectione sibi debitâ. vnde Dionys. Alexandrinus epistolâ ad Paulum Samosatenum ait, *Quòd in Christo neque fuit labor propter prudentiam, neque abstinentia cibi propter temperantiam.* id est, neutra virtus istarum fuit acquisita ex frequentatione actuum. 11.

Ad fundamẽtum oppositum respondetur, quòd actus prudentiæ solùm præsupponit actum scientiæ, quare licèt quantùm ad habitum acquisita fuisset à Christo decursu temporis, quia dependebat à phantasmatibus (quod negabo inferiùs) tamen prudentiæ habitus non ita, quia potuit per accidens infundi in primo instanti; sed vsus tam prudentiæ, quàm reliquarum virtutum fuit decursu temporis subsequentis, neque enim potuit Christus habere omnes actus illarum in primo conceptionis instanti absque miraculo, quod sine necessitate non debet admitti. Et si inquiras an ex tali frequentia & exercitio prædictæ virtutes infusæ susceperint augmentum? Respondet Suarez 12.

&

& benè quòd non, quia datæ sunt absolutè perfectæ, sicut decebat Christum. Addit etiam & summæ negatiuè, sicut diximus de gratia.

13. Tertium dubium est, an in Christo fuerit virtus liberalitatis & magnificentiæ, & videtur quòd non, quia versatur circa diuitias, tãquam circa propriam materiam, quas non habuit Christus. Sed omnes Recentiores illam admittunt in Christo cum S. Thoma art. 2. quæst. citatâ. Fundamentum est, quia liberalitas, & magnificentia non debet negari Christo quantùm ad actus interiores. Secundò, quantùm ad aliquos exteriores, scilicet quantùm ad abdicationem dominij diuitiarum sibi debiti ratione alicuius tituli (non est necesse, quòd habuerit omnes actus, sicut neque virtus iustitiæ habuit in eo actum restitutionis) Prætereà fuit liberalis in his, quæ sibi dabantur. Prætereà in saturatione quinque millium hominum in deserto, quia non solùm pecuniæ, sed quælibet materia grandis sufficit ad hanc virtutem, & per hoc patet ad rationem in contrarium.

14. Quartum dubium est, an in Christo fuerit virtus pœnitẽtiæ? Negant communiter Thomistæ tam de actu, quàm de habitu. Quorum fundamentum est, quia pœnitentia inclinat ad detestandum peccatum cum retractatione vitæ præteritæ, & proposito emendæ: sed in Christo nec fuit, nec potuit esse peccatum; ergo neque pœnitentia. Suarez verò disputatione 19. sect. 1. cum Caietano affirmat fuisse in Christo talem virtutem, sed non secundùm rationem formalem, sed secundùm rationem materialem. Fundamentum ipsius est, quia non assignat specialem virtutem pœnitentiæ distinctam à virtute religionis, sed asserit quòd sit eadem virtus, & idem habitus, quo reddimus Deo debitum pro beneficiis acceptis, & pro peccatis commissis; cùm ergo in Christo fuerit virtus religionis, erit pœnitentia, licèt non secundùm rationem formalem, quâ respicit reddere debitum pro peccatis commissis. Idem tenentur asserere, qui dicunt pœnitentiam esse actum iustitiæ, vel charitatis.

15. Sed meliùs Scotistæ communiter assignant in Christo virtutem pœnitentiæ secundùm rationem formalem ipsius. Fundamentum est, quia Scotus in 4. d. 14. q. 2. in solutione tertij argumenti admittit illam in statu innocentiæ, & in Beatis, quia eius præcipuus actus est velle vindicare peccatum contra Deum commissum propter recompensandam Dei iniuriam: quòd autem hoc peccatum sit commissum à se, vel ab alio non pertinet ad rationem formalem pœnitentiæ, sed ad materialem, & est quid accidentale, imò cùm actus pœnitentiæ sit actus iustitiæ, quæ ex natura sua est ad alterum, quando reus illam exercet in seipsum taliter exercet, quasi exerceret in alterum, quia se habet vt minister iudicis, qui castigat reos; ergo potuit Christus velle vindicare peccatum cõtra Deum commissum propter recompensandam Dei iniuriam, licèt non esset commissum à se.

Et per hoc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, quia non requiritur detestatio proprij peccati, & retractatio propriæ vitæ, sed sufficit quòd sit alterius, quod Christus potuit exercere, imò & de facto exercuit, quando pro nobis satisfecit; at verò quando quis pœnitet efficaciter de peccato à se commisso, tunc debet habere propositum emendæ, quia hoc sequitur ad veram pœnitentiam de proprio peccato, aliàs talis pœnitens non verè & efficaciter doleret. Ad Suarez respondetur debere admitti specialem virtutem pœnitentiæ propter speciale motiuum quod habet, nam virtus religionis exhibet cultum Deo in recognitionem supremæ eius excellentiæ, & in diuini dominij manifestationem, & obsequium; at verò pœnitentia vindicat peccatum propter recompensandam Dei iniuriam, & reducendum ad æqualitatem inæqualitatem, quam peccatum constituerat. ita docent Scotus dictâ quęstione 2. §. *in ista quæstione*, vers. *hoc supposito*. D. Thomas in 4. d. 14. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 85. art. 2. vbi docent hoc esse speciale motiuum pœnitentiæ, cum quibus plures alij tradunt Auctores. de quo in propria materia. 16.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in Christo fuerint omnia dona Spiritus sancti?

1. SVpposito primò quòd donum in præsenti non sumitur pro quolibet beneficio Dei gratis concesso, sed specialiter pro virtute aliqua, quà quis operatur ex motione, ductu, & instinctu Spiritus sancti, secundùm illud ad Roman. 8. *Qui spiritu Dei agunt*, &c. vnde septem numerantur ab Isaia cap. 11. quorum tria, scilicet intellectus, scientia, consilium, pertinent ad intellectum; tria ad voluntatem, scilicet fortitudo, pietas, & timor; aliud scilicet sapientia secundùm mentem D. Thomæ pertinet ad intellectum, quia sumitur pro *sapere*; secundùm Scotum vers. *infrà* pertinet ad voluntatem, quia sumitur à *sapore*, quo nobis sapit Deus, & quem desumit fides à prædicto dono sapientiæ.

2. Suppono secundò quòd licèt inter Scholasticos sit disputatio, an hæc dona sint virtutes, seu habitus distincti ab habitibus virtutum. Circa quod D. Thomas, & plures Thomistæ, quos citat, & sequitur Suarez 1. tom. de Gratia lib. 2. à cap. 17. vsque ad 21. affirmant quòd sint habitus realiter distincti. è contrà verò Scotus in 3. d. 34. q. vnicâ, *§. ad istam quæst.* Gabriel art. 2. Mayor q. 1. & plures alij id negant: tamen omnes vnanimiter fatentur, quòd prędicta dona, si non sunt ipsæ virtutes, dantur in adiutorium prædictarũ virtutum, nam in adiutorium fidei datur intellectus, cuius est capere & penetrare eius diuina mysteria; & datur scientia, cuius est capere ea mysteria, quæ pertinent ad res creatas; vel aliter & veriùs intellectus est notitia primorum articulorum, & scientia articulorum qui deducuntur ex illis, sicut insibilibus naturalibus, intellectus dicitur esse principiorum, & scientia conclusionis. ita Scotus litt. O. Sapientia datur in adiutorium fidei secũdùm D. Thomam, quia penetrat eius mysteria propter rationes diuinas, v. g. quòd Deus permittat peccata propter ostensionem suæ iustitiæ, sicut dixerat de scientia, quòd penetret mysteria fidei propter rationes creatas, v. g. quòd permittat peccatũ vt saluetur libertas, &c. Secundùm Scot. verò sapientia datur in adiutorium charitatis, vel spei, quia per sapientiam, hoc est, per saporem Spiritus sãcti nobis sapit Deus, vel vt est bonus in se, vel vt est bonus nobis. Consilium correspõdet prudentiæ, pietas misericordiæ erga proximũ; vel quod verius est, correspondet religioni, quia piè afficit voluntatem circa eum quem colit. Fortitudo datur ad superandum labores propter Deum contingentes. Timor correspondet aut charitati, aut humilitati, iuxta ea quæ statim dicam.

Sed circa propositam quæst. scilicet an in Christo fuerint hæc dona? sunt aliquæ rationes dubitandi. Prima est, quia Christus non indigebat motione Spiritus sãcti, qui propter hypostaticã tenebatur perfectè operari; ergo nõ habuit eius dona. Secundò non potuit habere intellectum & scientiam, quia vel sunt ipsa fides, vel dantur in eius adiutorium, & Christus non habuit fidem. Tertiò arguit Durandus in 3. d. 34. q. 3. quia in Beatis nõ possunt dari cõsilium, pietas, fortitudo, & timor; ergo neque in Christo, qui in primo cõceptionis instãti fuit beatus. Antecedens probatur, nam cõsilium fit cum dubitatione, pietas subleuat miseriam aliorũ, fortitudo datur ad aggredienda pericula, timor ad fugienda mala: sed in beatitudine nulla est dubitatio, nulla miseria, nulla pericula, nulla mala; ergo neq; sunt prędicta dona, precipuè quoad actus illorum est. 3.

Sed absque errore negari nequit in Christo fuisse septem prædicta dona Spiritus sancti. ita omnes Scholastici in 3. d. 34. Et probant primò ex suprà adducto Isaiæ testimonio, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus*, &c. quod debere intelligi de Christo docent plurimi Ecclesiæ Patres, qui videri possunt apud Suarez & Vasquez in præsenti, & deducitur ex textu, quia postquam Isaias dixit, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; immediatè subdit, Et *requiescet super eum spiritus Domini*, &c. nomine autem floris absque dubio Christus intelligitur. Secundò probatur ratione D. Thomæ 3. parte, quæst. 7. art. 5. quia Christus perfectissimo modo mouebatur à Spiritu sancto, & 4.

& sequebatur ductum eius, iuxta illud Matthæi 4. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum*, &c. & Lucæ 4. *Agebatur à spiritu*; ergo operabatur ex donis illius. Tertiò, quia prædicta dona sunt quædam perfectiones nullam includentes repugnantiam, aut cum vnione hypostatica, aut cum statu beatifico; ergo non sunt Christo deneganda.

5. Ad rationes dubitandi Respondeo ad 1. quòd sicut Christus indiguit virtutibus ad eliciendum perfectè actus illarum, ita indiguit donis ad perfectè sequendum ductum Spiritus sancti, quia vnio hypostatica non tribuit formaliter effectus virtutum & donorum. Et si dicas quòd de ratione doni Spiritus sancti est nescire à quo proueniat, iuxta illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat*, &c. Christus autem cognouit se moueri à Spiritu sancto; ergo. Respondetur hoc non esse de ratione doni, sed in nobis prouenire ex defectu subiecti, non in Christo, qui non habuit hanc imperfectionem. vnde hæc verba dicta fuerunt nobis in Nicodemo. Ad 2. respondetur cum communi sententia, quòd in nobis in quibus est habitus fidei non distinguitur ab illa, vel dantur in adiutorium illius intellectus, & scientia, tamen in Christo in quo non est fides, sed scientia infusa, prędicta dona non distinguuntur à tali scientia, vel si distinguantur, dantur in adiutorium illius, eo modo, quo inferiùs dicetur.

6. Ad 3. Durandi, & ad 1. de consilio dico, quòd eodem argumento probaret in Christo non fuisse prudentiam, nam hæc est cum consilio, quod in nobis inuoluit dubitationem, consultationem, & inquisitionem, quæ sunt imperfectiones, quia tamen de ratione essentiali consilij non est dubitatio, consultatio, & inquisitio, licèt in nobis viatoribus reperiantur propter dependentiam discursus à phantasmatibus, sed solùm est de ratione illius quòd sit iudicium directiuum circa res faciendas, ideò in Beatis, & in Christo debet admitti. Ad 2. de pietate dico, quòd pietas piè afficit habentem erga eum, quem colit, vt ipsum magis colat. ita D. Thomas 2. 2. quæst. 121. & sic non repugnat Christo, sicut neque repugnat habitus religionis ad quem spectat. Prætereà licèt in Beatis non reperiatur miseria, reperitur tamen in viatoribus, quibus Beati possunt subuenire. vnde Christus Actorum 10. *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* quare licèt pietas pertineret ad misericordiam, reperiretur in Christo. Ad 3. de fortitudine respondetur quòd Christus aggressus est magna pericula in vita, in passione, præcipuè & in morte, post resurrectionem tamen habet complacentiam de tali aggressu, imò est in animi præparatione ad iterùm aggrediendum, si fuisset necessarium. vnde hæc firmitas, & animi perseuerantia ad eamdem virtutem spectat. idem dicimus de Beatis.

Magis difficile est illud 4. quod adducit Durandus de timore, an scilicet sit in Beatis? & quomodo fuerit in Christo. Pro quo Nota quòd timor sumitur quadrupliciter: Primò pro timore mundano, quo quis peccat ex metu alicuius mali temporalis, qualiter Petrus negauit Christum, & hic timor non fuit in Christo. Secundò pro passione appetitus, quo quis timet mortem, qualiter illam Christus timuit, licèt in Christo talis timor fuerit imperatus à ratione, in nobis autem illam præuenit, & communiter conturbat. Tertiò pro timore serui, qui iterùm subdiuiditur in timorem seruilem seruiliter habitum, & in non seruiliter habitum. per primum quis desinit peccare propter pœnam, taliter quòd si pœna non esset, in præparatione animi haberet peccare, & non dolere peccasse, & hic timor est malus. per secundum desinit quis peccare propter pœnam, & dolet de peccato propter illam, non tamen habet præfatam animi præparationem, & hic timor est bonus: sed non fuit in Christo, quia non imminebat illi periculum peccandi. Quartò sumitur pro timore filiali, quo quis vel timet separari à Deo propter peccatum, vel Deum permittere sibi peccare, vel reueretur ipsam Dei maiestatem, & hic est donum Spiritus sancti, & procedit de ipso quæstio, an fuerit in Christo. 7.

Albailardus relatus à D. Bernardo epist. 190. à Castro verbo *Christus* hæresi 9. Sandero 7. de Visibili monarch. cap. 146. negauit in Christo fuisse hunc timorem. Sed refutatur ex prædictis verbis 8.

verbis Isaiæ 11. *Repleuit eum spiritus timoris Domini.* vnde damnatus fuit iste error ab Innocentio Primo, vt constat ex rescripto ipsius ad Bernardum, & habetur inter eius Epistolas, epist. 194. & à Concilio Remensi cui interfuit Bernard. quare Durandus licèt non admittat in Christo actum huius timoris, admittit tamen habitum. Sed contrà primò, quia Albailardus non negauit habitum timoris, sed actum. Secundò, ad quid esset habitus, si non erat futurus, imò neque possibilis actus? Tertiò, quia timor simpliciter dicit actum; ergo si non fuit actus, neque timor. vnde parum vel nil differre videtur Durandus à prædicto errore.

9. Propter hæc alij dixerunt, quòd in Christo fuit actus timoris (idem dico de Beatis) tamen talis actus non erat dicendus proprius, sed metaphoricus. quod probant primò ex Greg. 7. Moral. cap. 17. vbi explicat illud Iob, *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent.* intelligendo per columnas Angelos, & per timorem & pauorem stuporem admirationis. Secundò, ex Augustino lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 9. vbi explicans illud psal. 18. *Timor Domini sanctus permanet*, &c. intelligit permanere timorem, non quantùm ad actum, sed quantùm ad præmium, sicut permanet (inquit) patientia pauperum, iuxta illud psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Sed contrà, quia verba sacræ Scripturæ non sunt metaphoricè accipienda, quando nullum est incoueniens accipere cum proprietate. Sed de Christo ait Isaias, quòd *repleuit eum spiritus timoris Domini*; & de Beatis asserit Psalm. quòd *timor Domini sanctus permanet*, &c. ergo si nullum sit inconueniens, debent intelligi de timore in proprio sensu.

10. Sed reiiciunt repugnantiam oriri ex eo quòd Christus certus erat quòd non erat peccaturus; ergo non potuit habere timorem filialem. patet consequentia, quia hic solùm respicit malum imminens. Et confirmatur, quia hic timor non est sine quadam animi anxietate, quæ non habet locum in Beatis, neque in Christo, præcipuè post resurrectionem. Quapropter Ricardus in 3. d. 34. art. 2. quæst. 4. inquit, quòd in tantum in Beatis manet timor, in quantum in illis manet gaudium de hoc, quod est timuisse dum erant in via; elicitum ab habitu timoris. Sed contrà, quia gaudium non est timor: ideò Castro vbi suprà ait, quòd Christus habuit timorem in carne passibili, non tamen post resurrectionem. Sed contrà primò, quia Christus semper fuit certus quòd non erat peccaturus; ergo idem fuit anteà, ac post resurrectionem. Secundò, quia si in Beatis, timor Domini sanctus permanet in æternum; ergo in Christo.

11. Sed pro vera intelligentia Nota ex D. Thoma art. 6. quòd timor iste duo respicit, primò maiestatem, & potestatem Dei, qui potest permittere malum culpæ, & infligere malum pœnæ. Secundò, respicit ipsum malum, non aliter, ac reus. primò timet potestatem Principis, aut Iudicis, qui potest puniri; & secundò ipsam pœnam.

12. Quo supposito sit prima conclusio: In Christo Domino fuit actus timoris, prout respicit maiestatem Dei, & in sententia Scoti saltem de potentia Dei absoluta, potentem permittere malum culpæ, & infligere malum pœnæ, quâ ratione hic timor dicitur Reuerentialis, præcipuè in sententia Scoti. ita communiter Scotistæ Scholastici (fortè non ita clarè) cum Magistro in 3. d. 34. D. Bonauent. art. 2. quæst. 3. Gabriel quæst. vnicâ, art. 3. dub 2. & aliis Auctoribus apud Suarez disp. 20. sect. 2. Vasquez disp. 44. cap. 2. Lorcam disp. 39. qui cum Thomistis non admittunt in secunda conclusionis parte sententiam Scoti. Et probatur, quia certum est, quòd dum anima Christi considerabat supremam Dei maiestatem, habebat actum reuerentiæ circa illam, & quòd posset sibi permittere peccatum, de potentia Dei considerabat humanitas Christi, iuxta ea quæ cum Scoto dicemus, dum loquamur de impeccabilitate Christi; ergo & habuit actum timoris reuerẽtialis circa Deum potentem sibi permittere peccatum de sua absoluta potentia. Et confirmatur, quia potentia Iudicis est obiectum timoris reuerentialis; ergo & potentia Dei respectu Christi. Et idem dico de Beatis. Vnde Gregorius vbi suprà de Angelis ait, quòd stupent, &

& admirantur in conspectu illius. Et D. Thomas in art. 6. citato explicat illud ad Hebræos 5. vbi dicitur de Christo, quòd cùm oraret in cruce, *Exauditus est pro sua reuerentia.* quòd loquatur de isto timore reuerentiali.

13. Maior est difficultas, an Christus habuerit hunc timorem, prout secundò respicit malum culpæ & pœnæ? Affirmat Caietanus supra prædictum articulum D. Thomæ, imò addit quòd primus actus istorum sine secundo non sit propriè timor, in quo consentit Valencia quæstione 7. puncto 4. subdit tamen Caietanus, quòd aliter sit iste actus in viatoribus iustis, & aliter in Christo, & in Beatis, quia in istis est cum anxietate, in illis verò sine illa, quia certò cognoscunt se non peccaturos; & addit Victoria apud Medinam articulo citato, quòd Beati licèt habeant scientiam certam se non peccaturos durante in ipsis beatitudine, & Christus durante sibi vnione hypostatica, tamen timent peccatum, quia si sibi relinquerentur, possent peccare.

14. Sit secunda conclusio: In Christo non fuit hic timor, prout respicit malum culpæ & pœnæ. Et idem dico de Beatis. ita communiter Recentiores Lorca vbi suprà num. 7. Montesinos disp. 2. quæst. 4. Et probatur, quia ad hunc timorem non sufficit quòd malum sit possibile de potentia Dei, sed de facto, imò quòd sit imminens: vnde nullus timet cælum ruere, vel quòd cras non oriatur Sol; ergo cùm Christus, & Beati sic non respiciant malum culpæ & pœnæ, non erit in eis hic timor. quare dicitur de Beato Prouerb. 1. *Abundantiâ perfruetur, malorum timore sublato*; & Apocalyps. 21. *Mors vltrà non erit, neque dolor, neque clamor*, &c. id est, nullum malum erit, quòd timeri possit. Et confirmatur, quia actus timoris, circa malum cōtingenter imminens, vel apprehensum vt futurum, non est sine anxietate: sed hæc repugnat Beatis; ergo in hoc sensu intelligendus est Augustinus suprà citatus, quando asserit quòd in Beatis manet timor, & perseuerat patientia in æternum, scilicet quantùm ad præmium, quia loquitur de hoc secundo timore respiciente malum.

15. Dices: In Christo, & in Beatis est fuga circa malum culpæ; ergo est iste secundus actus timoris. Respōdetur negando consequentiam, quia non quæcumque fuga peccati est timor, siquidem in Deo etiam est fuga, seu odium peccati, & non est timor, quia vlteriùs requiritur quòd sit fuga mali contingenter vt futuri & imminentis, habet igitur pro obiecto prædictus timor reuerentialis potentiam & eminentiam Dei, à cuius scrutatione mirabilium iustus se retrahit tamquam si esset à quodam malo. vnde hic timor est actus prosecutionis, in quantum per illum iustus se summittit Deo. Ex quo sequitur quòd sit similiter in sententia Scoti actus fugæ, in quantum retrahitur à malo possibili, scilicet peccato possibili, & flagello possibili ex Dei permissione & potentia. per primum est actus virtutis humilitatis, per secundum charitatis, quia respicit illum quasi malum propter peccatum & flagellum, quæ connotantur. Legatur Scotus dictâ distinct. 44. litt. O.

Sit tertia conclusio: Ille prior actus respiciens maiestatem Dei, & potentiam permittendi peccatum, & flagellandi absque isto secundo respiciente malum culpæ & pœnæ contingenter imminens de facto est verus actus timoris reuerentialis, licèt inadæquatus. ita tenent suprà citati Auctores contra Caietanum. Et probatur primò ex Dionysio cap. 3. de Cælesti Hierarchia, vbi super illud Isaiæ 6. *Seraphim velabant facies suas.* vocat istam venerationem plenam horroris. Secundò probatur, quia hoc, quod est Angelos, & creaturas reliquas se contrahere coram Deo, non audere respicere maiestatem eius, &c. sunt effectus formales timoris reuerentialis: sed totum hoc non respicit malum culpæ aut pœnæ imminens, sed solam maiestatem, & omnipotentiam Dei; ergo hic actus absque illo est verus timor, & eiusdem speciei cum timore filiali iustorum, qui sunt in via, licèt hic insuper habeat alium respectum ad malum, quod imminet non ineuitabiliter, sed contingenter, miscetur enim cum spe euasionis à tali malo. tamen in primo respectu sunt eiusdem speciei, quare timor secundùm primum respectum non est adæquatè timor, sed inadæquatè. 16.

Dices:

17. Dices: Ergo iste timor non est eiusdem rationis cum timore filiali viatorum, qui habet vtrumque actum. Respondetur negando sequelam, quia solùm sequitur quòd in viatoribus sit aliquis actus circa malum, qui non est in Christo, neque in Beatis, sicut in nobis, & in Christo est virtus temperantiæ eiusdem speciei, quia per eam volumus mediocritatem cibi & potus; insuper nos habemus per eam actum reprimendi passiones, quem non habuit Christus, quia non indiguit habere.

18. Inquires: Si anima Christi non fuisset beata, possetne habere actum timoris cum hoc secundo respectu? Respondetur sub distinctione: Si aliundè certò sciebat se esse vnitam cum Verbo, & quòd non erat deserenda ab illo in collatione auxiliorum efficacium, non posset habere hunc timorem, quia cognouisset quòd de facto non posset peccare; si tamen hoc ignoraret, posset habere illum, quia posset apprehendere peccatum vt malum sibi imminens. Per hęc fit satis ad rationem repugnantiæ suprà adductam. Respōdetur quod optimè probat, quòd neque in Christo, neque in Beatis possit esse hic actus secundus timoris; non tamen probat, quòd non possit esse primus. Ad confirmationem respondetur, quòd anxietas est de ratione actus secundi timoris, qui respicit malum culpæ & pœnæ, sicut in reo reperitur propter malum pœnæ sibi imminentis. Et per hoc patet ad quartum argumentum Durandi.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ?

1. NOta quòd est distinctio inter gratiam gratum facientem, & gratis datam. illa enim iuuat ad salutem animæ propriæ: hæc verò ad salutem totius Ecclesiæ, vel aliquorum fidelium. Et conueniunt ferè omnes in Christo fuisse omnes gratias gratis datas. ita Scholastici in 3. d. 13. D. Thomas 3. p. art. 7. quæst. 7. Suarez disp. 21. sect. 2. Montesinos q. 5. Lorca disp. 40. Fundamentum est, quia nullam inuoluunt repugnantiam, vel cum vnione hypostatica, vel cum visione beatifica. Insuper est caput, vt infrà dicemus, in quo resident omnes gratiæ, iuxta illud Ioan. 1. *plenum gratiæ*, &c. vnde Augustinus epist. 57. ad Dardanum ait, quòd sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ. Prætereà quia istæ gratiæ dantur in vtilitatem fidelium, & debent esse in Doctore & Magistro fidei; ergo & in Christo. Et confirmatur primò, quia Christus est dispensator illarum, vt dicitur ad Ephes. 4. ergo debuit habere illas. Secundò, quia eius humanitas erat instrumentum diuinitatis; ergo sicut habet illas causa principalis; ita suo modo causa instrumentalis.

Et patet si discurramus per singulas prout referuntur à D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 12. Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. habuit enim sermonem sapientiæ, per quem declarantur per causas supernaturales & superiores, quia fuit principalis fidei Magister; & sermonem scientiæ, per quem declarantur mysteria fidei per causas inferiores; habuit gratiam sanitatum, cùm tot curauerit infirmos; habuit gratiam virtutum, cùm tot operatus fuerit miracula; habuit discretionem spirituum, cùm cogitationes cordium declarauerit, & differentias spirituum intellexerit; habuit gratiam interpretandi sermones, cùm non solùm habuerit intelligentiam diuersarum linguarum ad hoc requisitam, sed etiam interpretatus fuerit Scripturas, vt facit disputando cum Doctoribus in templo, & sæpè cum discipulis, præcipuè cum euntibus in castellum Emaus. De reliquis est aliqua difficultas. 2.

Prima difficultas est, an vsus aliquando fuerit gratia linguarum, quia quòd illam habuerit, omnes conueniunt propter dicta. Negat S. Thomas suprà artic. 7. ad 3. & 2. 2. quæst. 176. art. 1. ad 3. Fundamentum est, quia solùm prædicabat Hebræis. vnde Matthęi 15. dixit, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt in Israel*; ergo solùm vtebatur linguâ Hebræâ. 3.

Sed contraria sententia verior mihi apparet cum Recentioribus vbi suprà. Et ratio est, quia cum Samaritana fuit locutus, Ad Romanos, & ad alios alienigenas prædicabat, & verosimilius est, quòd loqueretur illis proprio idiomate 4.

 eorum,

eorum, vt posset percipi, & credibile est in Ægypto locutum fuisse linguâ Ægyptiacâ, verum est quòd hanc potuit discere, sumpto discere impropriè, & excludendo à Christo fidem humanam, de qua infrà, dum inquiramus, an Christus aliquid didicerit?

5. Et confirmatur primò, quia de illo loquentes Iudæi asserebant quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit. Ex quo videtur colligi, quòd tum prædicans, tum disputans cum Doctoribus & aliis vtebatur linguâ Latinâ, Græca, &c. sicut & illi vti debebant ad eruditionem & declarationem mysteriorum. Secundò, quia si credimus Eusebio 1. Historiæ cap. 15. Christus linguâ Syriacâ scripsit Epistolam ad Regem ciuitatis Esdræ, qui vocabatur Agabarius. Ad fundamentum D. Thomæ, quòd licèt non fuerit missus ad alias gentes nisi ad Hebræos, tamen ibi aliquando fuit vsus idiomate diuerso.

6. Secunda difficultas est, an habuerit gratiam fidei, cùm nullam habuerit cognitionem obscuram? sed omnes tenent quòd sic. Fundamentum est, quia hæc gratia non est ipsa fides, sed vel quædam fiducia, quâ quis fidit Deo, quòd ad confirmandum eius doctrinam facturus sit hoc, aut illud miraculum, & sic pertinet ad voluntatem; vel si pertinet ad intellectum, est assensus, quo quis credit, vel certò scit, quòd hic & nunc auxiliabitur Deus, & faciet miraculum si oportuerit, qui assensus annexam habet maiorem quamdam certitudinem mysteriorum fidei, exteriusque illa magis credibilia reddit & suadet, & licèt in nobis proueniat ab habitu fidei, quia credimus propter veracitatem Dei reuelantis, in Christo prouenire poterat ab habitu scientiæ infusæ, quia non includit intrinsecè credulitatem, sed esse quamdam notitiam exellentem rerum fidei, quâ aliquis non solùm illas capit, sed potens est declarare aliis, & contra impugnantes defendere.

7. Tertia & præcipua difficultas est, an Christus habuerit gratiam prophetiæ? illam enim negauit habuisse Abulensis in caput 2. Numerorum quæstione 64. vbi ait, quòd non erat Propheta, sed solùm dicebatur & existimabatur vt talis à vulgo. videtur illi fauere Tertull. 4. contra Marcionem cap. 22. num. 23. S. Thomas 2. 2. quæst. 174. art. 2. ad 3. quatenus ait, quòd prophetia importat quamdam obscuritatem. quæ repugnat cum visione beata. quod probatur ex Paulo 1. ad Corinth. 13. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, siue prophetiæ euacuabuntur*, &c. sed in Christo fuit perfectissima & clara cognitio omnium; ergo. Et confirmatur, quia Baptista fuit plusquam Propheta; ergo & Christus, ergo non Propheta.

Nihilominus opposita sententia est vera & communis, taliter quòd Vasquez in Commentariis ad articulum 8. notet primam temeritatis censura. Suarez sect. 2. nota falsitatis, licèt Valencia quæst. 22. puncto 5. dicat quæstionem esse de solo nomine. Probatur hæc sententia ex descriptione prophetiæ tradita à D. Thoma 3. p. q. 7. art. 8. scilicet, *Est cognitio eorum, quæ procul sunt, siue secundum locum, siue secundum tempus:* sed Christus habuit hanc cognitionem, vt patet in prædictione destructionis Ierusalem, in reuelatione cogitationum cordium, &c. ergo. Maior probatur à D. Thoma, quia idem est Propheta, quod procul fans, si sumatur à verbo Latino (vt inquit Lorca) si verò sumatur à verbo Græco, idem est, quod prædicens, sed hæc in vnum redeunt. Et confirmatur, quia non est de ratione prophetiæ, quòd eius cognitio sit obscura, sicut neque quòd sit clara, sed abstrahit ab vtraque; nam sicut Prophetæ antiqui obscurè cognoscebant mysteria futura fidei, quæ prædicabant, ita Eliseus cognitionem habuit claram, quando prophetauit se vidisse seruum suum Giezi accipientem pecunias à Naaman Syro. 8.

Deinde sunt plura S. Scripturæ testimonia, in quibus Christus appellatur Propheta; nam Samaritana, Ioan. 4. dixit, *Domine vt video Propheta es tu*; & Lucæ 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Neque obstat quòd hoc solùm probat Christum haberi à populo vt Prophetam. quia contrà est primò quod Deuteronom. 18. dicitur, *Prophetam suscitabit vobis Deus, sicut me*, quod esse intelligendum de Christo est de fide, quia tradit D. Petrus Actorum 3. & D. Stephan. act. 17. sed Moyses fuit verus Pro- 9.

Propheta, & non solùm à vulgo existimatus; ergo & Christus. Secundò, quia Matth. 4. dixit Christus de se, *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua*, sed loquebatur de vero Propheta; ergo. Tertiò, quia August. tract. 15. in Ioan. ait quòd Samaritana non malè sentiebat de Christo, dicens ipsum esse Prophetam.

10. Per hoc patet ad argumenta apposita. Ad primum respondeo non esse de ratione prophetiæ obscuritas, vt idem D.Thomas tenet 3. p. art. 8. citato, licèt ipse admittat concomitanter, & per accidens obscuram cognitionem in phantasia. Ad probationem ex verbis Pauli respondeo non debere ibi intelligi per prophetiam gratiam prophetiæ, sed gratiam interpretandi sacras Scripturas, quæ gratia tunc appellari solebat prophetia, & Prædicatores interpretes S.Scripturæ (imò & viri sancti) appellabantur Prophetæ, & hanc gratiam dicit Paulus cessaturam in patria. Secundò dico quòd licèt loquatur de vera prophetia, quæ est gratia dicendi ea quæ sunt procul, loquitur de illis in quibus non sunt simul status viatoris, & status comprehensoris, sicut in Christo.

11. Ex quo tria inferunt communiter Recentiores: Primò quòd vnus Beatus non potest alteri prophetare, licèt vnus accipiat reuelationem ab alio, quia hoc non est procul cognoscere in eorum statu, sed ordinarius modus cognoscendi illorum, sicut in viatoribus, quòd vnus alteri reuelet mysteria fidei; nam de ratione prophetiæ est, quòd ea, quæ cognoscit Propheta, sint procul non solùm à cognitione eorum quibus reuelat, sed etiam à cognitione illius qui prophetat, saltem secundùm statum quem habet. vnde licèt ea, quæ Christus prædicabat, non essent procul ab eius cognitione infusa, & visione beata (per quas prophetabat, vt asserit Caietanus 3. p. q. 7. super art. 8. & Suarez disp. 23. sect. 1.) tamen non solùm erant procul à cognitione illorum quibus reuelabat, sed etiam à cognitione illa, quæ ipsi erat debita secundùm statum viatoris, quare post resurrectionem, quando fuit solùm comprehensor, non habuit gratiam prophetiæ.

12. Et si obiicias, Ergo Christus erat Propheta extrinsecè ratione status: Respondetur negando sequelam, quia licèt ipsa cognitio sit prophetica extrinsecè ratione status, tamen Christus intrinsecè erat Propheta ratione cognitionis prædictæ intrinsecè inhærentis.

13. Secundò inferunt, quòd in animabus Limbi & Purgatorij potest reperiri prophetia, quia eius notitia potest esse procul à prophetante, & ab illis quibus prophetat. vnde D.Thomas 2.2. q. 174. art. 5. ad 4. dicit animam Samuelis prophetasse Sauli successum belli, & mortem eius die sequenti.

14. Tertiò inferunt, quòd licèt in reliquis Prophetis prophetia sit per modum actus citò transeuntis, & circa aliqua futura, vel præsentia, sed non sensibus, vel præterita, tamen prophetia Christi fuit per modum habitus, & circa omnia præterita, præsentia, & futura. ita colligit Suarez sect. 1. ex Hieronymo epist. 125. ad Damascum de tribus quæstionibus S.Scripturæ quæst. 3. Et ratio est, quia erat ipse habitus scientiæ infusæ, & ipse habitus luminis gloriæ, per quos omnia clarè cognoscebat; Idem dicunt de ceteris gratiis, sapientia, scientia, fide, discretione spirituum, quia erant prædicti habitus secùs est de gratia miraculorum & sanitatum, quæ consistebant in actuali motione speciali Dei, licèt pro libito habuerit illam quandocumque volebat. Ad confirmationem argumenti respondetur, quòd Baptista verè & propriè fuit Propheta, sed dicitur plusquam Propheta, quia perfectissimè prophetauit Christum, quem digito ostendit: & ita Christus verè & propriè fuit Propheta, & etiam plusquam Propheta, quia clarissimè nouerat quæ prædicebat.

DIS-

DISPVTATIO XIII.

DE
GRATIA CHRISTI,
PROVT EST CAPVT
ECCLESIÆ.

De gratia Christi egimus prout ad eius singularem personam attinebat, nunc venit agendum de ipsa gratia prout respicit ipsos fideles, quorum Christus est caput. de qua tractat Scotus in 3. dist. 13.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Christus sit caput omnium hominum?

1. TOTA hæc Disputatio procedit de Christo vt homo est, nam in quantum Deus nulla est difficultas, est enim Dominus, & caput omnium rerum, non per aliquod donum gratiæ, sed natura sua, nam iuxta illud Actorum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Neque in præsenti inquirimus an Christus sit caput Ecclesiæ, quia hoc est de fide ex illo ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*; & cap. 4. *In ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia*; & cap. 5. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ*; & loquitur de Christo vt homine, nam de illo hoc asserit, de quo in eodem textu dicit, *quòd suscitauerit eum à mortuis*, &c.

2. Quia tamen hæc appellatio capitis metaphorica est, & sumitur ex similitudine corporis humani, & inde transfertur ad caput morale. hinc oritur difficultas huius Quæstionis, scilicet quorum hominum Christus sit caput? an omnium? Et quidem vt verum fatear, cùm similitudo non debeat currere super quatuor pedes, satis est quòd Christus aliquo modo assimiletur capiti naturali, & quodcumque genus hominum aliquo modo assimiletur membris corporis naturalis, vt dicatur eorum caput: sed quia hæc excellentia, sicut & quælibet alia debet esse in Christo perfectissimo modo, ideò communiter cum S. Thoma q. 8. art. 3. assignantur tria requisita ad esse perfectè caput morale. primum quòd sit in primo loco secundùm dignitatem, sicut caput naturale secundùm positionem naturalem. 2. quòd sit perfectissimum, qualiter in capite naturali residet omnis perfectio sensuum, & spirituum tam vitalium, quàm animalium. 3. quòd gubernet cetera membra per influxum spirituum & motuum, quæ omnia reperiuntur in Christo ad esse caput Ecclesiæ.

Ex quo principio facilè explicari potest, quorum hominum Christus sit caput? Nam primò certum est, quòd sit caput eorum fidelium, qui sunt in Ecclesia tam militanti, quàm triumphanti, quia est primus in dignitate respectu eorum. Insuper est primus in perfectione, quia in eo residet omnis perfectio supernaturalis, & omnia quæ sunt principia motuum supernaturalium; nam, vt latè probauimus disputatione antecedenti, habuit plenitudinem gratiæ, donorum & virtutum, & tandem influit in eos prædictas gratias, virtutes, & dona. 3.

Sed obiicies primò: Hoc quod est influere etiam est proprium cordi, quia influit principia motuum. Respondetur ex hoc solùm probari, quòd Christus non solùm sit caput, sed etiam cor, quod etiam concedo, sed principaliùs accommodatur Spiritui sancto, quòd sit cor Ecclesiæ, quia interiùs influit, & 4.

& non visibiliter, sicut caput: vnde Christus per mortem visibilem, & per Sacramenta visibilia influit gratiam.

5. Obiicies secundò: Fideles, qui sunt in Ecclesia triumphanti, non habent fidem, quæ est forma Ecclesiæ, vt traditur in materia de Ecclesia; ergo non sunt membra Christi. Respondetur quòd sicut fides est forma Ecclesiæ militantis, ita visio, seu fruitio beata est forma Ecclesiæ triumphantis, & hanc influit Christus, sicut illam.

6. Obiicies tertiò: Fideles, qui sunt in peccato mortali, non participant influxum gratiæ à Christo, & tamen sunt membra Ecclesiæ; ergo. Respondetur quòd participant fidem, & eius gratiam actualem, scilicet auxilia, licèt non participant habitualem iustificantem, quapropter dicuntur membra mortua.

7. Secundò, certum est quòd Christus non sit caput eorum hominum, qui sunt actu infideles. Fundamentum est, quia neque actualiter participant, neque aliquando participarunt fidem, & sub his nominibus comprehenduntur pueri, qui absque baptismo discesserunt ex vteris maternis, vnde licèt à D.Thoma vbi suprà dicantur membra in potentia, quia saltem habent auxilia sufficientia remota ad fidem, tamen sicut non habent actu fidem, ita neque actu, neque simpliciter sunt membra Ecclesiæ, neque Christi.

8. Tertiò, certum est quòd Christus non sit caput hominum damnatorum. Fundamentum est, quia ad hoc, quòd Christus sit caput, debet influere vitam in membra: sed in homines damnatos non influit Christus ad vitam aliquod auxilium; ergo. Dices: Influit in eos fidem, quia ex Epistola D. Iacobi *Dæmones credunt & contremiscunt*. Respondetur primò, Non est fides supernaturalis, neque habet influxum à Christo. Secundò, etiamsi haberet, tamen cùm talis fides non solùm mortua sit, sed etiam numquam ordinetur ad habendam vitam supernaturalem, non constituit membrum Christi.

9. Quartò, certum est, quòd cùm Christus sit caput omnium hominum, qui sunt membra Ecclesiæ, si catechumeni, heretici, schismatici, & excommunicati sint membra Ecclesiæ (de quo modò non est locus disputandi, sed videri potest Luisius de Torres disp. 14. de Ecclesia) consequenter Christus erit eorum omnium caput. Fundamẽtum est, quia caput & membra relatiuè se habent. quare solùm potest venire in controuersiam, an primi parentes in statu innocentiæ fuerint membra Christi? quia de reliquis hominibus, & de ipsis primis parentibus post illum statum non est dubium, cùm saluati sint per fidem Christi, & per gratiam datam ex meritis Christi præuisis. Sed quia hæc controuersia eadem est cum subsequenti, vbi disputabimus an Christus sit caput Angelorum, ideò omittimus in præsenti.

In calce huius quæstionis sunt duo dubiola: Primum, an Christus sit caput hominum non solùm secundùm eorum animas, sed etiam secundùm eorum corpora? & an hoc conueniat Christo ratione animæ, an ratione corporis, an ratione vtriusque. Respondent aliqui, quòd Christus secundùm corpus est caput corporum, & secundùm animam animarum. Sed hoc solùm est verum per accommodationem, quia reuerà Christus secundùm vtrumque simul est caput hominum etiam secundùm vtrumque, quia per merita sua, quæ habent dependentiam à corpore & anima, meruit animabus hominum gratiam & gloriam essentialem, & corporibus resurrectionem, gloriam, & dotes. 10.

Secundum dubium est, an sicut Christus dicitur caput Ecclesiæ, ita posset dici membrum? Ratio est, quia in animalibus caput etiam dicitur membrum corporis. quare hanc locutionem admisit Turrecremata libro 1. Summæ capite 23. Vasquez disputatione 48. capite 1. & Lorca disputatione 44. licèt affirment non posse appellari absolutè membrum Ecclesiæ, sed cum modificatione, scilicet præcipuum membrum Ecclesiæ, fauet diuus Thomas in 4. distinct. 49. quæstione 4. art. 3. & insinuat Paulus 1. ad Corinthios cap. 12. vbi ait; *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Hanc sententiam existimo esse veram cum prædicta modificatione assignata à Vas- 11.

à Vasquez & Lorca, & propter eamdem rationem, licèt non propter verba Pauli, quia habent diuersum sensum, vt exponit D. Thomas in præsenti, nam vel significant quòd Corinthij sint corpus Christi mysticum, & membra de membro, id est, de ipso Christo secundùm humanitatem, respectu cuius Deus est caput 1. ad Corinth. cap. 11. *Caput Christi Deus*; vel vt explicat Anselmus, estis membra de membro, id est (inquit Paulus) de meipso, qui etiam sum membrum Christi, & per Euangelium ego vos genui; vel vt explicant Græci, & est expositio communis, estis membra, id est; singuli ex vobis estis membra, non totum corpus Ecclesiæ, *de membro*, id est, de vestra Ecclesia partiali, quæ comparata cum omni Ecclesia membrum est, & pars illius totius.

12. Dices primò: De ratione membri est quòd participet aliquam influentiam à Capite, sed Christus nullam participat; ergo nullo modo debet appellari membrum. Respondetur primò quòd humanitas Christi participauit influentiam à Deo, & sic respectu ipsius potest dici membrum, si tamen comparatio fiat respectu Ecclesiæ, quæ est corpus. Respondetur non esse de ratione omnium membrorum, quòd participent influentiam; vel non esse de ratione præcipui membri, quòd participet influentiam, quia Caput potiùs illam præstat; quare diximus non esse absolutè appellandum membrum, sed membrum præcipuum, nisi dicas quòd etiam participat influentiam honoris & defensionis in ratione crediti & adorati, vt patet in Martyribus, sicut caput defenditur à manibus, & propter ipsum exponuntur gladiorum ictibus.

13. Dices secundò: Secundùm regulam Tyconij prædicata propria capitis dicuntur de corpore, & è contra; & secundùm Augustinum, ea, quæ sunt sponsæ, possunt enuntiari de sponso: sed de Ecclesia dicitur absolutè, & sine modificatione, quòd est membrum Christi; ergo & de Christo potest dici. Respondetur, regulam Tyconij, & verba Augustini habere verum in his, quæ significant vnitatem: vnde Christus Psal. 21. peccata hominum vocat peccata sua, scilicet propter vnionem amoris circa illos. Non tamen habet verum in his, quæ indicant distinctionem, & diuisionem: vnde sicut de Ecclesia non potest dici quòd sit Redemptor, & de Christo quòd sit redemptus, quia significat distinctionem inter redimentem & redemptum; ita neque potest absolutè dici quòd Christus sit membrum, quia indicat distinctionem à capite, sicut neque de Ecclesia quòd sit caput. Quare multò minùs Christus potest dici membrum suiipsius, ex eo quòd Ecclesia, quæ est corpus, includit Christum tamquam caput, vt minùs benè dixit Anthisiodorensis lib. 1. Summæ, tit. 1. cap. 4. quæst. 6. quia contrà est, nam vt diximus hæc prædicata supponunt distinctionem: vnde Christus non potest dici caput suiipsius, etiamsi sit caput Ecclesiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Christus in quantum homo sit caput Angelorum?

1. De fide est Christum Dominum esse caput Angelorum ex locis S. Scripturæ statim citandis: vnde prima difficultas quæstionis est, an hoc coueniat Christo ratione humanitatis? an ratione solius diuinitatis? Anthisiod. loco citato in fine antecedentis quæstionis, Driedo 2. de Captiu. cap. 2. p. 3. art. 5. proposit. 4. Sotus in 4. d. 49. q. 4. art. 2. asserunt solùm fuisse caput ratione diuinitatis. Fundamentum est, quia ad rationem capitis requiritur conuenientia inter naturam, inter caput, & membra: propter quod etiam illis acquiescit ex parte Caiet. in præsenti articulo 4. docens, quòd licèt Christus secundùm humanitatem sit caput Angelorum, sed quòd hoc non habeat ratione corporis, sed ratione animæ, secundùm quam conuenit in natura cum illis, quibus videtur fauere Chrysost. hom. 1. ad Ephes. Theophylactus ibid. August. tract. 28. in Ioann. asserentes Christum secundùm diuinitatem esse caput Angelorum.

2. Sed communis sententia affirmat Christum Dominum secundùm humanitatem prout constantem corpore & animâ esse caput Angelorum. ita expressè

presse Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. *ſecundum dubium.* Et probatur ex capite vltimo Matth. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, vbi loquitur de seipso secundùm quod homo est; & ad Ephes. 1. loquens Paulus de Christo secundùm humanitatem ait, *Suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in excelsis super omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur in hoc sæculo, & in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius*, &c. & ad Hebræos 1: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit:* vnde hanc veritatem docuerunt Dionysius 7. cap. de Cælesti Hierarchia, Augustinus enarrat in Psalm. 36. Hilarius in Psal. 139. in illa verba, *Caput circuitus eorum.* Ratione probatur, quia superioritas, & externa gubernatio sufficit ad hoc, vt Pontifex sit caput Ecclesiæ; ergo & ad hoc, quòd Christus sit caput Angelorum.

3. Ad fundamentum oppositum respondetur, quòd licèt sit de ratione capitis naturalis conuenientia in natura cum membris, non tamen de ratione capitis moralis, aliàs neque Christus secundùm diuinitatem posset esse caput hominum & Angelorum, sed ad hoc sufficit excellentia, superioritas, & externa gubernatio, quæ in capite reperiuntur respectu membrorum, quod totum reperitur non solùm in anima Christi respectu Angelorum, sed in tota eius humanitate, quia de hac verificantur prædicta sacræ Scripturæ testimonia.

4. Neque Patres suprà citati aliquid eis fauent, quia loquuntur secundùm quamdam accommodationem, scilicet quia in Christo, qui est caput, est aliquid spirituale, & aliquid corporale; spirituale accommodatur spiritibus, scilicet Angelis; & corporale corporalibus, scilicet hominibus: tamen sicut neque Christus est caput hominum solùm secundùm corporale, sed etiam secundùm spirituale; ita neque est caput Angelorum solùm secundùm spirituale, sed etiam secundùm corporale.

5. Secunda difficultas est, an Ecclesia Angelorum sit eiusdem rationis cum nostra? & consequenter an Christus sit caput eorum eâ ratione, quâ est caput hominum? Circa quam omnes conueniunt Recentiores esse eiusdem rationis cum nostra. ita Suarez disput. 23. sect. 1. Vasquez disp. 48. cap. 3. Lorca disp. 45. num. 4. Montesinos disp. 4. q. 3. quæ sententia adeò vera est, vt contraria iudicetur temeraria. Et probatur duplici Scripturæ testimonio. Primum, quia Lucæ 15. comparatur Christus pastori relinquenti 99. oues, & quærenti aliam perditam, vt reducat ad idem ouile; & aliqui Patres per 99. oues intelligunt 9. ordines Angelorum; & per vnam perditam, naturam humanam: sed hoc testimonium non probat efficaciter, quia alij Patres illud explicant de hominibus iustis, & peccatoribus, quia concludit, Non veni quærere iustos, sed peccatores. Secundum, quia Paulus ad Hebræos 12. asserit de venientibus ad fidem, quòd accedunt ad ciuitatem Dei viuentis Ierusalem, & multorum millium Angelorum frequentium; sed hoc solùm probat, quòd Deus sit caput hominum, & Angelorum, qui sunt in illa Ciuitate cælesti, non tamen quòd Christus in quantum homo.

Meliùs ergo mihi videtur probari ex suprà adductis testimoniis in prima difficultate, vbi Christus dicitur vnum caput, vt Angelorum, & hominum, ex quo videtur deduci, & quòd ipsi comparentur tamquam vna Ecclesia respectu ipsius, & consequenter vtraque eiusdem rationis respectu illius, sicut omnes mundi Ecclesiæ dicuntur vna Ecclesia, & eiusdem rationis respectu vnius Capitis, scilicet summi Pontificis. vnde cùm nostram sententiam doceat expressè Augustinus sermone 3. in Psal. 36. reddit rationem, *Et vna ciuitas sit sub vno Rege, & vna prouincia sub vno Imperatore*; & Bernardus serm. 27. in Cantica de Christo inquit, *Ad sponsam veniebat, & absque sponsa non veniebat, quærebat sponsam, & sponsa cum ipso erat, an duæ erant? absit, vna est enim columba mea (ait) sed sicut de diuersis ouium gregibus vnum facere voluit, vt sit vnum ouile, & vnus Pastor, ita cùm haberet sponsam sibi adhærentem à principio multitudinem Angelorum placuit ei de hominibus conuocare Ecclesiam, atque illi vnire, quæ de cælo est, vt sit vna sponsa, & sponsus vnus.* quid clarius? 6.

7. Denique ratio hoc suadet, nam homines & Angeli habent eumdem finem, scilicet visionem & fruitionem beatam, eamdem legem scilicet charitatem, eamdem formam scilicet fidem in via, visionem in patria; & insuper habent commercium, & communicationem inter se, nam illi custodiunt in via, isti venerantur & colunt; ergo constituunt vnum corpus mysticum. Secundò, quia Christus easdem habet conditiones respectu Ecclesiæ Angelorum, ac respectu Ecclesiæ hominum; ergo illa Ecclesia est eiusdem rationis cum hoc. Antecedens patet, quia primò habet excellentiam in dignitate supra Angelos ratione vnionis hypostaticæ, sicut supra homines. 2. habet plenitudinem omnium gratiarum, quæ sunt in illis. 3. influit in illos gratiam & gloriam essentialem non solùm in genere causæ finalis & exemplaris, vt concedit Lorca cum aliis vbi suprà num. 11. sed etiam in genere causæ efficientis meritoriæ, vt contra ipsum, & contra Vasquez dicemus disp. sequenti; & ad minus, vt ipsi fatentur, influit gratiam accidentalem secundùm aliquas illuminationes, vt cùm Dionysio cap. 7. de Cælesti Hierarchia concedunt isti, sufficiat illa Isaiæ 63. vbi interrogantibus Angelis beatis, *Quis est iste qui venit de Edon?* Respondetur, Christus ego propugnator & saluator, &c. ergo habet omnes illas tres conditiones antecedenti quæstione acquisitas, vt Christus esset perfectum & vnum caput Ecclesiæ hominum & Angelorum, & quòd vtraque sit eiusdem rationis.

8. Tertia difficultas est, an Christus sit dicendus caput ceterarum creaturarum? à qua difficultate facilior me expediam. Respondetur quòd loquendo secundùm proprietatem, & secundùm tres conditiones suprà requisitas ad rationem capitis moralis. Christus non est caput creaturarum, quæ sunt infra hominem, eo sensu, quo est caput Ecclesiæ. Et ratio fundamentalis est, quia non sunt capaces tertiæ conditionis, scilicet gratiæ & gloriæ, benè tamen potest absolutè dici caput ipsarum non solùm propter principatum & dominium, quod habet circa illas, in cuius signum imperauit ventis & mari, & obedierunt, sed etiam quia influit in illas esse naturale ipsarum in genere causæ finalis, quia vt suprà diximus disputatione 4. Christus fuit primò prædestinatus, & gratiâ ipsius fuerunt omnes creaturæ productæ, quod diximus contra plures alios negantes, qui solùm propter hoc negant in præsenti Christum esse caput reliquarum creaturarum, imò & propter ipsum iam existentem secundùm decreta executionis, tamquam propter causam meritoriam & efficientem fuit mundus productus, vt di[...]us disputatione 4. quæstione 1. parte 2. vnde hanc nostram sententiam expressè tenent Galatinus lib. 7. de Arcanis fidei, Catherinus opusc. de Eximia Christi prædestinatione, & D. Hilarius lib. de Synodis refert ex Concilio Siriniensi quòd Christus sit caput omnis creaturæ, sicut Christi est Deus; & Origenes homil. 2. in Psal. 63. dicit, *Totius creaturæ vniuersitatem esse corpus Christi.*

QVÆSTIO III.

Quid sit gratia Capitis in Christo?

1. VIdimus in præcedentibus tria esse requisita ad rationem capitis moralis, scilicet excellentiam in dignitate, perfectionem in gratiarum plenitudine, & tandem influxum gratiarum in membra. Et circa primum conueniunt omnes, quòd conueniat Christo Domino ratione vnionis hypostaticæ, quia illa constituit ipsum super omnes homines, & Angelos in dignitate, nulli enim Angelorum aliquãdo dixit Deus, filius meus es tu, &c. Circa secundum etiam conueniunt, quòd conueniat Christo non solùm ratione vnionis, sed etiam ratione gratiæ habitualis summæ, & totius gratiæ gratis datæ, & omnium donorum, habuit enim plenitudinem totius gratiæ: vnde tota difficultas huius quæstionis est circa tertium, scilicet ex qua gratia istarum proueniat quòd Christus non influat, vel possit influere in omnia ipsius membra gratiam, gloriam, &c.

2. Circa quam prima sententia affirmat, quòd hoc conueniat Christo ratione gratiæ habitualis. ita D. Thomas 3. p. quæst. 8. art. 5. Caietanus ibidem, Alexand. quæst. 11. Bonau. in 3. d. 13. art. 2.

art. 2. quæst. 2. Ricardus art. 3. quæst. 2. Gabriel quæst. vnicâ, art. 3. dub. 3. Almainus quæst. vnicâ in fine. Paludanus quæst. 1. art. 4. Faber disp. 48. num. 11. & alij plures. Fundamentum est, quia hæc constituit humanitatem Christi formaliter sanctam; ergo hæc est gratia capitis in Christo.

3. Secunda sententia hoc tribuit gratiæ vnionis. ita Suarez disput. 23. sect. 2. Vasquez disp. 48. cap. 4. Montesinos disp. 4. quæst. 5. & communiter Recentiores, qui citant D. Thomam etiam quæst. 8. art. 4. & art. 6. Fundamentum est, quia gratia capitis est principium ad gratificandum homines, & Angelos: sed Christus præcipuè hoc habuit præter vnionem, quia per illam reddebatur eius humanitas formaliter sancta, & eius opera infiniti valoris. Insuper etiam admittunt, quòd gratia habitualis sit gratia capitis, quia fuit principium merendi nobis, seu eliciendi connaturaliter actus meritorios: sed dicunt, quòd illi conueniat hoc primò & per se, seu ex sua specie, quia gratia vnionis est, quæ sicut constituit humanitatem Christi sanctam, ita constituit & Caput, sed secundariò & per accidens, scilicet ratione subiecti in quo est, quia etiamsi non esset in Christo, nihilominùs Christus esset caput.

4. Sed in hac re dicendum nobis est, quòd tam gratia vnionis, quàm gratia habitualis æquè primò immediatè & per se sint gratia capitis in Christo. Fundamentum desumitur ex his, quæ latè disputauimus suprà disputatione 11. quæstione 2. vbi probauimus contra Auctoritates secundæ sententiæ, quòd forma sanctificans humanitatem Christi de facto non erat vnio hypostatica, sed gratia habitualis; & similiter diximus cum illis, quòd valor moralis operum Christi (summus in doctrina nostra, & infinitus simpliciter in doctrina ipsorum) non solùm sumebatur à gratia habituali, sed etiam ab vnione; imò quòd ab hac acceperat, quòd opera acceptarentur vt condigna pro omni debito generis humani sine eo quòd indigerent vt acceptio Dei adderet valorem.

5. Ex quo sic probo nostram conclusionem, tria per se requiruntur ad hoc vt in Christo gratia capitis influat gratiam, gloriam, &c. in membra. primum, quòd sanctificet formaliter eius humanitatem. 2. quòd efficienter influat in eius opera, quibus meruit. 3. quòd causet valorem, quem merita Christi habuerunt. ita tenent omnes suprà citati Auctores, sed, vt in prædicta quæstione probauimus, gratia habitualis formaliter sanctificabat Christi humanitatem, & non vnio hypostatica, similiter erat principium influens elicitiuè in quantum charitas in opera ipsius meritoria, & tandem præstabat illis valorem non se sola, sed simul cum vnione hypostatica; ergo gratia habitualis, & vnio hypostatica æquè primò & per se pertinent ad gratiam capitis in Christo. Hoc quod diximus de gratia capitis in Christo in quantum meritoria, & in genere causæ efficientis moralis influit in membra gratiam & gloriam, &c. est similiter verum si loquamur de Christo in quantum influit vt causa exemplaris & finalis, quia ex eo quòd Christi humanitas fuit prædestinata ad gloriam, gratiam & vnionem, fuit exemplar ad prædestinationem aliorum. Insuper fuit finis omnium prædestinatorum, & totius vniuersi, quia hoc habuerunt gratiâ ipsius, quare gratia, quâ est caput, in hoc duplici genere causæ non solùm est gratia habitualis, sed etiam gratia vnionis.

6. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur quòd gratia habitualis sola nō fuit de facto gratia capitis in Christo, quia eius opera, quibus meritoriè influebat in membra, habebant suum valorem, non solùm ab illa, sed etiam ab vnione. Et notanter dico de facto, quia de possibili benè poterat, nam valorem quem opera accipiebant ab vnione, poterant accipere à gratia habituali, simul cum acceptione Dei non solùm dante ius iustitiæ, vt de facto dabat, sed etiam augente valorem operibus. vnde disputatione 2. quæstione 4. probauimus, quòd purus homo posset satisfacere pro peccatis aliorum, & esse caput illorum, merendo illis gratiam & gloriam.

7. Ex quo resoluitur alia difficultas, quæ in præsenti inquiritur, scilicet an conueniat soli Christo esse caput morale Ecclesiæ? Respondetur enim ex dictis, quòd absolutè loquendo hoc non est illi proprium, taliter quòd de poten-

potentia Dei non possit alteri competere; tamen si loquamur secundum quod eius opera non indigebant acceptatione augente valorem, & secundùm quod gratia habitualis, & omnes aliæ sibi erant connaturaliter debitæ, &c. vt sic omnes concedunt, quòd taliter conueniat Christo esse caput Ecclesiæ, quòd non possit aliis competere.

8. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondeo duo continere falsa: Primum est, quòd gratia vnionis sit formalis sanctitas, quod latè impugnauimus prædictâ disputatione 11. quæstione 2. & ideò in præsenti non impugno. Secundum & quod sequitur ex hoc primo est, quòd gratia habitualis non pertineat per se primo & immediatè ad gratiam Capitis, sed per accidens, & solùm ratione subiecti. quia contrà est, nam, sicut ibidem probauimus, hæc est formalis sanctitas humanitatis Christi, cùm formalis sanctitas per se primo pertineat ad gratiam Capitis ex communi omnium sententia, consequenter debet dici quòd gratia habitualis per se primo pertineat ad gratiam capitis Christi.

DISPVTATIO XIV.

DE

MERITO CHRISTI

DOMINI NOSTRI.

De hac Disputatione agunt Thomistæ cum D. Thoma à quæstione 19. tamen quia meritum est effectus gratiæ, ideò postquam egimus de gratia Christi, aginius statim de Christi merito, de quo videri debet Scotus cum Scholasticis à distinctione 18.

QVÆSTIO PRIMA.

An per omnia opera Christus Dominus meruerit?

1. SVPPONO primò tamquam de fide certum Christum Dominum in statu viatoris habuisse aliqua opera quibus meruit, nam vt dicitur in Tridentino sess. 6. cap. 7. ipse fuit causa meritoria nostræ iustificationis: vnde Ecclesia, & omnes eius Doctores hoc vnanimiter confitentur, & docent, & licèt expressè non contineatur in S. Scriptura, habet tamen verba æquiualentia, scilicet *Humiliauit semetipsum*, &c. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. & alia similia.

2. Et vt hoc ampliùs patefiat discurrendo per conditiones requisitas ad rationem meriti Suppono secundò ex materia de gratia ad tria genera reduci: Primæ enim conditiones requiruntur ex parte operis, quales sunt, quòd actus sit bonus, seu honestus ex obiecto & circumstantiis, quòd sit liber saltem quoad exercitium; an autem debeat proportionari cum præmio ex natura propria, an simul cum acceptatione Dei, est ibi sua disputatio, & has conditiones reperiri in operibus Christi Domini, patet, quia semper operabatur perfectè, & consequenter ex motiuo honesto virtutis. quod autem operabatur liberè patet, quia habebat liberum arbitrium; an autem illud exercuerit in omnibus suis actibus statim examinabimus. Tandem eius opera proportionabantur cum præmio, quia si illud erat supernaturale, similiter & illa erant supernaturalia.

Secundæ conditiones requiruntur 3.
ex parte personæ merentis, scilicet quòd sit in statu gratiæ (quæ conditio an requiratur solùm de facto, an etiam

de

de potentia Dei ibidem controuertitur?) Prætereà requiritur quòd sit in statu viatoris, seu in via, id est, sine omni illa perfectione ad quam tendit, quæ conditio solùm requiritur ex voluntate Dei, quia ex natura rei etiam comprehensores possunt mereri, dummodo eorum operationes habeant reliquas conditiones per se requisitas. In Christo autem repertas similiter fuisse has conditiones, patet, quia fuit semper in statu gratiæ, & insuper fuit viator, licèt simul cum hoc fuerit comprehensor.

4. Tertiæ conditiones requiruntur ex parte eius apud quem meremur, scilicet acceptatio Dei antecedens, quà vult, seu promittit præmium, quæ, si præmium est maius bonum, quàm bonum meriti, auget ipsis operibus valorem, eo ipso quòd pro ipsis promittit maius præmium, quàm ad ipsa secundùm mensuram arithmeticam pertineret: si autem est minus bonum, vel æquale non auget, sed solùm dat ius iustitiæ. Requiritur similiter, quòd ratione operis, & ratione acceptationis obligetur Deus ex iustitia reddere præmium; & has cōditiones fuisse in Christo repertas, patet ex illa promissione facta Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*; & iuxta illud Pauli, *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti.* cuius indeletio erat conditionata, scilicet, nisi Christus pateretur, de quibus conditionibus latè egimus disp. 2. q. 1. p. 1. & 2. quare difficultas in hac quæstione solùm inquirit an actus dilectionis Dei, & opera ad quæ tenebatur ex præcepto Christus, habuerint omnes præfatas conditiones, quia de reliquis actibus & operibus omnes Catholici fatentur habuisse.

PARS PRIMA.

An Christus Dominus meruerit per actum dilectionis Dei super omnia?

5. Triplex est sententia in hac re: Prima negat Christum meruisse per actum dilectionis Dei, siue ille actus sequatur ad visionem beatam, siue ad cognitionem habitam per scientiam infusam. ita Vasquez disp. 74. cap. 3. qui citat Alexandrum in 3. q. 17. num. 1. ad 2. & 5. Antisiod. lib. 3, tract. 1. c. 74. D. Bonauent. in 3. d. 18. art. 1. quęst. 2. ad 2. imò & Scotum quęst. vnica, *§. in ista quæstione*, vbi licèt oppositam iudicet probabilem, tamen quia illam vocat difficilem, hanc iudicat (inquit Vasquez) probabiliorem. Fundamentum huius sententiæ est, primò quia Beatus non potest mereri, sed dilectio supernaturalis Dei est actus Beati in quantum Beati; ergo per illam non potest mereri. 2. quia hic actus erat omnino necessarius non solùm quoad specificationem; sed etiam quoad exercitium, nam qui clarè videt Deum, ita ei coniungitur per affectum charitatis, vt omnino necessariò eum diligat; ergo deficit ei libertas requisita ad rationem meriti. 3. quia per scientiam infusam non cognouit Christus Deum, vt est in se; ergo neque amauit dilectione charitatis secuta ad scientiam infusam. Et confirmatur primò; quia dato quòd per talem scientiam cognosceret Deum in se, non posset sequi actus dilectionis Dei in se, quia darentur circa idem obiectum formale in eadem potentia duo actus solùm numero distincti, nam cognitiones antecedentes, cùm solùm sint conditiones requisitæ, non diuersificant in specie actus secutos in voluntate. Et confirmatur secundò, quia dato quòd actus dilectionis Dei essent specie distincti, tamen vterque esset omnino necessarius, quia versaretur circa finem vltimum clarè visum, & certè cognitum.

Secunda sententia opposita asserit Christum Dominū meruisse per actum charitatis & dilectionis Dei, est expressè Scoti vbi suprà, ibi enim asserit quòd Christus non solùm potuit mereri, & de facto meruit per actus portionis inferioris, quibus volebat aliquod contra affectum commodi, & secundùm affectum iustitiæ, vt sunt ieiunare, orare, pati, &c. sed etiam & præcipuè per actus portionis superioris, quibus diligebat Deum, & fruebatur illo, & diligebat mortem, & alios electos propter Deum, & prout relucebant in Verbo, seu in Deo viso. Scotum sequuntur Pytigianus disp. 18. q. vnicâ, art. 3. Faber disput. 44. cap. 3. Gabriel q. vnicâ, art. 2. conclusione 2. Almainus quæst. 1. Mayor quęst. 2. Ex Thomistis 6.

Caie-

Caietanus 3. p. q. 11. art. 1. Ferrar. 3. contra Gentes, & plutes alij, quos refert, & sequitur Suarez disp. 39. sect. 2. vbi eamdem sentētiam tribuit D. Thomæ 3. p. q. 19. art. 3. in solutione ad 1. & q. 34. art. 3. sed ex istis aliqui loquuntur de dilectione secuta ad visionem beatam, alij de dilectione secuta ad scientiam infusam, omnes tamen conueniunt quòd meruerit Christus per actum dilectionis Dei super omnia. Fundamentum est, quia hic actus non solùm est præcipuum meritum, sed etiam est radix totius meriti; ergo cùm sit certum Christum meruisse, ita debet esse certum habuisse hanc radicem. Insuper non repugnat dari, vt constabit ex solutione argumentorum; ergo, &c.

7. Tertia sententia distinguit inter duo genera bonorum, quæ Deo volumus pet actum charitatis, alia enim sunt bona intrinseca ipsi Deo, v. g. sapientia, omnipotentia, misericordia, &c. alia verò sunt extrinseca, & ab extrinseco ei conuenientia, vt obedientia, laus, & honor, quæ à creaturis exhibentur, &c. per actum ergo charitatis, quatenus versatur circa Deum amando illi priota bona, negat hæc sententia Christum posse mereri. Fundamentum est, quia ille actus neque est liber quoad specificationem, neque quoad exercitium, quia tam obiectum cui, quàm obiectum quod amatur, est summum bonum, & sic necessitat voluntatem: at verò per actum charitatis, quatenus versatur circa bona secundi generis, affirmat hæc sententia meruisse Christum, siue prædictus actus sequatur ad visionem beatam, siue ad scientiam infusam. Fundamentum est, quia actus est liber secundùm istum respectum, non solùm in nobis, sed etiam in ipso Deo, qui potuit sibi non amare, seu velle talia bona extrinsecè. ita Lorca disputatione 72. conclusione 2. & 3.

8. Sed ab hoc vltimo incipiendo Dico primò: Dilectio Dei meritoria non solùm debet esse libera, prout respicit bona extrinseca, quæ Deo amantur à cteaturis, sed etiam prout tespicit ipsum Deum, & consequenter si dilectio Christi non potuit liberè respicere Deum in se, neque potuit mereri per illam, etiamsi liberè respiciat bona extrinseca. Hanc conclusionem contra Lorcam (quam existimo communem) sic probo, quia actus charitatis meritorius debet esse liber in quantum actus charitatis est, quia vt sic est meritorius: sed actus chatitatis in quantum actus charitatis respicit Deum, quem diligit, & specificatur ab ipso; ergo vt sit meritorius, debet tespicere liberè ipsum Deum; ergo etiamsi liberè respiciat alia à Deo, dummodo non respiciat liberè Deum, non erit charitatis actus meritorius. Et confirmatur, quia dilectio Dei, quæ imperat omnes actiones & operationes, & est radix omnis meriti, est illa quæ versatur circa Deum propter seipsum amabilem, & amat ipsum, quia in se bonus est; ergo si hæc non sit libera, neque ipsa, neque reliqua quæ pendent ab ipsa erunt metitoria, & consequenter si dilectio Christi secundùm hunc respectum non erat libera, etiamsi esset secundùm aliam, scilicet prout respiciebat bona extrinseca, non erit meritotia, in quantum dilectio charitatis est.

Dico secundò: Christus Dominus potuit mereri, & meruit per actum dilectionis Dei secutum ad scientiam infusam. ita Caietanus, Ferrar. Suarez suprà citati. Et probatur primò, quia in doctrina Scoti per scientiam infusam potuit Christus euidenter abstractiuè cognoscere ipsum Deum, vt latiùs infrà probabimus disputatione 15. ergo potuit libere ipsum amare propter seipsum. patet consequentia, quia hæc cognitio, cùm non sit intuitiua, non est beata, & consequenter neque extrahit hominem à statu viatoris; ergo neque aufert libertatem voluntatis, neque rationem merendi per actum subsecutum amoris Dei. 9.

Secundò probatur, quia licèt hæc doctrina non sit vera in via D. Thomæ, tamen negari non potest quòd in eius doctrina per hanc scientiam infusam à posteriori, & per effectus supernaturales Christus cognouit Deum esse in se finem supernaturalem: sed ad hanc cognitionem potuit sequi amor Dei in se; ergo potuit mereri per hunc actum dilectionis Dei in se. patet consequentia, quia hic actus esset libet, & Christi non vt beati, sed vt viatoris. 10.

Dico tertiò: Christus Dominus potuit mereri, & de facto meruit per actum 11.

actum dilectionis Dei secutum ad visionem beatificam. ita Scotus, eius discipuli, & alij suprà citati pro secunda sententia. Et probatur à priori, quia ex duplici capite posset prouenire, quòd illa dilectio Dei non esset in Christo meritoria, vel quia non est actio viatoris, vel quia non est libera, sed ex nullo capite obstat; ergo. Minor probatur, & quantum ad hoc, quòd non sit actio viatoris, patet primò quia licèt in aliis hoc sit verum, tamen in Christo qui simul fuit viator & comprehensor est falsum, nam sicut in ipso viatoris actiones fuerunt alicuius comprehensoris actiones, ita similiter actiones comprehensoris fuerunt actiones viatoris. 2. quia licèt hæc actio non esset viatoris, tamen hoc nil obstaret vt esset meritoria, nam hæc conditio solùm est requisita ad meritum ex voluntate diuina, non ex natura rei secundùm communiorem sententiam, de quo in materia de gratia; ergo ex voluntate diuina posset in Christo esse actio meritoria, licèt non esset actio viatoris.

12. Quantum ad secundum, scilicet quòd non sit actio libera, patet esse falsum ex his quæ docet Scotus in 1. distinct. 1. quæst. 4. vers. *quantum ad tertium articulum*; & latiùs in 4. dist. 49. quæstione 6. litt. D & F, vbi ait quòd etiamsi Beatus sit necessitatus in fruitione, seu in dilectione Dei quoad specificationem, non tamen quoad exercitium; & quòd licèt in exercitio propter specialem manutenentiam Dei non possit cessare ab actu dilectionis, tamen quantum est de se voluntas eius libera est, & liberè diligit Deum, de quo modò non disputo, quia hoc supposito contra Thomistas ex materia de beatitudine.

13. Sed obiicies contra hanc doctrinam, quòd ex duplici capite sit falsa, primò quia si Beatus non est liber in fruitione & dilectione Dei quoad specificationem, neque erit quoad exercitium, quia sicut non reperit in Deo rationem mali, seu defectum boni ad ipsum odio habendum, ita neque illam reperit ad ipsum non amandum. 2. quia si per manutenentiam Dei determinatur Beatus ad amandum; ergo non est liber libertate exercitij, siquidem non potest cessare ab actu.

Ad primum argumentum respondent aliqui, quòd Beatus licèt non reperiat rationem mali, neque defectum boni ad non amandum Deum, reperit tamen bonitatem illam, quæ inuenitur in exercitio suæ libertatis, scilicet in volitione & cessatione, & sic dicunt hanc cognitionem præcedere ad hoc quòd volūtas Beati suspendat amorem. 14. Sed contrà primò, quia bonitas hæc est obiectum actus amoris, quo bonitas prædicta reperta in exercitio suæ libertatis amatur; ergo solùm potest mouere ad illum, & consequenter solùm mouebit ad velle suspendere amorem, non tamen ad solam suspensionem amoris. 2. quia non potest proponi vt obiectum bonum, exercitium libertatis suspensiuum actus circa Deum visum visione beata.

15. Sed quidquid sit de hoc, aliter respondeo, scilicet quòd ad negationem actus non requiritur aliud obiectum, quàm illud, quod est obiectum actus positiui, quia cùm prædicta negatio non moueat voluntatem, sed solùm terminet illam (voluntas enim non mouetur, nisi quando attrahitur; tunc autem attrahitur, quando venit per actum volitionis; neque dimouetur, nisi quando distrahitur, seu fugit, & hoc fit per actum nolitionis) Hinc est quòd non debeamus assignare, neque Scotus aliquando assignauit ad actus negatiuos aliquod obiectum diuersum ab obiectis actuum positiuorum; quare circa eamdem bonitatem obiecti, circa quam voluntas posset elicere actum volitionis, potest suspendere hunc actum, seu habere actum negatiuum non volitionis, & circa malitiam obiecti (seu defectum boni, quod idem est) circa quam potest elicere actum positiuum nolitionis, circa eamdem potest habere actum negatiuum illius, ideò Beatus habens cognitionem suæ libertatis, siue cognoscat bonitatem illius, siue non cognoscat, potest suspendere actum amoris circa eamdem bonitatem increatam Dei, quam potest amare, quia hoc est de natura intrinseca libertatis exercitij.

16. Sed obiicies: Non potest aliquis actus esse demeritorius, nisi proponatur obiectum vt malum, saltem quia prohibitum; ergo neque poterit esse meritorius, nisi proponatur obiectum, vt malum fugiendum; ergo si in Deo non apparet aliqua ratio mali, non poterit circa illum versari actus meritorius. Respondetur primò sufficere, quòd proponatur vt mala cessatio ab actu amoris, ad hoc vt actus amoris sit meritorius: vnde benè compatiuntur, quòd in Deo clarè apprehenso non appareat aliqua ratio mali, & consequenter terminet aliquem actum liberum libertate exercitij, & quòd actus iste sit meritorius, quia proponitur voluntati bonitas amanda (scilicet Dei) & malitia fugienda (scilicet cessationis ab actu amoris Dei) quia in hoc distinguuntur actus liberi specificationis & exercitij, quòd in prioribus ipsum obiectum, quod proponitur vt malum, debet proponi vt bonum apparenter; in posterioribus verò non ita, sed vt bonum obiectum, & cessatio vt mala, vel è contrà; tamen hoc debet intelligi de actu vt meritorio. Ideò respondeo secundò aliam esse propositionem obiecti requisitam ad hoc vt actus euadat meritorius vel demeritorius, aliam verò esse ad hoc vt euadat liber libertate exercitij, nam ad primam est requisita propositio obiecti in ratione boni vel mali, vel obiecti vt boni, & cessationis ab actu vt malæ, aut è contrà, quare si propter ignorantiam malitiæ vel honestatis obiecti desinit actus esse meritorius vel peccaminosus; ad posteriorem verò sufficit propositio obiecti vt boni, vel vt mali, & fortè adiuncta cognitio propriæ & intrinsecæ libertatis, absque eo quòd cessatio ab actu proponatur vel vt bona, vel vt mala, ad hoc autem vt fruitio Beati sit libera libertate exercitij, hoc sufficit; & cum hac responsione salua perseuerat solutio nostra, contra quam facta est præfata obiectio, quantùm ad saluandum doctrinam illius, quia tamen obiectio etiam loquitur de requisita propositione obiecti ad hoc vt actus euadat meritorius, standum est doctrinæ responsionis.

17. Ad secundum argumentum quod per manutenentiam Dei determinatur voluntas Beati ad amandum Deum, non aliter ac voluntas viatoris per auxilia efficacia, quare si hæc (siue consistant in qualitate physica prædeterminante, siue in efficacia morali antecedenti, siue physica, & morali concomitante) non lædunt libertatem, ita neque manutenentia Dei lædit illam, sed relinquit voluntatem potentem cessare ab actu, licèt non cessabit.

Sed aduerte obiter quod ex hac doctrina Scoti, quâ docet quòd voluntas Beati sit determinata & necessitata quoad specificationem, necessariò & euidenter infertur quòd voluntas non possit velle malum sub ratione mali, & nolle bonum sub ratione boni. quod sic probo, quia si voluntas potest habere nolitionem circa bonum sub ratione boni, ergo potest habere volitionem & nolitionem circa bonitatem Dei; ergo non est necessitata, sed libera quoad specificationem. patet consequentia, quia hæc libertas est in voluntate respectu nolitionis & volitionis, & sicut bonitas obiecti non inducit necessitatem in actum volitionis, ita neque induceret in actum nolitionis. 18.

Quare dicimus, quòd licèt Scotus in 1. distinct. 1. quæstione 4. aliqualiter hanc difficultatem attigerit, & in 3. dist. 43. quæst. 2. illam exagitauerit, & quasi pro vtraque parte probabilem reliquerit, tamen in 4. dist. 49. quæstione 7. §. *ad quæst.* vers. *præmisisse*, expressè tenet oppositum, dicens, quòd nolle habet pro obiecto per se malum sub ratione mali; & quæst. 10. §. *quantum ad secundum*, vers. *nec sequitur*, habet hæc verba, *Tamen sicut circa malum ostensum non possum elicere actum voluntatis nisi nolle, ita circa bonum oblatum, non possum elicere actum voluntatis nisi velle:* magis hoc propositum probat testimonium Scoti in 2. dist. 6. quæst. §. *circa* 1. vbi abstrahendo de amore amicitiæ & concupiscentiæ assignat pro obiecto volitionis bonum & conueniens, & pro obiecto nolitionis malum & disconueniens, & posteà diuidit volitionem & nolitionem in amorem amicitiæ & concupiscentiæ; ergo 19.

ergo species istæ participant rationem generis; ergo si actus genericus volitionis est, non potest habere pro obiecto nisi bonum; & si nolitionis est, non potest habere nisi malum, ita neque actus harum specierum.

20. Neque obstat, si dicas, quòd loquitur ibi Scotus de amore ordinato, quia contrà est, nam loquitur de amore prout abstrahit ab ordinato & inordinato; nam ex hac doctrina infert, quòd primus actus, per quem Angelus peccauit, non fuit nolitio, quia omnis nolitio supponit volitionem, sed fuit volitio inordinata amicitiæ, quâ seipsum amauit, ex quo appetiuit sibi beatitudinem obiectiuam, acquirendo eam scilicet viribus propriis. Et confirmatur, quia si voluntas posset nolle bonum sub ratione boni, ergo non est necessarium quòd primus actus voluntatis sit volitio, vt ait; secùs ergo cõtra Scotum est, quòd volũtas possit velle malum sub ratione mali. vnde dicendum ex eo Beatum non posse habere actum nolitionis circa Deum, quia nullam inuenit in eo rationem mali, neque defectum boni, quod est per se obiectum nolitionis, secundùm verba citata Scoti.

21. Et si dicas, quòd in odio inimicitiæ non possumus negare, quòd voluntas possit velle malum sub ratione mali, quia homo ex odio inimici vult illi malum, quia malum. Respondetur quòd hæc volitio licèt versetur circa malum, quia malum, tamen totum hoc se habet vt obiectum materiale; nam ratio formalis, ob quam homo vult malum, quia malum, est bonum vtile, seu vtilitas, quam inuenit in malitia obiecti voliti ad destructionem inimici, quem odio habet: itaque amat malum vt malum inimico, quia malum vt malum inimico est sibi bonum & vtile ad consequendam destructionem inimici, quem odio habet, & sic numquam volitio mouetur à malitia sub ratione malitiæ, tamquam sub ratione formali motiua, quia hoc repugnat per locum intrinsecum.

22. Neque valet dicere, quòd quando Scotus dixit voluntatem posse velle malum sub ratione mali, loquebatur de amore concupiscentiæ, non de amore amicitiæ. quia contrà est, quòd Scotus semper assignauit pro obiectis per se vtriusque amoris bonitatem, nam concupiscentia respicit pro obiecto bonum prout relatum seu referibile, & amicitia prout bonum alicui, seu prout bonum absolutum. videatur in 4. d. 49. q. 5. §. *ad quæst.* vers. *Respondeo viator*; & in 3. d. 26. §. *ad* 1. vers. *ad* 4. *dico*, & §. *ad argumenta.* legantur quæ dixi disputatione 12. quæstione 2. Præterea quia in Beato etiam reperitur obiectum amoris concupiscentiæ, & tamen non reperitur in ipso libertas specificationis, seu posse odio habere bonum sub ratione boni, vt cum communi sententia diximus; ergo neque amore concupiscentiæ potest voluntas velle malum sub ratione mali.

Per hæc patet ad argumenta opposita. Ad primum primæ sententiæ respondetur, quòd Beatus, etiamsi non esset viator, potest mereri, quia conditio status viatoris non est requisita ad meritum ex natura rei, sed ex voluntate Dei. Christus autem potuit mereri etiam per actiones pertinentes ad beatitudinem, quia fuit etiam viator (respectu præmiorum, quæ ipsi erant à Deo concedenda ex meritis eius, non verò respectu ipsius beatitudinis, quia respectu huius iam erat in termino) & tales actiones fuerunt liberæ; & dilectio Dei fuit principium in Christo omnis meriti ipsius, sicut contingit in nobis. Ad secũdum iam patet quomodo dilectio Dei fuerit libera non libertate specificationis, sed exercitij. 23.

Ad tertium iam dixi conclusione 2. quòd per scientiam infusam clarè & abstractiuè cognoscitur Deus vt est in se, & sic potest amari super omnia. Insuper quòd etiamsi clarè non cognosceretur, tamen per effectus supernaturales cognosceretur sufficienter, vt posset terminare actum dilectionis supernaturalis. Ad primam confirmationem dico dilectionem secutam ad scientiam infusam, & dilectionem secutam ad visionem beatam non solùm numero differre, sed etiam specie, vt probabiliter sustinet Scotus in 4. d. 49. q. 5. litt. E, loquendo de charitate secuta ad fidem & visionem, quia vt ipse docet in 3. d. 26. q. vnicâ, & alibi sæpè, actus non solùm distinguuntur specie per diuersa obiecta formalia, sed etiã per diuersas cõditiones, vel ex parte principij, vel ex parte obiecti: vnde possũt esse in 24.

eadem potentia prædictæ dilectiones. Insuper dico, quòd etiamsi solùm numero differant, adhuc possunt esse in eadem potentia, quia accidentia tantùm numero differentia solùm se excludunt ab eodem subiecto, quando sunt omnino similia, vt duæ albedines, tamen quando habent aliquam dissimilitudinem materialem possunt esse simul, vt patet in duplici relatione paternitatis ad diuersos filios, & in duplici cognitione, quâ cognosco Petrum & Paulum. ita contingit in præsenti ob diuersas conditiones requisitas. Ad secundam confirmationem dictum est iam quòd circa finem clarè cognitum potest voluntas exercere libertatem exercitij. Per quod etiam patet ad argumenta tertiæ sententiæ, quæ solùm probant circa bona intrinseca Dei non posse esse libertatem specificationis, non verò exercitij.

PARS SECVNDA.

An Christus Dominus meruerit per opera ad quæ tenebatur ex præcepto, an non?

25. HÆc difficultas non disputatur ex professo à Scholasticis antiquis, sed a Recentioribus, & tota consistit in explicando, quomodo Christus fuit impeccabilis, & simul cùm hoc potuit mereri per opera ad quæ tenebatur ex præcepto, quia si non fuit in Christo libertas ad peccandum, similiter neque fuisset ad opera, quæ si non faceret, peccaret, qualia sunt illa ad quæ ex præcepto tenebatur, deficiente autem libertate, deficit meritum, & demeritum.

26. Et quidem in sententia D. Bonauenturæ in 3. d. 18. q. 2. art. 1. Thomæ de Argentina quæst. 1. art. 3. ad 3. Marsil. quæst. 2. asserentium quòd Christus secundùm humanitatem fuit impeccabilis, non ratione diuini suppositi, neque ratione beatitudinis, sed solùm ex eo quòd erat confirmatus in gratia, faciliter saluatur in Christo libertas ad merendum, sicut saluatur in eis, qui sunt confirmati in gratia, qui non possunt peccare, quia auxiliis efficacibus adiuuantur, quæ non lædunt libertatem, vt latè traditur in materia de gratia, & sic voluntas manet libera vt possit mereri.

Similiter in sententia Scoti (de qua infrà disputatione 18. quæstione 1.) & omnium Sectatorum eius asserentium, quòd Christus sit impeccabilis ratione beatitudinis, quod explicant aliqui, quia necessitabat eius voluntatem ad non posse velle bonum apparens, nam cùm visio beata ostendat obiecta sicut sunt in se, ita non potest ostendere esse bonum id quod verè non est bonum, tamen non necessitabat illam ad posse suspendere actum, & consequenter relinquebat liberam libertate exercitij. Ex quo asserunt, quòd rectè compatiantur inter se impeccabilitas Christi, & libertas ad merendum requisita. 27.

Sed contrà, quia libertas requisita ad merendum est sufficiens ad peccandum, & per suspensionem actus potest violari præceptum non minùs quàm per actum positiuum; suspensio autem actus non requirit obiectum malum, seu apparenter propositum vt bonum, sed circa obiectum bonum in se, & vt sic propositum potest esse cessatio peccaminosa, vt suprà parte antecedenti diximus; ergo ob dictam rationem non saluatur impeccabilitas Christi cum libertate ad merendum. 28.

Quare dicendum existimo, quòd licèt ratione beatitudinis Christus sit impeccabilis, hoc tamen non prouenit, nisi quia beatitudini est annexa per se manutenentia Dei, quæ excludit omne peccatum, licèt non excludat libertatem ad peccandum, & consequenter relinquat illam ad merendum, & per hanc libertatem, quæ est exercitij meruit Christus in adimpletione præceptorum, quia quatenus est ex parte voluntatis, poterat non adimplere præcepta, sicut poterat suspendere dilectionem beatificam non solùm in primo instanti suæ conceptionis, sed etiam posteà semper: vnde Christus fuit impeccabilis non simpliciter, sed ex suppositione manutenentiæ Dei, quæ suppositio cùm nō sit antecedens, sed consequens non lædit libertatem ex sententia Anselmi opusc. de Concordia liberi arbitrij, & prædestinatione, quem omnes Scholastici sequuntur, & hanc existimo esse veram mentem Scoti in 3. d. 12. quæst. 1. 29.

Quare

30. Quare tota difficultas huius rei est in sententia Thomistarum antiquorum & recentiorum asserentium Christum fuisse impeccabilem præcisè ex vi vnionis hypostaticæ, & vt plurimum ex vi visionis beatificæ auferentis libertatem in eorum sententia, non solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Circa quam mirum est eos videre in varias distrahi sententias, & in non stabiles distorqueri doctrinas: nam primò P. Lorca disputatione 73. distinguit diuersa præcepta naturalia, diuina & positiua, & licèt de naturalibus affirmet fuisse vera præcepta, quæ Christum in conscientia obligarent, v.g. subuenire indigenti, &c. tamen de positiuis qualia fuerunt legalia legis Moysis, & de diuinis qualia fuerunt decalogi, & de subeunda morte pro redemptione generis humani, asserit quòd non fuerunt vera præcepta respectu Christi, sed in tantum dici præcepta, in quantum per illa ostendebatur diuina voluntas: vnde asserit quòd Christus hæc liberè adimplebat, quia poterat non adimplere, non tamen illa. Et si ei obiicias, quòd Christus fuit verus obediens, iuxta illud, *Factus obediens*, &c. Respondet quòd materia obedientiæ non solùm est illa quæ cadit sub præcepto, sed etiam quæ est iuxta voluntatem superioris; est enim (inquit) magis perfectus obediens, qui ad solam insinuationem superioris voluntatis operatur, quàm qui ad præceptum.

31. Alij verò (vt refert Lorca à num. 21. & Vasquez disput. 74.) diuersas fugas inuenerunt. Primò dicunt aliqui, quòd licèt opus Christi cadens sub præcepto fuerit liberum in sensu composito, non tamen in sensu diuiso. Secundò alij, quòd suppositio præcepti non est intrinseca in voluntate, sed solùm extrinseca, & sic non aufert libertatem. Tertiò alij, quòd licèt opus præceptum non habeat libertatem, benè tamen voluntas illa, quâ admisit præceptum. Quartò alij, quòd præceptum solùm cadit super opus externum, & ante ipsum Christus liberè volebat prędictum opus efficere, & talis volitio appellatur adimpletio materialis precepti. Quintò alij (& probabilius est inter Recentiores) quòd licèt substantia operis cadentis sub præcepto non esset libera, benè tamen plures circumstantiæ illius, scilicet tempus, intentio, motiuum extrinsecum, & sic tota actio exercebatur liberè.

Sed certè omnia hæc difficilia sunt ne dicam falsa, nam verum non videtur explicare plura S. Scripturæ testimonia in sensu improprio, quæ asserunt Christum habuisse pręcepta solùm propter auferendam libertatem exercitij in dilectione beata, quæ est eorum doctrina: Ioan. 1. *Hoc mandatum dedit mihi Pater*; & cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; & cap. 15. *Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui*. Et licèt aliqui Patres videantur negare præceptum respectu Christi, loquuntur de ipso ratione diuinitatis, non verò ratione humanitatis. Insuper à prædictis Auctoribus negatur in Christo obedientia, quæ respicit præceptum, in quo vera obedientia videtur consistere, quia si alia, quæ non respicit illud, acclamatur tamquam maior, non est, quia obedientia per se non respiciat præceptum, sed propter promptitudinem animi, quæ apparet in eo quòd non spectet præceptum, & tandem sententia, quam Lorca tenet, noua & particularis est etiam inter Thomistas, vt ipse fatetur. 32.

Deinde concordare libertatem cum necessitate orta ex præcepto, sicut alij concordant nullam habet firmitatem, non primus modus concordiæ ex recitatis, quia si supposito præcepto opus non erat liberum; ergo neque meritorium, modò autem loquimur in sensu composito, scilicet supposito pręcepto; non in sensu diuiso, scilicet illo non existente, quia etiam non supposita visione beatifica dilectio Dei esset libera, vt omnes fatentur. Non secundus, quia scilicet suppositio præcepti sit extrinseca voluntati, intrinsecè tamen eam determinat, nam inducit talem conditionem in obiectum quòd sit necessariò amandum, aliàs perderetur diuina amicitia. Non tertius, quia excludit meritum ab opere præcepto, & solùm ponit in actu voluntatis admittente præceptum, & sic nihil dicit ad propositum. Præterquam quòd etiam illa voluntas debet esse necessaria, cùm sit orta ab amicitia & dilectione Dei in eorum sententia omnino necessaria. Non quartus, quia si volitio interna non est 33.

formalis adimpletio præcepti, quandoquidem ipsum antecedit; ergo effectio operis externi non erit formaliter obedientia, quia hæc debet esse formaliter libera, & opus externum non erit adimpletio formalis obedientiæ, si vt liberum non cadit sub præcepto. Non quintus, quia ex illo sequitur, quòd Christus non meruerit per substantiam operis; sed per illius circumstantias: vnde non diceretur quòd Christus nos redemit, quia mortuus est, sed quia sic, vel sic mortuus est, nam circumstantia libera non reddit substantiam, cuius est liberam, & S. Scriptura Isaiæ 53. ait, *quòd si posuerit animam suam, videbit semen longæuum;* non verò dixit, quòd si taliter posuerit, sed absolutè *si posuerit;* & ad Philippens. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. hæc sufficiant breuiter attigisse, vt veritas nostræ sententiæ firmiter appareat.

QVÆSTIO II.

Quo tempore Christus Dominus meruerit?

1. ALiqua dubia se offerunt in hac quæstione circa principium temporis vitæ Christi, aliqua circa finem, & aliqua circa medium. Circa principium quæritur, an Christus meruerit in primo instanti suæ conceptionis? Negant plures, sed non eodem fundamento, quia Alexander 3. p. quæst. 17. memb. 2. art. 1. negat ex eo quòd operatio non potest esse in eodem instanti in quo res producitur. reputatque hoc magis probabile D. Bonauentura in 3. d. 18. art. 1. quæst. 1. Alij negant, quia in primo instanti non potest esse libertas, quia nec deliberatio, quæ requirit tempus in quo fit consultatio, & electio: vnde asserunt Angelos in primo instanti non meruisse, quod etiam debent dicere de Christo. Et insuper Henricus quodlib. 8. quæst. 10. Hugo de S. Vict. in Sūma Theologiæ tract. 2. cap. 2. hoc idem asserunt de Christo, & tribuitur Alber[illegible] dist. 3. art. 14. & de Angelis idem asserunt Ricardus art. 2. quæst. 2. Capreolus dist. 4. q. 1. art. 1. sed alio fundamēto, scilicet ex eo quòd prima operatio in illis debet esse naturalis, sed in Christo fatentur esse liberam. Durand. tamen in 3. d. 18. quęst. 2. solùm probabiliter negat de Christo, nam opinatur Christum non habuisse vsum rationis in primo instanti, quia organa corporis non fuerunt disposita, nisi post multum tempus, sicut in reliquis pueris.

Sed communis & vera sententia affirmat, Christum incepisse mereri in primo instanti suæ conceptionis. ita Magister in 3. d. 18. Scotus q. vnicâ, *§. est igitur.* Ricardus art. 1. q. Paludanus quæst. 1. art. 1. Carthus. quęst. 2. Gabriel q. vnicâ, art. 2. Almainus q. 1. S. Thomas 3. p. q. 19. art. 3. & q. 34. art. 3. Driedo lib. de Captiuit. & redempt. tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 3. conclus. 3. Vasquez disp. 75. cap. 4. Suarez disp. 39. sect. 3. Lorca disp. 74. num. 5. 2.

Probat Suarez ex illo ad Hebręos 10. *Ingrediens in mundum dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi; tunc dixi, Ecce venio, in capite libri scriptum est de me vt faciam voluntatem tuam;* ergo ingrediens in mundum (quod fit in primo instanti) dixit, *Ecce venio*, &c. hoc est libenter admitto facere voluntatem tuam Deus; ergo meruit in primo instanti. Hanc rationem impugnat Lorca, quia nullus Patrum vel Expositorum intelligit hoc testimonium loqui de primo instanti, sed indefinitè de tempore vitæ Christi, imò iuxta contextum videtur loqui de tempore passionis. Sed contrà, quia illa verba, *ingrediens in mundum*, non de tempore passionis, sed de primo instanti conceptionis, si litteraliter intelliguntur illa, *ecce venio.* Primum in carne passibili aduentum satis clarè significant quidquid sit, an in aliis verbis eiusdem textus fiat mentio de tempore passionis. 3.

Probat ergo Scotus vbi suprà efficaciter ex eo quòd nulla appareat repugnantia, quia omne agens habens actum primum perfectum, & obiectum præsens in ratione obiecti, si non impeditur, & actus eius secundus non sit successiuus, sed permanens potest agere pro quocumque instanti: sed hæc omnia fuerunt in Christo in primo instanti conceptionis, quia habuit voluntatem perfectam cum charitate, & obiectum (vt sunt Trinitas, nostra redēptio, &c.) 4.

præsens

præsens tam per scientiam beatam, quàm per scientiam infusam, quæ non dependet ab organis, & actus quo diligeret Deum, & vellet nostram redemptionem non est per se successiuus, sed permanens; ergo illo potuit mereri in illo primo instanti.

5. Ad primam rationem in contrarium respondetur, quòd sicut Sol in eodem instanti, quo fuit, illuminauit; ita in eodem instanti, quo humanitas Christi fuit, potuit operari, quia prioritas quæ requiritur inter esse & operari, solùm est prioritas naturæ. Ad secundum respondetur, quòd quando suppletur discursus in consultatione, deliberatio fit in instanti; consultatio autem nihil aliud est, quàm syllogismus practicus, cuius conclusio est quòd debeat eligere voluntas hîc & nunc; quando ergo hæc conclusio habetur absque discursu, vt reperitur in Deo, in Angelis, & in Christo per scientiam beatam & infusam, electio libera fit in instanti. Neque est necessarium in Angelis, quòd prima voluntatis operatio sit naturalis, sicut contingit in intellectu, nam primo potest proponi obiectum cum indifferentia, & sic actio secuta erit libera. Ad tertium respondetur Christum habuisse vsum rationis secũdùm scientiam beatam & infusam (quæ non indigent organis) in infantia, iuxta illud Isaiæ 8. *Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, auferentur spolia Samariæ.* id est operabitur Christus salutem antequam perueniat ad statum in quo, sicut alij pueri sciant vocare patrem & matrem. Insuper aliàs sequeretur Christum neque circumcisione, neque his quæ passus est in natiuitate aliquod meruisse, quod est contra Patres Ecclesiæ. quare non solùm vt temeraria, sed etiam vt erronea notatur sententia Durandi.

6. Circa finem vitæ Christi conueniunt omnes Christum meruisse vsque ad mortem, iuxta illud ad Hebræos 10. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* Et capite 11. *Vnâ oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Et ratio est, quia vsque ad mortem fuit viator, quæ est conditio requisita ex voluntate Dei ad meritum. legantur Recentiores vbi suprà.

7. Sed circa hoc prima difficultas est, an hoc debeat intelligi vsque ad instans mortis inclusiuè, ita vt in illo instanti in quo fuit mors esset meritum, an non? & videtur quòd sic, quia Christus morte suâ nos redemit; ergo meruit in illo instanti, in quo fuit mors. Ex alia parte videtur quòd non, quia in instanti, quo est mors, non est vita; ergo neque status viatoris ad meritum requisitus.

Hæc difficultas pendet ab illa quæstione philosophica, quæ inquirit an viuentia desinant per instans intrinsecum vel extrinsecum. Et qui asserunt quòd desinant per intrinsecum, consequenter debent asserere quòd meruit Christus in illo instanti in quo fuit mortuus, quia sicut de illo verificaretur nunc est Christus, & immediatè post hoc non erit (aliàs non esset instans intrinsecum) ita posset verificari, nunc meretur Christus, & immediatè post hoc non merebitur. 8.

Tamen in veriori & communiori sententia, quæ docet quòd viuentia desinant per instans extrinsecum, consequenter debet dici quòd non meruit in instanti mortis, quia sicut tunc verificatur, nunc non est Christus, & immediatè anteà fuit (aliàs non esset instans extrinsecum) ita verificatur, nunc non meretur Christus, sed immediatè anteà merebatur, & hoc probat ratio pro parte negatiua. Ad rationem pro parte affirmatiua respondet D. Thomas quæst. 50. art. 6. in corpore & ad 2. Christum nos redemisse suâ morte in fieri, non in facto esse, id est per passionem, non per priuationem vitæ formaliter. 9.

Sed ex hoc oritur secunda difficultas, quia si priuatione vitæ non meruit Christus, quia tunc non erat; ergo neque meruit similiter vulnere lanceæ recepto in latere, quia tunc Christus non erat, neque habebat statum viatoris, iuxta illa verba Ioannis 19 *Cùm vidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit*; & quòd iam esset mortuus, definitur in Concilio Viennensi contra hæreticum vocatum Petrum Ioannes, cuius meminit Castro hæresi 10. asserentem Christum pertulisse vulnus lateris ante mortem, & Euangelistam retulisse post illam per recapitulationem, 10.

seu

seu per figuram præoccupationis. Circa quam difficultatem aliqui asseruerunt illud vulnus nullo modo fuisse meritorium; alij quòd non fuerit opus redemptionis, sed Redemptoris.

11. Sed in hac re Dico primò: Vulnus lanceæ pertinuit ad nostram salutem, & fuit opus nostræ redemptionis, quod videtur de fide certum, nam in Clementina Prima de summa Trinitate habentur hæc verba, *Et quòd in hac assumpta natura ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute non solùm affigi cruci & in ea mori voluit, sed etiam emisso iam spiritu perforari lanceâ latus eius sustinuit.* nota ly *pro omnium operanda salute.* Et Ecclesia in Hymno de Cruce canit: *Quo vulneratus insuper mucrone diro lanceæ, vt nos lauaret crimine, manauit vnda sanguine.* Difficultas ergo est quomodo pertinuerit ad nostram salutem.

12. Lorca vbi suprà num. 16. asserit quòd pertinuerit per modum redemptionis, satisfactionis, & sacrificij: negat tamen numero antecedenti quòd pertinuerit per modum meriti. Sed contrà, quia licèt meritum, redemptio, satisfactio, & sacrificium habeant diuersos respectus, seu diuersificentur per ordinem ad diuersos terminos, tamen in ratione operandi nostram salutem conueniunt, ita quòd satisfactio, redemptio, &c. sint per modum meriti; ergo si vulnus lateris non pertinuit per modum meriti ad nostram salutem, sequitur quòd neque pertinuerit per modum satisfactionis, &c.

13. Vasquez disp. 76. cap. 2. asserit quòd pertinuerit per modum fontis applicantis per Sacramenta (in ipsis aquâ & sanguine effusis significata) passionem Christi antecedentem, non tamen per modum meriti. Sed inquiro quomodo fons fuit opus redemptionis? & quomodo applicuit Sacramenta, an per modum meriti, an alio modo? Et sic difficultas indissoluta manet.

14. Tandem plures alij asserunt quòd pertinuerit per modum actus exterioris meritorij. Sed contrà, quia actus exterior, quando exercetur, vel debet habere actualiter libertatem, ita vt patienter sustineatur, & posset similiter respici, & non sustineri (vt vult Vasquez) vel si sufficit libertas virtualis, seu antecedens, ad minus requirit quòd sit operatio vitalis (vt vult Lorca) vtrumque autem deficiebat, quando vulnus Christi laterale fuit receptum ab ipso; ergo non fuit meritorium.

Quare dicendum existimo secundò, quòd vulnus lateris Christi pertinuerit ad nostram redemptionem per modum meriti non formaliter, sed obiectiuè, id est, prout in re exhibitum, fuit obiectum voluntatis Christi, quâ sicut voluit meritoriè crucifigi, ita voluit in latere vulnerari post mortem, & ita illa voluntas fuit meritoria formaliter, quia adhuc fuit viuente Christo; vulnus verò ex eo quòd obiectum illius fuit solùm obiectiuè, nam ad hoc quòd esset non solùm obiectum actus interioris meritorij, sed etiam formaliter meritorium tamquam actus exterior, deberet esse opus vitale, cùm deberet esse opus morale. hanc sententiam in quantum negat vulnus lateris fuisse formaliter meritorium cum aliis tenet nouissimè Gaspar Hurtado disput. 13. de Incarnatione, difficult. 5. 15.

Per hunc modum dicendi faciliter explicantur locutiones suprà positæ, & plures aliæ, quas ex Patribus adducit Vasquez, quæ docent quòd sustinuit vulnus lanceæ vt nos lauaret crimine, & propter operandam nostram salutem: dicimus enim quòd hoc meruit Christus per plagam illam non formaliter, sed obiectiuè; & similiter explicatur id quod communiter clamant Patres, scilicet quòd noua Eua scilicet Ecclesia fuit formata ex latere noui Adami dormientis, id est, Christi mortui, & quòd ab illo vulnere Sacramenta Ecclesiæ manarunt: dicimus enim quòd fuit formata Ecclesia, & quòd Sacramenta manarunt ab illo vulnere tamquam à causa meritoria non formaliter, sed obiectiuè, voluit enim Christus ante mortem vt post mortem latus suum perforaretur, & ab illo aqua & sanguis profluerent, vt in foramine significaret se esse Ecclesiæ Adamum, quæ Ecclesia formata fuit ex illo, sicut Eua ex primo Adamo; & in aqua & sanguine significaret Sacramenta, quibus repararetur, & pulchritudinem acciperet: vnde meritò Cyprianus lib. de Passione & resurrectione Christi circa finem asserit, *quòd de hoc vulnere tamquam de fonte emanarunt aqua & sanguis* 16.

guis ad complementum & perfectionem totius iustitiæ, quia hæc fuerunt Sacramenta in æternum duratura. dicimus enim quòd cùm fuerit hoc vulnus, & mysteria seu Sacramenta significata in aqua & sanguine, obiecta voluntatis Christi antecedentis in vita fuerunt complementum & perfectio totius iustitiæ Christi, seu redemptionis illius per modum obiecti.

17. Circa medium temporis vitæ Christi conueniunt omnes Christum durasse in actuali merito absque cessatione ab instanti conceptionis vsque ad finem vitæ, quod patet in sententia Scoti, quia durauit in actuali dilectione beatifica, quæ in sententia illius fuit meritoria. Insuper durauit in dilectione & operibus, quæ sequuntur ad scientiam in proprio genere, scilicet ad scientiam infusam, & licèt ab illis supersedere posset, tamen vt aduertit Caietanus quæstione 31. art. 2. non est concedendum quòd aliquando cessauerit: vnde & dormiendo meruit, quia etiam tunc fuit in vigilia ratione prædictæ scientiæ.

18. Sed inquires: Si hoc est verum, cur redemptio nostra & fructus eius tribuuntur passioni Christi, & morti eius? Respondent Recentiores (omissis aliis solutionibus) cum Soto in 4. d. 1. q. 3. hoc prouenire non ex eo quòd omnia alia Christi opera non fuissent sufficientia ad nostram redemptionem, fuerunt enim propter infinitum valorem, quem habebant, sed quia ex voluntate Dei passio Christi, & mors eius fuit complementum & consummatio meritorum eius, taliter quòd omnes operationes simul cum passione & morte, quasi vnum totum integrabant; ac si esset (ait Scotus) vnica actio habens latitudinem, & varios gradus, & hoc totum Christus obtulit Deo, & per illud meruit nostram salutem, non autem meruit plus pluribus meritis, quàm vno, neque vno merito vnum præmium, & alio aliud, sed omnibus meritis simul sumptis totum præmium, licèt quodlibet seorsim esset sufficiens & superabundans ad omne præmium, si à Deo ordinaretur ad illud, & Christus offerret.

19. Nos tamen qui distinguimus merita Christi de facto quoad substantiam à meritis ipsius quoad modum non debemus ex illis omnibus efficere vnum meritum (nisi respectu gratiæ prout reconciliatricis, quæ nobis confertur ad emundationem nostram à peccato) sed debemus efficere duo genera meritorum, neque debemus dicere vnum dependere ab alio in esse meriti, quia scitis si dicamus nil de facto dari hominibus ex meritis quoad substantiam, quòd non detur etiam ex meritis Christi quoad modum: vnde merita Christi solùm dependent à passione & morte sua tamquam à termino terminante statum viatoris. ita ex parte tenet Gaspar Hurtado dispntatione citatâ de Incarnatione, difficult. 6.

QVÆSTIO III.

Vtrum Christus Dominus aliquid sibi meruerit?

IN hac re sunt duæ extremæ sententiæ, in quarum media veritas consistit. Caluinus & alij ex nouis hæreticis dixerunt Christum nil sibi meruisse, sed totum nobis. Et probant, quia in S. Scriptura absolutè dicitur pro nobis natus, passus, &c. ex alia parte aliqui Scholastici affirmant Christū sibi etiam gloriam essentialem meruisse tribuitur Alberto in 3. d. 18. art. 4. & quibusdam ex Nominalibus. & videtur deduci ex D. Thoma 3. p. q. 34. art. 1. vbi ait Christum meruisse in primo instanti, in quo sanctificatus fuit, quia sanctificatus fuit per proprium actum, seu per propriam dispositionem. Fundamentum est, quia præstantius & magis dignum est acquirere gloriam ex meritis, quàm sine illis; ergo hoc debemus Christo concedere. 1.

Sed communis & vera sententia media affirmat Christum aliqua sibi meruisse, & aliqua non. ita Sholastici cum Magistro in 3. d. 18. Scotus q. vnicâ, *§. est igitur;* D. Bonauentura artic. 2. quæst. 1. Ricardus ibidem; Gabriel quæst. vnicâ, art. 2. Durandus quæstione 3. Alexandrinus 3. p. quæst. 17. memb. 3. art. 1. S. Thomas art. 3. quam sententiam sequentibus conclusionibus declaro. 2.

Dico primò: Christus Dominus non meruit gratiam habitualem, & alios habitus 3.

habitus, qui infunduntur cum ipsa. Fundamentum est, quia principium meriti non potest cadere sub merito, sed in sententia Scoti gratia habitualis de facto est principium meriti; ergo illa & habitus, qui illam simul comitantur, non potuerunt cadere sub merito. Notanter autem dixi *de facto*, quia de potentia Dei, vt suprà diximus, quòd posset aliquis mereri per actus non elicitos à gratia, sed bonos moraliter ex obiecto & circumstantiis, dummodo acceptentur à Deo. Insuper diximus, quòd de potentia Dei forma iustificans posset esse vnio hypostatica, vel alia forma creata distincta à gratia habituali, licèt non ita connaturali modo, sicut illa: vnde in sententia Thomistarum, qui asserunt quòd vnio hypostatica de facto sit forma iustificans humanitatem Christi, multo minùs potuit illam Christus mereri, etiam de potentia Dei, quia antecedit omnem Christi operationem.

4. Dices: Potuit Deus dispensare cum Christo, vt absque gratia habituali cum solo auxilio supernaturali operaretur, & mereretur gratiam habitualem. Respondetur concedendo quòd potuit, sed non congruebat quòd ita faceret, quia congruentius erat quòd operaretur connaturaliter, quod fit quando actus procedunt à potentiis cum habitibus perfectis in actu primo. Præterea quia sicut repugnat quòd mereatur gloria essentialis vt hereditas, ita repugnat quòd mereatur gratia habitualis propter necessariam connexionem, quam inter se habent, sed repugnat de facto in Christo quòd mereatur gloria essentialis quocumque modo sumatur, vt iam iam dico; ergo, &c.

5. Dico secundò: Christus Dominus non meruit gloriam essentialem suæ animæ, quæ in fruitione diuinæ Essentiæ consistit. Hæc conclusio communis est apud supracitatos Auctores pro nostra sententia, sed diuersi diuerso modo probant: Primò aliqui, quia si illam meruisset, caruisset illà pro aliquo instanti: sed Christus illam habuit in primo instanti conceptionis; ergo illam non meruit. Sed contrà, quia sufficit prioritas naturæ inter meritum & præmium, sicut inter causam & effectum; ergo vtrumque potuit habere in eodem instanti. Secundò probant alij, quia gloria erat illi debita ratione vnionis. Sed contrà, quia etiam gloria corporis erat illi debita ratione vnionis, & nihilominùs illam meruit, benè enim aliquid potest esse debitum pluribus titulis, præterquam quòd solùm erat debita ex congruentia. Tertiò alij, quia si illam sibi meruisset, meruisset gloriam infinitam, quia eius merita erant infinita. Sed contrà, ergo neque nobis meruit gloriam, siquidem gloria nostra non est infinita. Quartò alij, quia non haberet gloriam, nisi post finem vitæ, nam non consummauit Christus eius meritum, nisi morte suâ. Sed contrà primò, quia hoc solùm pendebat ex voluntate Dei, quæ potuit dispensare cum Christo, vt per solum primum actum mereretur. 2. quia solutione anticipatâ potuisset dare Christo præmium ex propriis meritis, sicut fecit cum antiquis Patribus dando ipsis gratiam per merita Christi. quod argumentum præcipuè habet vim in sententia Aduersariorum. Quintò alij, quia aliàs posset Christus habere spem præmij. Sed contrà, quia spes est de obiecto futuro, & in vno instanti, in quo esset meritum & præmium, non potest esse futuritio.

His ergo reiectis probatur vnicâ ratione Scoti *§. hoc viso*, quia ordinatè volens priùs vult finem, quàm ea quæ sunt ad finem, & perfectissimè volens perfectissima si potest, vult talem finem; ergo Christus, qui debuit ordinatè & perfectissimè velle, priùs debuit velle finem, quàm ea quæ sunt ad finem ordinata & perfectissima: sed volitio finis in Christo fuit fruitio, seu actus charitatis secutus ad visionem Dei, in quo beatitudo essentialis consistit; ergo debuit esse prior, quàm actus virtutum moralium, qui versantur circa finem, imò & quàm actus amoris secutus ad scientiam infusam propter minorem perfectionem, vel ad minus debuit non esse posterior, & consequenter prior fuit actus, qui est præmium, quàm actus, qui est meritum. Et confirmatur à Scoto duplici congruentia: Prima, quia sicut Deus vt auctor naturæ creauit aliquas naturas dependentes à causis secundis, sicut 6.

sicut nostras, & creauit alias independentes, propter earum perfectionem, ab illis, vt angelicas, ita vt Auctor gratiæ debuit creare gloriam non solùm dependentem à meritis, sicut nostram, sed etiam independentem ab illis, sicut Christi. Secunda, quia hoc pertinebat ad perfectionem status Beatorum, quia ibi est gradus gloriæ illorum, qui numquam fuerunt inimici per peccatum actuale, vt innocentes; & gradus illorum, qui fuerunt inimici per actuale peccatum, & posteà resipuerunt vt pœnitentes; & gradus Virginis, quæ licèt non fuerit inimica, neque per actuale, neque per originale peccatum, fuisset tamen si non præseruaretur; igitur fuit decens, quòd esset gradus gloriæ, & beatitudo alicuius, qui fuisset præuentus ipsâ visione & fruitione beatâ, ita vt ante illam neque posset peccare, neque mereri.

7. Dices: Per scientiam infusam potuit Christus habere actum dilectionis circa finem; ergo per illum potuit mereri actum beatificum, & sic iste non erit primus. Respondetur concedendo antecedens, & nego consequentiam, quia licèt Christus posset habere dilectionem secutam ad scientiam infusam, non tamen debuit habere ante dilectionem secutam ad scientiam beatam. Et ratio est duplex, Prima quia ordo eorum, quæ infunduntur, est contrarius ordini eorum, quæ acquiruntur, quia hic incipit ab imperfectioribus, & procedit ad perfectiora: at verò ille semper incipit à perfectioribus; cùm autem inter ea, quæ Christo infusa sunt, magis perfecta sint, quæ pertinent ad statum comprehensoris, quàm ea, quæ pertinent ad statum viatoris, ab illis debuit incipere, & sic à visione & dilectione beata. Secunda, quia sicut qui ordinatè vult, priùs vult finem, ita qui non solùm ordinatè, sed etiam perfectissimè vndequaque vult, debet vndequaque perfectissimè priùs velle finem, quare licèt Christus de potentia Dei posset velle Deum per dilectionem secutam ad scientiam infusam, priusquam per secutam ad scientiam beatam, tamen de facto debuit velle priùs, vel ad minus non posteriùs per beatam, quia est magis vndequaque perfecta, quàm infusa.

8. Per hæc patet ad rationem in contrarium adductam pro secunda sententia in principio, quia repugnat quòd idem actus sit meritum & præmium respectu eiusdem, & meritum in Christo non potuit antecedere ad prçmium, vt iam probauimus: Insuper illud esset verum, si cetera sint paria, non verò si interueniat aliquod maioris momenti, vt in præsenti.

Dico tertiò: Christus Dominus meruit sibi gloriam corporis, & omnia dona, quæ ad eam reducuntur, scilicet resurrectionem, dotes corporis gloriosi, sessionem ad dexteram Patris. Hæc conclusio est de fide, iuxta illud Lucæ 22. *Nonne hæc oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*; & ad Hebræos 2. *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum*. Et ratio est, quia caruit Christus his perfectionibus, vt pro nobis pati posset; ergo potuit illas mereri. 9.

Sed dices: Gloria corporis physicè & naturaliter resultat ex gloria animæ, & si hæc resultantia non fuit in Christo, est quia fuit impedita à Deo per miraculum, vt pro nobis pati posset, & mori; ergo sicut gloria animæ non potuit cadere sub merito, ita neque gloria corporis, quia ex natura rei est annexa illi. Respondet Ægidius cum aliis disp. 19. de Spe, dub. 11. num. 144. negando antecedens, ex eo quòd solùm habeant connexionem prędictæ gloriæ ex voluntate Dei, non ex natura rei: sed meliùs Scotus §. *hoc viso*, vers. *sed numquam meruit*. Respondet cõcedendo antecedens, & negando consequentiam, quia sicut potuit Christus directè mereri, quòd auferretur impedimentum, quo impediebatur resultantia gloriæ corporis, ita potuit mereri indirectè, & de consequenti, quòd resultaret gloria corporis. 10.

Sed obiicit primò Suarez disp. 40. sect. 3. quòd hæc propositio, *Christus meruit indirectè gloriam corporis*, est contra testimonia S. Scripturæ suprà adducta, & cõtra Patres expressè asserentes, quòd Christus meruerit gloriam corporis: vnde est temeraria. Respondetur S. Scripturam & Patres hanc difficultatem non attigisse, solùm enim docent quòd Christus meruerit gloriam corporis, an autem directè, an indirectè, nil dixerunt, & sic non est temeraria 11.

12. Sed obiicit secundò, quia vix intelligitur quid sit hoc impedimentum, nam vel est naturalis conditio passibilis corporis, & hæc non aufertur, sed potiùs per ipsam gloriam corporis perficitur, vel est aliqua diuina ordinatio, quâ statuit impedire resultantiam gloriæ corporis à gloria animæ, & Christum mereri, quòd hæc ordinatio mutetur, seu auferatur, nihil est aliud, quàm mereri ipsam gloriam corporis per quam aufertur; ergo hæc directè meretur à Christo. Et confirmat, quia si hoc modo loquendi deberemus vti, potiùs esset dicendum quòd Christus directè meruit gloriam corporis, & indirectè ablationem impedimenti, sicut qui redimit captiuum, directè meretur eius libertatem, & indirectè vt amoueantur vincula quæ sunt impedimentum libertatis.

13. Respondeo ad argumentum, quòd impedimentum hoc est diuina ordinatio simul cum illo miraculo, quo suspendit resultantiam gloriæ corporis à gloria animæ, tamen ablatio huius impedimenti non est formaliter ipsa positio gloriæ corporis, licèt sequatur ad illam: vnde qui directè meretur ablationem ordinationis & miraculi, indirectè meretur positionem gloriæ corporis, quia ex merito ablationis ordinationis & suspensionis concursus sequitur meritum ordinationis contrariæ, & positionis concursus, quo corpori communicatur gloria eius. Ad confirmationem respondetur, quòd si libertas, quæ emitur, quando quis redimitur, esset solùm liberare à vinculis, vt posset vti libertate naturali ambulandi, quod directè deberet emi, esset ablatio impedimenti vinculorum, quia ex illa ablatione naturaliter sequeretur libertas ambulandi indita à natura (sic contingit in nostro casu) quia tamen non emitur hæc libertas, sed illa quæ omnimodam seruitutem in ordine ad dominium tollit, & hæc non emanat necessariò ab alia forma, ideò hæc directè emitur, tamen in nostro casu cum gloria corporis necessariò & physicè dimanet à gloria animæ, & hæc dimanatio auferatur per impedimentum miraculi & ordinationis, quod directè debet mereri, est auferri hoc impedimentum & ordinationem, quia corporis gloria statim sequitur, sicut liberè ambulare sequitur ex ablatione vinculorum.

Dico quartò: Christus Dominus meruit sui nominis exaltationem, scilicet vt ab omnibus cognosceretur & coleretur vt Deus, Saluator, Redemptor, &c. quod patet ex illo ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, &c. Et Apocal. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem*, &c. id est, quia occisus est. Dices: Hæc omnia debita erant Christo ratione vnionis hypostaticæ; ergo non potuit illa mereri. Respondetur quòd eadem res potest diuersis titulis esse alicui debita: vnde hæc etiam potuerunt Christo deberi titulo meritorij. 14.

Dico quintò: Christus Dominus meruit sibi iudiciariam potestatem, scilicet vt esset vniuersalis iudex viuorum & mortuorum. Hæc conclusio non est ita expressè in S. Scriptura, sicut præcedens, sed colligitur ex illo Iob cap. 36. *Causa tua, quasi impij iudicata est, iudicium causamq. recipies.* quasi diceret, Deus, ideò eris Iudex, quia fuisti iniustè iudicatus. vnde hæc iudiciaria potestas optimè respondet illi merito, quo passus est se iniustè iudicari, quòd testimonium coniunctum cum illo Matthæi 9. *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*, magis veritatem ostendit huius conclusionis. colligiturque ex Augustino in lib. de Verbis Domini serm. 6. consentiuntque omnes Theologi cum S. Thoma 3. p. quęst. 59. art. 3. 15.

Hic solet inquiri, an Christus meruerit perseuerantiam & continuationem vnionis hypostaticæ, & gratiæ, & gloriæ essentialis? & respondeo quòd licèt de potentia Dei hæc potuissent cadere sub merito, tamen de facto non ceciderunt sub illo, quia non est fundamentum in S. Scriptura vt hoc asseramus. Insuper quia primum decretum, quo Incarnatio, gratia & gloria prædestinata sunt, videtur fuisse, vt hæc omnia essent perpetua & coæua, prædestinabantur enim ad exornandam moraliter & physicè naturam vniendam hypostaticè Verbo diuino, & sic congruebat vt fieret independenter à meritis, & iam patet quòd illud decretum non potuit 16.

potuit de facto cadere sub merito. Ad fundamentum Caluini & aliorum respóndetur quòd illa testimonia S. Scripturæ doceant Christum venisse in nostrum remedium, tamen alia quæ adduximus, docent quòd meruerit sibi aliqua. Insuper dico quòd illa testimonia solùm exprimunt merita Christi in quantum Redemptoris, & vt sic referuntur ad nos, non ad Christum. Prætereà solùm adstruunt finem principalem & primarium, non secundarium.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Christus Dominus meruerit Angelis gratiam & gloriam essentialem?

1. IN hac Quæstione prima sententia negat Christum meruisse Angelis gratiam & gloriam essentialem. ita Vasquez disp. 49. cap. 2. qui citat Alexand. 3. p. q. 12. memb. 2. art. 2. §. 5. D. Bonauent. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. tam in corpore, quàm ad 1. Palud. q. 1. art. 3. Durand. q. 2. num. 7. Almain. d. 19. q. 1. Mayor ibidem q. 3. Dried. de Captiuit. tract. 2. cap. 2. punct. 3. art. 5. post 4. conclusionem. tenent nouissimè Lorca 3. p. disp. 76. num. 5. Lessius in disp. de Prædestinatione Christi sect. 1. num. 4. & ij; Aluarez lib. 5. de Auxiliis disp. 40. num. 2. Molina 1. p. q. 63. art. 3. memb. 5. circa 7. conclusionem; Hurtado tract. de Incarnat. disp. 14. difficult. 12. n. 56. Becanus cap. 14. q. 9. Faber disput. 48. Smisinch lib. de Deo vt vno tract. 3. disp. 6. q. 10. num. 663. qui pro se non solùm citat D. Thomam in 3. d. 13. q. 2. art. 2. & de Veritate q. 29. art. 4. & 7. ad 5. argumentum, sed etiam Scotum in 3. d. 7. q. 3. §. *sed hîc sunt duo*, in quantum asserit quòd ante peccatum Deus elegit homines & Angelos ad gratiam & gloriam; & d. 19. q. vnicâ, §. *in ista quæstione*, asserit quòd meritum Christi fuit ordinatum post præuisum hominis lapsum.

2. Hæc sententia Primò probatur ex parabola Christi Matthæi 18. & Lucæ 15. de Pastore, qui reliquit 99. oues, & quæsiuit vnam perditam, quam explicant plures Ecclesiæ Patres ab ipsis relati, taliter quòd per 99. oues intelliguntur naturæ angelicæ, & per vnam onem natura humana. Secundò probatur ex illo ad Hebræos 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes*, scilicet ex vno Adam nati.

Tertiò probatur ratione à Lorca, quia sanctificatio, & glorificatio Angelorum fuit priùs præuisa, quàm Incarnatio Christi ad minus quantùm ad modum, licèt in plurimorum sententia etiam quoad substantiam: sed merita Christi, quæ de facto habuit, dependent à Christo quoad modū, hoc est à Christo passibili; ergo Christi merita non potuerunt à Deo præuideri oblata pro gratia & gloria Angelorum. Maiorem probat, quia Incarnatio quoad modum fuit posterior peccato primi parentis; & iustificatio, & glorificatio Angelorum fuit prior, quia iam supponebatur Angelus peccator, & amittens gratiam, siquidem fuit tentator primorum parentum: Minorem probat (& hæc probatio est potissimùm aliorum fundamentum) quia omnia Christi merita consummata sunt morte Christi, ita vt ante illam opera Christi non censeantur esse completè meritoria. Et confirmatur, quia Christus non est mortuus pro Angelis. 3.

Secunda sententia, & quæ mihi probabilior apparet, affirmat quòd gratia & gloria essentialis Angelorum fuerit ex meritis Christi Domini. Pro hac sententia primò referri debet Scotus in 3. d. 5. q. 3. & d. 17. q. 3. & d. 19. q. vnicâ, cum omnibus aliis Auctoribus disp. 4. quæst. 1. citatis, in quantum dicunt, quòd Christus veniret, Adamo non peccante, quòd tunc eius opera fuissent meritoria pro sanctificatione hominum & Angelorum, licèt non crucifigeretur, & moreretur. Sed meo videri hanc sententiam magis expressit Scotus in prædicta dist. 7. q. 3. §. *secundum dubium*, vbi postquam dixit quòd natura humana Christi fuit primò prædestinata ad gloriam, vt ostenderet Deus quòd non oporteret ei conferre gloriam secundum ordinem naturarum, & sic quòd primò voluit gloriam naturæ non summæ (intellige naturæ humanæ, non naturæ angelicæ, quæ inter creatas de facto à Deo fuit summa) subdit, quòd *secundò voluit illam naturam esse in persona Verbi, & sic Angelus non subest puro homini*; ergo insinuat quòd Angelus subest 4.

 Christo,

Christo, in eo quod Deus dederat Christo, scilicet in gloria. Et confirmatur, quia ibidem intendit Scotus Christum constituere caput totius curiæ cælestis hominum & Angelorum; ergo per triplicem influxum assignatum ad rationem capitis disp. 13. quæst. 1. ergo per influxum meritorum.

5. Deinde debent citari pro hac sententia omnes Patres & Scholastici, qui asserunt quòd quamuis Christus non veniret, Adamo non peccante, tamen fuit prædestinatus ante prædestinationem hominum & Angelorum, & ante visionem peccati originalis. vnde malè Lorca denegat Christo hanc excellentiam, quam in sua sententia poterat conferre. Sed in terminis habent illam Catherin. lib. 1. de Eximia Christi prædestinatione, & opusc. de Gloria Angelorum; Viguerius de Institutionib. theolog. cap. 20. §. 1. vers. 4. Valencia in Psalmum 81. & in Psalmum 102. Galatinus lib. 3. de Arcanis cap. 4. Ricard. Taper. art. 2. citatur Albertus in 3. d. 13. art. 2. Ioannes Arboreus lib. 3. suæ Theosophiæ cap. 13. tenet expressè Suarez disp. 42. sect. 1. Valencia q. 8. puncto 3. Caietan. q. 7. art. 11. Montess. disp. 4. de gratia Christi q. 4. §. 2. Pytigian. in 3. d. 19. q. vnica, art. 5. circa 2. conclusionem citatur D. Thom. 3. p. q. 7. art. 9. & q. 19. art. 1. & 4. & super primum caput Ioan. circa illa verba, *De plenitudine eius omnes accepimus.*

6. Hanc sententiam probat Suarez pluribus S. Scripturæ testimoniis Ioan. 14. *Nemo potest venire ad Patrem, nisi per me.* Marci 11. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti,* &c. Sed hæc vel non loquuntur de Angelis, vel si loquuntur, facilè explicantur de cognitione & aduentu per fidem Christi, tamquam obiecti cogniti & crediti. Similiter probatur ex Patribus, nam Bernard. serm. 22. in Cantica ait, *Christum esse sanctificationem & redemptionem Angelorum.* Sed videtur loqui de Christo secundùm diuinitatem, nam explicat illud 2. ad Corinth. 8. *Qui factus est pro nobis sanctificatio,* &c. & dicit, *Nobis factus est, sed Angelis non est factus sanctificatio, quia in principio erat Verbum.* Et Gregorius lib. 1. Reg. cap. 2. in illa verba, *non est alius extra te* (scilicet Sanctus) dicit, *Extra Dominum non est Sanctus*, & loquitur etiam de Angelis, *quia absque dono Vnigeniti nemo habet sanctitatem.* Sed etiam videtur loqui de Christo secundùm diuinitatem, nam homil. 14. in Ezechiel. super illa verba cap. 40. *Et erat murus forinsecus,* inquit, *quòd Christus est murus, quia secundùm quod sursum est* (id est secundùm diuinitatem) firmitas est Angelorum; & secundùm quod deorsum est (id est, secundùm humanitatem) *est redemptio hominum.* Si autem obiicias hæc Patrum testimonia contra nostram sententiam, in quantum videntur excludere, quòd Christus secundùm humanitatem influat sanctitatem in Angelos. Respōdetur quòd loquuntur secundùm quamdam accommodationem, nam cùm in Christo sit diuinitas quæ est spiritualis, & humanitas quæ est materialis, primam accommodant Angelis, vtpote spiritualibus; secundam hominibus tamquam materialibus: tamen sicut quando dicimus quòd Christus secundùm humanitatem influat gratiam in homines, non excludimus quòd illam influat secundùm diuinitatem, ita quando dicunt Patres quòd illam influat in Angelos secundùm diuinitatem, non excludunt humanitatem.

Meliùs ergo (etiam cum ipso Suare) probatur nostra sententia ex Cyrillo Alexand. tom. 2. in illud Isaiæ 54. *Lætare sterilis quæ non paris*; vbi ait, *Christum tam hominibus, quàm Angelis fuisse causam sanctitatis*; & explicans illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, inquit, *tam homines, quàm Angeli, Cherubim*, &c. vbi loquitur de Christo secundùm humanitatem, quia de Christo, vt sic loquitur Ioannes. 7.

Neque obstat quod Vasquez cap. 5. obiicit, scilicet Cyrillum debere intelligi de Christo secundùm diuinitatem, quia dixerat Christum ante mortem esse Sanctum Sanctorum. Respondetur primò per hoc non tolli, quòd secundùm humanitatem fuerit causa sanctitatis Angelorum, quia ante mortem, & post mortem fuit Sanctus Sanctorum. Secundò, quia per hoc insinuauit, quòd merita Christi applicata Angelis per se non dependebant à morte Christi, vt dicemus infrà, nam in eius sententia lib. 5. Thesauri cap. 8. Christus fuit præ- 8.

prædestinatus ante præuisum peccatum, & sic potuerunt præuideri ante mortem eius merita quoad substantiam.

9. Sed magis expresse doctrina nostra probatur ex Laurentio Iustiniano sermone de Ascensione Christi dicente, *Christum fuisse parietem hominum & Angelorum*; & sermone de Assumptione B. Virginis Mariæ loquens de choris Angelorum, supra quos omnes ascendebat Virgo Maria, dicit, *Nemo illi inuidebat, fructus quippe ventris eius, totam ciuitatem illam repleuerat sanctitate*; & ex Hieronymo explicando illud ad Ephes. 1. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, inquit, *crux Christi purgauit omnia, quæ in cælis, & in terris sunt.* Neque obstat quod obiicit Vasquez Hieronymum conuenire cum errore Origenis dicentis Christum venisse ad redimendum malos Angelos. nam contrà primò, quia Hieronymus non dixit, quòd purgauit ea quæ sunt in infernis, sed quæ in cælis: vnde *purgare* sumit pro *sanctificare*. Secundò, quia ipse Vasquez asserit, quòd Origenes potest explicari in bono sensu.

10. Deinde probatur ratione quasi à posteriori, quia primi parentes ante peccatum (& consequenter Angeli in statu viæ) habuerunt fidem Christi, vt colligitur ex Genesi 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. quod Paulus ad Ephes. 1. explicat de mysterio Incarnationis. vnde hanc sententiam docet Augustin. 5. de Genesi ad litt. cap. 19. & Bernard. sermone 27. in Cant. & D. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. & 3. p. q. 3. ad 5. ergo habuerunt gratiam & gloriam ex meritis Christi. probo consequentiam, quia nulla alia apparet ratio, quare illis proponeretur ad credendum hoc dicendum, scilicet Christus, qui constitutus erat à Deo caput eorum, nisi ad hoc vt in illo totam suam spem & fiduciam collocarent, & ab eo vellent participare influentiam meritorum tamquam à suo Capite morali.

11. Vnde valdè probabile est, quòd primum Angelorum peccatum fuerit inordinatus appetitus vnionis hypostaticæ, & inuidia excellentiæ Christi, & nolle se illi submittere (in quo fortassis fundatur quòd destituerentur dæmones à meritis Christi vt Redemptoris, ita vt non mereretur pro ipsis, & reuiuiscerent per pœnitentiam) ita Bernardus serm. 22. in Cant. vbi ait, *Inuidisse Angelos illam olei infusionem, quâ humanitas est delibuta & vnita in Christo.* legatur Suarez tom. de Angelis lib. 7. cap. 13. & 14. imò quòd peccauerint habendo inuidiam nominis IESV, seu (quod idem est) muneris Saluatoris; quia sibi videbatur magis congruum hoc munus, vtpote habentibus naturam perfectiorem, totum enim hoc includebatur in obiecto quod Angelus inuidit: vnde inuidia nominis IESV se habet quasi partialis illius totalis inuidiæ. legatur Velasq. tom. super Epistolas ad Philipp. annot. 8. super illa verba, *In nomine Iesu*, &c. à folio 758. num. 8. & 9. vbi hoc latè probat, & notat quòd nomen IESVS non est nomen Redemptoris, sed Saluatoris: vnde Matthæi 2. dicitur, *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; Saluator autem idem est ac sanctificator stando in proprietate vocis, nam Saluator sumitur à salute, quæ siue corporalis, siue spiritualis sit, non supponit necessariò præfuisse in subiecto infirmitatem; Redemptor verò includit per se respectum ad peccatum, quod vel præuenit, vel curat: quare antequam Christus esset prædestinatus vt passibilis, iam erat decretum vocandi illum Iesum.

Neque obstat quod obiicit Vasquez, 12. primò quòd prædicta consequentia (habuerunt fidem Christi per gratiam & gloriam ex meritis Christi) non sit necessaria. 2. quòd dum extollimus Christi merita, attenuamus eius charitatem erga homines, siquidem non solùm propter illos, sed etiam propter Angelos venit. nam respondeo ad primum, quòd illa consequentia est saltem valdè probabilis, imò taliter fundatur in congruenti ratione, quòd appareat necessaria, non enim in hac Quæstione suppetunt alia principia ad melius philosophandum. Ad 2. nego, quòd attenuetur charitas Dei erga homines, siquidem hęc maximè elucet in eo quòd pro redimendis illis voluerit ignominiam mortis pati, & crucifigi.

Magis vrgenter probatur ex his, quæ 13. etiam cum Aduersariis tradidimus disputatione 13. quæst. 2. scilicet quòd Ecclesia

Ecclesia Angelorum & hominum sit eiusdem rationis, & Christus earum caput. Ex quo sic argumentor: Angeli constituuntur membra suæ Ecclesiæ per fidem in via, & per visionem & charitatem in patria, sicut homines; ergo sicut Christus est actuale hominum caput, quia influit per suam humanitatem & merita, has formas, quibus formaliter & actu constituuntur membra, & referuntur ad caput, ita contingit respectu Angelorum, imò & quòd hęc fides sit tam in Angelis quàm in hominibus fides Christi saltem implicita, videtur eòdem argumento probari. Et confirmatur à simili, quia licèt homo genitus & homo creatus sint eiusdem speciei secundùm rationes absolutas, scilicet secundùm materias & formas, tamen secundùm rationes relatiuas, scilicet prout genitus, & prout creatus distinguuntur specie, quia per se petunt terminos sic distinctos: sed membra Ecclesiæ vnius non solùm dicuntur talia per formas absolutas, scilicet per fidem in via, & per visionem in patria, sed etiam per relatiuas, hoc est per connexionem, & dependentiam, quam habent ab vno capite, qualiter omnes Ecclesiæ mundi dicuntur vna Ecclesia militans, non solùm ratione fidei, sed etiam in quantum pendet ab vno Summo Pontifice; ergo tam Ecclesia hominum quàm Angelorum debet ad vnum terminum scilicet Christum eodem modo referri, vt constituant vnam Ecclesiam, aliàs essent diuersæ propter diuersum modum, quo caput terminaret relationes illius; ergo sicut terminat Ecclesiam hominum in quantum causa meritoria gratiæ & gloriæ essentialis, ita terminat Ecclesiam Angelorum.

14. Tandem vltimò probatur, quia quòd Christus meruerit Angelis gloriam & gratiam est excellentia Christi, quæ illi non repugnat, quia iuxta ordinem decretorum, quam in sententia Scoti statuimus disp. 4. quæst. 1. p. 2. (vbi videantur ne prolixior quàm par est, fiat hæc quæstio) Christus non solùm fuit ante Angelos prædestinatus ad gratiam & gloriam essentialem (ratione cuius fuit eorum caput in genere causæ finalis, & in genere causæ exemplaris, quia gratia ipsius, & ad instar ipsius illi prædestinati sunt, idem dico de hominibus) sed etiam speciali decreto ante ipsorum & hominum prædestinationem fuit constitutus eorum caput morale, quia cùm fuerit specialis Christi dignitas debuit illi concedi speciali decreto in intentione, & in executione; ergo eorum gratia & gloria essentialis debuit illis dari, tam in intentione, quàm in executione ex meritis Christi.

Hęc consequentia patet Primò, quia esse caput morale hoc modo nihil aliud est, quàm esse caput in genere causæ efficientis moralis, nam ante hoc decretum erat caput in genere causæ finalis & exemplaris (quæ causæ minùs propriæ, & quasi metaphoricè influũt) vt patet ex dictis: sed vt causa efficiens moralis potest influere gratiam & gloriam Christus, quia pro tunc Angeli illas non habebant; ergo influxit. 15.

Secundò, si propter aliquam rationem hoc non admittit Vasquez cum aliis, est quia vel non admittit Christum fuisse prædestinatum ante peccatum Adami, vel etiamsi hoc admittat vt admittit Lorca) non tamen admittit merita Christi, quæ de facto habuit, fuisse præuisa ante præuisionem peccati Adami, & mortis Christi, quia omnia dependebant ab illa, sed vtrumque est falsum iuxta ordinem nostrum in decretis Dei, quia Christus fuit ante peccatum prædestinatus, & eo ipso quòd constitutus fuit caput morale, eius merita, quæ tunc præuidebantur (quæ dicuntur merita quoad substantiam) fuerunt à Christo oblata, & à Deo acceptata pro collatione gratiæ & gloriæ essentialis Angelorum & hominum, quorum erat caput, nam hoc est influere efficienter moraliter; ergo influxit. Tertiò, quia in Aduersariorum sententia influxit gloriam accidentalem Angelis; ergo & essentialem, siquidem merita Christi erant ad hoc valorosa, & præuidebantur. Et denique confirmatur solutione argumentorum. 16.

Ad primum respondeo primò, quòd etiam plures Ecclesiæ Patres intelligunt illam parabolam de hominibus, & non de Angelis, ita vt per 99. oues intelligantur iusti, & per vnam ouem homo peccator, vt ostenderet diligentiam, quam circa salutem peccatoris adhi- 17.

adhibet, ipse qui est pastor, ita vt si opus esset pro vno solo homine moreretur, dicitur autem reliquisse 99. oues, non quia non redemerit, sed quia non ita indigebant speciali diligentiâ, sicut peccator. ita Iansenius in Concordia cap. 94. Maldonat. Matth. 18. & fatetur etiam Vasquez. Secundò admitto quòd etiam intelligatur de Angelis, sed tunc argumentum est pro nobis, quia probat quòd Christus etiam eos pascat pastu quo pascit homines, scilicet gratia, & gloria essentiali. quod autem venerit solùm propter hominem, & relinquat Angelos, significat quòd venerit passibilis principaliter primò & per se propter peccata hominum, non propter Angelos.

18. Ad secundum testimonium. Ad Hebræos 2. *Qui sanctificat, & sanctificantur ex vno omnes*. Respondetur primò, Intelligitur ex vno Deo. ita Anselm. Ambros. & D. Thom. in hunc locum. sic autem comprehenduntur Angeli. Secundò alij legunt in singulari, scilicet *qui sanctificat & sanctificatur*, ita vt sensus sit: Christus qui secundùm diuinitatem sanctificat, & secundùm humanitatem sanctificatur ex vno omnes, id est ex vno Patre æterno, quia secundùm vtramque naturam in supposito diuino subsistentem est eius Filius naturalis. ita Dionys. 4. de Cælesti Hierarchia. Tertiò admitto lectionem vulgatam, & quòd intelligatur ex vno Adam esse qui sanctificat, & qui sanctificantur. Respondeo tamen quòd loquitur de sanctificatione per modum redemptionis, nam antecedenter loquebatur de Christo secundùm quod per passionem & mortem erat gloria & honore coronatus; Angeli autem non fuerunt redempti, sed sanctificati.

19. Ad argumentum quod adducit Lorca cum aliis respondetur optimè probare contra illos, qui omnia opera Christi tam quoad substantiam (qualia sunt opera elicita à charitate, religione, gratitudine, &c. quæ non dicunt connexionem per se, & ex natura sua cum statu passibilitatis) quàm quoad modum (qualia sunt ea, quæ Christus passus est per mortem & passionem, non solùm crucis, sed etiam frigoris, caloris, fatigationis ex itinere, & omnium illorum, à quibus status gloriosus (quem posset habere si homo non peccaret) posset illum eripere & liberare) efficiunt vnum meritum perfectum & consummatum, quia secundùm hunc modum philosophandi omnia opera Christi, quæ de facto habuit, nullo excluso, debebant à Deo præuideri ad hoc vt Christus mereretur Angelis gratiam, & gloriam essentialem, quia si Christus non habuit nisi vnum meritum, quod prædicta omnia opera includeret, non poterat præuideri vt causa meritoria, nisi omnia illa opera præuiderentur, & consequenter nisi præuideretur mors Christi, quæ nequibat præuideri vt facto fuit ante peccatum Adami: tamen in nostra sententia asserenti, quòd Christus de facto habuit opera quoad substantiam, & opera quoad modum, & quòd illa non dependebant ab istis tamquam ab vltima ratione completiua omnium operum in esse vnius meriti (nisi respectu gratiæ prout reconciliatricis) sed tamquam à termino terminante, quia mors Christi terminauit omnia merita ipsius, ita vt non mereretur ampliùs, facilis est solutio, quia dicimus, quòd licèt sanctificatio, & glorificatio Angelorum fuerit priùs præuisa, quàm passio Christi, & merita quoad modum, non tamen priùs quàm merita quoad substantiam, quia hæc vt completè meritoria fuerunt præuisa in intentione, & in executione ante sanctificationem & glorificationem Angelorum & hominum; & sic potuerunt vt causa influere in illas, & hoc sibi voluit Scotus in 3. distinct. 19. quæstione vnica, §. *sed hic sunt*, vbi asseruit, quòd passio Christi præuisa à Deo non potuit esse ratio prædestinandi homines, quia iam erant prædestinati, intellige per merita quoad substantiam.

Dices: Ex hoc sequitur, quòd mors Christi nihil profuerit Angelis, imò neque hominibus ad eorum prædestinationem, quod videtur contra plura sacræ Scripturæ testimonia, præcipuè cōtra illud Pauli ad Hebreos 5. *Vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*. Respondetur negando sequelam, quia gratia hominum prout reconcilians ipsos cum Deo, dependet primò & per se à morte Christi, vt diximus in 20.

illa disp. 4. tamen gratia prout sanctificans, & gloria essentialis tam hominum, quàm Angelorum dependent à morte Christi, & meritis quoad modum, non primò & per se, sicut à meritis quoad substantiam, sed secundariò, & per accidens; nam postquam decreuerat Deus hæc dare Angelis & hominibus per merita Christi quoad substantiam, tam in intentione, quàm in executione facta, præuidens quòd etiam veniret passibilis propter peccatum hominum, voluit alio decreto nouo non solùm dare aliquas illuminationes & glorias accidentales propter hæc merita passionis, sed etiam eamdem gratiam & gloriam iam concessam ex antecedenti decreto, & ex meritis prioribus vt pluribus titulis diuerso modo applicatis illā haberent, quia totum hoc cedit in gloriam & in excellentiam Christi, vt omnibus suis meritis esset eorum caput; & hoc etiam tenentur asserere, qui affirmant, quòd B. Virgo Maria ex meritis Christi fuerit præseruata ab originali cōtracto in Adamo, & à debito proximo contrahendi illud, solùm excepto Patre Salazar in lib. de Conceptione Virginis asserente Deum huius creaturæ existentiam non cognouisse, seu meminisse, quando fecit pactum cum Adamo, & posteà cognouisse, quando Christus iam præuidebatur passibilis pro peccato, & tunc ex meritis quoad modum præseruauit, sed hoc impugnandum est in proprio tractatu.

21. Sed obiicies primò: Ergo duplex causa totalis producit eumdem numero effectum. probo cōsequentiam, quia merita Christi quoad substantiam, & merita quoad modum, vel decretum habitum ex illis, & decretum habitum ex istis causant eamdem collationem gratiæ & gloriæ essentialis in Angelis, & camdem præseruationem in Virgine. Responderi posset, quòd vna causat per se, alia per accidens. Sed contrà, quia si vna immediatè causat per se vt causa totalis, alia neque per se neque per accidens potest immediatè causare eumdem numero effectum, quia excludit à consortio suo quamcumq; aliam causam. Quare dicendum nobis, quòd non causent eodem modo illum effectum, quia merita quoad substantiam, & decretum habitum ex illis causant immediatè, explicitè, & per effectum: merita verò quoad modum, & decretum habitum propter illa causant mediatè, implicitè, & per affectum, ideò illa dicuntur causa per se, hæc verò per accidens. Et ratio est, quia secundum decretum, quo Deus voluit ex meritis Christi quoad modum dare Angelis gratiam & gloriam essentialem iam datam ex alio primo & antecedenti decreto, quo illam voluit dare (idem dico de Virgine) ex meritis quoad substantiam, non tam fuit absoluta voluntas, quā futurizaret, seu vellet esse futurum illū effectum, quàm complacentia de decreto antecedenti à se habito circa prædictam collationem gratiæ & gloriæ, & vt sic illam mediatè, implicitè, & per affectum respiciebat, quia qui complacet, & gaudet de decreto habito, complacet, & gaudet de obiecto volito per illud; erat tamen complacentia talis, quòd futurizaret prædictum effectum, si antecedenti decreto non esset futurizatus. Et ratio est, quia ex natura sua respicit obiectum futurizās effectum, quale est decretum efficax, quo voluit causare illud: vnde non debet appellari simplex cōplacentia, quæ nullo modo respicit futuritionem effectus, sed efficax, mediata tamen vt dixi: non repugnat autem quòd idem effectus causetur à diuersis causis totalibus, dum tamen causetur hoc diuerso modo, neq; quòd causetur ab vna causa per se, & immediatè, & ab alia per accidens, & mediatè, quia quod dicitur in obiectione suprà posita, quòd si vna causa totalis causat effectum per se, alia nequit illum, neque per se, neque per accidens causare, intelligitur quando vtraque immediatè causat, non tamen quādo vna immediatè & per effectum, & alia mediatè & per affectum.

Sic veniunt intelligenda diuersa sacræ Scripturæ testimonia, quæ hunc modum dicendi confirmant, & pro omnibus sit illud ad Ephes. 1. *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt*, id est proposuit Deus recapitulare (ita legunt alij) & iterùm confirmare per Christum Angelos in cælis, & homines in terra, quia quos primò per merita quoad substantiam in gratia & gloria stabilierat, per merita quoad modum iterùm confirmaret, imò in hominibus repararet; nam illud 22.

verbum,

verbum, *instaurare*, nouam confirmationem significat, quæ in Angelis fuit noua propter nouum titulum, propter quem habuerunt suam gratiam & gloriam, & in hominibus propter nouum titulum, & nouum modum gratiæ, quia non solùm fuit sanctificatiua, sed etiam reconciliatrix.

23. Obiicies secundò: Ex his sequitur, quòd Christus fuerit mortuus pro Angelis, & consequenter quòd redemerit eos, quod est error Origenis homil. 1. & 2. in Leuiticum, asserentis quòd Christus redemerit Angelos, qui saluati sunt, sicut & homines. Fundatur in illo ad Coloss. 1. *Pacificans in sanguine suo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt*; & Apocal. 2. vbi dicitur, *quòd boni Angeli vicerunt draconem per sanguinem Agni*. Respondetur negando sequelam, quia aliud est, quòd mors Christi profuerit Angelis; aliud verò, quòd mortuus fuerit pro Angelis. Prima locutio est vera, quia solùm significat quòd mors Christi causauerit in Angelis aliquos effectus, & vt sic etiam est vera respectu Christi, licèt non fuerit mortuus pro se, neque redemerit se, quia propter mortem suam meruit gloriam sui corporis, exaltationem sui nominis, &c. Secunda verò locutiò est falsa, quia significat mortem Christi in quantum fuit sacrificium, expiatio, & satisfactio pro peccatis, iuxta illud 2. ad Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: sic autem non fuit mortuus pro Angelis, quia non fuerunt mortui in peccato: vnde secundùm Augustinum in Enchirid. cap. 61. Bernard. in feriam 4. hebdomadæ sanctæ Christus non debet dici Angelorum redemptor.

24. Dices: Eo ipso quòd Christus Angelos sanctificauit, eos præseruauit à peccatis; ergo fuit redemptor præseruatiuus eorum, non aliter ac Virginis. Respondetur negando sequelam, quia redimere in rigore, est iterùm emere à seruitute, quæ habetur actualiter si redemptio est subleuatiua, vt contingit in nobis, vel quæ necessariò debet haberi si redemptio sit præseruatiua, vt contingit in Virgine, Angeli autem boni numquam fuerunt in seruitute, neque debuerunt necessariò esse, licèt in via contingenter potuerint peccare, & sic non debent dici redempti adhuc præseruatiuè. quare hæc locutio, quæ apud Bernardum serm. 22. in Cantica, & Dionys. cap. 8. de diuinis nominibus reperitur, piè debet explicari sumendo redemptionem pro sanctificatione.

Sed obiter inquires, an Christus possit dici Redemptor, quantùm ad sufficientiam respectu dæmonum. Respondet Montesinos & benè quòd non, tum quia eius merita non sunt oblata à Christo, neque acceptata à Deo pro ipsis, tum & præcipuè quia non dantur illis aliqua auxilia sufficientia, licèt merita Christi habeant valorem ad illa præstanda, quod totum hoc debet intelligi in statu quem modò habent dæmones, quia in statu viæ data sunt illis prędicta auxilia ex meritis Christi, sicut dantur hominibus, qui damnantur ex illa voluntate generali, quâ vult Deus omnes homines saluos fieri, quia hæc voluntas etiam fuit ex meritis Christi quoad substantiam, vt diximus in illa disputatione 4. quæstione 1. 25.

Ex dictis in hac quæstione resolutæ manent aliæ duæ: quarum prima est, an primi parentes habuerint ex meritis Christi gratiam originalem in statu innocentiæ? nam eodem modo philosophandum est sicut de gratia & gloria Angelorum, & sicut de hac diximus, quòd primò fuerit in intentione & executione data ex meritis Christi quoad substantiam, & secundò fuerit confirmata ex meritis Christi quoad modum, ita ex eisdem meritis, & eodem modo fuit in re exhibita iustitia originalis, quam primi parentes in statu innocentiæ acceperunt, quia tamen homines peccauerunt, ianua cælestis fuit illis clausa, & consecutio gloriæ protracta vsque ad mortem Christi: at verò Angeli boni, cùm non habuerint hoc impedimentum, statim post suam viam consecuti sunt gloriam. 26.

Secunda est, an Christus meruerit prędestinatis illâ electionem efficacem, quâ in sententia Scoti & D. Thomæ ordine intẽtionis omnes prędestinati sunt efficaciter electi ad gloriam in primo signo prædestinationis ante præuisa eorum merita (quidquid dicant in contrarium Vasquez, & alij Recẽtiores hoc negantes) nã consequenter dicendum est, quòd 27.

quòd hæc electio efficax fuerit ex meritis Christi quoad substantiam præuisis à Deo vt futuris, tam in intentione, quàm in executione, hoc enim spectat ad excellentiam meritorum Christi, & multum ipsis detrahetur, si prædicta electio non esset facta propter illa, quia cùm sit initium prædestinationis, & quæ nequit non sortiri effectum, vix aliquod prædestinati deberent Christo siquidem illa voluntas ex eo quòd efficax deberet impleri, si non per hoc medium meritorum Christi per aliud medium: postquam autem Deus vidit eorum peccatum, prouidit de remedio per passionem Christi: vnde per merita quoad modum non solùm complacuit de eorum efficaci electione ad gloriam, & gratiam sanctificatiuam, vt diximus de Angelis, sed etiam voluit efficaciter reparare per gratiam reconciliatricem, & hoc est speciale quod debent homines morti Christi, sed de his omnibus latiùs agitur in materia de prædestinatione.

QVÆSTIO V.

Quid Christus Dominus nobis meruerit?

1. SVppono ex his quæ dixi disputatione 4. quòd Christus Dominus venerit propter nostram salutem, & consequenter quòd nobis meruerit secundùm omnium sententiam gratiam prout reconciliatricem, & remissionem peccatorum, & omnia quæ post hanc gratiam conferuntur. quare in præsenti solùm est difficultas, an meruerit nobis dispositiones, & dona, quæ ad hanc gratiam præcedunt, qualia sunt vocatio efficax ad fidem, & ad pœnitentiam, fides ipsa, & ceteri actus, quibus disponimur, etiamsi sint dispositio vltima, & similiter auxilia, quæ ad eliciendos ipsos nobis conferuntur, & applicatio Sacramentorum quibus gratiam consequimur.

2. Negat Capreolus in 3. d. 18. q. vnicâ, art. 1. conclusione 4. & art. 3. in argumentis Scoti sequitur Driedo lib. de Captiuitate & redemptione, &c. tract. 2. cap. 2. art. 4. Adamus in Commentariis ad Roman. 8. ad Philip. 2. & 1. Petri 2. Franciscus Somnius lib. 2. Demonstrationem Euangelicæ legis tract. 3. cap. 18. & 19. licèt fateantur omnes, quòd postquam homo ex meritis Christi accepit gratiam, illa omnia si perseuerent, habet etiam ex eisdem meritis. Fundamentum huius sententiæ desumitur primò ex illis Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* sed quis trahitur per supradicta dona; ergo priùs illa habemus à solo Patre absque meritis Christi. Et confirmatur ex Augustino lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 5. vbi ait, *Homo quisque ex gratia ab initio fuit Christianus, quâ homo ille ab initio factus est Christus:* sed homo Christus non est factus Christus ex meritis ipsius; ergo neque Christianus fit talis per merita Christi.

Secundò probant ratione, quia concursus generalis nobis non datur ex meritis Christi; ergo neque auxilia specialia, quæ omnibus dantur. Confirmatur primò, quia si Christus non veniret, non negaret diuina prouidentia hæc auxilia; ergo. Secundò, quia prædicta auxilia dat Deus de facto infidelibus, qui non sunt de facto membra Christi per fidem. 3.

Tertiò probant specialiter de fide & spe, quia Christus non venit, nisi solùm vt repararet, quæ Adamus amiserat: sed ille non amisit fidem, neque spem, sed solùm charitatem; ergo. Quartò, quia statim ac nobis applicantur Christi merita, nos iustificamur; ergo ante iustificationem nihil nobis datur ex meritis Christi. 4.

Quintò, quia Christi meritum fuit quasi vniuersalis causa ex se indifferens ad omnes homines, & pro omnibus oblatum; ergo debuit determinari & applicari ad determinatum subiectum: sed causæ particulares determinatiuæ & applicatiuæ meritorum Christi sunt dispositiones & vsus actualis Sacramentorum; ergo hæc non sunt ex meritis Christi. 5.

Sed Veritas Catholica, & communis Theologorum sententia affirmat omnia prædicta dona, & omnes dispositiones tam proximas, quàm remotas, nulla excepta, ad iustificationem conducentes dari nobis ex meritis Christi, seu per merita Christi. Antiqui Scholastici hoc non expresserunt, quia neque dubitauerunt, exprimunt tamen 6.

Recen-

Recentiores, noster Vega lib. 4. in Tridentinum cap. 5. Vasquez disput. 77. cap. 2. Lorca disp. 75. & reliqui Recentiores agentes de merito Christi. Et probatur expressis S. Scripturæ testimoniis, nam ad Ephes. 1. dicitur, *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*. Et de fide dicitur ad Philip. 1. *Vobis autem donatum est pro Christo* (id est per merita Christi) *non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*. Et de prima vocatione dicitur 1. ad Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione sancta sua, quæ data est nobis in Christo Iesu*. Et vniuersaliter de omni gratia dicitur Ioan. 2. *De plenitudine eius omnes accepimus & gratiam pro gratia*; illud enim *gratiam pro gratia* quomodocumque sumatur, significat omnem gratiam prouenire à nobis per Christum. vide Lorcam num. 5.

7. Secundò probatur Ecclesiæ doctrinâ & definitione, nam gratiam quam Ecclesia definit contra Pelagianos, necessariam esse ad omne opus bonum conducens ad vitam æternam ab initio fidei, vsque ad donum perseuerantiæ declarat esse gratiam per Christum, vt patet ex canone 4. Concilij Mileuitani, ex toto Concilio Arausicano, præsertim canone vltimo, vbi fit expressa mentio fidei, baptismi, & aliorum bonorum operum, & ex Concilio Tridentino sessione 6. & ex Epistolis Innocentij, Socimi, & Cælestini, quæ habentur in Tomis Conciliorum, & ex Epistola Patrum Concilij Mileuitani, quæ est 95. inter Epistolas Augustini. Ex Patribus sufficiat (nam de his latus fit sermo à Recentioribus in materia de gratia) adducere Ambros. supracitatum locum ad Ephes. 1. *Benedixit nos*, &c. vbi ait, *Omne donum gratiæ in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putat, errare se sciat*. quare decepti sunt Auctores contrariæ sententiæ, & minùs piè loquuntur.

8. Tertiò probatur ratione, quia in hac re quid de facto factum sit, nobis debet innotescere per S. Scripturam & Patres, sed secundùm eorum testimonia adducta omnia dona, quæ ad iustificationis gratiam conducunt, dantur per Christum; ergo illa habemus ex meritis Christi; quod enim ex meritis ipsius datur, per Christum dari dicitur, & refertur. Et confirmatur, quia si omnes dispositiones ad iustificationem subtrahantur à meritis Christi, tamquam à causa meritoria illarum, magna pars nostræ iustificationis illis subtrahitur, & multùm eorum excellentia minuitur. quare licèt potissimùm quod nobis meruit Christus fuerit gratia reconciliatrix, quâ non coniuncti Deo, illi coniungerentur, vt inquit Scotus in 3. d. 19. q. vnicâ, §. *in ista quæstione*, vers. *sed quod & quibus*, tamen dona antecedentia etiam meruit, licèt non fuerint ita potissima.

Ad argumenta in oppositum respondeo. Ad primum, quòd ex eo quòd Pater trahat, non sequitur quòd Christus per propria merita non trahat ad iustificationem per vocationes, &c. sicut ex eo quòd Christus per sua merita iustificet, non sequitur quòd Pater non iustificet, imò ibidem in eodem loco ait quòd oues suæ vocem suam audiunt, in quo satis explicat excitationem & vocationem ad fidem esse per Christum. Ad confirmationem ex Augustino respondetur illam comparationem non esse in ordine ad merita Christi, sed in ordine ad merita nostra: vnde sensus Augustini est, quòd eâ gratiâ homo fit Christianus, quâ ille homo factus est Christus, quia sicut ille non est factus Christus per propria merita, ita neque nos facti sumus Christiani per propria merita nostra ex propriis viribus habita, vt asserebant Pelagiani, contra quos hoc dicit Augustinus. 9.

Ad secundum respondetur diuersam esse rationem de concursu generali, & de auxilio speciali, quia ille debetur nobis dono creationis, & Christus non est mortuus vt nos creemur, sed vt impetraret nobis gratiam iustificationis, & rectè viuendi, vt inquit Augustinus in Epistola 105. longè à principio; auxilium verò speciale non debetur, sed datur nobis dono reparationis. vnde pertinet ad merita Christi reparantis, quæ per peccatum perdidimus. Ad primam confirmationem respondeo cum Vasque, quòd si non veniret Christus, sicut non daretur nobis gratia reconcilians, quæ datur ex vi præsentis decreti, ita neque darentur prædicta auxilia ex vi præsentis decreti: quòd autem fieret à diuina prouidentia ex vi alterius 10.

rius decreti non curamus, quia modò solùm agimus de eo quod de facto contingit. Ad secundam respondetur, quòd Christus etiam *extendit manus suas ad populum non credentem & contradicentem sibi.* vnde illis infidelibus etiam meretur auxilia, vt quæ sunt membra in potentia, fiant membra in actu per fidem.

11. Ad tertium respondetur primò cum pluribus Ecclesiæ Patribus, quos adducit Vasquez cap. 4. quòd Adamus perdidit fidem, vel dubitans, vel credens serpenti, media muliere, quòd non erat morte moriturus si comederet de ligno, contra id quod sibi dixerat Deus, quòd erant morte morituri. Nec obstat quod Paulus 1. ad Corinth. 2. ait, *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta est*; nam respondemus secundùm expositionem Glossæ, & aliorum Patrum, sensum esse, quòd non fuerit deceptus primus, sed post mulierem, exhortatur enim ibi Paulus ne mulieres dominentur viris, quia mulier non fuit primò creata, & primò fuit decepta. Secundò respondetur, quòd non perdidit fidem sibi, quia non credidit quæ serpens dixerat mulieri, sed peccauit attractus amore mulieris; perdidit tamen nobis illam, quia ita attenuatum nobis reliquit liberum arbitrium, vt nec possit in Deum credere, nec operari propter ipsum, sicut oportet. ita propter Patres citatos definit Concilium Arausicanum 2. can. 27.

12. Ad quartum respondetur negando antecedens, quia quoties nobis datur aliquod auxilium supernaturale applicantur nobis merita Christi, & non solùm in ipsa iustificatione formali.

13. Ad quintum concedo, quòd merita Christi fuerint causa vniuersalis, & pro omnibus oblata; & similiter concedo, quòd quatenus talis debuit determinari ad iustificationem, nego tamen quòd causæ particulares determinatiuæ fuerint dispositiones & vsus Sacramentorum ex sola gratia Dei, quia etiam hæc habentur ex gratia per Christum, seu ex meritis Christi.

14. Sed inquires quęnam fuit causa particularis determinans vniuersalem? Et respondetur primò cum communi sententia, quòd ipsa merita Christi vtrumque munus exercent, quia habent se vt causa vniuersalis, nam quantum est ex se, & ex voluntate inefficaci Christi omnibus possunt ad iustificationem & glorificationem prodesse, quia pro omnibus habent sufficientem valorem, tamen quantùm est ex parte voluntatis Christi efficacis, quâ solùm efficaciter obtulit pro illis solis, quos Pater æternus efficaciter prædestinauit, vt sic exercent munus causæ particularis, quia vt sic determinant causam vniuersalem ad hoc vt iste homo congruè vocetur, proximè disponatur, & tandem iustificetur, & glorificetur, & non ille.

Et si rursus inquiras quare Pater æternus voluit hunc congruè vocari, proximè disponi, & tandem iustificari, & glorificari, & non illum? Respondetur in hoc reperiri mysterium prædestinationis, neque in eo assignanda est alia causa, nisi quòd illi, qui saluantur, gratiâ & voluntate Dei saluantur; illi verò, qui condemnantur, propriis suis demeritis condemnantur: vnde istis solùm prosunt merita Christi quantùm ad sufficientiam, illis verò quantùm ad efficaciam: sed de his omnibus latiùs agitur in materia de prædestinatione & gratia. 15.

Sed aliqua sunt in fine huius quæstionis examinanda. 1. an Christus meruerit antiquis Patribus ab Adamo post peccatum vsque ad ipsum, qui suum aduentum præcesserunt auxilia, gratiam, &c. Et respondetur cum communi sententia quòd sic: nec Catholicus, neque hæreticus de hoc dubitauit; id enim sæpiùs in S. Scriptura explicatur ad Roman. 8. *In ostensionem iustitiæ suæ in remissionem præcedentium delictorum*; & 1. ad Corinth. 10. *Omnes sub nube fuerunt*, vsque ad illa verba, *Bibebant autem de spirituali consequente eos Petra, Petra autem erat Christus.* quare Apocal. 5. dicitur Christus *Agnus occisus ab origine mundi*: profuerunt autem illis merita Christi quoad substantiam, & quoad modum per anticipatam solutionem, quia fuerunt à Deo præuisa futura & Christo oblata, & à Deo acceptata. 16.

Sed dices: Si merita Christi habuerunt effectum ante eius aduentum, cur eorum effectus tribuuntur morti Christi, & dicuntur tunc contigisse? tunc enim dicitur, quòd *spoliauit potestates & principatus, quod traduxit confidenter palàm triumphans de illis, quòd deleret, quòd aduersus* 17.

aduersus nos erat chirographum decreti, &c. Respondetur primò, quòd dicantur tunc contigisse, quia tunc mors Christi, & eius merita (propter quæ illa facta sunt, etiam ante mortem Christi) fuerunt in re exhibita. Secundò, quia licèt redemptio multorum præcesserat, tamen non completè, & quantùm ad omnem effectum, quia ianua cæli non erat aperta, neque iusti liberati à captiuitate Limbi.

QVÆSTIO VI.

De diuersis Christi Domini appellationibus.

1. DIuersæ appellationes conueniunt Christo ratione suorum meritorum, nam ratione illorum dicitur merens, satisfaciens, redemptor & mediator; merens dicitur in ordine ad præmium, satisfaciens in ordine ad debitum; quare cùm sibi meruerit, & pro se non satisfecerit, latiùs patet ex parte termini meritum, quàm satisfactio, licèt ex parte actionis eadem actio, quæ est meritoria, sit satisfactoria, & è contrà, neque satisfactio ex parte rei oblatæ (id est ratione vulneris lateralis, quod suscepit post mortem) excedit meritum, quia sicut susceptio illius vulneris non fuit meritoria formaliter, sed solùm obiectiuè, vt diximus disputatione antecedenti, quæstione 2. ita non fuit satisfactoria formaliter, sed solùm obiectiuè.

2. Redemptor solùm distinguitur à satisfaciente penes hoc, quòd satisfaciens soluendo debitum respicit personam pro qua satisfacit, quia facit satis loco illius: at verò Redemptor respicit personam cui fit satisfactio, à cuius potestate liberatur & redimitur captiuus. Hîc solet inquiri, an hæc duo, scilicet satisfacere, & redimere, ita sint propria Christi, vt nulli alij competere possint, & procedit dubium de satisfactione pro culpa, non pro pœna. Sed de his latiùs egimus disp. 1. 2. & 3. vbi diximus, quòd licèt de potentia Dei alia persona Trinitatis potuerit æquè satisfacere & redimere, imò & persona humana, vel angelica, licèt non per meritum ita circumstantionatum ex circumstantia personæ, tamen quod de facto nulli alteri competit, sed solùm Christo Domino immediatè, & toti Trinitati remotè.

Mediator respicit vnam personam inter alias duas, quas inter se conciliat: dicitur autem in humanis quadrupliciter, primò quando quis constituitur iudex arbiter ad componendum aliquam litem. 2. quando mittitur legatus. 3. quando pro vno impetrat precibus aliquid ab alio. 4. quando non solùm precibus impetrat reconciliationem, v. g. vel relaxationem debiti, sed etiam ipse soluit pro illo, & exhibet pretium, quæ omnia ferè complexus est Chrysostomus homil. 16. super Epistolam ad Hebræos, loquens de mediatione Christi, vbi dicit, *Quomodo factus est mediator Christus? sermones detulit, & attulit, ea quæ à Patre mittebantur perferens: addidit etiam mortem, in offensione quippe earum, & mori nos oportebat, mortuus est pro nobis.* vnde absolutè dicitur 1. ad Timoth. 2. vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Verum est quòd alicui inferiori à Christo potest conuenire nomen Mediatoris, vt Moysi, qui populo dedit legem à Deo acceptam, & ad eum pro ipso orauit, & Sancti etiam hoc modo dicuntur Mediatores, sed non omni modo sicut Christus: vnde in ipso idem fuit officium Mediatoris, ac Redemptoris, merentis, & satisfacientis, quia his modis omnibus mediauit. 3.

Difficultas ergo est in hac quæstione, secundùm quam naturam ex duabus, quas habet Christus, conueniant illi prædictæ denominationes, & appellationes (idem inquiro de nomine Sacerdotis, de quo infrà disp. 16. quæst. 6.) an secundùm humanam, an secundùm diuinam, an secundùm vtramque, seu (quod idem est) secundùm humanam prout coniunctam cum diuino Verbo? 4.

Circa quam difficultatem Bellarminus tom. 1. lib. 5. de Christo cap. 2. & 3. refert duos errores: primus est Stancharij asserentis cõuenire Christo præcisè secundùm naturam humanam, & hoc duplici modo, primò excludendo suppositum ab actione redimendi, satisfaciendi, &c. vnde appellat naturam humanam redemptricem, mediatricem, &c. 2. excludendo valorem, quem à persona participat. Secundus error est 5.

est Caluini, & aliorum, qui in his actionibus & passionibus distinguunt substantiam earum, & efficacitatem ad salutem nostram. primam tribuunt naturæ humanæ præcisè. secundam naturæ diuinæ præcisè; non in sensu Theologorum, qui in eadem actione & passione hæc duo admittunt, ex prædictis duabus radicibus prouenire, quia illi hæretici confitentur se à Scholasticis dissentire, sed taliter quòd hæc conueniant diuersis actionibus, & diuersis agentibus *vt quod* completis & adæquatis: vnde de sacerdotio asserunt, quòd sola humanitas sit victima, & solus Deus sacerdos.

6. Sed indubitata & Catholica sententia tenet prædictas denominationes competere & conuenire Christo secundùm vtramque naturam simul, seu (quod idem est) tantùm naturam humanam prout vnitam personæ Verbi, taliter quòd idem suppositum, quod est Deus & homo, mereatur, satisfaciat, redimat, vel medicet. Et probatur, quia Christus non potuit esse mediator secundùm naturam diuinam præcisè, nam secundùm illam non potuit mereri, neque esse persona media inter duas, neque similiter potuit esse mediator secundùm naturam humanam præcisè, quia hæc non influit in opera valorem requisitum de facto, neque secundùm vtramque naturam si se habeant tamquam duo agentia totalia & diuisa, quia hæc sapit Nestorianismum constituendo in Christo duo supposita distincta; ergo dicendum est, quòd conueniat Christo secundùm naturam humanam, prout vnitam Verbo. ita vt actiones & passiones sint suppositi Verbi *vt quod*, & humanitatis *vt quo* illius denominatiuæ, huius formaliter ab illo participat valorem infinitum, & simul ab hac substantiam: vnde S. Scriptura in his actionibus semper loquitur de Christo in concreto ad Roman. 8. *Proprio Filio suo non pepercit*, &c.

7. Ad errores oppositos respondetur, quòd si Stancharus excludit suppositum diuinum à natura humana, quia putat esse personatam personalitate humanâ, errat cum Nestorio; si non excludit, falsò asserit, quòd natura humana sit mediatrix, quia actiones sunt suppositorum saltem denominatiuè: vnde etiam falsò excludit valorem in actionibus Christi participatum à diuino supposito, siquidem eo ipso quòd denominantur esse, illius participant valorem moralem. Secundus verò error sapit Nestorium eo ipso quòd concedit duo agentia *vt quod* diuisa, completa & adæquata, & quòd agant per diuersas actiones, nam supponit esse duo supposita, aliàs non possunt esse duo agentia *vt quod*, & per diuersas adæquatè actiones.

Neque contra hoc est, quòd reliqui Patres, quos refert Lorca disp. 77. in dubio incidenti num. 14. prædictos effectus & actiones tribuunt Christo vt homo est, nullâ factâ mentione Deitatis, imò distinguendo ab illa. Respondetur primò, non ita clarè loquuntur. 2. solùm significare intendunt, quòd noster mediator non solùm debet esse Deus, sed etiam homo, & in natura humana pati, & alibi eorum intentio verè declaratur ab ipsis. 8.

Solùm restat in fine huius quæstionis explicare ex dictis modum loquendi in hac re; primò ergo hæc est vera; *Christus in quantum homo est mediator*, siue ly. *in quantum homo* sumatur reduplicatiuè, siue specificatiuè, quia semper sumitur homo in concreto, & consequenter concernit personam; & similiter hæc est vera, *Christus est mediator in quantum Deus & homo*, sumptâ ly *&* copulatiuè, quia vtraque hæc propositio continet, quòd actiones Mediatoris conueniant Christo secundùm vtramq; naturam iuxta supradicta. Secundò hæc est falsa, *Christus est mediator in quãtum Deus*; & similiter hæc, *Christus est mediator secũdùm solam naturam humanam*. quia in prima propositione excluditur natura humana, & in 2. excluditur diuina, vel diuinum suppositum. 9.

DIS-

DISPVTATIO XV.

DE

SCIENTIA

ANIMÆ CHRISTI.

NOn loquimur in præsenti de scientia in quantum Deus est, sed in quantum homo, quam videntur negare hæretici, non minùs, quàm operationem voluntatis creatæ, sed illam habuisse Christum est de fide, vt habetur sextâ Synodo generali: hæc autem scientia creata duplex est, alia beatifica, & alia in proprio genere. Primam subdiuidunt Auctores in duplicem, vnam, quæ secundùm omnium sententiam terminatur ad Essentiam diuinam, vt obiectum beatificum; & aliam, quæ terminatur ad creaturas, quatenus earum cognitio debetur statui beatifico, siue hæc cognitio sit ipsa visio beata, siue non secundùm diuersas sententias. Secundam subdiuidunt in per se infusam, & in per se adquisitam: de quibus omnibus agit Scotus in 3. dist. 14. per totam.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm in Christo fuerit scientia beata ab instanti suæ conceptionis?

1\. SVPPONO primò in hac Quæstione, quòd Christus non fuerit secundùm humanitatem beatus per increatam operationem Dei, vt malè asseruerunt Ripa & Hugo de S. Victore relati à Recentioribus. Et ratio est, quia cognitio quâ creatura cognoscit, vel consistit in actione intellectus, tamquam causæ efficientis, vel in termino talis actionis recepto in ipso intellectu secundùm diuersas sententias, sed increata Dei operatio non potest effici, neque recipi ab intellectu creato; ergo, &c. Vnde non sufficit, quòd de potentia Dei operatio increata ipsius vniretur hypostaticè cum intellectu creato, quia si hoc esset possibile solùm terminaret illum, sicut Verbum terminat naturam humanam, non tamen redderet intelligentem, quia ad hoc vt dixi requiritur actio, vel receptio ipsius, vt latè tradunt Philosophi lib. 3. de Anima.

2\. Suppono secundò, quòd Christus non solùm fuit beatus à tempore ascensionis, iuxta illud Marci vltimo, *Dominus Iesus assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*; sed etiam à tempore suæ mortis, iuxta illud Lucæ 2. *Hodie mecum eris in Paradiso*; & sanè gloria corporis, quam à tempore resurrectionis Christus habuit, fuit euidens indicium gloriæ pro eo tempore animæ. Difficultas ergo est, an anima Christi in vita mortali ab instanti conceptionis fuerit beata, & Deum clarè viderit.

Dico primò: Anima Christi fuit beata, & vidit Deum in hac vita mortali. 3.
Hæc conclusio est communis & indubitata apud Catholicos. Et probatur primò S. Scripturæ testimoniis; nam 1. Ioan. 4. dicitur, *Deum nemo vidit vnquam Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, id est ipse enarrauit qui vidit eum; & Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius*; & cap. 8. *Ego quæ vidi apud Patrem loquar*, quæ testimonia iuxta communem intelligentiam explicantur de Christo etiam vt homo est.

Dico secundò: Anima Christi fuit 4.
beata, & Deum clarè vidit etiam ab instanti suæ conceptionis. Hæc conclusio ita communis est, vt eam negare sit temerarium. ita Scholastici omnes in 3.

d. 14. §. Thomas 3. p. q. 14. art. 4. & q. 15. art. 10. & q. 34. art. 4. & videtur colligi ex illis verbis psalmi 64. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*, id est quando elegisti, & assumpsisti, fuit beatus, quam expositionem habent communiter Patres, & loquuntur de Christo, de quo etiam multi Rabini & Patres explicant illud Hieremiæ 31. *Femina circumdabit virum*, quia hoc erat mirabile, quod cùm Christus in vteris maternis esset infantulus, nihilominùs erat vir, id est, videns Deum, iuxta illud Pauli 1. ad Corinthios 3. *Vt autem factus sum vir euacuaui, quæ erant paruuli, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* vnde Bernard. homil. 2. super Missus est, ait, *Vir erat Dominus Christus, sed sapientia in ætate; neque enim minùs sapiens fuit Christus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus.*

5. Vrgentiùs meo videri probatur ex illo psal. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear, propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, notas fecisti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* quod testimonium intelligi de Christo probant D. Petrus Actorum 2. & D. Paulus Actorum 13. & licèt posset exponi de corpore Christi, quod est Ecclesia, vt exponunt Augustinus & Hieronymus, tamen de ipsomet Christo intellexit Petrus, & resurrectionem ipsius à mortuis per illa verba probauit, *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; & ascensionem in cælum probant illa, *notas mihi fecisti vias vitæ*; & gloriam corporis, & quòd sedeat ad dexteram Patris probant illa, *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsq; in finem*, quibus accersiuit Petrus illa verba psal. 109. *Sede à dextris meis*, quasi in confirmationem præcedentium: sed ante hæc omnia inquit Dauid in persona Christi, quòd *prouidebat Dominum in conspectu suo semper*, id est, semper præ oculis, seu ante oculos mentis suæ habebat Dominum ipsum conspiciens; ergo visione beatâ. patet cõsequentia, tum quia hæc sola est perpetua, tum quia hæc habet Dominum pro obiecto, tum quia prouidere, & Dominum in conspectu suo semper habere, non tam significat contemplari, quàm habere perpetuam visionem claram & facialem; tum quia hanc habuisse probat quasi à posteriori per manutenentiam Dei annexam visioni beatæ, quam significant illa verba subsequentia, *quoniam a dextris est mihi ne commouear*; tum quia propter ipsam vnionem dicit, quòd lætatum est cor eius; tum denique quia hîc loquitur de aliquo specialiter reperto in Christo Domino distincto à reliquis quæ subsequuntur, quæ iam explicuimus quæ sint, & quòd semper fuerit in intellectu Christi Domini; si ergo hoc habuit per visionem beatam; ergo eam habuit ab instanti suæ conceptionis, quia eam semper habuisse fatetur.

6. Deinde satis probari videtur ex illo Pauli ad Coloss. 2. *In quo* (scilicet in Christo Iesu de quo loquebatur) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*, &c. quæ verba non determinant tempus, sed omnem circumscriptionem illius præ se ferunt sicut illa alia verba inferiùs posita, *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; ergo pro omni tempore habuit thesauros sapientiæ & scientiæ, sed scientia beata præfertur aliis scientiis, sicut aurum argento, & aliis metallis; ergo hæc in ipso debuit esse ab instanti conceptionis, non minùs, quàm diuinitas, quam semper hypostaticè habuit sibi vnitam.

7. Deinde probatur ex Patribus, Eusebius enim lib. 10. Demonstrationis Euangelicæ cap. 21. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre*, dicit in persona Christi, *cum anima mea adhuc intra cellam gestantis me, in vtero laterem te vnum Deum meum videbam.* Et Ricardus de S. Victore lib. 2. de Emanuele cap. 22. ait, quòd *nos accepturi sumus in vita futura, ille* (scilicet Christus) *accepit in vita ista; quod nobis dabitur in consummatione, illi est datum ab initio suæ conceptionis.*

8. Tandem probatur ratione, quia gratia diuinæ visionis debebatur in ornatum & perfectionem illius naturæ humanæ, vt esset congruè in diuino supposito, ratione cuius habuit gratiam habi-

habitualem, & reliqua dona de quibus suprà; ergo sicut vnio hypostatica fuit in primo instanti conceptionis, ita & gratia diuinæ visionis. Et confirmatur ex dictis, quia in Christo non fuit fides, & insuper à primo instanti meruit per actum dilectionis beatificæ; ergo habuit Dei beatificam visionem.

9. Ex his duo debetis inferre. primum, quòd visio beata solùm fuit debita Christo in primo instanti debito congruentiæ, non ex natura rei, etiam supposita vnione hypostatica: vnde de potentia Dei possent separari, quia vnio hypostatica non vnit Deum naturæ humanæ in esse intelligibili, sed in esse reali subsistentiæ. Secundum, quia à prædicto instanti fuit prædicta visio Christi summa negatiuè, quia alia maior non potuit esse in humanitate aliqua, etiam de potentia Dei, sicut suprà diximus de gratia habituali, quod significat illud Psal. quòd sedeat ad dexteram Patris, intellige post ascensionem. Et similiter hoc voluit Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 3. vbi ait, *Trinitas sibi soli nota est integrè, & homini assumpto:* ly *integrè* significat iuxta capacitatem vtriusque quæstionis Trinitati infinitè, & Christo summè.

10. Contra nostram & communem sententiam solùm videntur aduersari hæretici recentiores, in quantum asserunt Christum à principio habuisse ignorantiam rerum multarum. ita Lutherus, Caluinus, &c. quos referunt Suarez disp. 25. sect. 1. sed expressiùs illam in dubium reuocauit Erasmus in Annotationibus ad Lucæ 2. & videtur negauisse Buzerus, vt refert Canus lib. 2. de locis cap. 14. Sed contra priores agemus in sequenti quæstione, modò autem pro posterioribus adducemus aliqua S. Scripturæ testimonia, & soluemus. Et primò est illud Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui apud temetipsum antequam mundus fieret*; ergo tunc non habebat prædictam claritatem, id est visionem claram. Respondetur hîc non esse sermonem de visione clara, sed de sui nominis exaltatione, scilicet quòd cognosceretur vt Deus, qualis fuit ab æterno, qua ratione pro tunc non cognoscebatur à Iudæis circumstantibus. Secundò est illud Lucæ 23. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Respondetur, Loquitur de gloria corporis, & de gloria exteriori, quâ visibiliter ascendit & penetrauit cælos. Tertiò est illud ad Hebræos 5. *Decebat eum per passionem mortis consummari.* Respondetur non loqui de consummatione per assecutionem gloriæ animæ, sed gloriæ corporis; & præcipuè loquitur de consummatione in officio & munere Redemptoris, quia per diuinum decretum statutum erat, quòd illud consummaret per mortem.

Hic possunt duo disputari. Primum, An Christus indiguerit lumine gloriæ ad videndum Deum, sicut reliqui Beati. Sed respondetur quòd sic, quia propter vnionem ad Verbum anima eius non est formaliter eleuata ad supernaturaliter operandum, & sic eius potentiæ indiguerunt habitibus supernaturalibus. Secundò, quomodo potuit compati tristitia, quam Christus in vita, & in passione sustinuit, cum summa eius beatitudine. Sed de hoc ex professo inferiùs modò sufficiat dicere, quòd habuit tristitiam interueniente diuinâ dispensatione nolente talem beatitudinem communicari corpori. 11.

QVÆSTIO II.

Quæ, qualis, & quanta sit scientia beata animæ Christi?

Quæ quærit substantiam, qualis qualitatem, quanta quantitatem, vt commune dicterium habet. Et circa duo priora facilis est solutio, circa substantiam enim duo possunt inquiri: Primum, An visio beata Christi sit eiusdem speciei cum scientiâ beata, seu cum visione beatifica aliorum Beatorum. Et respondeo cum communi sententia quòd sic, quia procedit à potentia & lumine eiusdem speciei, & versatur circa idem obiectū formale. vnde ad Roman. 8. dicimur *heredes Dei, & coheredes Christi.* quia hereditas illius, & nostra est eadem, & eiusdem speciei. Secundum, An sit eiusdem speciei cum scientia beata Angelorum? & similiter respondeo quòd sic, non solùm quia habeant idem obiectum formale, & idem lumen, sed etiam quia non distinguuntur specie intellectus Angeli, & intellectus hominis in ratione intelle- 1.

ctus, vt cum Scoto in 2. d. 1. q. 6. *§. potest etiam addi*, dixi lib. 2. de Anima disp. 2. quæst. 2. difficult. 8. idem habet Scotus in reportatis in 3. dist. 13. q. 3. *§. ad tertiam quæstionem*, loquendo de fruitione beata; sequuntur ibidem Liquetus & Tartaretus ibidem, & Montepilosus de Visione disp. 24. art. 3. Fundamentum est, quia licet intellectus hominis vt discursiuus est, sequatur vt propria passio ad differentiam infimam & specificam hominis, scilicet ad rationalitatem, tamen vt intellectiuus est, vniuocè conuenit cum Angelis, & vt sic sequitur tamquam propria passio ad differentiam subalternam, quæ hominem constituit in esse substantiæ intellectualis, sed respectu visionis beatificæ (etiamsi hæc non sit simplex apprehensio) intellectus animæ Christi, sicut & cuiuscumque alterius Beati, non se habet vt discursiuus, quia non discurrit, sed vt intellectiuus; ergo est eiusdem speciei cum angelico intellectu.

2. Et confirmatur, quia si essent diuersæ speciei, angelica esset perfectior, taliter quòd etiamsi intentissima esset visio Christi numquam tangeret perfectionem illius, sicut magna quantitas argenti numquam tangit perfectionem etiam minimæ quantitatis auri, & consequenter membrum Christi, quale est Angelus excederet perfectionem præcipuam sui Capitis, & sic in gloria, quod non est dicendum.

3. Circa qualitatem verò præter id, quod antecedenti quæstione diximus, scilicet quòd visio beata Christi fuerit summa negatiuè, solùm debet notari quòd hoc est intelligendum respectu visionum beatarum hominum, quia nulla alia earum potuit etiam de potentia Dei vltrà magis intendi. An autem hoc etiam sit verum respectu visionum beatarum Angelorum respondeo quòd de facto est certum, quòd habuerit Christus visionem beatam magis intensam, quàm illi, iuxta illud ad Ephes. 1. *Constituens eum super omnes principatus & potestates*, &c. De potentia verò Dei dicendum existimo, quòd non fuerit negatiuè summa, quia visio beata secundùm doctrinam Scoti in 3. d. 13. q. 4. *§. ad tertiam quæstionem*; & alibi sæpè crescit ratione maioris perfectionis intellectus, ratione cuius posset crescere visio beata Angelorum, quia lumen gloriæ, & cetera requisita possunt esse æqualia in Angelis, & in Christo, & intellectus est perfectior in Angelo, etiamsi sit eiusdem speciei cum intellectu Christi, sicut ratio animalitatis perfectior est in homine, quàm in equo, licèt sit eiusdem rationis.

Tota ergo difficultas est circa quantitatem scientiæ beatæ Christi, id est, circa extensionem, seu ad quot obiecta creata extendatur: circa quam difficultatem plures sunt sententiæ: Prima docet Christum neque in Verbo, neque extra Verbum cognoscere omnia, sed aliqua ignorasse. Pro hac referuntur hæretici Ignoitæ, seu Agnoitæ, & Themistiani; & videtur deduci ex illo Marc. 13. *De die illo autem, vel hora* (scilicet iudicij) *nemo scit, neque Angeli in cælo, nec Filius, nisi Pater*: imò addunt hæretici nostri temporis (vt refert Canisius lib. 3. de Deipara cap. 82.) quòd Christus in pueritia communem nescientiam cum aliis pueris habuerit, & alfabetum sub ferula præceptoris didicerit. videtur deduci ex Lucæ 2. *Iesus autem proficiebat ætate & sapientiâ*, &c. 4.

Secunda sententia docet Christum cognouisse in Verbo aliquas creaturas possibiles, & omnes existentes pro quauis temporis differentia, sed non per visionem beatam, quam habuit, sed per cognitionem earum in proprio genere, quia tamen hæc cognitio debita fuit ipsi, sicut & debetur cuilibet Beato, dicitur illas cognouisse in Verbo, seu per visionem beatam. ita Vasquez 1. p. disp. 50. Becanus 2. p. cap. 9. q. 13. Gaspar Hurtado de Incarnat. disput. 8. difficult. 5. & 6. Sed diuerso modo probatur ab ipsis: Aliqui probant, quia si Christus omnes creaturas possibiles cognosceret, cùm illæ sint infinitæ, etiam erit infinita, & comprehensiua cognitio creata Christi: nam ex Augustino in Enchirid. cognitio comprehensiua est, quâ nihil latet cognoscentem; ergo solùm cognoscit aliquas creaturas possibiles. Alij verò probant, quia licèt cognitio hæc non sit infinita, neque comprehensiua, etiamsi esset omnium creaturarum possibilium, tamen hoc nullo firmo fundamento asseritur, & in re graui non est sine fundamento loquendum. 5.

Quòd

6. Quòd autem Christus cognoscat omnes existentes probant, quia Beatus cognoscit omnia quæ pertinet ad suum statum, sed Christus est omnium dominus, auctor naturæ & gratiæ, & iudex creaturarum intellectualium; ergo tam naturalia quàm supernaturalia, tam occulta quàm manifesta, quæ aliquando habebût existentiam, cognoscit. Quòd autem non cognoscat hęc per ipsam visionem probant, quia non continentur formaliter in diuina Essentia, & licèt contineantur eminenter, non dicit respectum realem ad ipsam, neque habet connexionem necessariam cum illis; ergo non cognoscuntur per visionem diuinæ essentiæ.

7. Tertia sententia concedit Christum cognouisse omnes creaturas tam possibiles quàm actuales, etiam existentes pro quauis temporis differentia: sed diuerso modo, nam possibiles cognoscit per eamdem cognitionem, quâ cognoscitur Verbum; actuales verò per diuersam. vnde ait, illas cognosci in Verbo, has autem extra Verbum. ita Durand. in 3. d. 14. q. 2. & 3. Fundamentum est, quia creaturæ possibiles reprę sentantur in Deo naturaliter, cùm sit causa earum naturalis, qua cognita cognoscuntur; secùs autem contingit in actualibus, quia earum esse dependet à voluntate libera, & decreto Dei; & ideò non cognoscuntur ex vi cognitionis Essentiæ, sed aliâ cognitione.

8. Quarta sententia conuenit cum secunda circa cognitionem creaturarum possibilium & actualium, differt tamen ab illa, & à tertia sententia, quæ asserit quòd prędictas creaturas Christus cognoscat in Verbo, seu per ipsam visionem, quâ videt Deum, & non per distinctam cognitionem in proprio genere. ita D. Thomas 3. p. q. 10. art. 2. & 3. expositores eiusdem ibidem, Capreol. in 3. d. 14. q. 2. art. 1. Paludanus q. 2. art. 3. Ricard. q. 3. Ferrara 3. contra Gentes cap. 56. Lorca disp. 58. Suarez disp. 26. sect. 3. id autem in quo differunt probant, quia creaturæ possibiles habent necessariam connexionem cum essentia vel omnipotentia Dei, & creaturæ actuales cum Dei decreto, vel cum Essentia diuina habente se per modum speciei impressæ; ergo visâ Essentia, aut decreto, ex vi prædictæ visionis videntur creaturæ. Secundò, quia si cognitio creaturarum esset merè concomitans cum visione essentiæ, non magis diceretur creaturas cognosci in Verbo, quàm Verbum cognosci in creaturis; ergo dicendum est quòd videntur per ipsam Dei visionem.

Quinta sententia concedit cum præsenti, quòd creaturæ cognoscantur in Verbo eâdem cognitione, quâ videtur Verbum; differt tamen ab illa in duobus. primò, quia concedit quòd Christus cognoscat non solùm omnes actuales, sed etiam omnes possibiles. 2. quia non admittit quòd omnes cognoscat actualiter, sed habitualiter, non per aliquid creatum (vt dixerunt aliqui) quos reprehendit Scotus infrà citandus *§. contra istud*, sed per Essentiam diuinam permanenter se habentem, tamquam per obiectum primarium, & speculum voluntarium, vt quoties voluerit Christus aliquas creaturas cognoscere, statim ipsa essentia repræsentet illas, & hoc siue per eamdem visionem beatificam, siue per numero diuersam, iuxta diuersas circa hoc sententias. ita tenent D. Bonauent. in 3. d. 14. art. 2. q. 3. Marsil. q. 10. probabile reputat Scotus q. 2. *§. sed si ista via;* & in reportatis *§. dico igitur ad quæstionem.* Faber disp. 35. cap. 3. Smising lib. de Deo & vno, tract. 2. disp. 6. q. 8. num. 194. & num. 203. 9.

10. Primum probant, quia per visionem beatam potest Christus (sicut & alius Beatus) cognoscere aliquam creaturam tam possibilem quàm actualem (supposita ex vi decreti eius existentia) sed sicut potest vnam, potest aliam, & aliam, quia non magis repugnat vna, quàm alia; ergo potest omnes cognoscere. Maior patet ex probatione quartæ sententiæ. Et confirmatur, Christo est tribuenda perfectior cognitio possibilis; ergo, &c. Secundum verò probant primò, quia experimur quòd intellectus finitus quò plura attendit obiecta, eò imperfectiùs ad singula tendit; ergo in actu secundo non potest attendere ad infinita, sed solùm habitualiter, & in actu primo. Præstereà secundò, quia visio infinitarum creaturarum continet eminenter perfectionem infinitarum visionum, sed repugat visioni creatæ quòd sit in perfectione actu infi-

infinita; ergo Christus non habet illam.

11. Alio modo (& ferè in idem redit) formant alij hanc rationem, quia si partes infiniti in potentia simul essent, constituerent vnum infinitum in actu; ergo tam ille actus, quo prædictas creaturas infinitas simul cognosceret, quàm intellectus, & lumen, quibus causatur talis actus, habent simul virtutem infinitam repræsentatiuam & causatiuam, non aliter ac si causarent infinitos actus pro singulis creaturis, sed hoc repugnat intellectui creato, & intellectioni illius propter ipsius finitatem; ergo, &c.

12. Sexta sententia, quam existimo esse veram, conuenit cum præcedenti in eo quod asserit, quòd anima Christi ab instanti conceptionis cognouerit in Verbo per eamdem visionem, quâ videtur Verbum omnes creaturas tam possibiles quàm actuales in seipsis, differt tamen ab illa, quia asserit illas, semper cognoscere in actu secundo, taliter quòd scientia Christi ex parte obiectorum considerata æquipararetur scientiæ Dei, licèt excedatur ab ipsa in modo cognoscendi, in claritate, & aliis conditionibus, quæ se tenent ex parte cognoscentis. ita docent Magister in 3. d. 14. Albert. art. 1. Mayor q. 4. Basol. q. 2. art. 2. probabiliorem reputat Pytygian. q. 2. art. 4. paginâ 373. probabilem Rada controuersiâ 9. art. 3. conclus. 5. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annot. 29. Glossa in illud Apocal. 5. *Dignus est Agnus*, &c. & plures alij, & est magis de mente Scoti, quia licèt solùm probabilem reputet vbi suprà §. *tertio modo*, vbi illam latè probat, & §. *potest dici*, vbi pro defensione ipsius ponit duos modos, quorum vnum approbat, & alium reprobat, tamen in 2. d. 3. q. 11. §. *contrà ex eisdem*, vers. *consimiliter etiam*, illam absolutè tenet his verbis, *Consimiliter etiam patet in Christo, qui licèt omnia viderit in Verbo ab instanti sua natiuitatis, in vtero tamen fuit in eo intellectus agens & passibilis, aliàs non fuisset perfectus*, &c. & licèt in prædicto tertio sententiarum q. 2. §. *tertio modo* in fine illius dicat, quòd si soluantur rationes, quas pro hac sententia adducit, sit tenenda opposita, tamen nullibi illas soluit.

13. Id autem, in quo differt hæc sententia à quinta, sic probatur primò, quia nō videtur quomodo intellectus creatus animæ Christi potuerit in actu secundo cognoscere aliquam creaturam ex his quæ habitualiter & in actu primo cognoscit, quia vel hoc dependet à voluntate Christi, vel à voluntate Dei, vel à creaturis: non primum, quia voluntas Christi non potest ferri in incognitum, nam nil volitum, quin præcognitum, sed per nullam cognitionem ante beatificam, posset sibi proponi Antichristus, v.g. vt vellet illum videre per visionem beatam, quia nulla datur cognitio in Christo ante beatam; ergo hoc non dependet à voluntate Christi. Non secundum, quia hoc etiam conuenit aliis Beatis, quibus à voluntate diuina proponuntur videndæ in Essentia diuina diuersæ creaturæ pro beneplacito Dei, neque aliquid speciale tribueretur Christo, nam etiam illi possunt ordinatè appetere videre (si Deus velit proponere) omnes creaturas. Non tertium, quia omnes creaturæ eodem modo & æqualiter repræsentantur in illo diuino, in quo, vel per quod cognoscuntur; ergo dicendum est, quòd anima Christi non cognoscit illas solùm habitualiter & in actu primo, sed actualiter & in actu secundo.

Secundò, quia si habere simul & actu infinitas visiones circa creaturas repugnat, quia daretur infinitum in actu, ita repugnat vel dari simul infinitas potentias ad habendum illas visiones, vel vnam potentiam pro illis, quia similiter daretur infinitum in actu; ergo non minùs repugnat, quòd Christus habitualiter & in actu primo cognoscat omnes creaturas, quæ sunt numero infinitæ, quàm actualiter & in actu secundo. 14.

Tertiò, quòd Christus in actu secundo omnia cognoscat, est excellentia ipsius, & tribuitur ipsi ad Coloss. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*; & Ioan. 16. *Scimus quia omnia nôsti*. quod minùs verè dicitur de eo, qui potest omnia cognoscere; de hoc enim nequit dici, quòd omnia nouerit; sed debet dici de eo, qui omnia verè & in actu secundo cognouit. Insuper hæc excellentia non repugnat illi, vt patebit ex solutione argumentorum; ergo datur in Christo. 15.

Ad fundamentum primæ sententiæ, 16.

quæ

quæ est hæreticorum respondetur, quòd dicitur Christum nesciisse diem iudicij, non quia illum ignorauit, sed quia illum non sciebat ad reuelandum aliis, sicut Pater æternus poterat reuelare, vel quia illum nesciebat in suis membris, quæ sunt Ecclesiæ fideles, nam iuxta regulam Ticonij, quæ sunt capitis tribuuntur corpori, & è contrà; similiter dico, quòd Christus crescebat sapientiâ, quantùm ad exteriores demonstrationes, & verba sapientiora, quæ loquebatur, vel si in sapientia interiori crescebat, sicut in ætate, non erat hoc in sapientia beata, vel infusa, sed in acquisita, seu experimentali, neque didicit alfabetum, sicut alij pueri, cùm potiùs admirarentur Legis Doctores, quòd litteras sciret, cùm non didicisset.

17. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondeo, quòd cognitio creaturarum est eadem, quâ cognoscitur Verbum, hoc est, quâ cognoscitur Essentia diuina, quæ propterea dicitur cognitio Verbi, quia illi tribuuntur ea, quæ pertinent ad sapientiam, sicut Spiritui sancto, quæ pertinent ad amorem, non autem est distincta, vt latè traditur in materia de visione. Et breuiter probatur in secunda probatione quartæ sententiæ huius quæstionis, illa autem cognitio etiamsi sit omnium creaturarum possibilium & actualium, neque est infinita, neque comprehensiua.

18. Sed hoc iam probo primò ad hominem, quia sicut in eorum sententia cognitio creaturarum actualium, quæ sunt infinitæ in potentia non facit cognitionem Christi actu infinitam; ergo neque cognitio possibilium, quæ etiam sunt infinita in potentia. Secundò, quia ex infinitate extensiua non colligitur infinitas intensiua; ergo neque cognitio Christi erit intensiuè infinita, ex eo quòd respiciat infinitas creaturas. Et confirmatur, quia ex eo, quòd in quanto sint infinitæ partes in potentia diuisibiles ab aliquo diuidente, non infertur, quòd diuidens habeat virtutem actu infinitam ad diuidendum illas; ergo neque in Christi intellectu virtus actiua ad videndum infinitas in potentia creaturas. Tertiò, quia etiamsi per visionem beatam videatur ipsa infinitas intensiua Dei, non est visio actu infinita, quia non videtur infinitè ab homine beato; ergo multo minùs etiamsi videat infinitatem extensiuam Dei, hoc est, creaturas ad quas extenditur eius virtus.

Quòd autem non sit comprehensiua patet, quia ad hoc non solùm requiritur, quòd nihil lateat cognoscentem ex his quæ pertinent ad cognitionem, sed etiam ex his quæ pertinent ad intensionem, ita vt prædicta intensio appareat in modo cognoscendi: Christus autem videndo creaturas, non penetrabat intensionem Dei, etsi penetraret, non intensiuo modo, & infinito, quia creaturæ non videntur ex vi penetrationis essentiæ, vt contendunt Aduersarij, aliàs daretur possibilitas passiua creaturarum, seu producibilitas ipsarum (vt ita me explicem) ita intensiuè infinita, sicut est intensiuè infinita virtus actiua omnipotentiæ Dei, quod est falsum, nam hæc solùm ostenditur in eo quòd producat creaturas ex nihilo, non verò in eo quòd illæ sint producibiles magis ac magis perfectæ in infinitum, quia hæc maior earum perfectio habet terminum, cùm sit creata, seu creabilis, aliàs daretur aliquod creabile ita simpliciter infinitum ex parte sua, sicut virtus actiua ex parte Dei, & consequenter non repugnaret dari aliquam creaturam substantialem simpliciter infinitam, sicut Deus, quod omnes negant, imò & de creatura accidentali gratiæ negauit communis sententia disputatione 11. de Gratia Christi quæstione 4. 19.

Et ratio à priori huius est, quia infinitæ actu entitati correspondet actu infinita intelligibilitas, vt sit entitas omni modo etiam infinito cognoscibilis; ergo ad hoc vt actus intellectus adæquate correspondeat prædictæ entitati, debet esse infinitus in actu, tam in esse entis, quàm in esse intellectionis: hoc autem repugnat creaturæ; ergo & quòd sit comprehensiua Dei. 20.

Ad secundum fundamentum prædictæ sententiæ iam patet ex nostro, & quomodo nostra sententia probatur ex S. Scriptura Patribus, & ratione. 21.

Ad id autem, quo probant, quòd cognitio creaturarum non sit ipsa visio beata, quia non continentur formaliter in Essentia diuina; & si continerentur 22.

emi-

eminenter, non dicit respectum realem ad ipsas. Respondeo concedendo, quòd non contineantur formaliter, licèt formaliter, & in seipsis cognoscantur; & similiter concedendo, quòd etiamsi diceret relationem realem ad illas, non cognoscerentur per talem relationem, quia relatiua, seu extrema actualis relationis sunt simul tempore, naturâ, & cognitione; ergo relatio non potest cognosci in vno extremo, scilicet in Essentia diuina, & posteà ducere intellectum Christi, aut Beati in cognitionem alicuius extremi, scilicet creaturarum, sed simul cognoscitur in vtroque, quare aliundè sunt cognoscendæ creaturæ, quia relatio non est prima ratio, seu primum medium cognoscendi eas, imò ad cognitionem relationis vt talis; est necessarium præcognoscere vtrumque extremum.

23. Dico ergo cum Smising vbi suprà disp. 6. quæst. 7. num. 174. quòd aliqua ratio absoluta visa per visionem beatam est ratio cognoscendi in Deo creaturas: hæc autem est ipsa Essentia diuina, prout est obiectum voluntarium, quæ repræsentando seipsam, repræsentat, tam ex possibilibus, quàm ex existentibus eas creaturas, quas vult, & Christo vult omnes repræsentare.

24. Et si inquiras quare essentia potest illas repræsentare. Respondeo, quia sicut earum entitates eminenter continentur in illa in esse entis, ita earum intelligibilitates in esse repræsentationis.

25. Et si rursus inquiras; An habeat se, sicut species impressa. Respódeo quòd licèt habeat se ad modum speciei impressæ, in eo quòd sicut species impressa causat cognitionem obiecti, ita Essentia diuina, seu voluntas Essentiæ diuinæ causat illam per se, vel per speciem productam à se repræsentatiuam sui, non tamen habet se per modum speciei non cognitæ; sicut se habent communiter species impressæ, quia cùm ipsa Essentia sit obiectum beatificum debet cognosci, imò propter hoc dicuntur creaturæ cognosci in Verbo, seu in obiecto beatifico, quia simul est cognita, & ratio cognoscendi per eamdem visionem, etiamsi non esset ratio cognoscendi in quantum cognita, à qua difficultate modò supersedeo, quia non est huius loci.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ 26. respondeo ex dictis, quòd creaturæ possibiles non videntur in Verbo propter necessariam connexionem, quam habent cum illo, aliàs omnes viderentur à quocumque Beato, sed tam illæ, quàm creaturæ actuales, licèt liberè producantur, possunt videri per Essentiam diuinam, tamquam per speciem impressam. An autem creaturæ actuales possint videri in decreto non secundùm id quod decretum habet ad extra, scilicet secundùm relationem, sed secundùm id quod habet ad intra non curo, nec modò est locus disputandi.

Ad fundamentum quartæ sententiæ 27. etiam patet ex dictis, quòd creaturæ non cognoscuntur ex penetratione essentiæ, nam potest aliquis Beatus plures creaturas videre, quàm alius, ex eo quòd pertineant ad suum statum, & nihilominus magis remissè videre diuinam Essentiam; reliqua autem, quæ ibi adducuntur, sunt probationes nostræ sententiæ, vt suprà dixi.

Sed obiicitur, quia secundus error 28. Arnoldi de Villanoua, inter eos, qui damnantur ab Inquisitoribus Tarraconensibus in Directorio Inquisitorum 2. p. quæst. 11. docet quòd anima Christi ab ipso instanti conceptionis sciuit omnia, quæ Deus scit; ergo hoc non est dicendum, si refertur tamquam error. Respondetur quòd damnatio illa facta fuit absque consensu Summi Pontificis, & eo inconsulto, vt ibi notatur. Insuper non videtur facta propter sententiam Arnoldi, sed propter eius fundamentum, quia absque hac scientia non putabat posse vnionem hypostaticam consistere: vnde indicabat, quòd scientia animæ Christi erat ipsa scientia Verbi, & quòd humana natura non haberet scientiam creatam, quod est error Monothelitarum negantium duas operationes, humanam scilicet, & diuinam in Christo.

Ad fundamentum quintæ sententiæ 29. respondetur, quòd primum, quod asserit, scilicet quòd Christus cognoscat omnes creaturas, tam possibiles, quàm actuales in Verbo, est pro nostra sententia. Secundum verò, scilicet quòd non cognoscat illas actualiter, sed habitualiter solùm est contra eam. Ideò ad primum argumentum, quo hoc secundum

dum probant, respondeo quòd ratio, propter quam noster intellectus quò plura attēdit magis defatigatur, fit propter conuersionem ad phantasmata, quæ conuersio non reperitur in visione beata; tamen insuper respondeo, quòd virtus intellectiua est limitata non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè si respiciat obiecta in seipsis per diuersas species & cognitiones, vnde in plurium attentione consumitur, tamen si respiciat obiecta non per diuersas species, sed per vnam in qua omnia relucent, scilicet per Essentiam diuinam, & non per diuersas cognitiones, sed per vnam, scilicet per visionem beatam non consumitur, & ideò potest omnia simul videre, tum quia non minùs repugnat videre infinitatem extensiuam, quàm intensiuam, & hanc videt Beatus in diuina Essentia, tum quia ad hanc visionem est supernaturaliter Beatus vel in actu primo, vel ad minus in actu secundo.

30. Ad secundum respondeo, quòd in infinitis numero visionibus possibilibus circa infinitas numero creaturas est duplex perfectio consideranda, vna extensiua quâ attingit prædictas creaturas, alia intensiua quasi ex omnibus (per impossibile coniunctis) fieret vna visio, quæ esset in se & intensiuè multò maior, nam cùm intensio solùm fiat per additionem gradus ad gradus tantummodò numero distinctos; si ex omnibus fieret vna, esset intensiuè & in genere qualitatis multò maior, ita vt plures dicant esse actu infinitam, sed in meâ sententia negandum est, vt colligitur ex dicendis in fine huius quæstionis. Dico ergo quòd visio beata Christi eminenter continet perfectionem extensiuam infinitarum numero visionum, non tamen intensiuam, tum quia hæc repugnat visioni creatæ, nam sicut repugnat per locum intrinsecum, quòd ex infinitis visionibus possibilibus fieret vna visio, ita repugnat quòd vna visio contineat perfectionem intellectiuam illarum, tum quia sicut ex perfectione extensiua non colligitur intensiua, ita ex eo quòd visio Christi habeat infinitatem extensiuam, non colligitur habere intensiuam: vnde negandum est antecedens, quòd visio infinitarum creaturarum contineat eminenter perfectionem intensiuam infinitarum numero visionum, neque poterit prædictum antecedens probari, nam licèt vna visio possit eminenter continere plures, non tamen infinitas, sed finitas, quia fit argumentum à possibili ad impossibile.

Clariùs hoc exprimo, quia aliud est contineri in illa vna visiones omnes illas secundùm intensiuum quod habent, scilicet secundùm quod quælibet est qualitas in aliquo gradu intensionis determinato; aliud verò secundùm extensiuum, scilicet secundùm quod quælibet dicit relationem & habitudinem ad suum obiectum. hæc duo distingui patet, quia vna visio potest esse intensa vt tria, & repræsentare tantùm vnum obiectum, licèt contineat intensionem trium visionum intensarum vt vnum, & potest esse alia visio tantùm intensa vt vnum, & se sola repræsentare tria obiecta repræsentabilia per tres visiones intensas, quas omnes hæc vna continet quantùm ad extensionem, licèt non contineat quantùm ad intensionem. ecce qualiter visio Christi potest continere infinitas visiones quantùm ad extensionem, & non continere illas quantùm ad intensionem. 31.

Per hoc patet ad alium modum, quo formatur prædictum argumētum; nam dicimus primò fieri per aliquid repugnans per locum intrinsecum, scilicet quòd infinitæ partes in potentia sint simul in actu, neque visio Christi continet eminenter infinitas numero visiones, quia has dari simul repugnat, cùm virtus intellectiua sit limitata in ordine ad eas intensiuè, hoc est, quantùm ad gradus; & extensiuè, hoc est, quantùm ad earum numerum; & dato quòd contineret perfectionem extensiuam earum, non colligeretur cognitionem & intellectum cum lumine continere perfectionem intensiuam earum, quia ex extensiua non colligitur intensiua (vt diximus) vnde meritò diximus disputatione 3. quæstione 2. quòd merita Christi in doctrina Scoti etiamsi ex circumstantia personæ habuerint valorem infinitum extensiuè, scilicet pro infinitis hominibus, si essent, non tamen intensiuè; vnde Scotus asseruit quòd erant acceptabilia pro infinitis, sed non infinite; & sic qui hanc 32.

hanc doctrinam in præsenti tradunt, & in illa quęstione negant, non loquuntur consequenter.

33. Inquires pro complemento Quæstionis, An ex eo quòd Christus in Verbo videat infinitas creaturas, debet dici quòd videt infinitum in actu. Affirmat Vasquez disputatione 51. Aluarez disputatione 55. Fundamentum est, quia infinitum in potentia in hoc differt ab infinito in actu, quòd in primo ab accipiente partes illius possunt assumi prima & vltima determinatè, licèt post illam semper restant partes aliæ, & aliæ accipiendæ, tamen in secundo non potest assumi vltima determinatè, sed sine vltima accipiuntur aliæ, & aliæ sine fine, at in illa multitudine infinita creaturarum, quam similiter videbat Christus, non poterat assignari aliqua vltima determinatè; ergo videbat infinitum in actu.

34. Negant & meliùs Suarez disput. 66. quæst. 3. Raguza disp. 79. Fundamentum est, quia creaturæ tam possibiles quàm existentes non sunt infinitæ in actu, sed in potentia; ergo quamuis omnes simul videat Christus, non tamen videt infinitum in actu. Confirmatur & declaratur, quia quando dicimus, quòd videt infinitum in actu, ly *in actu* non appellat *super videt*, quia certum est quòd vno actu finito visionis videt infinitum, sed appellat super ipsum infinitum quod videt, sed hoc non est infinitum in actu, sed in potentia; ergo, &c.

35. Per hoc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ, concedo enim illam doctrinam tamquam veram; imò propter eamdem respondeo, quòd si velimus numerare partes infiniti cogniti, possumus accipere primam & vltimam determinatè, v. g. in cognitione alicuius Angeli ex possibilibus & futuris; possumus accipere primam quam habuit in creatione, & vltimam quam modò habet, licet post hanc restant aliæ & aliæ in infinitum accipiendæ, quare per ly *ab accipiente partes illius* non debet intelligi, id est, ab intelligente partes, quia vt sic certum est quòd intelligens vno actu intelligit omnes illas, & non primò vnas, & posteà alias, sed debet intelligi sic ab accipiente, id est, à volente illas numerare: Scotus autem diuersis in locis aliquando hoc asserit, aliquando illud, quia loquitur secundùm diuersas sententias probabiles, de quibus latè egimus in materia scientiæ Dei disputatione 7. quæstione 2.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in Christo fuerit scientia in proprio genere, & quotuplex fuerit?

Scientia in proprio genere dicitur illa cognitio, quæ non habetur in Verbo, sed per virtutem obiecti creati, quod cognoscitur, vel per propriam ipsius obiecti speciem impressam, quia tamen hæc species impressa potest dupliciter haberi, aut à Deo infundente, aut ab obiecto virtute intellectus agentis causante, ideò hæc scientia diuiditur in infusam & acquisitam. Rursus quia species, quæ infunditur, potest esse talis conditionis, quod solùm petit ex natura sua à Deo produci, vel si non petit hoc ex natura sua, tamen Deus præueniens obiectum causat speciem, quam ipsum obiectum causaret, ideò subdiuiditur scientia infusa, & prima quæ à solo Deo petit produci, dicitur per se infusa; secunda verò, quæ licèt à Deo producatur, tamen non petit produci ab ipso, quia poterat ab obiecto, & ab intellectu agente per se acquiri, dicitur per accidens infusa. 1.

Quo supposito conueniunt omnes, quòd Christus præter scientiam beatam habuerit scientiam in proprio genere. Et probatur primò, quia ad Coloss. 2. dicitur, *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei;* ergo debuit habere omnes scientias sibi possibiles haberi à Deo, sed scientia in proprio genere non repugnat cum scientia beata, imò illas simul ponit in Beatis Augustinus de Genes. ad litt. cap. 11. & 12. & scientiam beatam appellat matutinam, & scientiam in proprio genere vespertinam; ergo. Secundò, quia Christus non solùm fuit comprehensor, sed etiam viator; ergo non solùm debuit habere scientiam in Verbo, sed etiam in proprio genere. Et confirmatur, quia fuit excellentissimus Doctor, & Magister hominum & Angelorum; ergo debuit habere omnes scientias sibi possibiles. Et si dicas quòd hæc scientia superfluit, quia quod 2.

per

per eam Christus cognouit, etiam cognouit in Verbo per scientiam beatam. Respondetur negando esse superfluam, quia decebat vt omnibus modis possibilibus omnia cognosceret, & quia hæc scientia est magis proportionata & connaturalis naturæ humanæ circa creaturas, quàm scientia beata, quandoquidem habetur per species creatas.

3. Prima ergo difficultas huius quæstionis est, An ex diuisionibus factis huius scientiæ in proprio genere Christus habuerit scientiam per se acquisitam, id est, quæ viribus propriis & per propriam speciem potest acquiri acquirendo species per intellectum, & sensum ex obiectis; & conueniunt omnes, quòd sic, neque absque errore potest negari, de fide enim est quòd Christus habuerit naturam humanam cum omni proprietate & perfectione sibi connaturali, posse autem acquirere scientiam est vna ex proprietatibus & perfectionibus illius, & hoc debet intelligi de scientia, quomodocumque sumatur, siue pro intellectu, siue pro habitu primorum principiorum, siue pro sapientia, & scientia, quæ est cognitio conclusionis, & videntur deductæ per lumen naturale ex præmissis, siue pro prudentia quæ est rectum dictamen rationis, siue pro arte quæ dirigit ad vsum factibilium, licèt ab illo in exercitio essentialiter non dependeat. de illis autem, de quibus naturali lumine non potest haberi cognitio euidens, non habuit Christus quidquid est possibile haberi ex opinionibus verosimilioribus & probabilioribus (vt aliqui aiunt) quia aliàs posset assentire falsò quod repugnat, sicut & quòd habeat fidem humanam, vt infrà dicemus.

4. Secunda difficultas est, An hæc scientia per se acquisibilis fuerit in Christo propriis actibus acquisita? An verò per accidens infusa? quia verò de illa commodiùs agemus in fine huius Disputationis, ideò in præsenti omittimus.

5. Tertia ergo & præcipua huius Quæstionis difficultas est, An Christus habuerit scientiam per se infusam? Et ratio dubitandi est, quia per scientiam beatam habet Christus actum correspondentem eius potentiæ obedientiali, & per scientiam per se acquisitam actum correspondentem potentiæ naturali; ergo superfluit quæcumq; alia. Et confirmatur primò, quia per has duas scientias habet omnem cognitionem, & perfectionem, quam ex S. Scriptura, ex dignitate personæ, ex munere Redemptoris & Iudicis, ex capacitate intellectus, aut ex quolibet alio capite potest habere. Et confirmatur secundò, quia nullum est obiectum circa quòd non possit esse scientia per se acquisibilis, nisi obiectum diuinum; ergo nullum est circa quòd possit esse scientia per se infusa; circa diuinum autem obiectum est visio beata. Propter hæc negant scientiam per se infusam in Christo, Alexandr. 3. parte, quæst. 13. memb. 1. & 2. Bonauent. in 3. d. 14. art. 1. cap 1. Durandus quæst. 4. Gabriel quæst. vnicâ, art. 2. Almainus quæst. 1. art. 2. refertque communiter Scotus noster quæst. 3. *§. contra conclusionem*; quos omnes excusat Lorca disp. 49. num. 9.

Sed vera sententia concedit scientiam per se infusam in Christo Domino. ita D. Thomas 3. p. quæst. 2. art. 1. estque iam communis inter Scholasticos, tenent Suarez disput. 25. sect. 3. Vasquez d. 52. cap. 2. Lorca vbi suprà. Faber disp. 36. cap. 2. & 3. & absolutè eam tenet Scotus locis statim citandis, quia tamen verbis expressis non concedit, imò potiùs videtur negare, ideò pro declaratione & manifestatione mentis ipsius sequentes stabilio conclusiones. 6.

Dico primò: Scotus concedit species infusas in Christo Domino. hanc conclusionem expresè habet in tertio dist. 14. quæst. 3. *§. ad quæstionem*, vbi admittit in Christo scientiam habitualem, seu species infusas circa vniuersalia, seu circa quidditates, & infrà circa singularia, per quas abstractiuè cognoscantur. idem habet *§. ad argumenta*, vers. *ad illud primum*, & quæst. 4. sequenti, & idem habet loquendo de cognitione in proprio genere Angelorum, & in 2. d. 3. q. 10. *§. ad quæstionem igitur*, quia tamen tota huius rei difficultas est an secundùm mentem Doctoris prædictæ species sint per se, an solùm per accidens infusæ, sit secunda conclusio. 7.

8. Dico secundò: Scotus concedit in Christo Domino species per se infusas. Hæc conclusio non est expressa apud ipsum, ex verbis tamen eius deducitur. quod sic probo primò, nam quæst. 1. prologi, *§. antequam hac*, vers. *ad propositum dico*, docet quòd pro statu isto intellectus possibilis solùm est natus moueri naturaliter ab intellectu agente, & phantasmate; ergo cùm Scotus vbi suprà concedat species infusas in Christo constituto in statu viatoris circa omnia vniuersalia & quidditates, & circa plurima singularia, à quibus minimè potuit per intellectum agentem, & phantasiam habere naturaliter species, necessariò sequitur quòd prædictæ species sint per se infusæ. Secundò, quia in secundo Sententiarum citato quæst. 9. concedit speciem abstractiuam Trinitatis, quæ viribus naturæ non potest acquiri; ergo, &c.

9. Tertiò & vrgentiùs probatur, quia Scotus in 3. citato quæst. 4. assignat in Christo species infusas ita perfectissimas in summo gradu, quòd sint summæ negatiuè, sicut gratia habitualis ipsius. Insuper & quòd tantò excedant species alterius intellectus creati superioris (v.g. Angeli) quantò intellectus Christi exceditur in perfectione ab illo intellectu superiori. Ex quo sic argumentor cum Suare: Illæ species sunt per se infusæ respectu intellectus Christi Domini, quæ non possunt acquiri à virtute intellectus agentis ipsius Christi; sed species, quæ tantum excedant perfectionem virtutis intellectus agentis Angeli, quantum intellectus Angeli est superior intellectu Christi, non possunt acquiri virtute naturali intellectus agentis Christi (imò neque virtute intellectus agentis Angeli) ergo sunt per se infusæ, sed has concedit Scotus fuisse in Christo; ergo concedit species per se infusas in illo.

10. Sed obiicies quòd Scotus ibidem quæst. 3. *§. contra conclusionem* impugnat D. Thomam in quantum admittit cognitionem per se infusam, & per se acquisitam circa idem obiectum. vnde communiter Scotistæ Faber & Lorca vbi suprà exponunt Scotum, asserentes quòd solùm negauerit scientiam per se infusam circa obiectum, circa quod potest esse per se acquisita. Respondeo tamen quòd Scotus solùm impugnat D. Thomam ex dictis eius, vt ibi expressè habet, quare cùm S. Thomas solùm admittat distinctionem specificam actuum per ordinem ad obiecta, quæ respiciunt (videlicet 1. 2. quæst. 109. art. 2. & quęst. 100. art. 10.) optimè arguit Scotus contra ipsum, quòd si circa idem obiectum daretur scientia per se infusa, & per se acquisita (idem dicit de matutina, & vespertina) essent solùm numero distinctæ, & solùm differrent per ordinem ad causas efficientes, quæ differentia solùm est numerica in sententia etiam D. Thomæ, sicut ea quæ reperitur inter hominem genitum & creatum, & tunc etiam sequeretur quòd duo accidentia numero distincta essent in eodem subiecto, quod D. Thomas negat 3. p. q. 35. art. 5. & alibi, itaque totum argumentum procedit ex dictis D. Thomæ.

Scotus tamen aliter sentit, quia cùm 11.
in sententia ipsius circa idem obiectum possit dari actus naturalis & supernaturalis, non sumit distinctionem specificam solùm in ordine ad obiectum, vt latè in materia de gratia dicitur, neque similiter sumit distinctionem specificam solùm in ordine ad efficiens, sed sumit ex natura effectus, qui ex se postulat solùm Deum vt infundentem & causantem supernaturaliter, vt etiam dicitur in materia de fide loquendo de supernaturalitate disp. 7. quęst. 2. quare existimo quòd in hoc loco non expressè docuerit Scotus distinctionem specificam inter species per se, & per accidens infusas, quia cùm hæc distinctio sit eadem cum distinctione supernaturalitatis quoad substantiam, & quoad modum, hanc iam docuerat in prologo q. 1. *§. ad quæstionem* in fine, & sæpè alibi. vnde solùm vsus fuit aliâ distinctione scientiæ, scilicet abstractiuæ & intuitiuæ, quæ magis congrua erat, vt explicaret an anima Christi nouerit omnia in genere proprio, vel non; & hoc idem fecerat in secundo citato quęstione 11. vt explicaret an Angelus potuerit proficere accipiendo cognitionem à rebus.

Quare non est dicendum, quòd in 12.
doctrina Scoti non possit esse scientia per se infusa, & per se acquisita circa idem obiectum, quia hoc solùm negat Scotus

Scotus arguendo ad hominem contra D.Thomam ex dictis eius, sed potiùs hoc est concedendum in eius doctrina, quia ipse ex vna parte admittit species naturaliter, & per se acquisitas circa vniuersalia in via, & circa singularia; & ex alia parte admittit species infusas magis perfectas, quàm in Angelis posse esse circa eadem obiecta, quæ vt probauimus sunt per se infusæ, & admittit scientiam acquisitam per discursum circa obiectum præcognitum per scientiam infusam. ita habet vers. *ad tertium dico, §. ad argumenta.*

13. Dices: Scotus etiam impugnat sententiam, ex eo quòd si habet Christus vnam scientiam; ergo alia superfluit. Respondeo quòd argumentum sit solùm contra D. Thomam, quia si infertur contra ipsum, quòd scientia infusa, & scientia acquisita solùm distinguantur numero, & qnòd dentur duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, etiam infertur quòd vna ex illis scientiis superfluit.

14. Tamen licèt Scotus admittat cum D. Thoma species per se, & per accidens infusas, sed non sicut D. Thomas, quia hic adstruit illas esse vniuersales in repræsentando, ita vt vna species quò magis perfecta est, eò plures creaturas repræsentat. vnde in Angelo superiori, in quo perfectiores sunt species (inquit D. Thomas) sunt numero pauciores, quàm in Angelo inferiori. Scotus tamen in prædictis locis pro quolibet obiecto tam in specie, quàm in indiuiduo docet esse assignandam specialem speciem, quia habet distinctam intelligibilitatem. vnde in Angelo superiori admittit plures species, quàm in inferiori, & multò plures in Christo. Deinde differunt, quia D. Thomas asserit de illis, quòd species, quæ repræsentant obiectum secundùm existentiam, sunt intuitiuæ; Scotus verò quòd sint abstractiuæ, quia eodem modo repræsentant illud, siue actualiter existat, siue non. vnde de ratione speciei intuitiuæ est quòd respiciat obiectum, taliter vt existens actualiter seu vt præsens, quod ad absentiam ipsius, euanescat species, vt infrà dicitur.

15. His ergo præhabitis faciliter probatur conclusio, quia si species est per se infusa, ex eo quòd viribus propriis non possit ab obiecto acquiri, quia obiectum est super naturam, vt videtur dicendum in sententia D. Thomæ, vel si est per se infusa, quia licèt possit ab obiecto haberi naturaliter aliqua species, non tamen hæc, nam hæc vt hæc propter suam perfectionem postulat solùm agens supernaturale, vt supernaturale, vt dicendum est necessariò in sententia Scoti, optimè sequitur, quòd cùm Christus plura obiecta in proprio genere cognouerit, à quibus, vel virtute propriâ non potuit habere species, vel si potuit, non verò talis naturæ, & perfectionis, sicut has, quæ solùm postulant à Deo produci, quòd talis cognitio & scientia sit per se infusa. Et confirmatur, quia hæc scientia debebatur Christo, vtpote præcipua, tamquam præcipuo Doctori omnium, & Magistro; ergo, &c.

Sed dices: Quænam est perfectio tanta harum specierum per se infusarum Christi, quæ nequeat attingi à virtute angelica? Et respondeo quòd est quædam virtus ita viuax & penetratiua obiecti, quod multò magis participat de perfectione scientiæ comprehensiuæ Dei, quàm quælibet species Angelorum, ita vt vel faciat ipsas inter se differre specie, vel ad minus indiuiduo. 16.

Ad rationem dubitandi pro parte contraria respondetur, quòd potentia obedientialis non solùm est capax vt actuetur per scientiam beatam, sed etiam per scientiam per se infusam. Ad primam confirmationem dico, quòd non habet Christus notitiam requisitam ad suam perfectionem per solam scientiam beatam & acquisitam, quia ad eius excellentiam spectat habere omnes scientias sibi possibiles, & scire res omnibus modis sibi possibilibus, nam *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & ipse omnia nouit,* &c. 17.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd etiamsi in sententia Scoti circa omnia obiecta possit esse scientia per se acquisita, vt patet in 4. d. 10. q. 8. *§. respondeo ad quæstionem,* vbi ait, quòd supposita existentia entis, etiam quoad substantiam supernaturalis, potest Angelus, & in statu separationis homo, per intellectum agentem naturaliter acquirere speciem & cognitionem illius. vnde nullum obiectum crea- 18.

creatum excluditur à cognitione naturali, tamen in eius sententia etiam potest esse scientia per se infusa, non aliter ac circa idem obiectum actus naturalis & supernaturalis. vnde non infertur, quòd si potest habere scientiam acquisitam, quòd non possit habere scientiam per se infusam, quia vtramque potest habere.

19. Inquires pro complemento quæstionis, quantæ certitudinis sit nostra sententia. Medin. in 3. p. 9. art. 6. notat temeritatis censura illam in Christo negantes. Sed meritò reprehenditur à Suare vbi suprà, tum propter auctoritatem Auctorum quos retulimus, qui videntur contrariam sentire sententiam, tum quia nullum est testimonium S. Scripturæ & Patrum, quòd multùm vrgeat, præsertim si admittatur ab instanti conceptionis scientia per accidens infusa, quare nostra sententia solùm est magis probabilis, & magis vera.

QVÆSTIO IV.

De obiectis scientiæ per se infusæ, quæ fuit in anima Christi.

1. DVæ sunt differentiæ obiectorum de quibus in præsenti disputatur, an cognoscantur à Christo per scientiam per se infusam; quædam enim sunt obiecta increata, vt diuina Essentia, & eius personalitates; quædam verò creata, quorum aliqua sunt materialia, quæ sensibus exterioribus cognoscuntur; aliqua immaterialia: hæc autem diuiduntur in naturalia, vt Angeli, & animæ separatæ, vel corpori glorioso coniunctæ; & in supernaturalia, vt mysteria gratiæ: v. g. gratia habitualis, præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, vnio hypostatica, &c. quæ omnia non dependent à sensibus. Rursus hæc omnia considerari possunt, vel vt habent esse necessarium, vel vt habent esse contingens, item vt habent esse actuale, vel vt esse possibile, sed vt de singulis distinctè tractemus diuidam Quæstionem in Partes.

PARS PRIMA.

Vtrùm Christus per scientiam per se infusam nouerit obiectum increatum?

TRia sunt in præsenti disputanda. 2.
Primum, An per hanc scientiam Christus cognouerit Deum vt vnum, quantùm ad an est? Secundum, An cognouerit vt trinum, etiam quantùm ad an est? Tertium, Vtrùm cognouerit vt vnum, & trinum, quantùm ad quid est? Et quidem quantum ad primum conueniunt omnes Christum cognouisse per scientiam per se infusam euidenter abstractiuè Deum vt vnum, quantùm ad an est. Ratio est clara, quia ex effectibus cognitis per hanc scientiam colligitur euidenter, quòd detur aliquod vnum principium eorum; ergo cognoscitur Deus vt vnus, auctor naturæ & gratiæ, quare vt sic cognitus potest etiam amari amore supernaturali, vt diximus disput. 14. de merito, quæst. 1. parte 1.

Quod ergo controuertitur circa hoc 3.
est, An hæc cognitio Dei vt vnius habita sit per ipsam scientiam per se infusam formaliter? Et procedit difficultas de hac cognitione deducta ex effectibus, non de alia clara & immediata, quæ potest haberi, Dei vt vnius, sicut Dei vt trini per speciem abstractiuam, vt infrà dicam. Negat Vasquez disp. 53. Siluius 3. p. q. 11. art. 1. Gaspar Hurtado de Incarnatione disp. 8. difficult. 11. Fundamentum est, quia cognitio infusa est, quæ habetur immediatè per species per se infusas, & non est discursiua, sed cognitio habita per effectus Dei vt vnius, habetur per mediatas, & per discursum; ergo, &c. Affirmant verò Suarez, Aluarez, Raguza, Becanus posteà citandi, quorum sententia mihi videtur verior. Fundamentum est, quia hæc cognitio habetur per cognitionem per se infusam creaturarum; ergo formaliter est per se infusa. Et confirmatur, quia scientia per se infusa est discursiua, vt probabo infrà, dum quæstione 16. agam de actu scientiæ per se infusæ, & per hoc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Quantum ad secundum, An Christus 4.
cogno-

cognouerit per hanc scientiam Deum vt trinum, quantùm ad an est, prima sententia negat. ita Vasquez vbi suprà, Lorca disput. 50. Hurtado diff. 12. citantque D. Thomam quæst. 11. art. 1. & 1. p. q. 32. art. 1. vbi potiùs videtur negare cognitionem claram quoad quid est. Probatur hæc sententia primò, quia creaturæ non dicunt connexionem per se cum Deo vt trino, sed tantùm per accidens, quia possent esse effectus illius, etiamsi non esset trinus, sed solùm vnus, sed effectus non ducit in cognitionem causæ per accidens, sed causæ per se; ergo.

5. Secundò probatur, quia aut hæc cognitio Dei vt trini esset obscura, & hoc non, quia non compatitur cum visione beata in Christo circa idem obiectum; aut esset clara, & hoc non, quia cognitio clara præter beatificam, aut habetur per speciem impressam Trinitatis, quam Scotus admittit, & hæc non datur (vt probant inferiùs) insuper si daretur, non solùm cognosceretur Trinitas quãtùm ad an est, sed etiam quantùm ad quid est; aut habetur per cognitionem alicuius creaturæ, quæ dicat connexionem per se cum Deo vt trino, vt visio beata, actus fidei, quo creditur Deus vt trinus, &c. & hoc non, quia hæc connexio non est effectus ad causam, aut è contrà, & sic nequit euidenter cognosci, nam euidens cognitio solùm reperitur in cognitione *quia*, vel in cognitione *propter quid*; aut esset clara per euidentiam in attestante, & hoc non, quia ex euidentia in attestante non habetur euidentia rei testificatæ; ergo nullo modo cognouit Christus per scientiam per se infusam Trinitatem, quantùm ad an est.

6. Secunda & vera sententia affirmat, quòd anima Christi cognouerit clarè per hanc sciẽtiam per se infusam Deum vt trinum, quantùm ad an est. ita tenent Caietanus & Medina quæst. 11. art. 1. Suarez disp. 27. Aluarez disp. 52. Raguza disp. 54. Becanus cap. 9. quæst. 3. Sed diuersimodè probatur à diuersis: aliqui enim probant ex eo quòd creaturæ dicant ordinem ad Trinitatem, quia actiones & effectus illius sunt suppositorum; sed hæc sententia nulla est, quia etiamsi Deus non esset trinus, creaturæ eodem modo producerentur ab illo: alij verò ex eo quòd ex euidentia in attestante colligitur euidentia rei, sed similiter hæc probatio est falsa, quia reuelatio Dei non est productio specierum propriarum & quidditatiuarum rei reuelatæ, sicut locutio nostra solùm est præsentatio specierum alienarum, quibus communiter vtimur ad cognoscendas illas res, quæ nobis dicuntur. Idem dico de locutione Angelorum, sed reuelatio Dei est productio specierum, quibus communiter vtuntur illi, quibus reuelat, siue Angeli, siue homines sint, vt docet Scotus in 4. d. 1. quæst. 5. §. *contra opinionem istam*, litt. B. quare ex eo quòd sit euidentia, quod Deus reuelat, non habetur euidentia rei in se, neque similiter potest deduci, quia etiamsi deducatur quòd non sit falsitas & mendacium in eo quod Deus dicit, tamen propter hoc non cognoscitur clarè res ipsa reuelata in se.

Sic ergo probanda est hæc sententia cum Suare, & aliis, quia per hanc scientiam potest cognosci visio beata; ergo & mysterium Trinitatis quantùm ad an est (addo ego, imò & quantùm ad quid est) Hanc igitur probationem sic declaro & confirmo, quia licèt verum sit quòd visio beata vt cognita non sit ratio repræsentandi suum obiectum intellectui in quo non inest, benè tamen intellectui cui inest; ergo potuit Christus Dominus habere speciem impressam suæ visionis, & per actum reflexum cognoscere immediatè suam visionem, & mediatè Trinitatem in se, vel etiam immediatè ipsam Trinitatem vt repræsentata erat, & relucebat in ipsa visione illam repræsentante. Et confirmatur quadam doctrinâ Scoti in prædicto 3. Sententiarum d. 14. q. 3. §. *ad quæstionem*, litt. C, vbi sicut admittit in memoria actum recordationis, qui habeat pro obiecto immediato cognitionem præteritam, & pro obiecto mediato illud obiectum, quod fuit obiectum cognitionis præteritæ, ita hoc idem admittit in intellectu, loquendo de cognitione intuitiua perfecta, quæ est circa obiectum præsens, & de intuitiua imperfecta, quæ post perfectam sequitur circa idem obiectum iam absens, quòd hæc secunda repræsentat primam & obiectum eius, & hoc ipsum tenet loquendo in 2. d. 3. quæst. 9. de 7.

illa

illa cognitione Trinitatis, quæ derelicta est in D. Paulo, quia recordabatur visionis Dei præteritæ, quam habuit in tertio cælo; ergo etiam secundùm doctrinam Scoti debemus dicere, quòd Christus potuit habere cognitionem claram mysterij Trinitatis, quantùm ad an est, imò & quantùm ad quid est per hanc scientiam, quod de facto habuit, siquidem hoc cedit in excellentiam ipsius.

8. Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur. Ad primum concedo totum, quòd Trinitas non cognoscitur per relationem creaturæ ad Creatorem. Ad secundum concedo similiter, quòd hæc cognitio non sit obscura, sed clara, & quòd non habeatur per illos modos, quos ibi refert & refutat (supersedeo modò à specie impressa Trinitatis, quia de hac statim fuit disputatio) nego tamen quòd non habeatur per speciem repræsentatiuam visionis, quia hæc potest à Deo infundi, & per actum reflexum, quo repræsentetur ipsa visio, potest Trinitas visa cognosci; hæc autem cognitio reflexa non est demonstratio *quia*, vel *propter quid*, sed cognitio quasi intuitiua, quæ cognoscit contentum, scilicet Trinitatem in continente, scilicet in visione. Dices: Supposità visione iam existente in intellectu Christi naturaliter potest habere speciem illius, quia in doctrina Scoti super citata, cuiuscumque entis, etiam supernaturalis potest haberi cognitio naturalis, quia viribus intellectus agentis Angeli, vel hominis in statu glorioso, aut separationis potest ab obiecto accipere speciem impressam. Neque obstat solutio, quòd Scotus ibi secludit obiecta supernaturalia, quæ intrinsecè includunt ordinem ad aliquod increatum, vt visio beata includit, quia dicimus quòd supposità cognitione obiecti increati eodem modo se habet obiectum cum ordine ad increatum ad hoc vt cognoscatur, nam ex eo non poterat cognosci, quia non cognoscebatur terminus ordinis, seu relationis, semel autem cognito termino iam relinquitur cognoscibilis ille ordo, & consequenter obiectum cum ordine ad illud increatum. Respondeo ergo concedendo, quòd possit haberi naturaliter species impressa, & cognitio visionis, etiam prout in actu secundo refertur ad Trinitatem; nego tamen sequelam, quia iuxta supradicta, quæstione antecedenti, etiam circa obiectum naturaliter cognoscibile potest dari species per se infusa, quæ nequeat, nisi à Deo produci.

Quantùm ad tertium, An Christus clarè cognouerit Trinitatem quoad quid est per hanc scientiam per se infusam. communiter tenetur pars negatiua à Thomistis. videantur Vasquez & Hurtado vbi suprà. Fundamentum est, quia vel non datur species infusa clarè & quidditatiuè repræsentans Trinitatem; vel si datur, non est abstractiua, neque distincta ab intuitiua, per quam videtur beatificè Trinitas. Ratio est, quia Deus semper & vbique est præsens realiter per essentiam, præsentiam, & potentiam; ergo non requiritur species impressa, quæ solùm est vicaria obiecti, & substituit quando obiectum non adest, vel si datur species talis, cùm non solùm repræsentet Essentiam, sed etiam præsentiam realem Dei, non poterit esse abstractiua. Confirmatur & declaratur ampliùs, quia ad cognitionem intuitiuam duo requiruntur (idem dico de specie impressa intuitiua) primum, quòd per eam repræsentetur obiectum vt existens, & præsens realiter. Secundum, quòd ipsum obiectum sit non solùm præsens potentiæ in specie intentionandi, sed etiam realiter, & in seipso, sed hoc totum reperitur in cognitione per speciem abstractiuam Trinitatis, quia non solùm est præsens Trinitas in specie intẽtionaliter, sed etiam in seipsa realiter propter suam immensitatem; ergo si datur talis species, tam ipsa, quàm cognitio producta ab ipsa, non differunt ab intuitiua. 9.

Secunda & vera sententia communis inter Scotistas admittit speciem impressam clarè & quidditatiuè, insuper & abstractiuè repræsentatiuam Trinitatis. vnde Scotus in 2. d. 3. q. 9. illam concedit in Angelis in statu viæ, imò insinuat esse in primo parente in statu innocentiæ, licèt magis remissam. 10.

Quare consequenter est nobis dicendum, quòd detur in Christo Domino, & quòd per eam cognouerit mysterium Trinitatis quoad quid est; & notanter dico *per eam*, quia existimo, quòd 11.

quòd Thomiſtæ, qui nobiſcum admittunt in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam circa Trinitatem quantùm ad an eſt, ex eo quòd eam cognouerit actu reflexo in viſione beata, non loquuntur conſequenter modò negantes in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam circa Trinitatem quoad quid eſt, quia in viſione beata non ſolùm relucet & repræſentatur Trinitas quoad an eſt, ſed etiam quoad quid eſt; ſed modò ſolùm eſt nobis agendum de cognitione immediata habita per hanc ſpeciem abſtractiuam, & ſic probatur ſententia, quia hæc ſpecies, & cognitio non repugnant, quòd dentur in Chriſto. inſuper eſt congruens excellentia illam habere; ergo, &c.

12. Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondeo negando, quòd non detur ſpecies abſtractiua Trinitatis. Ad probationem dico, quòd duplex eſt præſentia in Deo, ſicut in quolibet obiecto, vna realis, quam habet in ſe, & eſt vnum ex eius attributis, ſcilicet immenſitas; alia intentionalis, quam habet in ipſa ſpecie impreſſa, & propter hanc ponitur talis ſpecies abſtractiua, & eodem modo ſe habet, ſiue obiectum adſit, ſiue non adſit. vnde per accidens eſt illi quòd Deus ſemper adſit, ſicut per accidens eſt etiam ſpeciebus abſtractiuis aliorum obiectorum, quòd obiecta ſint præſentia. Maior eſt difficultas quomodo ſpecies hæc ſit diſtincta à ſpecie intuitiua Trinitatis.

13. Ad hoc reſpondent aliqui in eo diſtingui, quòd ſpecies intuitiua repræſentat Trinitatem vt præſentialiter exiſtentem, & ſic terminatur ad eius exiſtentiam & præſentiam: at verò ſpecies abſtractiua ſolùm terminatur ad eſſentiam, non verò ad eſſentiam vt exiſtentem & præſentem. Sed contrà, quia exiſtentia & præſentia obiecti etiam cognoſcitur abſtractiuè (Aduerſariis etiam cõcedentibus) vt quando Compluti cognoſco exiſtentiam & præſentiam alicuius hominis, quem vidi Madriti; imò ſi adirem Madritum, hæc cognitio abſtractiua perſeueraret, obiecto etiam præſente realiter intra ſphæram potentiæ potentis intueri, quia non repugnat vt ſimul ſit cum cognitione intuitiua, vt poſteà oſtendam. vnde Scotus in 2. d. 3. quæſt. 11. *§. reſpondeo*, verſ. *tertiò dico*, & quolib. 7. *§. ſecunda concluſio*, & quolib. 13. art. 2. *§. circa ſecundam* concedit cognitionem abſtractiuam circa obiectum etiam exiſtens & præſens potentiæ. Ideò ſecundò reſpondent alij non dari ſpeciem intuitiuam, per quam viſio beatifica cauſetur, quia de ratione cognitionis intuitiuæ eſt, quòd immediatè cauſetur ab ipſo obiecto, & in hoc diſtingui à cognitione abſtractiua, quòd hæc cauſatur à ſola ſpecie, etiamſi obiectum aliàs præſentialiter exiſtat coram potentia. ita videtur docere Scotus in 2. diſt. 5. quæſt. 11. *§. reſpondeo*, & diſt. 9. q. 2. ad 3. & in 3. diſt. 14. q. 3. *§. ad quæſt.* verſ. *& ſi dicatur*; & in 4. diſt. 45. q. 2. *§. ad quæſt.* & diſt. 49. q. 11. *§. reſpondeo*, verſ. *prætereà*. Et probat, quia impoſſibile eſt, quòd cognitio intuitiua habeatur per aliquod eodem modo ſe habens, ſiue obiectum exiſtat, ſiue non, ſed ſic ſe habet cognitio habita per ſpeciem; ergo intuitiua cognitio non habetur per ſpeciem, ſed per obiectum.

14. Sed contrà, quia Scotus non negauit, quòd cognitio intuitiua poſſit fieri per ſpeciem impreſſam obiecti. Primò, quia vbicumque docet & admittit cognitionem ſenſuum externorum, docet & admittit fieri per ſpeciem impreſſam. ita habet in 1. diſt. 5. quæſt. 6. aliàs 7. *§. contra iſtam opinionem*, & quæſt. 7. aliàs 8. *§. concluſio iſtarum*, verſ. *ſed contra ſecundam*; & in 2. diſt. 9. q. 2. *§. ad quæſt.* verſ. *poſt hæc tria*, & diſt. 13. q. vnica per totam; & in 4. diſt. 44. q. 3. quòd autem cognitio ſenſuum ſit maximè intuitiua habet in 2. diſt. 3. q. 9. *§. ad quæſtionem*, vbi etiam habet, quòd prima cognitio, quam intellectus habet de aliquo ſenſibili, ſit intuitiua illius, & per ſpeciem impreſſam deductam ab intellectu agente & phantaſmate, & idem dicit quolibet 15. & in aliis locis. Prætereà ſecundò, quia Scotus numquam negauit ſpeciem impreſſam ad viſionem beatam propter eius impoſſibilitatem (quod erat propriiſſimum medium ad eam excludendam) ſed propter eius ſuperfluitatem. legatur in 4. diſt. 49. quæſt. 11. *§. reſpondeo*, verſ. *prætereà viſio*.

15. Reſpondeo ergo ad prædictam doctrinam ſecundæ concluſionis cum Smi-

Smising lib. de Deo vt vno, tract. 2. disp. 6. quæst. 2. num. 13. quòd in prioribus locis Scotus loquitur de specie impressâ, quæ nata sit æquè, & eodem modo manere absente, ac præsente obiecto, & de hac probat illud argumentum ibi factum à Scoto, & optimè negat per eam fieri cognitionem intuitiuam, quia hæc ita debet pendere à præsentia obiecti, quòd ipsâ deficiente, etiam cognitio intuitiua deficiat, quare species intuitiua petit connaturaliter vt producatur ab ipso obiecto vt præsenti, & petit dependere ab illo in fieri & conseruari.

16. Per hæc patet ad argumentum contrariæ sententiæ, & dico quòd species ista abstractiua Trinitatis, licèt repræsentet illam & præsentiam eius, tamen ex natura sua, & connaturali modo suæ productionis non petit produci ab obiecto vt præsenti, neque ita alligatur eius præsentiæ, quòd si hæc deficeret, species etiam deficeret, sicut contingit in intuitiua, quia eodem modo perseuerat species abstractiua, siue obiectum sit præsens, siue non. Dices: Si Deus deficeret, etiam illa species deficeret. Sed respondeo quòd hanc dependentiam habet secundùm rationem communem creaturæ, non verò secundùm rationem specificam speciei impressæ abstractiuæ; modò autem loquimur de hac ratione specifica, per quam differt à specie intuitiua.

17. Ad confirmationem concedo, quòd requirantur ad speciem intuitiuam illæ duæ conditiones, sed illa secunda conditio taliter debet intelligi, quòd obiectum non solùm sit præsens intentionaliter in specie, & realiter in seipso, sed etiam quòd taliter se habeat species intuitiua dependenter ab hac præsentia, quòd ipsâ deficiente, etiam deficiat. vnde Scotus in quolibet 13. citato, & in aliis locis in cognitione abstractiua solùm admittit in ordine ad suum obiectum relationem, quę dicitur mensuræ & mensurabilis, & in intuitiua præter hanc relationem requirit relationem actualis dependentiæ.

18. Dico ergo quòd etiamsi Trinitas vt pręsens denominetur cognita per cognitionem causatam per hanc speciem abstractiuam, & sic secundùm realem præsentiam terminet illam, tamen hoc conuenit illi de per accidens, quia si per impossibile hæc præsentia realis desineret esse in obiecto, adhuc perseueraret illa species abstractiua, & repræsentaret Trinitatem, & præsentiam eius secundùm quod relucet intentionaliter in ipsa specie, imò hoc videtur fuisse de facto in specie impressâ D. Pauli, quâ recordabatur illius, quòd vidisset, non tamen videbat.

Sed obiicies: Ergo de ratione cognitionis abstractiuæ est, quòd cognoscatur obiectum, non præsentialiter existens; ergo nequit stare cum cognitione intuitiua circa idem obiectum. patet consequentia, quia de ratione huius est, quòd per eam cognoscatur obiectum vt præsentialiter existens. Et confirmatur exemplo, quia ex eo repugnant simul in eodem intellectu actus fidei, & actus visionis circa idem obiectum; nam cùm de ratione fidei sit respicere obiectum non apparens, sed obscurum, eo ipso non potest respici per visionem, quia per hanc apparet obiectum, cùm sit clara; ergo similiter eo ipso quòd obiectum sit præsens intuitioni, non potest esse non pręsens abstractiuæ cognitioni. 19.

Ad obiectionem respondeo quòd non repugnat cognitioni abstractiuæ, quòd obiectum præsentialiter existat; imò quando sic existit, sic cognoscitur, sed ratio eius intrinseca hanc præsentiam non petit, sicut petit cognitio intuitiua. vnde nego quòd non possit simul stare cum cognitione intuitiua, quia aliud est, quòd intrinsecè non petat præsentiam obiecti; aliud verò, quòd repugnet talis præsentia illi; homo enim intrinsecè non petit albedinem, tamen albedo non repugnat illi. Ad confirmationem respondeo disparem esse rationem, quia fides in intrinseca ratione inuolutam habet priuationem apparentiæ obiecti; quare in instanti, quo obiectum incipit clarescere, & apparere per visionem, in eodem instanti desinit esse obiectum fidei, quia ad hoc debet esse non apparens, & non apparentia est conditio obiectiua requisita ex parte ipsius, respectu eiusdem intellectus; tamen cognitio abstractiua non petit quòd obiectum sit priuatum præsentiâ reali, sed 20.

solùm petit illud cognoscere, etiamsi priuatum sit tali præsentiâ. vnde Scotus admittit cognitionem intuitiuam, & abstractiuam esse simul, & circa idem obiectum. ita habet in 2. d. 3. q. 9. *§. ad quæstionem*, litt. G, & clariùs quolib. 13. art. 2. *§. circa secundum in responsione ad 2. argumentum*, & sententia communis inter Recentiores.

21. Sed inquires quare cùm species abstractiua Trinitatis repræsentet omnia (etiam existentiam, & præsentiam) quæ repræsentat intuitiua, hæc intuitiua per se dependeat secundùm rationem specificam à præsentia obiecti, illa verò non, siquidem vtraque dependet in fieri, & conseruari à voluntate Dei, quæ est sententia Scoti in 1. dist. 33. quæst. vnicâ, & quolibet 24. *§. hic intelligendum*, vbi probat quòd Essentia diuina non mouet secundùm se, sed vt voluntas, itaque ex parte efficientis conueniunt, & ex parte Trinitatis, quæ est obiectum idem ipsum repræsentant. quare hæc dependet per se à præsentia obiecti, illa non. Respondeo quòd cùm Deus sit auctor naturarum etiam earum, quæ respiciunt ipsum vt obiectum, sic voluit has species cum diuersis dependentiis creare, licèt enim nulla creatura possit subterfugere dependentiam per se à Deo, tamquam à causa efficienti, tamen tamquam à causa obiectiua non implicat subterfugere dependentiam efficientem, vt tenentem se ex illa parte obiecti, quas dependentias ipsæ naturæ specierum intrinsecè conseruant. vnde huius rei non potest reddi alia ratio à priori, nisi quia hæc species est hæc, & illa illa.

22. Neque video quòd contradicta possit obiici, nisi quod aliqui asserunt, scilicet quòd prædicta species Trinitatis non sit supernaturalis quoad substantiam, quia Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. *§. ad quæstionem*, litt. T, illam adstruit ad hoc quòd Angelus habeat beatitudinem naturalem; ergo nequit esse per se infusa. Sed ad hoc respondeo primò, quòd possit in Christo admitti alia species abstractiua Trinitatis distincta in specie ab illa, quam Scotus admittit in Angelo

23. Sed secundò respondeo quòd ibidem litt. D ipse Scotus se explicat, & dicit, quòd talis species est naturalis, primò quia est vna ex perfectionibus, quæ datæ sũt Angelo in prima sui creatione. 2. quia non computatur inter habitus, qui pertinent vel ad ordinem gratiæ, quales sunt fides, spes & charitas, religio, & reliquæ virtutes morales; vel ad ordinem gloriæ, quales sunt lumen gloriæ, charitas, &c. 3. quia per hanc speciem est in potestate naturali intellectus vti eâ circa obiectum voluntarium, videatur *§. ad rationes principales*, litt. Q. Propter hæc enim asserit, quòd species prædicta constituit beatitudinem Angeli naturalem; tamen ibidem expressè affirmat, quòd sit supernaturalis, primò quia ad eam habendam non est virtus in intellectu Angeli. 2. quia neque aliquâ actione naturali potest haberi, ita habet litt. C. & tandem 3. quia postulat produci à causa supernaturali, & supernaturaliter agenti. ita habetur *§. ad rationes* ante & post litteram O, quare necessariò talis species debet esse in doctrina Scoti naturalis extrinsecè, & supernaturaliter intrinsecè, & quoad substantiam, vtpote quia non exigitur ab aliquo principio physico naturali, neque produci potest per aliquam actionem naturalem, sed non solùm debet produci ab aliquo agente supernaturali, sed etiam per aliquam actionem supernaturalem, ex quo desumitur supernaturalitas quoad substantiam ex Scoto in prologo q. 1. *§. ad quæstionem*, & in 1. dist. 10. q. 8. *§. ad quæst.* neque enim in tali productione speciei supplet aliquod principium physicum Deus, sed supplet in restitutione visus, quæ est supernaturalis quoad modum, neque attendit ad aliquam physicam exigentiam, sicut attendit in creatione animæ rationalis, quæ est naturalis quoad substantiam, aliàs semper maneret violenta natura Angeli, imò & natura hominis absque illa specie, sicut corpus maneret dum est vltimâ organizatione dispositum absque anima, de cuius animæ creatione nullus dicet quòd sit supernaturalis, neque ab agente supernaturali, sicut Scotus dixit de specie illa, sed omnes dicunt quòd sit omnino naturalis & creata à Deo tamquam ab auctore naturæ.

PARS SECVNDA.

Vtrùm Christus per hanc scientiam nouerit obiecta sensibilia & materialia?

24. INter obiecta creata primò venit disputandum de scientia propriè infusa circa obiectum materiale. Circa quod prima sententia negat, quòd Christus per hanc scientiam cognouerit obiectum sensibile & materiale. ita Durandus in 3. d. 14. q. 4. Pytig. q. 3. art. 1. Faber disp. 36. & tribuitur Scoto q. 3. ex eo quod §. *contra conclusionem*, ait, quòd scientia per se acquisita & infusa circa idem obiectum sunt eiusdem speciei. vnde inferunt ergo secùdùm Scotum, Non datur scientia per se infusa circa obiectum, circa quod datur per se acquisita, quia istæ sunt distinctæ in specie.

25. Sed non attendunt prædicti Auctores, quod ibi Scotus loquitur, & arguit ex dictis opinantis, vt ibi expressè habet; id est, ex dictis D. Thomæ, & arguendo ad hominem; nam S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. & 2. & q. 100. art. 10. & sæpè alibi negat actum naturalem, id est viribus naturæ acquisitum; & actum supernaturalem, id est, à viribus à solo Deo habitis circa idem obiectum, quia non possent non esse eiusdem speciei, cùm sint circa idem obiectum. Et ex hoc desumit argumentum Scoti, quia si circa idem obiectum daretur scientia per se infusa, & per se acquisita essent ex mente D. Thomæ eiusdem speciei, & consequenter duo accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto, quod etiam negat D. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. & pro maiori claritate huius obiectionis Scoti, ipse Scotus replicat pro D. Thoma, quòd prædictæ cognitiones non sint numero, sed specie distinctæ, sicut cognitio matutina & vespertina circa idem obiectum, quam replicam impugnat Scotus, quia tunc sequeretur quòd solùm differrent (intellige in sentētia D. Thomæ) in specie per ordinem ad causas efficientes, sed talis ordo solùm attentus vt sic, tantùm causat distinctionem numericam, sicut homo genitus, homo creatus; ergo semper perseuerat primum argumentum cōtra D. Thomam, quòd differant vt duo accidentia eiusdem speciei, & sint in eodem subiecto.

Cuiuscumque autem sit hæc sententia probatur, quia species obiecti materialis & sensibilis potest viribus naturæ acquiri ab homine, & ab Angelo; ergo circa illud species impressa non potest esse per se infusa, sed per accidens. Et confirmatur primò, quia si circa obiectum naturale posset dari species per se infusa, posset similiter dari per accidens infusa, seu per se acquisita, seu acquisibilis circa obiectum supernaturale, sed hoc repugnat; ergo & illud. Et confirmatur secundò, quia si daretur species per se infusa circa obiectum materiale non apparet, quomodo distinguatur in specie à specie impressa per se acquisita, & à specie impressa per accidens infusa, quæ species etiam debent dari circa illud. 26.

Secunda & vera sententia concedit, quòd Christus Dominus cognouerit obiecta materialia etiam per scientiam per se infusam. ita D. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. & reliqui Thomistæ ibidem, Suarez disp. 27. sect. 1. Vasquez disp. 53. cap. 2. & absolutè est de mente Scoti in 3. d. 14. q. 3. §. *ad quæst.* tum quia ibi indistinctè concedit in Christo cognitionem abstractiuam cuiuscumq; quidditatis, & vniuersalis intelligibilis, & vt suprà diximus, loquitur de cognitione per se infusa (imò conueniunt nobiscum in hoc suprà citati Scotistæ, loquendo circa alia obiecta naturalia, vt infrà dicemus) certum est autem quòd obiecta materialia & sensibilia etiam sunt intelligibilia, tum quia loquendo de cognitione intuitiua (vers. *loquendo tamen*) ponit exemplum in sessione Petri. Ex quo sic argumentor, de eo concedit Scotus cognitionem abstractiuam, de quo negat intuitiuam, vt patet ex contextu, sed de sessione Petri negat cognitionem intuitiuam infusam; ergo de illa concedit abstractiuam infusam, sed sessio Petri est obiectum materiale & sensibile; ergo Scotus de obiecto materiali & sensibili concedit scientiam abstractiuam infusam, quæ ex aliis dictis à Scoto iam suprà relatis est per se infusa. 27.

Hæc sentētia probatur primò: Christus Dominus à primo instanti suæ con- 28.

conceptionis cognouit abstractiuè hæc obiecta materialia & sensibilia, non solùm multò perfectiùs, quàm alius homo posset cognoscere, sed etiam per species multò perfectiores, quàm Angelus etiam supremus (legite Scotum quæstione 4. breuissimâ) ergo per species per se infusas. Probo consequentiam, quia species per accidens infusæ Christi non possent esse multò perfectiores, quàm species per se acquisitæ Angelorum, nisi intellectui agenti angelico inferretur à Deo violentia in eo quòd non eliceret & hauriret ab obiecto ita perfectas species vt postulat sua virtus naturalis, sed hanc violentiam Deus perpetuò non facit, quia nullum violentum est perpetuum; ergo vt species Christi sint magis perfectæ, quàm species hauribiles ab Angelo etiam supremo, debemus dicere esse per se infusas. Addo hoc esse verum, etiamsi Angelus habuerit species per se infusas circa eadem obiecta, quia comparatio non fit cum illis, sed cum acquisitis, quas habuit, vel potuit habere. antecedens autem patet ex eo quòd cùm Christus ab illo instanti fuerit omnium Doctor Angelorum, & hominum Magister supremus, debuit habere scientiam multò perfectiorem illis.

29. Secundò probatur, quia scientiæ in specie diuersæ non repugnant in eodem intellectu, etiamsi sint circa idem obiectum, vt patet in cognitione matutina & vespertina. Insuper est necessarium secundùm omnes quòd reperiantur de facto in intellectu Christi, tamquam in supremo Magistro & Doctore; ergo circa obiectum materiale non solùm habuit scientiam per se acquisitam, sed etiam habuit scientiam per se infusam.

30. Ad fundamentum primæ sententiæ respondeo, quòd illa species, quæ in Christo fuit per se infusa, licèt sit circa obiectum materiale, non potuit viribus naturæ acquiri, licèt alia posset, quia hæc species per se infusa petit per se infundi à Deo, non quomodocumq; agenti, sed agenti vt Auctore supernaturali. vnde Scotus in 4.d.49.quæst.12. & quolibet 13. art. 2. etiam distinguit scientias in specie per ordinem ad efficiens, hoc est per diuersam in specie efficientiam in ordine ad idem obiectum, An autem prædicta distinctio in ordine ad efficiens sit à priori, vel sit à posteriori propter aliquod scilicet intrinsecum prædicatum non petitum ab obiecto, sed à modo tendendi, quòd postulet efficiens supernaturale non curo pro nunc. legatur Smising tract. 2. disput.6. quæst.1. n.6. & 7. quare Scotus in 3. iam citato *§.contra conclusionem*, vbi solùm colligit distinctionem numericam in ordine ad efficiens, est ex dictis D. Thomæ, quia si ex sola distinctione specifica obiecti est venanda distinctio specifica scientiarum, vt inquit D. Thomas, vbi hæc non intercedit solùm inuenietur distinctio numerica per ordinem ad efficiens in eius sententia.

Ad primam confirmationem distinguo sequelam, vel loquitur de obiecto supernaturali non includendo ordinem ad aliquod increatum, & vt sic concedo quòd possit dari species per se acquisita, & consequenter per accidens infusa circa obiectum supernaturale, quia in sententia Scoti in 4. d.10. q. 8. *§. ad argumenta*, litt. R, semel existente obiecto supernaturali, v. g. præsentia Corporis Christi in Eucharistia, gratiâ iustificante in anima rationali, &c. intellectus agens Angeli & hominis in statu separationis potest viribus propriis abstrahere speciem impressam ab illo, vel loquitur de obiecto supernaturali includente ordinem ad aliquod increatum; & tunc iterùm distinguo, vel illud increatum est aliàs cognitum clarè; & tunc concedo, quòd etiam potest acquiri naturaliter species impressa illius, vt latè dicemus infrà parte sequenti, vel illud increatum non est aliàs clarè cognitum; & tunc nego, quòd possit naturaliter acquiri species, & clarè cognosci cum illo ordine, quia obiectum increatum numquam potest naturaliter notificari; & sic neque per species naturaliter acquisitas, aut acquisibiles. 31.

32. Circa solutionem secundæ confirmationis variant Thomistæ, quia Vasquez disp. 52. cap.2. ait, quòd per species per se infusas cognoscitur obiectum materiale quidditatiuè & sicut est in se, non autem per species acquisitas, aut per accidens infusas, quia per has solùm per effectus & extrinseca accidentia cognoscitur. idem dicit de reliquis

liquis substantiis naturalibus. Sed contrà primò, quia licèt homines in hoc statu propter dependentiam ab organis paucas substantias & quidditates clarè & in se cognoscant, tamen non est illis denegandum absolutè quòd cognoscant naturaliter substantias, & in Adamo & Salomone solùm videtur fuisse scientiam per accidens infusam. Secundò, quia scientia naturâ suâ acquisibilis est hominibus connaturalis, sed hæc est cognitio quidditatum per passiones, & è contrà; ergo. Tertiò, quia saltem Angeli & animæ separatæ possunt naturaliter cognoscere obiecta materialia in se; ergo in illis non distinguerentur species per se infusæ à speciebus per se acquisitis, quod est falsum, quia est id quod intendit inferre prædicta secunda confirmatio.

33. Caietanus verò, & alij respondent, quòd distinguuntur prædictæ species in eo quòd per se infusa est ex illis, quas Deus dat Angelis, & animabus separatis; at verò per se acquisita, aut per accidens infusa est ex illis, quas Deus dat hominibus in hoc statu. quæ differunt primò, quia Angeli non possunt acquirere species per se infusas, benè tamen acquisitas, seu acquisibiles. 2. quòd tam Angeli, quàm homines non possunt vti speciebus per se infusis cum conuersione ad phantasmata, benè tamen acquisitis. 3. quia species per se infusæ sunt vniuersales in repræsentando, & quælibet est ratio repræsentandi plures species reales, & sub illis plura indiuidua, imò & eorum accidentia: secùs verò per species per se acquisibiles, quarum vnaquæque solùm repræsentat suum obiectum, siue vniuersale, siue particulare.

34. Sed contra primam differentiam sic argumentor argumento Scoti in 2. d. 3. q. 11. quia non oportet remouere ab aliqua natura nobiliori, quòd posset acquirere suam perfectionem, si eam non haberet, quam posset acquirere natura minùs nobilis, sed homo potest ab obiecto materiali acquirere species & scientiam; ergo Angelus, qui est nobilior in natura, si eam speciem & scientiam non haberet infusam, posset acquirere; ergo habet intellectum agentem, sicut homo, quo possit acquirere has species, & scientiam. vnde ita tenent Rada 3. p. controuers. 9. art. 3. Faber in 2. disp. 26. & reliqui Scotistæ.

Contra secundam sic argumentor, quòd Angeli, & animæ separatæ non conuertantur ad phantasmata, est quia non habent corpus, neque organa; ergo ex hoc non potest sumi efficiens differentia. Præterea quia homo si habeat species per accidens infusas, non necesse habet, quando vtitur illis, quòd conuertatur ad phantasmata, quia sunt omnino indepēdentes ab illis, & possunt vti nullâ antecedenti habitâ sensatione obiecti, sicut vtebantur Salomon & Adam, etiam circa ea quæ numquam experimento cognouerant. Præterea quia D. Thomas 1. p. q. 89. art. 5. & 6. docet quòd anima separata maneat in alio statu cum eadem scientia habituali, & cum eisdem in numero & specie, speciebus, quas hic acquisiuit, anima autem separata non potest conuerti ad phantasmata. 35.

Contra tertiam sic etiam argumentor argumento Scoti ibidem quæst. 10. quia quodlibet obiectum siue vniuersale, siue particulare, siue sit accidens, siue sit substantia, habet diuersam entitatem; ergo & diuersam intelligibilitatem, sed species impressa debet proportionari & commensurari suo obiecto in esse intelligibili; ergo species, quæ est ratio repræsentandi obiectum vniuersale, non est ratio repræsentandi particulare, & quæ substantiale, non accidentale; ergo etiamsi species per se infusa sit, non est vniuersalis in repræsentando; ergo per hoc non differt à per se acquisita, aut per accidens infusa. 36.

Et confirmatur, quia non datur aliud obiectum præter diuinum, quòd eminenter aut virtualiter contineat entia materialia aut creata; ergo neque datur aliqua species impressa, quæ contineat eminenter aut virtualiter intelligibilitatem eorum, sed de his latiùs in materia de Angelis sit sermo à Scotistis. 37.

His ergo omissis respondeo ad secundam confirmationem, quòd species per se infusæ distinguuntur in specie à per se acquisitis (seu per accidens infusis) sicut distinguuntur cognitio naturalis, & cognitio supernaturalis circa idem obiectum, scilicet ex eo quòd per se infusa ex natura sua petit produci à Deo, vt agenti supernaturali, & super- 38.

natu-

naturaliter agenti, & datur vt scientia habita per eam sit supernaturalis quoad substantiam; at verò per se acquisibilis non petit produci supernaturaliter, quia naturaliter potest haberi, & scientia habita per eam est naturalis, si autem ipsa est per accidens infusa, est solùm supernaturalis quoad modum, quæ differentia latè traditur in materia de gratia, præcipuè à Scotistis; ex quo non solùm debet inferri, quòd circa obiectum supernaturale potest dari cognitio naturalis & supernaturalis quoad substantiam, sed etiam circa obiectum naturale & materiale, & ita de facto contigisse in Christo.

39. Ex his quæ diximus in hac Parte manet soluta alia difficultas, scilicet, An per hanc scientiam per se infusam Christus cognouerit entia immaterialia, & spiritualia naturalia, qualia sunt Angeli, animæ separatæ, &c. Et respõdeo quòd sic propter eamdem rationem fundamentalem nostræ sententiæ. ita tenent omnes Thomistæ, imò & Scotistæ, qui negauerunt scientiam per se infusam circa obiecta materialia, contra quos argumentor primò quia inconsequenter loquuntur, cùm idem sit fundamentum. 2. quia species per se infusa, quam homo in hoc statu haberet de Angelo, aut de anima separata, in alio statu esset per accidens infusa in eorum opinione. Probo cõsequentiam, quia non possunt negare in doctrina communi & Scoti suprà tradita, quòd in alio statu separationis possit homo naturaliter habere cognitionem de Angelo, vel de anima; ergo si circa idem obiectum nõ possunt dari species per se infusa, & per se acquisita, sequeretur quòd circa obiectum hoc spirituale non possit dari species per se infusa, vel quòd si daretur prædicta species transiret de per se infusa ad per accidens infusam, quod est falsum.

PARS TERTIA.

An Christus per hanc scientiam nouerit obiecta supernaturalia?

40. Dvo sunt genera entium supernaturalium, vnum eorum quæ non includunt ordinem ad aliquid increatum, vt gratia habitualis, habitus fidei, &c. aliud eorum quæ prædictum ordinem includunt, vt mysterium Incarnationis, visio beatifica præcipuè in actu secundo, &c.

Circa primum genus conueniunt Scotistæ suprà citati cum Thomistis, & meritò, quòd Christus Dominus habuerit scientiam per se infusam eorum. Fundamentum eorum est, quia de his omnibus non poterat Christus viribus naturæ habere species, sed ad eius excellentiam conueniebat habere scientiam in proprio genere eorum; ergo species, quas habuit ad habendam hanc scientiam, fuerunt per se infusæ. 41.

Sed hoc fundamentum falsum est in sententia Scoti in 4. d. 16. q. 8. *§. ad argumenta*, litt. R, vbi docet, quòd de obiecto supernaturali non includente ordinem ad aliquid increatum, potest viribus naturæ haberi species ab intellectu angelico, & ab anima separata, vel corpori glorioso coniuncta; ergo species horum obiectorum non fuerunt per se, sed per accidens infusæ in Christo, siquidem in eorum sententia circa obiectum circa quod potest esse scientia per se acquisita, non potest esse scientia per se infusa, sed solùm per accidens. Neque obstat, si dicas, quòd anima Christi in hoc statu non fuit corpori glorioso coniuncta, & consequenter neque potuit habere scientiam per se acquisitam circa obiectum supernaturale. Sed contrà, quia licèt hæc doctrina vera sit, tamen ex modo defendendi illam, sequeretur quòd ad minus in transfiguratione, & posteà in resurrectione, quando anima Christi fuit coniuncta corpori glorioso, illæ species circa hæc obiecta, quæ in statu viæ erant per se infusæ, transirent ad esse per accidens infusas, quod est falsum, quia diuersi status non mutant diuersas naturas, cùm quælibet natura sit immutabilis; ergo vel prædictæ species in doctrina Scoti fuerunt per accidens infusæ, vel assignandum est aliud fundamentum pro doctrina Scoti. 42.

Fundamentum ergo pro nostra sententia est idem quod suprà quæstione 3. cum Scoto tradidimus, scilicet quòd in Christo sint assignandæ species ita perfectæ, quæ neque ab homine, neque ab Angelo etiam superiori possint viribus naturæ haberi, vt Christi scientia superet 43.

superet in perfectione omnium scientiam, sed species huius conditionis sunt per se infusæ; ergo per scientiam per se infusam cognouit Christus prædicta obiecta supernaturalia absoluta.

44. Circa secundum genus obiectorum Aluarez disp. 61. Raguza disp. 92. negant quòd Christus per hanc scientiam cognouerit obiecta supernaturalia, quæ includunt ordinem ad aliquid increatum. Fundamentum est, quia habitudo non potest quidditatiuè & quoad quid est cognosci per hanc scientiam, nisi per illam cognoscatur terminus, sed terminus increatus non cognoscitur per hanc scientiam, sed solùm per beatam; ergo. Maior probatur exemplo, quia quomodo potest cognosci, quòd aliqua pictura sit vera imago Cæsaris, nisi alias cognoscatur ipse Cæsar. Minor probatur, quia cognitio relationis inuoluit cognitionem termini; ergo qualis fuerit cognitio relationis, talis debet esse cognitio termini; ergo si illa est per se infusa, & ista similiter debet esse per se infusa.

45. Suarez verò disp. 27. sect. 3. Hurtado disp. 8. diff. 11. affirmant (& meritò) Christum cognouisse per hanc scientiam prædictas creaturas relatas ad aliquid increatum. Fundamentum est, quia licèt in prædictis creaturis sit imbibita talis relatio, & huius cognitio dependeat à cognitione termini, scilicet Dei, tamen earum cognitio intuitiua non est formaliter intuitio Dei, quia Deus est extra totam essentiam earum, & solùm se habet quasi terminus extrinsecus, & sic ad summum solùm requiritur aliqua cognitio clara Dei concomitans, siue hec sit per scientiam beatam, quam omnes admittunt in Christo, siue per speciem, & scientiam abstractiuam, quam admittunt Scotistæ.

46. Addo ego, quòd supposità quacumque cognitione clarâ Dei, & suppositâ existentiâ visionis beatificæ, aut scientiâ abstractiuâ circa obiectum increatum posset Angelus vel homo naturaliter cognoscere in sententia Scoti prædicta obiecta, etiam secundùm relatiuas rationes, quia termino cognito per prædictas cognitiones nihil remanet in obiectis, scilicet mysterio Incarnationis, &c. à quo intellectus agens non possit acquirere species per propriam virtutem, sicut si quis per visionem beatam, aut scientiam per se infusam cognosceret Cæsarem, posset naturaliter cognoscere, quòd aliqua pictura sit vera illius repræsentatio.

Ad fundamentum oppositum concedo maiorem, & nego minorem, tum quia in nostra sententia etiam Christus habuit scientiam per se infusam abstractiuam mysterij Incarnationis, Trinitatis, &c. tum quia licèt non haberet illam, non requiritur per se, quòd cognitio, quæ inuoluitur de termino increato, sit eiusdem rationis cum cognitione, quæ habetur de relatione, quia cùm terminus sit extra totam essentiam relationis, etiam cognitio termini potest esse extra totam cognitionem relationis, licèt prærequiratur ad ipsam, imò sufficeret cognitio clara naturalis termini, si hæc esset dabilis ad habendam cognitionem per se infusam creaturæ supernaturalis, in quantum relatiuæ ad aliquod increatum propter rationem dictam. 47.

PARS QVARTA.

Vtrùm Christus per hanc scientiam cognouerit singularia determinata sub quauis temporis differentia?

Dvplex potest esse scientia, seu cognitio circa singulare existens in aliqua temporis differentia, vna intuitiua, quæ terminatur per se ad existentiam; alia verò abstractiua, quæ per se non petit terminari ad existentiam, & de vtraque concedunt Thomistæ, quòd habeatur à Christo scientia per se infusa circa singulare pro quacumque temporis differentia existens. Fundamentum eorum est, quia species per se infusæ sunt vniuersales in repræsentando, & non solùm repræsentant vniuersalia, sed etiam singularia, & eorum accidentia, sed vnum ex accidentibus est coexistentia temporis; ergo singulare etiam in quacumque coexistentia temporis potuit à Christo cognosci, & consequenter de facto cognouit. 48.

Scotus verò in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem* concedit cognitionem & scientiam infusam abstractiuam circa singularia (intellige etiam existentia pro quacumque temporis differentia, 49.

licèt

licèt non actualiter, sed præsentialiter respectu potentiæ) negat tamen omnem cognitionem intuitiuam tam perfectam, quàm imperfectam circa illam. Hæc sententia est vera, illamque tenent Rada vbi suprà art. 4. Faber disput. 36. & habet duas partes: Prima probatur, quia licèt species per se infusæ non sint vniuersales in repræsentando, vt probauimus parte 2. tamen dari possunt diuersæ species per se infusæ, quarum vna repræsentet singulare existens, & alia præsentiam illius pro tali tempore, sed hæ species eodem modo repræsentant, siue obiectum sit præteritum, præsens, aut futurum; insuper sunt ex illis quas habebat Christus, quæ nequibant produci virtute ipsius naturali; ergo per illas potuit Christus cognoscere singulare sub quauis temporis differentia.

50. Secunda pars probatur ex dictis quæstione antecedenti parte 1. quia cognitio intuitiua in sententia Scoti, est illa, quæ habetur per speciem, quæ connaturaliter petit dependere in fieri & conseruari ab obiecto vt actualiter existenti, & intra sphæram potentiæ præsenti; sed species, quæ connaturaliter petit dependere in fieri & conseruari ab obiecto, non est per se infusa, quia hæc potiùs petit non produci ab illo; ergo cognitio intuitiua, quæ habetur de singulari existenti, non solùm pro quacumque temporis differentia (vt volunt Thomistæ) sed etiam pro tempore præsenti (vt volunt aliqui Scotistæ) non potest esse per se infusa. Ex quo debetis colligere, quòd etiamsi verum sit, quòd Deus possit producere speciem intuitiuam circa obiectum præsens, illa tamen non est per se infusa, neque potest esse, sed solùm per accidens, quia vt diximus ex natura sua semper postulat produci ab obiecto præsenti, & consequenter à causa sola creata, non à sola virtute Dei, vt postulat species per se infusa. vnde Scotus vers. *& si dicatur*, absolutè negat species per se infusas intuitiuas, & docet, quòd Christus habuerit naturaliter cognitionem intuitiuam perfectam & imperfectam, & quòd profecerit in scientia intuitiua, quia hanc paulatim acquirebat.

51. Ad fundamentum Thomistarum respondeo primò, quòd species per se infusæ non sunt vniuersales in repræsentando. Secundò, etiamsi essent, non deseruirent ad cognitionem intuitiuam, quia nulla potest dari cognitio intuitiua per se infusa, sed vt plurimum solùm potest dari infusa peraccidens. Prætereà etiamsi daretur per se infusa (quod iam negaui) taliter alligaretur obiecto vt actualiter existenti & præsenti, quòd ablatâ actuali existentiâ, & præsentiâ illius, deberet statim euanescere & deficere species intuitiua: ex quo apparet non esse per se infusam, siquidem eius esse dependet ad minùs quantùm ad conseruari ab aliquo creato. Dices: Species, quæ infunditur ad visionem beatam, est per se infusa, & nihilominùs est intuitiua. Respondeo primò, quòd licèt sit per se infusa, producitur ab ipso obiecto cuius est, & à sola virtute Dei. 2. quòd hæc species non computatur cum speciebus scientiæ per se infusæ, sed scientiæ beatæ, de qua modò non loquimur.

PARS QVINTA.

Vtrùm Christus per hanc scientiam cognouerit futura contingentia?

52. IN hac re duas inuenio sententias oppositas, sed meo videri inter se non dissidentes: Prima sententia affirmat, quòd Christus Dominus per hãc scientiam cognouerit futura contingentia. ita D. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. ibidem omnes eius Expositores, videatur Gaspar Hurtado diff. 10. Et probatur primò, quia Christus Dominus fuit Propheta, & reuelauit plura futura contingentia, v. g. Ioan. 17 *Hoc dixi vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis*, &c. sed scientia propter quã ceteri Prophetæ prædicunt futura, est per se infusa; ergo & in Christo. 2. quia in nullo capite hoc repugnat Christo, insuper pertinet ad eius perfectionem; ergo, &c.

53. Secunda sententia negat, quòd Christus per hanc scientiam nouerit futura contingẽtia. ita priùs docuerat D. Thomas in 3. d. 14. quæst. 1. art. 3. quęst. 2. & de Veritate quæst. 20. art. 6. tenet Scotus etiam in 3. quæst. 3. *§. ad quæstionem*, vers. *loquendo tamen*, & loquendo de Angelis in 2. dist. 3. q. 11. *§. respondeo*,

deo, vers. secundò dico ibidem; Faber in 3. disp. 37. Rada controuers. 9. art. 4. Et probatur, quia futura contingentia non possunt cognosci in causa, cùm sit indifferens, neque magis determinata ad futurum, quàm ad non futurum; neque possunt cognosci in effectu, quia nullum habent, antequam sint existentia; neque possunt cognosci, quia sint præsentia in æternitate, tum quia non sunt illi præsentia, tum quia licèt essent, nihilominùs actus cognitionis Christi non mensuratur æternitate, in qua futura essent, & sic non posset terminari ad illam, sicut terminatur diuina cognitio; neque quia cognoscantur in diuino decreto, nam hoc solùm potest spectare ad scientiam beatam, non ad per se infusam, neque ex reuelatione diuina, vt tradunt Rada & Faber, quia tunc sequeretur quòd in Christo esset fides. Et non valet solutio, quòd habuit euidentiam in attestante. Nam contrà est, quòd hæc euidentia rem testificatam relinquit obscuram, & obiectum fidei.

54. Neque similiter cognouit Christus prædicta futura per proprias illorum species, vt docet Caietanus 3. parte, quæst. 11. art. 1. Suarez disp. 27. sect. 2. Vasquez disp. 53. cap. 2. num. 18. Hurtado vbi suprà, tum quia non dantur vniuersales species in repræsentando, & consequenter non possunt per eas cognosci futura contingentia cum suis accidentibus, scilicet existentiâ, duratione, contingentiâ, &c. tum & præcipuè quia prædictæ species solùm sunt rationes cognoscendi extrema complexionis contingentis, sed ad cognoscendum futurum contingens, etiam est necessarium ipsam complexionem contingentem cognoscere; ergo. Et confirmatur, quia aliàs nulla erit ratio propter quam non possit Angelus connaturali modo cognoscere futura contingentia, sed hoc non tribuitur ipsi; ergo Christus Dominus solùm cognouit illam in Verbo, non in genere proprio per hanc scientiam per se infusam.

55. Sed claritatis gratia, & vt nostra sententia (in qua existimo Scotum conuenire cum Thomistis, licèt non propter idem fundamentum) aperiatur, Nota quòd futurum contingens potest tripliciter accipi. primò, vt est in sua causa, quæ contingenter illud producit. 2. prout consideratur in seipso, non reduplicatiuè, vt futurum contingens est, sed specificatiuè, scilicet illa substantia, qualitas, &c. quæ contingenter habebit esse. 3. prout consideratur reduplicatiuè vt futurum contingens est, v. g. sessio Petri prout crastinâ die contingenter est futura, contritio Ioannis prout liberè est elicienda à Ioanne post tres dies, &c. ita vt cognitio non solùm terminetur ad obiectum, sed etiam ad futuritionem & contingentiam eius.

Hoc supposito Dico primò: Futurum cõtingens primo modo acceptum, scilicet prout in causa, non cognoscitur à Christo per hanc scientiam per se infusam, imò neque per scientiam per accidens infusam (idem dico de Angelo) in hac conclusione conueniunt cum Scoto Thomistæ. Et probatur primò & à priori, quia causa contingens non est magis determinata ad illum effectum contingenter futurum, quàm ad oppositum; ergo non est magis ratio cognoscendi illum, quàm oppositum. 2. quia etiam futurum necessarium non cognoscitur secundùm suam rationem formalem in sua causa, quia in illo solùm relucet virtus ad illum producendum, vt diximus suprà (non loquor de causa scientiali, vt sunt præmissæ respectu conclusionis, de qua Scotus in præsenti, & sæpè alibi docet quòd sit ratio cognoscendi veritatem effectus, hoc est, conclusionem, sed loquor de causa simplici, vt producens respectu producti) ergo multò minùs cognoscetur in se, & formaliter futurum contingens in sua causa. 56.

Dico secundò: Futurum contingens secundo modo acceptum, scilicet prout in seipso specificatiuè, & non reduplicatiuè consideratum, potuit à Christo (idem dico de Angelo) cognosci per hanc scientiam. Hanc conclusionem existimo non negare Scotum, vt infrà ostendam, illam tamen tradunt Thomistæ citati. Et probatur primò à priori, & præcipuè in sententia Scoti, quæ communis est, quia per speciem impressam potest non solùm cognosci essentia alicuius obiecti, sed etiam existentia illius, etiamsi prædictum obiectum actualiter non existat, 57.

existat, quando actualiter cognoscitur; ergo si Deus infundat Christo species diuersas, quarum vna repræsentet essentiam, alia existentiam, vel solùm vnam hæc omnia determinatè repræsentantem alicuius entis futuri contingentis (quod non repugnat Deo, quia eius omnipotentia non alligatur existentiæ actuali obiecti futuri, sed potest producere speciem entis, antequam producat ens) poterit Christus per eas species cognoscere obiectum, quod aliàs respectu temporis præsentis dicitur futurum, & respectu suæ causæ indifferentis dicitur contingens, sed excellentia Christi est cognoscere hæc futura, v. g. Antichristum futurum; ergo illa cognouit. Insuper per species excellentissimas; ergo per species per se infusas ex dictis.

58. Secundò probatur, quia licèt futurum contingens non habeat in se in hoc tempore præsenti intelligibilitatem realem, vtpote quia neque entitatem (idem dico de obiecto præterito) tamen in specie impressa habet intelligibilitatem intentionalem, vt patet in specie abstractiua, & in specie obiecti præteriti, sed hæc intelligibilitas sufficit ad scientiam per se infusam; ergo per hanc cognouit Christus futura contingentia specificatiuè accepta.

59. Tertiò probatur, quia aliàs sequeretur, quòd Christus per nullam scientiam in proprio genere cognosceret futurum aliquod contingens, imò neque futurum necessarium ex sua causa secunda immediata. Primum patet, quia scientia per se infusa excedit reliquas, non solùm in intensione, sed etiam in extensione; ergo si per illam non cognoscitur, neque per aliquam aliam cognosceetur. Secundum patet, quia etiam futurum necessarium ex causa secunda immediata est contingens ex causa prima, imò actualiter, quando conseruatur, contingenter conseruatur, quia posset non conseruari à Deo.

60. Quartò probatur, quia sequeretur, quòd Christus neque cognosceret præterita, neque præsentia, quæ non sunt, vel fuerunt cognita à Christo intuitiua. patet quia hæc omnia habuerunt esse contingenter, & insuper non habent intelligibilitatem realem respectu huius potentiæ, quia possunt esse extra sphæram ipsius, sed hæc omnia sunt falsa, quia aliàs scientia Christi in proprio genere solùm posset versari circa existentia; quæ aliquando fuerunt præsentia potentiis sensitiuis Christi; reliqua autem nullo modo cognoscerentur per scientiam in proprio genere, quod est contradicta, etiam cum Scotistis circa entia naturalia, & supernaturalia spiritualia, imò obiecta existentia, quæ sunt, & fuerunt præsentia Christo, non cognoscerentur per scientiam per se infusam, sed per acquisitam, vt suprà diximus, & consequenter in doctrina Scoti circa nulla obiecta existentia daretur in Christo scientia per se infusa, quod est falsum.

Dico tertiò: Futurum contingens tertio modo consideratum, scilicet prout futurum & contingens, etiam fuit cognitum à Christo per hanc scientiam. Et probatur, quia ad cognoscendum futurum contingens reduplicatiuè solùm requiritur, quòd præter cognitionem, quæ habetur de ipso futuro contingenti specificatiuè accepto, habeatur alia, quâ cognoscatur ipsa futuritio & contingentia, sed hæc omnia sunt cognoscibilia (vtpote quia entia, siue realia, siue rationis) per species immediatas, vel mediatas, quæ possunt esse excellentissimæ, & summæ, sicut reliquæ, quæ sunt in Christo; ergo per species per se infusas potuit à Christo cognosci futurum contingens reduplicatiuè vt futurum contingens. Maior non indiget probatione. Minor probatur ibi, quia quodcumque ens intelligibile est; futuritio autem est relatio temporis futuri ad præsens, sicut præteritio est relatio temporis præteriti ad præsens; contingentia autem est relatio effectus ad causam, prout in actu primo indifferentem; ergo tam futuritio, quàm contingentia sunt entia cognoscibilia. 61.

Prædictas autem relationes existimo esse de mente Scoti, nam in 3. Sent. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem*, vers. *quod si alicui*, habet hæc verba, *Hæc anima* (scilicet Christi) *nouit habitualiter aliqua singularia per proprias species infusas*, &c. Sed dices: Hæc singularia potuerunt esse ex possibilibus, vel ex existentibus necessariis. 62.

Sed contrà primò, quia statim subdit, quòd potest alia cognoscere per scientiam acquisitam & intuitiuam, si fiant in existentia reali; ergo priùs loquebatur de omnibus aliis, quæ non potuerunt habere existentiam realem requisitam ad cognitionem intuitiuam; ergo non solùm de possibilibus & existentibus necessariis, sed etiam de contingentibus, præterquam quod vt suprà diximus nullum est necessarium, quòd non sit aliquo modo contingens. Secundò, quia vers. *loquendo tamen*, negat cognitionem per se infusam intuitiuam circa obiecta de quibus concesserat infusam abstractiuam, sed ponit exemplum in hoc, quòd Petrus currat, quod est quid contingens, quando negat intuitiuam; ergo de hoc concedit abstractiuam.

63. Sed obiicies primò, Scotus vers. *& si dicatur*, vbi negat, quòd per species infusas cognoscatur futurum contingens. Respondeo loquitur de cognitioue intuitiua, quam dicit (& optimè) non posse haberi per species infusas, quia istæ eodem modo repræsentant obiectum, siue existat, siue non existat, vt patet ex textu. Imò ex hoc desumo argumentum, species infusæ eodem modo repræsentant obiectum, siue existat, siue non existat ex mente Scoti; ergo ex illa habemus, quòd etiamsi futurum contingens non existat, potest per species per se infusas cognosci, non solùm ipsa substantia futuri, sed etiam futuritio & contingentia ipsius, & consequenter non solùm specificatiuè, sed etiam reduplicatiuè.

64. Obiicies secundò Scotum in 2. d. 3. q. 11. §. *respondeo*, vers. *confirmatur*, vbi probat, quòd Angelus per species infusas non potuit cognoscere futurum contingens. Et ratio eius est talis, quia vel species horum terminorum, *me sedere cras*, repræsentant determinatè hanc veritatem, vel non, si determinatè; ergo per hos terminos non habet notitiam, quòd hoc sit contingens, si non determinatè; ergo numquam per cognitionem terminorum, scilicet Angelus, quòd ego determinatè sedeam cras.

65. Respondeo : Ibi loquitur Scotus contra D. Thomam, & eius sequaces ponentes species vniuersales in repræsentando, vt patet ex textu, contra quos optimè militat hoc argumentum, quia vel vnica species, A, repræsentat determinatè hanc veritatem me sedere cras, vel non. si determinatè; ergo non repræsentat illam, cum contingentia ipsius. patet consequentia, quia species, quæ est de obiecto determinato, non potest simul esse de indeterminato, quale est contingentia, aliàs si haberent eamdem intelligibilitatem ens determinatum, & ens indeterminatum, haberent eamdem entitatem. Si non determinatè, numquam per hanc scientiam, A, determinatè cognoscetur obiectum contingens, quia componitur ex aliquo determinato, scilicet ex terminis, *me sedendi cras*, & ex indeterminato, scilicet ex contingentia, quâ illi termini inter se vniuntur, non tamen loquitur Scotus de cognitione futuri contingentis per diuersas species proprias & particulares, tam terminorum, quàm contingentiæ, quâ vniuntur, vt nos ponimus cum ipso ibidem, vers. *præterea secundò*, vbi petit aliam speciem singularitatis futuri cogniti, aliam existentiæ, aliam talis temporis, & aliàs aliorum accidentium. quare in prædicto argumento non infert Scotus hanc consequentiam, *ergo Angelus non potest habere cognitionem futuri contingentis*; sed hanc, *Oportet igitur quòd accipiat aliundè certam notitiam huius*, scilicet, *me sedendi cras*. Ex quo sic desumo argumentum; ergo ex mente Scoti, aliundè potest haberi ab Angelo certa notitia futuri contingentis, sed non à scientia beata, quia tunc Angelus erat viator, non ab intuitiua, quia respectu huius obiectum non potest esse futurum, sed præsens; ergo ab abstractiua infusa, siue per se, siue per accidens.

Ad fundamentum primæ sententiæ 66. respondeo, quòd omnia, quæ ibi adducuntur, sunt pro nostra sententia; neque per illa probatur, quòd cognoscantur futura contingentia in causa, quia hoc etiam Auctores illius sententiæ negant. Ad fundamentum secundæ sententiæ dico, quòd nullo ex illis modis cognouerit Christus futura contingentia, sed solùm per species proprias illorum, diuersas pro diuersitate obiectorum, quæ in futuro contingenti concurrunt, nam dari debet alia species

eies substantiæ ipsius futuræ, alia existentiæ illius, alia temporis in quo exi-stit, alia futuritionis respectu temporis præsentis, alia contingentiæ ipsius futuri, non verò vna pro omnibus his, vt intendunt Thomistæ, & idipsum dico de Angelis, siue species illæ sint per se, siue per accidens infusæ, quare si omnia futura contingentia non cognoscunt connaturaliter, est quia non dantur illis species infusæ omnium, sed aliquorum.

67. Neque video quomodo consequenter loquantur prædicti Scotistæ ex vna parte negantes cognitionem futurorum contingentium, & ex alia parte concedentes (videatur Faber cap. 2.) species abstractiuas plurium singularium, quia species abstractiuæ non deseruiunt ad cognitionem intuitiuam perfectam, vel imperfectam; ergo neque ad cognoscendum obiectum præsens, neque ad præteritum, quod aliquando fuit præsens; ergo deseruiunt ad cognoscendum obiecta præsentia, non præsentia potentiæ. Prætereà ea, quæ numquam fuerunt præsentia potentiæ, & præterita, & tandem obiecta futura, & contingentia eorum, quia de his omnibus currit eadem ratio, cùm solùm potuerint habere in potentia Christi vel Angeli intelligibilitatem intentionalem.

PARS SEXTA.

De numero obiectorum, quæ Christus cognouit per hanc scientiam.

68. PRimò est nobis in præsenti agendum de numero obiectorum possibilium, & secundò de numero obiectorum actualiter existentium pro quauis temporis differentia, & pro omnibus nota id quod sæpè diximus, quòd duplex est cognitio, alia abstractiua, quæ non respicit per se in obiecto existentiam actualem; alia verò intuitiua, quæ per se illam respicit, imò & talem, quòd sit præsens potentiæ cognoscenti.

69. Circa primum prima sententia absolute negat Christum per hanc scientiam cognouisse omnia possibilia. ita Suarez disp. 27. sect. 4. & existimat esse communem. Fundamentum est primò, quia licèt nullum appareat caput, ex quo repugnet, quòd Christus per hanc scientiam cognouerit omnia possibilia, tamen non omne id quod non repugnat, est statim concedendum & tribuendum Christo. Secundò, quia per scientiam beatam, cùm sit superior, non cognouit Christus omnia possibilia (vt latè probauit hic Auctor suprà in propria quæstione) ergo multò minùs per scientiam per se infusam, cùm sit inferior.

Secunda & verior sententia distinguit de possibilibus, quia vel illa sunt species & quidditates, & sic concedit omnia cognouisse Christum per hanc scientiam, vel sunt indiuidua harum specierum, & omnia illa negat cognouisse, sed solùm aliqua, licèt plura, imò plura, quàm Angelus superior. ita Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. & 4. sequuntur omnes eius discipuli, Rada controuers. 9. art. 4. conclus. 2. Pytigianus in 3. citato, art. 5. & 6. Faber disp. 36. cap. 2. Prima pars huius sententiæ probatur, quia species & quidditates sunt numero finitæ, & in illis est deueniendum ad vnam vltimam, vt probat optimè Scotus 2. Metaphys. quæst. 4. & 5. & aliàs necesse est, quòd supremus omnium Magister omnes quidditates quidditatiuè cognosceret in proprio genere; ergo omnes illas cognouit Christus per hanc scientiam. Et confirmatur; quia in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei; ergo quidquid non repugnat, cognouit. 70.

Secunda pars probatur ab aliquibus, quia sequeretur quòd cognitio infinitorum indiuiduorum possibilium esset infinita, similiterque intellectus, & lumen, quibus deberent cognosci. Sed hæc probatio nulla est, quia solùm sequeretur infinitas extensiua, quam admisimus quæstione 2. huius Disputationis in actu beatifico, in intellectu & lumine Christi circa infinitas in potentia creaturas tam possibiles, quam actuales; non autem sequeretur infinitas intensiua, quæ repugnat creaturæ. Secundò ab aliis probatur, quia talis cognitio infinitorũ indiuiduorum possibilium esset comprehensiua omnipotentiæ Dei. Sed contrà, quia omnipotentia non solùm habet extensionem infinitam, sed etiam intensionem; ergo 71.

ex eo quòd cognoscitur extensio, seu ea ad quæ extenditur, non cognoscitur intensio, quæ deberet etiam cognosci vt comprehenderetur omnipotentia Dei, vt ibidem diximus, loquendo de visione beata Christi, imò & infinitè intensiuè deberet cognosci vt comprehenderetur.

72. Sic ergo à nobis est probanda primò, nam pro quolibet indiuiduo est assignanda vna species, vt ex mente Scoti suprà probauimus, sed infinitorum indiuiduorum in potentia repugnat dari omnes species in actu, nam infinito in potentia solùm correspondet infinitum in potentia in speciebus, non in actu, itáque non repugnat, quia si infinitum in potentia daretur in actu, esset infinitum in actu, sed repugnat ex eo quòd cùm sit infinitum in potentia, ponatur in actu, nam ex eo quòd est in potentia infinitum repugnat per locum intrinsecum quòd sit in actu, sicut repugnat quòd potentia vt potentia sit actus; si ergo non dantur prædictæ species in actu, non habebit Christus in actu scientiam per se infusam omnium indiuiduorum possibilium.

73. Secundò probatur aliâ ratione Scoti quæst. 2. *§. potest dici*, quia intellectus creatus (idem dico de lumine & cognitione) si non habeat pro obiecto Essentiam diuinam, in qua relucent omnes creaturæ, vt in visione beata, non solùm habet terminum, seu determinationem quoad intensionem, sed etiam quoad extensionem, vt patet in aliis potentiis; ergo per scientiam in proprio genere, qualis est per se infusa non potest tendere in infinita indiuidua possibilia, sed in aliqua determinatè.

74. Ad fundamentum primæ sententiæ Respondeo ad primum, quòd iam apparet repugnantia ratione cuius Christus non cognouerit omnia indiuidua possibilia, quia tamen hæc non apparet in cognitione specierum & quidditatum, & insuper est excellentia Christi habere scientiam illarum, ideò concessimus hanc, & negauimus illam, non quia non appareat repugnantia, vt Suarez intendit, sed quia apparet, vt probauimus.

75. Ad secundum respondeo negando, quòd Christus non cognouerit per visionem beatam omnia possibilia, vt contra Suarez & alios suprà quæstione 2. ostendimus. Ratio autem, quare per infusam non cognoscantur, est quia ad hanc requiritur multitudo actualis specierum, quæ repugnat dari de facto ex dictis; ad illam verò non requiritur, sed solùm cognoscuntur in diuina Essentia, in qua sicut non repugnat cognosci infinitas intensiua illius, ita multò minùs repugnat cognosci infinitas extensiua suæ omnipotentiæ.

Circa secundum, quod est in præsenti examinandum, scilicet, An Christus cognouerit per hanc scientiam omnia existentia pro quauis temporis differentia, siue vniuersalia, siue indiuidua. Prima sententia affirmat cognouisse, imò & quòd talis cognitio eorum sit intuitiua. ita D. Thomas quæst. 11. art. 1 Caietanus, Medina, & alij Expositores ibidem, Vasquez disp. 35. cap. 8. Suarez disp. 27. sect. 2. Probant primò, quia species per se infusæ sunt vniuersales in repræsentando; ergo non solùm quidditates omnes, sed etiam omnia indiuidua, & eorum existentias repræsentant. quòd autem cognitio eorum sit intuitiua patet, quia repræsentat existentias, neque reperitur aliud repræsentabile in obiecto, quando eius existentia est actualiter præsens potentiæ. 2. quia aliàs Christus haberet ignorantiam eorum obiectorum, quorum non habuit cognitionem aut per se infusam, aut acquisitam. 3. quia cognitio omnium singularium existentium pro quauis temporis differentia pertinet ad prudentiam vniuersalem, quæ reperitur in Christo, cùm sit Dominus & Iudex omnium; ergo per hanc scientiam cognouit Christus omnia existentia pro quauis temporis differentia, & talis cognitio fuit intuitiua. 76.

Secunda autem & vera sententia distinguit de cognitione abstractiua & intuitiua circa obiecta existentia pro quauis temporis differentia; nam, vt supponimus ex dictis, non solùm per intuitiuam, sed etiam per abstractiuam potest cognosci obiectum vt existens, & tam de abstractiua, quàm de intuitiua negat hæc sententia, quòd Christus cognouerit omnia existentia pro quauis temporis differentia, sed diuerso fundamento, de vna, ac de alia. ita existimo esse dicendum ex mente Scoti 77.

ex

ex his quæ tradit in 2. & 3. Sentent. citatis. Quòd autem non cognouerit omnia existentia per cognitionem intuitiuam, probatur primò, quia cognitio intuitiua non potest esse per se infusa, cùm causetur à specie, quæ per se petit produci, & dependere in fieri & conseruari ab ipso obiecto creato. 2. licet esset per se infusa, deberet dicere ad obiectum vt actualiter & realiter præsens, non solùm relationem mensuræ, & mensurabilis (quæ etiam reperitur in cognitione abstractiua) sed etiam relationem actualis dependentiæ (vt reperiri potest in cognitione intuitiua per species per accidens infusas, sed omnia existentia pro quauis temporis differentia non fuerunt actualiter præsentia Christo per præsentiam realem, sed solùm aliqua; ergo de illis omnibus non habuit cognitionem per se infusam, sed solùm de aliquibus.

78. Quòd autem Christus non cognouerit omnia existentia pro quauis temporis differentia, etiam per cognitionem abstractiuam, probatur eodem fundamento, quo suprà probauimus non cognouisse omnia possibilia, quia omnia existentia, quæ erunt, sunt infinita in potentia, v.g. omnes cogitationes angelicæ futuræ, sed infinitum in potentia non potest à Christo in proprio genere cognosci; ergo non cognouit Christus per hanc scientiam omnia existentia pro quauis temporis differentia, sed solùm aliqua.

79. Et si inquiras, Quæ obiecta ex existentibus cognouerit abstractiuè? Respondeo cognouisse ea quæ à voluntate diuina illi fuerunt concessa secundùm eius excellentiam iudicaturæ, magisterij, & maximi doctoratus, & sic existimo cognouisse quæ fuerunt, sunt, & erunt ex naturalibus & supernaturalibus à principio mundi vsque ad finem illius, & posteà multò plura alia, quàm quilibet Angelus, imò quàm omnes simul.

80. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur. Ad primum, iam diximus esse falsum, quòd species per se infusæ sint vniuersales in repræsentando, vna enim & indiuisibilis species non potest plura & diuersa repræsentare; similiter nego, quòd prædicta cognitio sit intuitiua, tum quia cognitio abstractiua potest repræsentare rem existentem, & omne repræsentabile per cognitionem intuitiuam, vt habet Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. vbi admittit cognitionem abstractiuam Trinitatis, & quæst. 11. *§. respondeo*, vers. *tertiò dico*, vbi expressiùs hoc docet, & alibi sæpè, imò & Aduersarij concedunt; tum quia cognitio intuitiua non potest esse per se infusa, vt habet Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. *§. ad quæstionem*, vers. *& si dicatur*, & rationem huius reddit, quia licèt posset esse infusa, postularet tamen vltra cognitionem abstractiuam, relationem actualis dependentiæ ab obiecto vt actualiter existenti & præsenti, & consequenter species dependeret ab illo in fieri & conseruari, quæ relatio & dependentia non reperitur in scientia per se infusa Christi, quia hæc independens est à præsentia reali obiecti, & eodem modo repræsentat illud, siue existat, siue non existat.

Ad secundum, Nego quòd Christus habuerit ignorantiam illorum obiectorum, quæ non sciebat per hanc scientiam, quia aliundè sciebat per scientiam beatam, nec est inconueniens quòd non sciret per scientiam per se infusam, sicut nec est inconueniens non scire omnia per scientiam intuitiuam & acquisitam. 81.

Ad tertium, Dico sufficere ad prudẽtiam vniuersalem repertam in Christo scientiam omnium beatam, quæ licèt non esset practica (vt volunt aliqui) sufficit tamen ad hoc vt habeatur praxis, seu iudicatura, & exercitium dominij: præterquam quòd ad iudicaturam iam præcedit cognitio per se infusa omnium eorum quæ sunt à principio vsque ad finem mundi, quando est futurum vltimum iudicium, neque enim ista obiecta sunt infinita in actu, vel in potentia, idem dico de exercitio dominij, & si posteà habuerit aliquod exercitium, etiam habebit ad illud scientiam per se infusam antecedentem, quia circa plura alia obiecta habet illam, vt iam diximus. 82.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrùm in scientia per se infusa animæ Christi detur habitus distinctus à speciebus?

1. TRes inuenio sententias in hac re. Prima asserentium quòd detur habitus supernaturalis distinctus à speciebus; sed Auctores huius sententiæ diuerso modo de hoc habitu loquuntur, nam quidam, quos refert Suarez infrà, asserunt quòd hic habitus constet ex duplici qualitate, quarum vna illuminet obiectum, alia illuminet potentiam, sicut contingit in obiecto visibili; alij verò solùm concedunt qualitatem se tenentem ex parte potentiæ, & illam eleuantem, inter quos alij docent esse vnam simplicem qualitatem circa obiecta tam naturalia, quàm supernaturalia; alij verò esse compositam vel ex numero tot qualitatum, quot sunt species, vel saltem ex duplici qualitate, quarum vna sit per se infusa, & versetur circa obiecta supernaturalia, alia verò per accidens infusa, & respiciat obiecta naturalia. Inter eos autem, qui concedunt esse vnam qualitatem, vel si duplicem, vnam esse supernaturalem quoad substantiam, alij aiunt non esse distinctam in Christo ab ipso lumine gloriæ, alij verò & probabiliùs esse diuersam ab illo. quam sententiam tenent & referunt hos diuersos modos dicendi Suarez disput. 29. Raguza disput. 110. Becanus cap. 9. quæst. 4. Lorca disput. 51. qui dicit esse expressam D. Thomæ 3. p. quæst. 11. art. 4. & 6. & clariùs in 3. d. 14. quæst. 1. ad 3. quæstiunculâ 4. Fundamentum huius sententiæ à priori est, quia effectus non potest esse præstantior sua causa, sed scientia per se infusa cùm fuerit excellentissima in proprio genere possibilis, fuit supernaturalis quoad substantiam circa obiecta supernaturalia, & circa naturalia supernaturalis ad minus quoad modum; ergo non solùm fuit supernaturalis in sua causa ex parte obiecti per species infusas, sed etiam ex parte potentiæ per habitum infusum illam eleuantem.

2. Neque obstat dicere, quòd sufficit supernaturalitas reperta in speciebus. Nam contrà est, quia species & potentiæ sunt diuersæ causæ, & causant diuerso modo; ergo requirunt diuersam qualitatem supernaturalem. Et confirmatur primò, quia etiamsi ex parte intellectus poneretur habitus infusus non esset sufficiens principium ad actum supernaturalem, nisi etiam ex parte obiecti per seipsum, aut per speciem infusam concurreret; ergo neque è contrà sufficit supernaturalitas obiecti absque supernaturalitate potentiæ. Secundò confirmatur, quia in actu naturali obiectum non est tota ratio agendi, sed etiam virtus naturalis potentiæ; ergo similiter in actu supernaturali obiectum supernaturale, seu species illius non est tota ratio agendi, sed etiam virtus supernaturalis potentiæ.

Deinde probant à simili, quia visio beata præter speciem obiecti requirit lumen gloriæ ex parte potentiæ, à qua elicitur & actus fidei; præter species articuli crediti requirit habitum fidei, & actus theologales & morales eliciuntur à voluntate eleuata per habitus supernaturales, etiamsi obiecta illis proponantur per cognitiones supernaturales; ergo similiter scientia per se infusa præter species infusas requirit habitum in potentia. 3.

Secunda & vera sententia negat reperiri habitum per se infusum distinctum à speciebus ad actus scientiæ per se infusæ. tenent Vasquez disp. 54. c. 2. sicut loquendo de visione beata negauerat lumen gloriæ esse habitum distinctum à specie impressa 1. p. disp. 43. Hurtado diff. 21. Valentia quæst. 11. punct. 1. & inclinat Medina ibidem art. 6. & meo videri est necessariò tenenda hæc sententia in doctrina Scoti, quia de hoc habitu est philosophandum, sicut de habitu luminis gloriæ distincto à specie impressa obiecti beatifici, vt omnes fateutur, & habitum luminis gloriæ distinctum à prædicta specie, vel à concursu obiectiuo negauit expressè Scotus in 3. d. 14. q. 2. *§. ad primum argumentum*, *vers. ad tertium dico*; & in 4. d. 49. q. 11. *§. respondeo ergo*, *vers. ex hoc sequitur corollarium* infrà litt. H. & hanc sententiam tenet Theodorus disp. 6. quæst. 4. num. 69. vnde si in aliis locis referendis in materia de charitate disp. 3. q. 2. admisit Scotus habi- 4.

habitum ad visionem beatam, illum non appellauit lumen, sed tamquam condistinctus ab illo debet appellari habitus visionis, vt latè explico ibi.

5. Hæc sententia probatur, quia ideò multiplicamus causas partiales alicuius actus, quia in ipso sunt aliqua prædicata, quæ per se petant illas, sicut ex eo petimus speciem impressam, quia actus est repræsentatio obiecti; & petimus potentiam vitalem, quia actus est vitalis; & si faciliter elicitur actus, ponimus habitum, seu facilitatem acquisitam; si faciliter non elicitur, non ponimus hunc habitum, &c. sed in actu scientiæ per se infusæ non sunt aliqua prædicata, quæ non correspondeant soli intellectui cum specie per se infusa, quia si aliquid, maximè supernaturalitas, & hanc etiam participat à specie infusa, vt Aduersarij etiam fatentur; ergo frustrà ponitur alius habitus per se infusus.

6. Neque obstat dicere, quòd sic habitus ponitur propter supernaturalitatem repertam in actu correspondentem supernaturalitati potentiæ. Nam contrà est primò, quòd potentia vt potentia reduplicatiuè non est supernaturalis, neque in ratione potentiæ supernaturaliter eleuata, nam concursus ille partialis, quem potentia exhibet, emanat ab ipsa natura, & naturali virtute potentiæ, licèt requirat alium concursum partialem concomitantem, prouenientem ex parte speciei, & alterius causæ, si datur. ita Scotus pluribus in locis, præcipuè in 2. dist. 3. quæst. 8. §. *ad* 1. vers. *ad* 2. & *ad* 3. quare nota duo, primum quòd si per impossibile species per se infusa (& habitus supernaturalis si daretur) operaretur simul cum potentia absque eo quòd in actu primo informaret potentiam, nihilominùs euaderet actus ita supernaturalis, sicut modò, quia potentia in sua propria virtute naturali nullam recipit intensionem aut virtutem ab illis ad hoc vt operetur suo partiali concursu. Secundum, quòd causa quare species, & habitus, si datur, informant potentiam, non est vt adiuuent illam, licèt dent illi virtutem aliquam ad se pertinentem; sed solùm ex eo quòd sunt accidentia, & nequeunt naturaliter esse sine subiecto, & debent esse inhæsiuè in potentia, vt potentia vtatur illis; præcipuè ad imperium voluntatis. vnde quando dicimus, quòd potentia fœcundatur per species, non est quòd potentia recipiat aliquam virtutem, quæ pertineat ad rationem potentiæ vt potentiæ, sed quòd recipiat aliam concausam, vt constituatur causa totalis, & adæquata in actu primo; ergo non requiritur habitus propter supernaturalitatem potentiæ vt potentiæ.

7. Contrà secundò; quia si in actu distinguimus duas supernaturalitates, vnam ex parte obiecti, & aliam ex parte potentiæ, eodem modo possemus distinguere duas vitalitates, vel duas operationes, & si faciliter elicitur, duas facilitates, vnam ex parte obiecti, & aliam ex parte potentiæ, quod non cōceditur, quia falsum; ergo.

8. Contrà tertiò vrgentissimè, quia si ex eo quòd potentia est naturalis, ponitur habitus supernaturalis, vt eleuetur; ergo similiter in actu fidei supernaturali, quia nobis habetur per species rerum creatarum, quæ naturales sunt, deberet poni non solùm habitus supernaturalis fidei, vt ponitur ex parte potentiæ, sed etiam habitus supernaturalis se tenens ex parte specierum vt eleuentur, & vt actus fidei euaderet supernaturalis non solùm ex parte potentiæ, sed etiam ex parte obiecti, sed consequens est falsum, est enim multiplicare entitates absq; necessitate.

9. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur cum communi sententia, quòd effectus non debet esse præstantior suâ causâ totali & adæquata, benè tamen potest esse præstantior causâ partiali, & sic actus scientiæ per se infusæ est præstantior, quàm sola potentia, quia hæc non est supernaturalis, sicut ipse actus.

10. Neque obstat id quod dicitur, scilicet quòd potentia & obiectum sunt diuersæ causæ, & diuerso modo operantur; nam respondeo quòd propter hanc diuersitatem non est ponenda diuersa supernaturalitas, sed potiùs excludenda, quia sufficit illa supernaturalitas existens in potentia, non in ordine ad potentiam, sed in ordine ad actum, hoc est, non in ordine ad eleuandam virtutem potentiæ in actu primo,

sed ad eleuandam virtutem potentiæ in actu secundo.

11. Sed dices primò: Ad visionem beatam non solùm datur species, seu concursus obiectiuus ex parte obiecti, quem Scotus vocat lumen gloriæ, sed etiam datur habitus ex parte intellectus, quem habitum visionis vocamus; ergo similiter ad scientiam per se infusam debet dari non solùm species infusa ex parte obiecti; sed etiam habitus infusus ex parte potentiæ. Respondeo disparem esse rationem, quia habitus visionis succedit habitui fidei: vnde sicut hic in via pertinet ad iustificationem, ad sanitatem, & reparationem potentiæ intellectiuæ, vt dicemus in materia de fide disp. 7. quæst. 2. parte 3. & de charitate disp. 3. quæst. 2. ita habitus visionis in patria, etsi actus ex illo procedens habet illud speciale prædicatum, scilicet quòd sit omnino certus & elicitus à potentia vt sana; at verò scientia per se infusa non habet hoc prædicatum per se, non enim spectat ad seriem iustificationis, sicut loquendo de scientia abstractiua mysterij Trinitatis dixerat Scotus, vt vidimus parte 1. quæstionis 4.

12. Dices secundò: Talis supernaturalitas etiam est in ordine ad potentiam, quia ex habitu infuso, & ex potentia fit vnum compositum operans & producens *vt quod* actus supernaturales. Respondeo: Etiam sit tale compositum ex potentia & specie per se infusa inhærente in ipsa potentia, & tamen supernaturalitas speciei non est in ordine ad potentiam, sed in ordine ad actum; neque ex illis efficitur tamquam ex materia & forma vnum operans *vt quod*, sed tamquam ex duplici causa partiali efficienti: vnde vt suprà diximus eodem modo esset actus supernaturalis, si species, vel habitus non inhæreret potentiæ, dum tamen operaretur cum illa, quia in doctrina Scoti, vbi suprà, potentia, species, & habitus (si datur) producunt actum, tamquam causæ partiales in genere causæ efficientis, & non in alio genere causæ. Et ratio à priori huius rei est, quia ex ente per se & substantiali, quale est intellectus, & ex ente per accidens, quale est species, habitus, & lumen (si darentur) non potest fieri vnum principium naturale vel supernaturale, substantiale vel accidentale operatiuum *vt quod*; quare ex hoc principio negat Scotus in 4. dist. 12. quæst. 3. quòd accidentia possint attingere productionem substantiæ, quia ex substantia & accidenti non potest fieri vnum principium *vt quod* proximè operatiuum & productiuum alicuius substantiæ. vnde accidens (adhuc virtute substantiæ, quæ non sit substantia, vt inquiunt Thomistæ) nequit producere substantiam. idem contingit à contrario de vno agente *vt quod* proximo & immediato respectu productionis alicuius accidentis, & sicut calor in igne producit calorem, vel si ignis producit illum non virtute participatâ à calore, sed virtute propriâ ipsius ignis, ita quòd quando potentia producit actum supernaturalem, virtute propriâ illum producit, & non virtute luminis vel habitus, in quantum ipsa potentia consideratur vt principium *quod* substantiale, proximum & immediatum.

13. Et per hoc patet ad primam confirmationem, dicimus enim quòd si ex parte potentiæ poneretur habitus supernaturalis, non esset necesse ponere speciem supernaturalem ex parte obiecti ad hoc vt actus esset supernaturalis, vt ponitur de facto, & excluditur habitus, vt obiectum excellentissimo modo repræsentetur (qualiter repræsentatur per species per se infusas) & consequenter in vna specie reperiuntur duo munera necessariò requisita, scilicet repræsentatio excellentissima ex parte obiecti requisita, & supernaturalitas necessariò requisita ex parte actus. Ad secundam confirmationem respondeo quòd actus naturalis sufficienter euaderet naturalis ex parte potentiæ naturalis, vel ex parte obiecti naturalis, de facto tamen procedit ex vtroque, non quia id necesse sit illi, sed quia si aliquod principium ex his duobus esset supernaturale, actus non euaderet naturalis, sed supernaturalis.

14. Sed inquires, Destruiturne naturalitas per supernaturalitatem? Respondeo quòd non, sed potiùs perficitur; dicitur tamen, quòd actus supernaturalis non euadit naturalis, ex eo quòd non euadit destitutus illâ perfectione supernaturali.

Ad

15. Ad aliam probationem à simili respondeo esse confirmationem nostræ sententiæ, nam lumen gloriæ non est distinctus habitus à specie impressa diuinæ Essentiæ, si datur, vel ab influxu diuinæ Essentiæ, si talis species non datur, quia vt optimè Scotus in 4. citato hæc locutio est metaphorica, desumitur enim ab obiecto luminoso, scilicet à Sole, ex quo potiùs colligitur, quòd species impressa sit lumen, quia vt docet ipse Scotus in 2. dist. 13. q. vnicâ; species Solis & corporis luminosi est ipsum lumen rectum reflexum, vel refractum: quare meritò species diuinæ Essentiæ, quæ est diuus Sol, est lumen requisitum ad visionem beatam (idem dico de influxu) quod est necessarium vt videatur, non aliter ac virtus obiecti ad actum: si autem Sol creatus non potest à nobis attentè aspici, non est quia sit necessarium aliud lumen ex parte potentiæ, nam quantò obiectum est magis luminosum, tantò minùs requiritur de lumine ex parte potentiæ, vt ait Scotus, sed quia causatur distemperies in organo ab aliis qualitatibus obiecti luminosi, indiget non lumine, sed virtute confortante, quam non præstat obiectum supernaturale, cùm mittit lumen, hoc est, speciem impressam supernaturalem; non enim causatur ab ipso distemperies aliqua cùm visio beata non fiat in organo sensus, sed tantùm in intellectu; habitus autem, qui ponitur ad visionem beatam, non dicitur lumen, sed habitus visionis, vt suprà diximus, & hic requiritur ad iustificationem & sanitatem potentiæ, sicut in via habitus fidei ex parte intellectus, spei ex parte voluntatis secundùm affectum concupiscentiæ, & charitatis ex parte eiusdem secundùm affectum iustitiæ. legatur Scotus in 3. dist. 23. *§. ad quæstionem*, & expressiùs dist. 36. *§. quantùm ad 4. articulum*, verf. *respondeo*, & habetur de pœnitentia dist. 3. cap. *si quid*.

16. Actus autem fidei requirit habitum supernaturalem, non ad eleuandam, hoc est, augendam virtutem potentiæ vt potentiæ, sed ad hoc vt actus sit supernaturalis, & vt habeat certitudinem veræ fidei, quia non potest supernaturalitatem participare, neque talem certitudinem à nuda potentia, neque à speciebus, quia hæc omnia sunt naturalia & fallibilia. Actus verò theologales & morales non possunt physicè participare supernaturalitatem à cognitione supernaturali cognoscente obiecta; quia est quid extrinsecum voluntati, cuius sunt actus; neque ab obiecto, quia non concurrit physicè cum potentia voluntatis; neque à voluntate nuda, quia est potentia naturalis; quare vt habeant supernaturalitatem physicam; prædicti actus indigent aliquo principio physico supernaturali: secùs autem contingit in scientia per se infusa, quia per se producitur à specie per se infusa, & hæc eo ipso quòd est per se infusa, est supernaturalis quoad substantiam.

Sed inquires pro complemento quæstionis, An si Deus infunderet Christo aliquam speciem per accidens infusam (putà speciem intuitiuam circa obiectum existens præsentialiter, à quo illam posset acquirere virtute naturali) An tunc indigeret habitu per se infuso? Et respondeo indigere habitu ad hoc, vt scientia esset supernaturalis quoad substantiam. 17.

Rursus inquires, An illa scientia absque habitu diceretur per se infusa? an verò infusa per accidens? Et respondeo distinguendo de scientia actuali, qualis esset ille actus, & de habituali, & de hac iterùm subdistinguo, quia vel esset species impressa simul cum potentia, vel esset etiam simul cum habitu per se infuso. De scientia actuali concedo, quòd dicatur per se infusa, quia per se habetur non posse produci à virtute naturali, quia per se dependeret ab habitu per se infuso. De habituali si sumatur primo modo, scilicet pro specie simul cum potentia, solùm dicetur per accidens infusa, quia illa species intuitiua, licèt producta sit à Deo, potuit tamen produci virtute naturali. De secunda verò, scilicet de scientia habituali sumpta pro habitu, dicenda est per se infusa, quia prædictus habitus est per se infusus. Rursus si talis habitus esset per accidens infusus, taliter quòd esset aliqua facilitas impressa à Deo ad faciliter operandum, tunc talis scientia esset omnino per accidens infusa, quia habitus ille per accidens infunditur, & similiter species intuitiua. 18.

QVÆSTIO VI.

De his quæ pertinent ad actum scientiæ per se infusæ.

1. VSque modò disputauimus de his quæ pertinent ad scientiam per se infusam in actu primo, scilicet de specie, de potentia, de habitu, & de obiectis circa quæ versatur; modò autem venit agendum de actu secundo huius scientiæ, eiusque affectionibus, & proprietatibus. Neque est agendum de illis quæ communes sunt cuicumque actui secundo alterius scientiæ, scilicet de vitalitate, de repræsentatione, de supernaturalitate, &c. sed solùm de illis quæ speciales & particulares sunt huic actui secundo scientiæ per se infusæ, de quibus potest esse ratio dubitandi; & controuersia, quam per subsequentem diuisionem huius quæstionis explicabo.

PARS PRIMA.

An omnia quæ Christus cognouit per hanc scientiam cognouerit simul vnico actu secundo?

2. NOtanter dixi in titulo, *Vtrùm omnia simul & vnico actu secundo cognouerit*. quia quòd cognouerit omnia in actu secundo per plures saltem actus est in confesso apud omnes, qui in Christo admittunt scientiam per se infusam. Et ratio huius est, nam frustrà esset scientia in actu primo, & infunderetur species, si non reduceretur ad actum secundum. Neq; datæ sunt species Christo propter actum primum, sed propter actum secundum; tota ergo controuersia est, An simul vnico actu omnia cognouerit?

3. Primam sententiam tenent Vasquez disp. 53. cap. 2. Gaspar Hurtado diff. 16. asserentes, quòd in primo instanti vnico actu omnia cognouerit, licet posteà solùm aliqua. Fundamentum est, quia aliàs Christus haberet ignorātiam aliorum obiectorum, quæ per illum actum non cognosceret (vel simpliciter in sententia asserentium, quòd Christus non cognouit creaturas in Verbo, vel secundùm quid, in sententia eorum, qui concedunt, quòd nouerit) probatur sequela, quia licèt ignorantia non opponatur actuali cognitioni (huic enim opponitur solùm inconsideratio, seu inaduertentia) opponitur tamen scientiæ habituali, non quomodocumque acceptæ, sed vt dicit relationem ad scientiam actualem præteritam, non enim dicitur ignorans, qui habuit actum scientiæ, modò non habet, cùm permaneat illa scientia habitualiter, sed qui numquam habuit actum scientiæ. vnde nec habet hunc actum per modum habitus. Confirmatur à quodam Neotherico, quia in primo instanti non fuit maior ratio, quare Christus cognouerit priùs hoc obiectum, quàm illud (idem dicit de actu angelico) ergo omnia obiecta simul & vnico actu cognouit.

Secundam & veram sententiam tenent Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. *§. ad quæstionem*, vers. *quod si alicui*, Suarez disp. 28. Lorca disp. 51. Raguza disp. 98. & plures alij negantes, quòd Christus tam in primo instanti, quàm in alio omnia simul & vnico actu secundo cognouerit. Fundamentum omnium est, quia hoc excedit virtutem animæ in cognoscendo iuxta modum connaturalem, quia licèt miraculosè fieri posset, sed non est admittendum miraculum absque vrgenti necessitate. Prætereà sic probo, nam sicut oportuit quòd Christus haberet excellentissimas species, ita oportuit quòd haberet actum excellentissimum circa quodcumque obiectum, sed si omnia simul & vnico actu cognosceret, non corresponderet cuicumque obiecto tanta excellentia in actu, quanta corresponderet, si ipsum solùm cognosceret vnico actu, quia attentio huius actus solùm versaretur circa hoc tantum obiectum; at verò attentio illius versaretur circa plura obiecta per modum plurium, quasi relucerent in aliquo vno infinito, vt contingit in visione beata Christi; ergò omnia non cognouit Christus simul & vnico actu scientiæ per se infusæ. 4.

Ad fundamentum Vasquez respondetur negando, quòd Christus habuerit ignorantiam eorum obiectorum, quæ in primo instanti non cognouit in actu secundo. Ad probationem dico primò, quòd illa obiecta cognoscebat per scien- 5.

scientiam beatam, & sic non habebat ignorantiam simpliciter eorum. Secundò, quòd illa nouerat per scientiam habitualem, quæ licèt non dicat respectum ad scientiam actualem, seu ad cognitionem præteritam, tamen hic respectus solùm est de ratione scientiæ habitualis per se acquisitæ, nam cùm hæc scientia non acquiratur nisi per actus per se dicit respectum, saltem ad aliquem actum præteritũ, tamen scientia habitualis per se infusa non acquiritur hoc modo, sed absque actu antecedenti infunditur, & sic non dicit respectum ad illum. vnde sufficit hoc ad excludendam ignorantiam in proprio genere, seu secundùm quid.

6. Ad confirmationem respondetur, quòd licèt habeat vim in sentẽtia Contrariorum, qui non concedunt quòd Christus cognouerit in Verbo creaturas, & quòd Angelus per cognitionem claram & abstractiuam Trinitatis etiam non cognouerit eas (quæ solet appellari cognitio earum matutina) quia tũc voluntas non potest ferri in incognitum, non tamen in nostra sententia, quæ admittit has cognitiones, & consequenter quòd voluntas potuerit eligere, quòd intellectus per scientiam per se infusam cognosceret secundò hanc creaturam, & posteà illam. Sed respondent illi, quòd licèt sit verum, quòd omnes equaliter posset cognoscere, quia tamen hoc deberet fieri cum miraculo, ideò dici quòd priùs cognouit illa, quæ ei magis erant intrinseca (putà animam, potentiam, &c.) quibus cognitis posteà liberè se determinauit ad cognoscenda alia, sicut contingit in nobis, quòd postquam cognouimus aliquas rationes vniuersales, voluntas applicat intellectum ad cognitionem rerum possibilium, quæ solutio mihi videtur probabilis iuxta eorum sententiam.

PARS SECVNDA.

Vtrùm Christus potuerit vti hac scientiâ cum collatione & discursu?

7. Nota primò, quòd discurrere, est ex cognitione vnius deducere cognitionem alterius, quare duo requirit, primum quòd habeat duas cognitiones, vnam terminatam ad principia, & alteram ad conclusionem. 2. quòd vna sit causata per illationem ab alterâ: quòd autem inter prædictas cognitiones interueniat mora, aut successio non est de ratione discursus, quia vt probat Scotus primo posteriorum cap. 1. ex Aristotelis doctrina ab omnibus recepta, si prædictæ cognitiones darentur in eodem instanti cum præfatis cognitionibus, esset in illis discursus, quia causa sufficit, quòd prioritate naturæ præcedat effectum.

Nota secundò non esse de ratione discursus speculatiui ex notis ad ignota procedere, quia licèt hoc contingat in primo discursu, quando de nouo fit, non tamen quando iterùm facimus eumdem discursum, quia tunc ex notis ad iam nota procedimus: in discursu autem consultiuo, qui est practicus, idem contingit, quia quando primò fit, procedit ex notis ad ignota, non verò quando secundò fit, licèt tunc non ita propriè appelletur consultiuus, secundùm quam appellationem sumitur à Damasceno 2. de fide cap. 22. vbi ait, quòd qui illum facit, aliquid ignorat. 8.

Quibus suppositis ex communi doctrina, prima sententia negat hanc scientiam vti posse cum discursu, siue à Christo, siue ab alio. ita Vasquez disp. 52. & Suarez disp. 28. Probat Vasquez primò, quia tam veritas principij, quàm veritas conclusionis attingitur à Christo per vnam speciem vniuersalem in repræsentando, & consequenter per vnam cognitionem, sed ad discursum requiritur duplex cognitio; ergo. Secundò probat etiam Suarez, quia licèt duplici cognitione cognoscatur veritas principij, & veritas conclusionis per diuersas species, tamen vna cognitio debet inferri & causari ex alia, sed scientia per se infusa non attingit vnam veritatem ex alia, sed vtramque immediatè attingit in se; ergo non est discursiua. 9.

Secunda & vera sententia affirmat, quòd hæc scientia possit fieri, aut vti cum discursu tam à Christo, quàm ab alio. ita expressè Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad argumenta*, vers. *ad tertium dico*. S. Thomas, Caietanus, Albert. Raguza quæst. 11. art. 3. Lorca disput. 51. memb. 2. Becanus cap. 9. quæst. 5. Et probatur primò, quia Christus Domi- 10.

nus ex causa cognita per speciem per se infusam potuit deducere cognitionem euidenter effectus, & è contrà; sicut ex eo quòd cognoscebat hominem esse rationalem; cognoscebat esse risibilem, & è contrà, etiamsi aliàs per eamdem scientiam cognosceret in se euidenter causam & effectum; ergo cum discursu. Secundò, quia illa cognitio conclusionis inferebatur ex priori cognitione principiorum, & non fiebat per diuersas species, nisi per illas per quas causata fuit prior cognitio principiorum, sicut contingit in scientia acquisita, & discursu naturali: sed illæ species sunt per se infusæ, & secunda cognitio causatur ex prima, quæ est per se infusa; ergo est cognitio discursiua per se infusa. Et confirmatur à simili, quia per se acquisita est illa cognitio, quæ mediatè causatur à speciebus per se acquisitis, & à prima cognitione acquisita illarum circa principia; ergo similiter.

11. Vnde nulla est concordia, quam inter has sententias intendit Hurtado diff. 15. scilicet quòd prima solùm dicat quòd cognitio per se infusa non est illatiua: secunda verò solùm dicat, quòd anima Christi ex obiectis cognitis potuit inferre diuersas conclusiones. nam inquiro quid aliud est inferre conclusionem ex obiectis cognitis per hanc scientiam, quàm inferre conclusionem ex cognitione per se infusa obiectorum, siue enim conclusio causetur ab obiectis connotando cognitionem, siue causetur à cognitione connotando obiecta, totum reducitur ad scientiam per se infusam, sicut diximus in exemplo de scientia per se acquisita. Et confirmatur, quia illa cognitio conclusionis non est per se acquisita, quia non procedit ex principiis acquisitis; ergo est per se infusa, si quidem procedit ab infusis.

12. Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum nego, quòd solùm interueniat vna cognitio, tum quia species non sunt vniuersales in repræsentando, vt suprà diximus; tum quia licèt essent, tamen cognitio conclusionis non fit immediatè per eas, sed mediatè, scilicet per eas quæ immediatè causauerunt cognitionem principiorum, ex qua cognitione deducitur cognitio conclusionis, nam etiamsi conclusio possit immediatè cognosci per proprias species, non tamen vt immediatè deducitur ex cognitione principij; quia tunc solùm cognoscitur per illas, in quantum causant cognitionem principij, & sic mediatè.

Ad secundum respondetur, quòd dupliciter potest veritas aliqua cognosci, vel per immediatas species, vel per mediatas. primo modo cognoscitur veritas absque eo quòd deducatur ex veritate alterius: secundo modo cognoscitur veritas, prout deducitur ex veritate alterius; concedo ergo, quòd veritas illa, quæ manifestatur in conclusione, potest aliàs cognosci in seipsa per species per se infusas immediatas; nego tamen quòd non possit etiam cognosci, prout infertur ex principio iam cognito per species mediatas, quæ habent simul cum intellectu veritatem illatiuam, non aliter, ac species per se acquisitæ principiorum habent etiam virtutem inferendi conclusionem. 13.

Quod diximus de discursu per species per se infusas est similiter verum (quidquid in contrarium dicant Suarez, Vasquez & Hurtado vbi suprà de compositione & diuisione) quia non solùm poterat Christus cognoscere Petrum esse album per species Petri albedinis, & inhærentiæ albedinis in Petro, sed etiam per easdem species Petri, eius intellectus poterat quasi conatu proprio, & propria attributione mentali affirmare ipsum esse album, & per speciem nigredinis negare ipsum esse nigrum, sicut contingit in apprehensione acquisita primorum principiorum, v.g. quia cognosco, seu apprehendo totum esse maius suâ parte, posteà possum habere hoc iudicium per propriam intellectus affirmationem, *totum est* (intellige non solùm apprehendendo, vt volunt Aduersarij, sed etiam affirmando) *maius suâ parte.* 14.

PARS TERTIA.

Vtrùm Christus vsus fuerit hac scientiâ per se infusâ cum conuersione ad phantasma?

VNanimiter concedunt omnes Theologi, qui nobiscum admittunt 15.

tunt scientiam per se infusam circa obiecta materialia in Christo Domino, quòd ad actum huius scientiæ non indiguerit conuersione ad phantasmata, quia cùm species infusæ non sint acquisitæ per sensus, sed independenter ab illis, non indiget earum operatio, quòd comitetur ab operatione phantasiæ, quæ solùm operatur per species acquisitas per sensus. vnde conueniunt quòd Christus Dominus vtebatur hac scientiâ per se infusâ in somno, sicut in vigilia.

16. Differunt tamen Theologi, An anima Christi Domini potuerit vti scientiâ per se infusâ, conuertendo se ad phantasmata. Et conueniunt, quòd benè poterat simul cognoscere per species per se infusas obiectum materiale sensibile, & per alias acquisitas à phantasia, imaginari idem obiectum. Solùm est differentia, An ratione huius simultaneæ operationis debeat intellectus dici cognoscere cum conuersione ad phantasma? quare tota hæc controuersia reducitur ad modum loquendi.

17. Circa quam Medina & Aluarez cum S. Thoma q. 11. art. 2. & 3. affirmant: meliùs verò negant Vasquez, Lorca & Becanus vbi suprà, quia intelligere cum conuersione ad phantasma propriè loquendo est intelligere cum dependentia à phantasmatibus prout cognitis à phantasia, quia cùm intellectus agens simul cum phantasia producat species spirituales, adiuuatur ad hoc per imaginationem, quia phantasia obiecta illorum phantasmatum apprehendit; ergo cùm omnino independenter ab operatione intellectus agentis & phantasmatis, & ab operatione phantasiæ intellectus possibilis intelligat obiectum materiale per species per se infusas, nullo modo dicitur propriè intelligere cum conuersione ad phantasma.

PARS QVARTA.

Vtrum actus scientiæ per se infusæ Christi excedat actum eiusdem scientiæ Angelorum?

18. QVatuor sunt in quibus potest esse excessus, primò in perfectione specifica. 2. in modo cognoscendi. 3. in numero obiectorum. 4. in perfectione intensiua, scilicet in certitudine & claritate. Circa primum dicendum erit, quòd habeat eamdem perfectionem specificam, quia in specie conueniunt rationes specierum, quæ sunt per se infusæ, & similiter ratione intellectus, nam vt diximus in hac disputatione cap. 2. intellectus rationalis in ratione præcisiua intellectus non distinguitur ab intellectu Angeli specie, licèt distinguatur vt discursiuus dependenter à phantasmatibus; ergo & cognitio per se infusa Angeli, & per se infusa Christi non differunt in perfectione specifica.

Circa secundum, isti Auctores, qui, vt vidimus, asserunt quòd Christus vtatur hac scientiâ cum conuersione ad phantasma, dicunt modum cognoscendi in Christo esse imperfectiorem modo cognoscendi Angelorum, qui non vtantur hac scientiâ cum conuersione ad phantasma. tamen prædictum fundamentum est falsum, vt vidimus parte antecedenti. vnde in præsenti est dicendum, quòd non sit differentia in modo cognoscendi. 19.

Circa tertium dicendum est cum communi sententia, quòd numerus obiectorum fuit maior in Christo Domino, quàm in Angelis, quia supremus omnium Doctor fuit & Magister, quod non debet intelligi respectu vnius actus, quia hoc solùm disputari potest in sententia Thomistarum admittenti species magis & minùs vniuersales in repræsentando, sed debet intelligi tam in Christo Domino, quàm de Angelis respectu plurium actuum. 20.

Circa quartum, quod inquiritur de maiori perfectione intensiua, Scotus in 3. dist. 14. quæst. 4. distinguit cognitionem actualem in abstractiuam & intuitiuam, & loquendo de prima concedit cum communi sententia quòd scientia per se infusa animæ Christi excedat in intensione, certitudine & claritate scientiam Angelorum, quia species per se infusæ Christi creuerunt in hac intensiua perfectione super species Angelorum. insuper magis quàm in illa perfectione decrescit intellectus Christi respectu intellectus Angeli, quia sic conueniebat supremo omnium Magistro. Loquendo verò de secunda negat quòd excedat cognitionem intuitiuam 21.

vel

vel abstractiuam ex intuitiua relictam Angelorum, quia cùm in intuitiuam obiectum non vt in specie agat, sed vt in se præsens (verba sunt Scoti) id est; obiectum non cognoscatur per species per se infusas, quæ à Deo possunt accipere maiorem intensionem, sed per speciem, quæ causatur ab obiecto (Scotus enim numquam negauit speciem intuitiuam acquisitam, vt suprà diximus) & aliàs intellectus Christi sit minor, quàm intellectus Angeli, consequenter Christi cognitio intuitiua erit minùs perfecta, quàm cognitio intuitiua Angelorum.

22. Solùm contra hoc possunt obiici tria: Primum, quòd Thomistæ communiter dicunt, scilicet quòd per species per se infusas etiam cognoscatur intuitiuè obiectum, quia sunt vniuersales in repræsentando, & sic etiam repræsentant existentiam, & consequenter non solùm cognitio per se infusa abstractiua Christi est magis perfecta intensiuè, sed etiam eius cognitio intuitiua cùm proueniat hæc ab eisdem principiis, ac illa. Respondetur tamen ex his quæ diximus in hac disputatione quæstione 3. & 4. parte 1. & aliis in locis, quòd species per se infusæ non sunt intuitiuæ.

23. Secundum est, quòd ex hoc, quòd cognitio intuitiua Christi sit minùs perfecta, quàm cognitio intuitiua Angelorum, sequitur nostram sententiam detrahere multum à Christi Domini perfectione: & vt exaggerat Caietanus contra Scotum 3. p. quæst. 11. art. 4. est ponere in cælum os suum. Ad quod respondent aliqui Scotistæ, quòd duplex fuit in Christo Domino cognitio intuitiua (idem dicunt de Angelo) vna, quæ habetur per speciem acceptam ab ipso obiecto, & in hac Christus Dominus exceditur ab Angelis, quia licèt cognitio sit æqualis ex parte speciei, est tamen inferior ex parte intellectus; alia, quæ habetur per speciem per se infusam, sed taliter dependenter ab obiecto vt existenti, & præsenti, quòd si non existat, vel sit præsens, species similiter annihiletur & euanescat, & in hac est superior.

24. Sed contrà, quia Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem*, vers. *& si dicatur*, probat, quòd Christus Dominus naturaliter acquisierit scientiam intuitiuam, quia hanc non poterat habere per species infusas. idem habet loquendo de Angelo in 2. dist. 3. quæst. 11. sed hæc probatio nulla esset, si in Christo posset assignari duplex cognitio intuitiua, vna per se infusa, altera per se acquisita, nam Contrarij dicunt quòd non proficiebat Christus in acquisita, quantùm ad cognoscendum intuitiuè aliquod obiectum de nouo, quia iam nouerat per scientiam per se infusam intuitiuam: hoc autem negat Scotus ibi; ergo necessariò in doctrina Scoti debemus asserere, quòd cognitio intuitiua non potest esse per se infusa, sed solùm per se acquisita, aut per accidens infusa. ita tenent omnes Scotistæ, Faber disp. 38. cap. 1. Rada controuers. 9. art 6. conclus. 4. Pytigianus d. 14. q. 4.

Quare aliter respondeo ad prædictam secundam obiectionem, & concedo quòd cognitio intuitiua Christi sit minùs perfecta, quàm cognitio intuitiua Angeli, nam licèt Christus secundùm gratuita dona animæ sit super Angelos, tamen in his, quæ per sensus, & naturalia accepit, est paulò minùs ab Angelis. vnde Scotus non ponit in cælum os suum concedendo veritatem Catholicam, sed potiùs *lingua* Caiet. *transiuit in terram*, id est, cùm deberet moderatè loqui cōtra Catholicissimum humillimumque Doctorem, non fuit repressa, sed audacter effrænari permissa. videatur potiùs ipse quomodo ex vna parte admittit scientiam per se infusam animæ Christi esse magis perfectam, quàm Angelorum, si ex alia parte docet speciem esse minùs perfectam, & minùs vniuersalem in Christo Domino (quia attemperatur naturæ humanæ ipsius) quàm in Angelis, quod etiam deberet dicere de habitu distincto à speciebus, si illum admittit, & consequenter loquitur: Ex quibus manifestè sequitur, quòd scientia per se infusa animæ Christi sit minùs perfecta quoad intensionem & claritatem, quod est omnino falsum. 25.

Tertium est, quòd species infunduntur ad connaturalem modum operandi; ergo illæ quæ fuerunt Christo infusæ, & quæ infusæ sunt Angelis, debuerunt proportionari eorum naturis, sed natura humana Christi est inferior quàm 26.

quàm angelicà; ergo & species. Respondetur, quòd species, quæ datæ sunt Christo, non solùm sunt datæ intuitu naturæ, sed etiam vnionis hypostaticæ, quare licèt secundùm primam rationem sint inferiores speciebus Angeli, tamen iuxta secundam sunt multò excellentiores, imò sunt excellentissimæ, sicut gratia habitualis Christi fuit in intensione summa negatiua, ita expressè Scotus quæstione 4. litt. A, quare eius cognitio abstractiua per se infusa fuit summè perfectior, quàm angelica. Notanter dico, *eius cognitio abstractiua*, tum quia hæc solùm est per se infusa; tum etiam quia licèt cognitio intuitiua possit per accidens infundi, tamen hæc semper est inferior, quàm cognitio intuitiua Angeli, nam per infusionem per accidens solùm haberi potest species, quæ aliàs acquiri posset ab obiecto creato per vires naturales, & consequenter non potest esse æqualis in perfectione intuitiua cum cognitione intuitiua Angeli, quia hæc superat ad minus ratione virtutis intellectiuæ illius.

QVÆSTIO VII.

De scientia per se acquisita animæ Christi Domini.

1. HÆc est scientia, quæ per se diuiditur in abstractiuam & intuitiuam, quam alij vocant experimentalem; & vtraque fuit in Christo Domino, & absque errore negari non potest, cùm haberet naturam humanam, sicut alij homines; & cresceret in sapientia, sicut ætate crescebat: sed circa eam tria sunt examinanda (sicut de per se infusa) scilicet obiectum, habitus, & actus. Circa primum certum est, quòd obiectum quodcumque materiale & sensibile sit obiectum huius scientiæ: tantùm est difficultas, an reliqua obiecta spiritualia, licèt possint cadere sub hac scientia: negant communiter Thomistæ cum aliquibus Scotistis. Fundamentum est, quia reliqua obiecta vel sunt spiritualia, & sic non possunt cadere sub sphæra sensuum, vel sunt supernaturalia, & sic non possunt cadere sub sphæra potentiæ intellectiuæ naturalis.

2. Nobis autem dicendum est, reliqua obiecta siue spiritualia, siue etiam supernaturalia, dummodò non includant ordinem ad aliquod increatum, & etiamsi includant, dummodò illud increatum sit aliàs clarè cognitum, sint obiecta scientiæ per se acquisitæ, ita Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. *§. ad rationem* in fine dicens, quòd Angelus omnia naturaliter cognoscit præter Essentiam diuinam. Fundamentum huius sententiæ est, quia aliud est quòd obiecta sint entia quoad substantiam supernaturalia, aliud verò quòd supernaturaliter attingantur, hæc enim non sunt connexa, nam supernaturalitas obiecti sumitur in ordine ad efficiens, pro tanto enim aliqua res est supernaturalis, pro quanto ex natura sua petit produci ab aliqua virtute diuina tantùm, & non creata, ex his quæ habet natura huius vniuersi; cognoscibilitas verò obiecti sumitur in ordine ad intellectum, & eius virtutem intellectiuam, quare non valet consequentia, *gratia habitualis petit produci supernaturaliter, ergo intelligi supernaturaliter*, quia entitas & intelligibilitas, licèt sint in eadem re realiter identificatæ, sumuntur tamen in ordine ad diuersa principia. vnde eadem res in esse entis potest esse supernaturalis, quia petit produci à principio supernaturali diuino; & in esse obiecti potest esse naturalis, quia cadit intra sphæram potentiæ naturalis; sphæra autem potentiæ intellectiuæ est tantùm sub ratione entis, hoc est, sub ratione intelligibilis, explicationem huius doctrinæ videbis latam in materia de fide disput. 7. quæst. 2. parte 1.

3. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd entia naturalia spiritualia semper habent esse obiecta naturalia respectu potentiæ intellectiuæ creatæ, sed non semper sunt intellecta naturaliter à Christo propter dependentiam, quam habebat à phantasmatibus, seu à speciebus materialibus, benè tamen aliquando, scilicet quando fuit transfiguratus, quia tunc habuit animam corpori glorioso coniunctam, & cõsequenter intelligentem, sicut Angelus, & anima separata;

obiecta autem supernaturalia licèt vt proportionaliter intelligantur petant cognitiones supernaturales, benè tamen possunt cognosci naturaliter, quia cadunt sub obiecto adæquato intellectus, quod est ens, & aliàs non sunt obiecta voluntaria, sicut Deus: quod maximè nota, nam supernaturalitas obiecti in esse entis sumitur ex diuerso capite, ac supernaturalitas obiecti in esse intelligibilis in doctrina Scoti, nam prima sumitur absolutè in ordine ad efficiens in esse efficientis supernaturale: secunda verò sumitur in ordine ad obiectum in esse obiecti liberum, & voluntarium omnino, sicut Deus.

4. Neque obstat, si dicas, quòd pro statu viatoris non poterat Christus naturaliter cognoscere seu acquirere species obiectorum spiritualium & supernaturalium. Respondeo enim hoc esse de per accidens respectu ipsius scientiæ in quantum acquisibilis, quia diuersi status non mutant naturas scientiarum & obiectorum, aliàs scientia, quæ pro hoc statu esset per se infusa, v.g. circa obiecta spiritualia, in alio statu esset infusa per accidens, quod esse omnino falsum superiùs sæpè diximus, & congruenti exemplo potest hæc doctrina probari, quia ab obiecto sensibili, quod longè distat à sensibus, & non est intra sphæram potentiæ, non potest sensus & intellectus naturaliter habere species, & nihilominùs sunt obiecta naturalia eorumdem; ergo similiter est dicendum de obiectis spiritualibus, quæ pro nunc distant ab intellectu incluso in corpore, quod aggrauat animam: quare scientia, quæ habetur in hoc statu, licèt dependeat à phantasmatibus, perseuerat in alio statu; quapropter Ioannes Baptista dixit Patribus Limbi Christum esse iam in mundo, & citò descensurum ad illos. ita Scotus in 4. dist. 45. quæst. 2. §. *ad quæstionem* in fine.

5. Circa secundum, quod inquirit quæstio, scilicet de habitu, in primis dicendum est, quòd habitus acquisitus non consistit in solis speciebus intelligibilibus, sed potiùs in quadam qualitate facilitante potentiam ad intelligendas conclusiones, & ad intelligenda principia (si fortè prima principia petunt habitum) & consequenter quòd prædictus habitus fuerit in Christo perfectissimè; hic autem tam in esse qualitatis, quàm in esse scientiæ fuit multiplex in Christo, sicut fuit multiplex scientia acquisita Christi, quia circa diuersa in specie obiecta, sicut contingit in nobis. Ratio huius est, quia prædicta scientia acquisita non includit repugnantiam, neque cum visione clara Dei, neque cum vnione hypostatica Verbi, & aliàs est connaturalis homini; ergo est in Christo admittenda.

Ex hoc oritur præcipua in hac quæstione difficultas, scilicet, An scientia per se acquisita fuerit in Christo per accidens infusa; id est, An illi habitus, & illæ species, quæ potuerunt à Christo naturaliter acquiri, fuerint illi infusæ per accidens ab instanti conceptionis. Nec disputamus de habitu aliquo, qui posset per se infundi de potentia Dei (quem debemus admittere vt possibilem, sicut circa obiecta naturalia admittuntur species per se infusæ, sed non ponimus de facto, quia redderet actum huius scientiæ per se acquisitæ per se infusum) sed solùm de illo habitu, qui possit solùm per accidens infundi, sicut species istæ intelligibiles. 6.

In hac re prima sententia docet, quòd scientia per se acquisita fuerit in Christo per accidens infusa in primo conceptionis instanti. hanc sententiam tenent inter Auctores, qui non admittunt scientiam per se infusam, D. Bonauentura in 3. dist. 14. art. 3. quæstione 2. Gabriel quæst. vnica artic. 3. Durandus quæstione 2. inter eos autem, qui admittunt illam, citatur D. Thomas art. 3. quæst. 3. & 5. & tenent Ricardus quest. 2. art. 3. Suarez disp. 30. quæst. 2. Probatur primò, quia non decuit quòd anima Christi aliquid à creaturis realibus didicerit, ergo multò minùs decuit à creaturis sensibilibus scientiam abstrahere & accipere. 2. quia scientia per se acquisita fuit Adamo in primo instanti per accidens infusa; ergo & in Christo. 3. quia virtutes morales per se acquisitæ fuerunt animæ Christi per accidens infusæ (& vt nos etiam diximus disputatione 12. quæstione 3.) ergo similiter scientia per se acquisita fuit illi per accidens infusa. 4. quia si hanc scientiam quotidie acquireret Christus, primò sequeretur 7.

quòd

quòd proficeret in scientia, quod negant Patres. 2. ante acquisitionem perfectam illius esset imperfectè sciens, imò superaretur ab alio homine, qui magis incumbuisset studio, & scientiæ acquirendæ, quod non dicendum. hæc sententia tribuitur Scoto in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem*, sed ibi potiùs expressè habet oppositum.

8. Secunda sententia docet quòd scientia per se acquisita non fuerit Christo per accidens infusa, sed proprio labore paulatim acquisita. ita S. Thomas, Caietanus, & Medina 3. p. quæst. 9. art. 4. Aluarez disp. 53. Raguza disp. 103. Vasquez disp. 55. qui probat primò ex pluribus Patribus, qui concedunt in Christo scientiam nouã sensatione & experientiã acquisitam; deduciturque ex illo ad Hebræos 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Secundò probatur ratione, quia supposito quòd Christus habuit scientiam per se infusam omnium obiectorum actualium, & plurium possibilium, solùm ponitur scientia per se acquisita, vt non deficiat illi modus magis connaturalis animæ, dum est corpori immersa, vt connaturaliter sciat: sed hic habetur per scientiam paulatim acquisitam; ergo hęc fuit in Christo paulatim acquisita.

9. Tertia sententia docet quòd hæc scientia per se acquisita partim fuerit in Christo proprio labore acquisita, partim verò fuerit per accidens infusa. ita tenet Gaspar Hurtado tomo de Incarnat. disp. 8. diff. 22. & probat quia maximè fuit conueniens quòd in Christo non deesset modus connaturalis acquirendi propriã industriã & labore scientiam eorum obiectorum, in quorum notitiam ex sensibilibus potuit deuenire per experientiam; ergo eorum habuit scientiam paulatim acquisitam. Insuper fuit conueniens, quòd eorum obiectorum, in quorum notitiam non potuit deuenire per sensationem, & experientiam, non deficeret illi scientia possibilis per se acquisita, quia hæc non solùm debet admitti propter modum connaturalem acquisitionis illius, sed etiam propter ipsam, quia est perfectio connaturalis animæ immersæ corpori; ergo horum obiectorum habuit scientiam à primo instanti per accidens infusam.

Sed ab hac vltima sententia incipiendo Dico primò: Scientia per se acquisita Christi Domini non fuit partim acquisita, & partim per accidens infusa. ita Vasquez vbi suprà cap. 3. num. 15. Probatur primò, quia hæc sententia amplectitur omnia inconuenientia, quæ pro duabus sententiis adducuntur; ergo non est sustinenda. Secundò, quia ex illa sequitur quòd Christus Dominus habeat circa vnum obiectum tres cognitiones in proprio genere, vnam per se infusam, aliam per accidens infusam, tertiam per se acquisitam; vel si non admittat has tres scientias, saltem debet concedere, quòd ab instanti conceptionis habuit carentiam cognitionis acquisitæ illorum obiectorum, quorum debebat habere cognitionem experimentalem pro diuersis temporibus occurrentem: si autem non reputat inconueniens hanc carentiam admittere circa hæc obiecta, cùm similiter tam scientia, quàm modus sciendi illorum sit connaturalis Christo Domino: neque similiter debet reputari inconueniens illam admittere circa alia obiecta, cùm non sit maior ratio de vna carentia, ac de alia, sicut nec de scientia circa vna obiecta, ac de scientia circa alia. 10.

Dico secundò: Scientia per se acquisita non fuit per accidens infusa Christo Domino in primo conceptionis instanti, sed propriis actibus paulatim acquisita. ita Auctores pro secunda sententia relati, & absolutè illam docet Scotus loco citato, nam vers. *quòd si alicui* absolutè affirmat quòd anima Christi aliqua nouit habitualiter per species infusas, & aliqua non nouit: potest tamen illa noscere, si illa fiant in existentia reali, sicut dictum fuit in 2. (scilicet distinctione 3, quæstione 9.) quòd Angelus potest acquirere notitiam aliquorum obiectorum per actionem illorum in intellectu suo: quod etiam prosequitur Scotus de cognitione intuitiua perfecta & imperfecta, & tandem concludit quòd hoc modo dicitur Christus per experientiam didicisse multa, & ne posset interpretari de scientia experimentali sensitiua, quæ solùm manet in potentiis sensitiuis, 11.

& non progreditur ad potentiam intellectiuam, quam scientiam sensitiuam Aduersarij concedunt Christo, & per eam explicant Patres pro secunda sententia adductos. Addit Scotus hæc verba, *Hoc est per cognitiones intuitiuas, id est illorum obiectorum cognitorum, quantùm ad existentiam, & per memoriam derelictas ab eis.* quod totum procedit de cognitione intellectiua per se acquisita, vt patet.

12. Neque obstat primò, si dicas, quòd quando Scotus in hoc loco dicit quòd aliqua nouit habitualiter, & aliqua non nouit habitualiter, sed potest illa noscere, si fiant existentia: loquitur in vtraque parte de eadem scientia habituali acquisita; ergo conuenit cum tertia sententia, quæ hoc docet. Respondetur negando quòd loquatur de scientia acquisita, quia solùm loquitur de scientia abstractiua vt sic, prout abstrahit ab infusa & acquisita. Et quando dicit quòd aliqua nouit habitualiter, addit per species infusas, quas esse per se infusas iuxta ea quæ docet in sequenti quæstione 4. iam probauimus, & optimè dicit *aliqua*, nam in eius sententia non possumus dicere quòd per hanc scientiam per se infusam cognouit Christus obiecta existentia vt præsentialiter existentia, vt suprà diximus. Quando autem dicit quòd aliqua obiecta non nouit habitualiter, sed illa potest noscere, expressè loquitur de scientia per se acquisibili, vt patet ex verbis allatis: vnde non docet tertiam sententiam, quia illa loquitur de scientia sola per se acquisita: Scotus verò de sola scientia abstractiua vt sic, quæ insuper diuiditur in per se infusam, & per se acquisitam. quare meritò Scotus in eadem quæstione §. *sed contrà ex dictis opinantis*, hanc diuisionem scientiæ in abstractiuam & intuitiuam prætulit diuisioni scientiæ in per se infusam, & per se acquisitam, quia prima diuisio est multò magis apta ad cognitionem scientiæ, quæ fuit in Christo, quàm diuisio secunda.

13. Neque obstat secundò, si dicas, quòd §. *contra conclusionem*, vers. *ex his instantiis*, dicat Scotus, quòd si potentiæ perficiantur ab alio in actibus suis, non possunt illos habere, quia iam præuentæ sunt per terminos perfectos earum, & loquitur de intellectu agente & passibili: vnde concludit, quòd si anima Christi habet à Deo species per se infusas, non poterit habere acquisitas à se, quia iam est præuenta. Respondetur quòd in toto illo §. (vt sæpè dixi) Scotus loquitur ex dictis D. Thomæ, & contra ipsum procedit ad hominem prædicta doctrina, quia si species impressæ, & actus illarum sumunt speciem ab obiecto in doctrina D. Thomæ, sequitur quòd species per se infusæ, & species per se acquisitæ circa idem obiectum non erunt specie distinctæ; & consequenter si intellectus agens & passibilis habent species per se infusas, iam est præuentus, vt non possit habere acquisitas, aliàs accidentia numero distincta essent in eodem subiecto, quod est contra D. Thomam, tamen in doctrina Scoti & nostra, in qua concedimus, quòd circa idem obiectum possunt esse actus, & species impressæ diuersæ speciei, & fortè diuersi indiuidui, non ex eo quòd habeat per se infusas, est præuentus vt non habeat acquisitas, quia istæ sunt diuersæ in specie ab illis, vel ad minus diuersi indiuidui propter minorem naturalem earum perfectionem, & sic non possunt acquiri à potentia, etiamsi habeat illas.

Probatur ergo prædicta conclusio secunda primò, quia modus connaturalis operandi non solùm est quòd sensus exteriores acquirant species ab obiectis præsentibus, & causent sensationes, tam in illis, quàm in interioribus, sed etiam vt intellectus agens accipiat species à phantasia, & illas spiritualiset, cum quibus, & in quibus intellectus passibilis causet intellectiones; sed ad perfectionem naturæ humanæ Christi pertinet, quòd omnes eius potentiæ connaturaliter operentur; ergo Christus non solùm habuit scientiam experimentalem sensuum vltra sensus non progredientem, sed etiam habuit scientiam per se acquisitam intellectus, & paulatim acceptam, sicut ceteri homines, assimilatus est enim eis in omnibus absque peccato. 14.

Secundò probatur præcipuè in doctrina Scoti, quia etiam Deus posset infundere in sensibus species sensibiles obiectorum, imò & actus secundos, & in potentia intellectiua species, & actus 15.

secundos, qui possent elici à scientia habituali acquisita, & nihilominùs nullus censuit quòd hoc fuerit de facto, ne auferret Deus id quod connaturaliter petunt potentiæ in Christo, sicut in quocumque alio; ergo nec censeri debet infundi de facto scientiam habitualem, & species per se acquisibiles propter eamdem rationem.

16. Tertiò, quia non possumus negare cognitionem intuitiuam non infusam per se, nec per accidens in Christo (quantùm ad secundum concedit Scotista relatus) ergo nec possumus negare cognitionem abstractiuam fuisse per se acquisitam. patet, quia omnis abstractiua cognitio connaturaliter procedit ex aliqua, vel ex aliquibus intuitiuis.

17. Dico tertiò: Licèt scientia hæc fuerit in Christo paulatim acquisita, quantùm ad species impressas, & quantùm ad actus secundos, non tamen quantùm ad habitum, seu facilitatem, quæ acquiritur ex frequentatione actuum (non enim admitto alium habitum se tenentem ex parte potentiæ, vt suprà dixi, loquendo de habitu per se infuso) sed prædictus habitus fuit in Christo per accidens infusus ab instanti conceptionis. Hæc conclusio est contra Vasquez cap. 3. infrà numero 16. illam tamen ex parte docet prima sententia, & expressè Hurtado vbi suprà.

18. Probatur, quia licèt connaturaliter acquiratur hic habitus ex frequentatione actuum, tamen aliàs inducit maximam indecentiam, & imperfectionem, quòd Christus Dominus difficulter operaretur suas actiones, & quòd superaretur in hoc ab alio homine dedito studio scientiarum, non enim constat nobis quòd ex proposito Christus incumberet studiis, benè tamen orationi, prædicationi, &c. imò potiùs colligi videtur contrarium ex illo testimonio, *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Insuper hic habitus non posset esse per se infusus, quia vt suppono loquimur de illo, qui non extrahit scientiam ab esse acquisitam; ergo cùm sit supremus omnium Magister, & Doctor, dicendum est, quòd licèt paulatim acquirat hanc scientiam quantùm ad species & actus, non tamen quantùm ad habitum, sed quòd illum habeat ad faciliter intelligendum, & promptè loquendum, & operandum.

19. Dices primò: Ex frequentatione actuum acquiritur hic habitus; ergò Christus illum acquisiuit ex frequentatione suorum; frustrà ergo ponitur per accidens infusus ante suos actus. Respondetur negando quòd Christus Dominus ex frequentatione suorum actuum acquisierit aliquem habitum, quia si hic iam supponitur propter congruentiam dictam, frequētatio actuum impeditur ad illum causandum, nam (vt inquit Scotus vbi suprà) potentiæ iam præuentæ non possunt in actus suos, ita similiter potētiæ iam præuentæ per habitum acquisibilem, sed de facto infusum non possunt mediâ frequentatione suorum actuum illum habitum sibi causare, benè tamen possent, si non haberent.

20. Dices secundò: Hæc indecentia, & imperfectio, quòd Christus Dominus difficulter operaretur, non est priuatiua, sed negatiua, sicut quòd non habeat simul omnes species & cognitiones acquisibiles, quia hoc oritur tum ex eo quòd obiecta omnia non sunt simul præsentia potentiæ iuxta ordinem communem naturæ, tum quia potentia intellectiua est limitatæ virtutis; ergo sicut negamus fuisse hāc scientiam in Christo per accidens infusam quantùm ad species & actus, ita debemus negare quantùm ad habitum. Respondetur esse disparem rationem, quia carentia habitus, licèt attenta natura humana sit negatiua, quia illum non petit semper habere, tamen attenta dignitate magisterij, & dignitate huius naturæ vnitæ Verbo est priuatiua, quia ex illa dignitate oritur debitum habendi prædictum habitum faciliter intelligendi & operandi; at verò carentia scientiæ acquisitæ quantùm ad actus, & specierum, neque quantùm ad naturam, neque quantùm ad dignitatem magisterij inducit priuationem, quia neque in natura, neque in magisterio reperitur debitum habendi simul omnem scientiam actualem acquisitam, & species illius in Magistro, in quo reperitur scientia per se infusa, vt reperta fuit in Christo. vnde ex eo admisimus, quòd paulatim acquireret scientiam quantùm ad actus & species, quia in hoc seruatur connaturalis modus operandi,

randi, & aliàs non inducitur in Christo aliqua imperfectio priuans ipsum aliquâ perfectione sibi debitâ, & per hoc patet ad obiectionem Vasquez, qui eodem modo inquit esse de vtroque philosophandum.

21. Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, Ad primum concedo, quòd non decuerit Christum aliquid à creaturis rationalibus discere, quia omnium erat magister; nego tamen, quòd non decuerit accipere species à creaturis sensibilibus, quia hoc non est discere aut illuminari, docere enim est dirigere potentiam, vt benè vtatur speciebus, quod non præstant ipsæ species.

22. Ad secundum respondeo quod probat, quòd si Christus non haberet scientiam per se infusam, deberet habere infusam per accidens, multò meliùs, quàm Adamus; quia verò habet illam, quæ est multò magis perfecta, non indiguit habere hanc, sed potiùs per acquisitionem istius exercebat perfectionem suæ naturæ humanæ in connaturali modo operandi.

23. Ad tertium respondeo primò disparem esse rationem de virtutibus moralibus per accidens infusis, etiamsi simul cum illis habeat Christus per se infusas (quod reputo verum in doctrina Scoti, vt ibi dixi) ac de scientia per accidens infusa, quia illæ virtutes constituunt perfectum in esse morali, quæ perfectio si aliquo tempore deesset Christo, esset priuatus aliquâ perfectione morali sibi debitâ ratione summæ sanctitatis moralis Christi: incongruitas est autem maxima, quòd Christus habeat priuationem istam: carentia verò pro aliquo tempore scientiæ acquisitæ non inducit priuationem, sed negationem alicuius perfectionis sibi possibilis, sicut habet negationem specierum sensibilium per accidens infusarum, quas posset habere, sicut & actuum secundorum, tam potentiæ sensitiuæ, quàm intellectiuæ, vt dixi in probatione secundæ conclusionis, quia hæc omnia non debentur Christo aliquo titulo. Secundò respondetur solùm probare, quòd scientia per se acquisita sit per accidens infusa quantùm ad habitum, quia in hoc æquiparatur habitibus virtutum moralium, quod concedimus iuxta dicta conclusione 3. non verò quantùm ad species, quia in hoc nulla est paritas & similitudo. Ita Hurtado in solutione huius argumenti.

Ad quartum respondetur, & ad primum inconueniens dico quòd Patres solùm negant quòd Christus proficeret in scientia simpliciter, hoc est, quòd de nouo sciret quod non sciebat; non verò in scientia secundùm quid, hoc est, quòd per diuersam scientiam ab infusa sciret quod non sciebat per illam diuersam scientiam; imò hoc modo explicant illud Isaiæ, *Antequam sciat puer vocare patrem & matrem*; & illud, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum*, &c. & illud, *Iesus autem crescebat ætate & sapientiâ coram Deo & hominibus*, hoc est (vt explicat Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramentô cap. 7. post medium) crescebat sapientiâ, sicut ætate. videatur Vasquez vbi suprà. Ad secundum inconueniens dico, quòd non esset Christus imperfectè, sed perfectè sciens, siquidem habebat scientiam per se infusam; neque superaretur ab homine studiis dedito, siquidem habebat habitum, seu facilitatem per accidens infusam à primo suæ conceptionis instanti. 24.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ, in quantum militat contra nostram, respondetur, quòd licèt verum sit, quòd scientia per se acquita ponatur non solùm propter modum connaturalem operandi, sed etiam propter ipsam scientiam, tamen hoc debet intelligi in subiecto non habente scientiam in proprio genere perfectiorem istâ, qualem habet Christus habendo scientiam per se infusam, non tamen in habente illam. Insuper sicut in Christo non fuit imperfectio non habere antecedenter scientiam acquisitam aliquorum obiectorum, quorum posteà erat acquirenda per experientiam, & hoc non solùm propter modum connaturalem operandi, sed neque propter ipsam scientiam, vt Aduersarij tenentur concedere in sua opinione, ita neque erit imperfectio non habere illam per accidens infusam circa reliqua alia obiecta, neque propter modum connaturalem operandi, neque propter ipsam scientiam. 25.

Circa

26. Circa tertium, quod inquirit quæstio, breuiter dicendum est, quòd actus huius scientiæ per se acquisitæ, si sit circa obiectum materiale, dependeat à phantasmatibus, neque distinguendum est de actu abstractiuo & intuitiuo quantum ad hoc, tum quia connaturaliter loquendo actus abstractiuus dependet semper à speciebus sensibilibus obiectorum intuitiuè cognitorum, siue species sint propriæ, siue alienæ: vnde qui admittunt cognitionem intuitiuam per se acquisitam, necessariò debent admittere cognitionem abstractiuam per se acquisitam in Christo, tum etiam quia species alicuius cognitionis abstractiuæ vel posset acquiri virtute propriâ ab obiecto, vel non, si non, ergo non potuit per accidens infundi, sed per se, si potuit virtute propriâ acquiri; ergo si obiectum illius præsentaretur potentiæ ab illo, posset de facto haberi à Christo alia species similis illi per accidens infusæ; ergo per illam posset etiam cognoscere abstractiuè obiectum; ergo non solùm per scientiam per accidens infusam, sed etiam per se acquisitam, posset de facto cognoscere abstractiuè obiectum: tunc autem vna superfluit.

27. Similiter est dicendum, quòd hæc scientia sit discursiua, & quòd non sit ita perfecta, sicut scientia Angeli. Et ratio huius est tradita à Scoto quæstione 4. quia obiectum eodem modo se habet immissione speciei. Insuper intellectualitas Christi est inferior, quàm intellectualitas Angeli; quia natura eius est inferior naturâ Angelorum; ergo & scientia hæc est inferior. Dices: Potest crescere ex parte habitus. Respondetur negando primò, quia habitus angelicus potest ad minus esse æqualis cum habitu Christi, quia vterque est per se acquisibilis. 2. quia hic habitus non datur ad substantiam, neque ad intensionem actus, vt omnes concedunt, sed ad modum, scilicet ad promptitudinem & facilitatem producendi illum. Insuper est dicendum, quòd hæc scientia dicatur experimentalis, non solùm quia reperiatur in potentiis sensitiuis, quarum operationes impropriè dicuntur scientiæ, sed etiam quia reperiatur in intellectu agente producente simul cum phantasmate species intelligibiles, & in intellectu possibili producente actus intuitiuos & abstractiuos, in quos propriè diuiditur hæc scientia.

28. Sed inquires pro complemento quæstionis, An Christus aliquid didicerit ab homine, vel ab Angelo. Et ratio dubitandi est, quia linguam videtur didicisse à parentibus, & plures historiæ & demonstrationes illi fuerunt propositæ, quas ipse aliàs per suam scientiam non sciebat. 2. quia Lucæ 3. *fuit in medio Doctorum eos interrogans*; ergo ab eis discens. 3. quia Lucæ 22. *in horto apparuit ei Angelus confortans eum*; ergo proponens illi aliquas rationes, quas ipse non sciebat, vt illis persuaderetur ad patiendum.

29. Conueniunt tamen Theologi, quòd Christus nihil didicerit ab homine, vel ab Angelo. Ratio est, quia vt constat Isaiæ 55. & Ioan. 28. *erat omnium magister maximus, & illuminator etiam Angelorum*, vt docuit Dionysius de Cęlesti Hierarchia cap. 7. ergo non debuit doceri & illuminari ab illis. Confirmatur primò, quia habuit scientiam per se infusam, quâ sciebat quidquid alij sciebant: sed ad hoc vt illuminaretur & doceretur, deberet illa nescire; ergo nihil didicit ab homine, vel ab Angelo. Confirmatur secundò, quia si diceret aliquid ab homine, haberet fidem humanam, sine qua non est discere ab homine, sed hæc fides repugnabat Christo ex supradictis, quia poterat subesse falsò; ergo.

30. Ad rationem dubitandi respondetur. Ad primum, aliud esse acquirere linguam parentum, aliud verò discere à parentibus. primum est verum, quia sicut de nouo proponebantur illi verba, de nouo acquirebat species illorum, & hoc sibi volunt illa verba suprà relata, *Antequam puer sciat vocare patrem & matrem*. Nota ly, *sciat vocare*. Secundum est falsum, quia requirebat fidem humanam in Christo, quâ crederet, quòd hoc vel illud verbum haberet hoc vel illud significatum, & hæc, vt diximus, non erat in illo, quia aliàs certò sciebat illas significationes non solùm in verbo, sed etiam per scientiam per se infusam. idem dico de historiis, & aliis demonstrationibus. Ad secundum respondetur, quòd interrogatio non semper fit ad discendum, sed etiam ad magis manifestãdam propriam scientiam:

tiam: vnde ibidem dicitur, quòd *stupebant omnes super prudentia & responsis eius.*

31. Ad tertium respondet Vasquez disput. 56. quòd Angelus laudabat Christo suam fortitudinem, & hoc aliqualiter etiam significari per verbum *confortare*, non verò accipiebat rationes, quas nesciret, vt consolaretur. Lorca verò disp. 51. respondet, quòd verè fuit illum consolatus, quia proponebat illi rationes desumptas ex gloria Patris, & suâ, ex vtilitate redemptionis, quibus liniebat eius tristitiam, & confortabat, licèt illas aliàs sciret. Hurtado autem diff. 24. dicit quòd absque instructione consolabatur illum Angelus per verba confortationis, sed Christum cum effectu non fuisse consolatum, nec acquieuisse consolationi, vt magis pateretur, quæ omnia sufficienter satisfaciunt difficultati: sed insuper addo quòd Christus verè & in effectu fuit confortatus, non quòd secundùm portionem superiorem fuerit instructus, quia vt sic teneret argumentum contrarium, neque per verba consolatoria, licèt Angelus illa adhibuit, sed secundùm portionem inferiorem sensuum per visionem speciosissimi Angeli, & auditionem suauissimæ confabulationis illius, quæ demulcerent & linirent tristitiam, quam etiam sensus habebant, sicut consolaretur Christus, si tangeretur illi cythara; nulla est autem repugnantia, quòd per sensus acciperet aliquam confortationem vltrà non progredientem, quâ anteà carebat. Vel aliter, quòd Angelus confortabat Christum, quia fortè aliquo linteo abstergebat sanguinis sudorem, quem pro orationis vehementia vsque ad terram guttatim effudit, & si loqueretur cum ipso, tamen confortatio ad desudationem expectabat.

DISPVTATIO XVI.

DE POTENTIA CHRISTI DOMINI.

POstquam egimus de Christi scientia, agemus de eius potentia, quæ est virtus quædam productiua, vel effectiua alicuius effectus in se, vel in alio, de qua nonnihil dicit Scotus disputatione 16. quæstione 2. in secundi argumenti solutione.

QVÆSTIO PRIMA.

An humanitas Christi Verbo vnita habuerit omnipotentiam?

1. HIc agimus de omnipotentia simpliciter, quæ est virtus ad omne possibile, & non implicans contradictionem; & non agimus de omnipotentia, quæ est diuinæ naturæ attributum, quia de hac duo docent Auctores. primum, quòd per cõmunicationem Idiomatum Christus in quantum homo fuit omnipotens, sicut fuit Deus. secundum, quòd per illam non potuit humanitas Christi formaliter, seu tamquam ex forma denominari omnipotens, sicut nec vt sic potest denominari Deus, quia hoc requirit receptionem & informationem, quæ repugnant Diuinitati & omnipotentiæ Dei: solùm ergo potest esse difficultas in hac quæstione, an habuerit omnipotentiam participatam, seu per participationem, sicut aliqui volunt æternitatem non per essentiam, sed per participationem, per quam creaturæ mensurentur.

Communis & vera sententia negat humanitatem Christi post vnionem habuisse omnipotentiam participatam. 2.

ita

ita Scotus in 3. dist. 6. q. 2. in solutione secundi argumenti. D. Thomas 1. p. quæst. 13. art. 2. ibi Caiet. & Medina, Valentia q. 13. punct. 1. Suarez disp. 30. sect. 1. Vasquez disp. 57. cap. 1. Lorca disp. 52. Hurtado disp. 9. diff. 1. Et ratio à priori est, quia repugnat per locum intrinsecum, quòd omnipotentia possit esse aliquod creatum, nam de ratione intrinseca omnipotētiæ est, quòd sit virtus productiua cuiuscumq; producibilis; ergo si ipsa potest creari, seu produci, ipsa poterit seipsam producere, quod implicat: vnde optimè intulit D. Thomas ibidem art. 1. quòd Deus erat omnipotens, quia suum esse erat increatum. Confirmatur, quia repugnat æternitas per participationem, quâ creaturæ mensurentur ab æterno, vt latè traditur in materia de scientia Dei; ergo similiter repugnat omnipotentia per participationem.

3\. Sed contrà sunt aliqua testimonia S. Scripturæ & Patrum, nam Matth. vltimò dicit Christus de se in quantum homo est, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, &c. Respondetur non loqui de omnipotentiâ simpliciter, sed de potestate excellentiæ circa iustificationem hominum: vnde statim concludit dicens, *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. Et Ioan. vltimò: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: dicitur tunc collata Christo talis omnipotentia, quia licèt illam habuerit à principio conceptionis, merita tamen ob quæ illi fuit data, fuerunt crucis passione cōsummata: vnde postquā mortuus fuit, & resurrexit, hoc manifestauit, dicēdo: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, &c.

4\. Præterea Ambrosius lib. 1. in Lucam cap. de Salutatione Angelica, super illa verba, *Hic erit magnus*, ait, *non quia ante partum Virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam quam Dei Filius naturaliter habuit homo in tempore accepturus, vt vna sit persona homo & Deus.* Rursus Damasc. lib. 3. de Fide cap. 18. in fine de voluntate humana Christi sic habet: *Et naturaliter quidem non omnipotens erat, vt autem Dei Verbum secundùm naturam & veritatem facta est, omnipotens est.*

5\. Ad 1. testimonium Ambrosij respondetur, quòd loquitur de omnipotentia Dei simpliciter, quam humanitas Christi habet per communicationem Idiomatum, vt patet ex ratione huius, quam tradit in illis vltimis verbis, *vt vna sit persona homo & Deus.* Ad 2. respondet benè Lorca, quòd non loquitur de omnipotentia Dei simpliciter, sed de omnipotētia quoad executionem propriæ voluntatis, quia omnia quæcumq; vult facit, non ex seipsa, sed quia semper conformis est voluntati diuinæ, & voluntas diuina ipsi: vnde facit opera propria omnipotentiæ Dei, vt viuificare mortuos, &c.

Dices: Christo in quantum homini tribuitur omnis scientia; ergo debet etiam tribui omnipotentia. Respōdetur cōcedendo antecedens ex dictis dispūtatione antecēdēti, nego tamen consequens propter disparitatem inter scientiam & omnipotentiam, quia scientia solùm constituit & producit res in esse quodam intentionali & diminuto, qualiter sunt in cognoscente: vnde intellectus imperfectus potest sibi multò perfectiores res producere in hoc esse: at verò potentia producit illas in esse reali & vero, quare indiget virtute perfectiori, vel saltem æquè perfectâ, sicut sunt ipsæ res productæ: vnde sicut ex maiori scientia non sumitur argumentum ad maiorem potentiam, ita ex omni scientia non sumitur ad omnipotentiam. Insuper scientia potest esse scientia suiipsius: at verò omnipotentia non potest esse omnipotentia suiipsius, quia esset virtus productiua suiipsius. 6.

Ex his debetis deducere, quòd potentiæ humanitatis Christi per vnionem hypostaticam non fuerūt physicè maiores, seu potentiores, quàm forent, si essent in proprio supposito creato. ita tenent supracitati Auctores. Probatur, quia natura humana per vnionem ad Verbum non fuit physicè mutata, nec variata; ergo nec eius potentiæ. Si quid ampliùs possunt per illā, quantùm ad immutationem creaturarum, vel proprij corporis, hoc erit ratione virtutis diuinæ, non verò ratione sui. 7.

Sed obiicies cum Ricardo contrarium sentienti in 3. distinct. 14. art. 5. quæst. 2. nam operari sequitur esse, sed humanitas Christi per vnionem habuit perfectius esse, quia existit existentiâ Verbi; ergo & perfectius operari; ergo habuit perfectiores potētias. Respondetur ad maiorem, quòd ope- 8.

rari sequitur esse naturæ, non personæ formaliter, quia esse personæ solùm se habet vt conditio, non verò vt ratio formalis agendi. Ad minorem iam suprà probauimus esse falsam, quia humanitas Christi non existit existentia increata Verbi, sed creata & propria; imò etiamsi existeret existentia increata, non esset ratio agendi, quia hæc solùm esset natura prout distincta ab eius actuali existentia extrinseca.

QVÆSTIO II.

Quâ virtute Christus fecerit miracula, an physicâ, an verò morali?

1. Relicta Iudæorum calumnia, quòd Christus non propriâ, sed dæmonis virtute fecerit miracula, quam Christus reiicit Lucæ 11. Matth. 12. & relicta aliquorum infidelium dementia asserentium, quòd virtute naturali corporis Christi, scilicet per mixtionem ad pondus, seu per temperamentum æqualitatis qualitatum efficiebat miracula, quam latè impugnat noster Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. & Lorca disputatione 53. Supponimus primò humanitatem Christi non fuisse causam principalem miraculorum, sed solùm instrumentalem iuxta locutiones Patrum; nam Damascenus lib. 3. de Fide cap. 15. Theodoretus in Dialogo, qui scribitur immutabilis, vocant humanitatem Christi in his operibus organum, & instrumentum Diuinitatis; & Cyrillus lib. de Fide ad Reginas cap. *quòd viuificus sit Christus*, dicit carnem Christi fuisse viuificatricem propter vnionem ad Verbum: Sophronius Epistolâ quæ habetur in 6. Synodo actione 11. docet, quòd hæc opera fuerunt facta per carnem, & non sine carne Christi: vnde in præsenti inquirimus, An Christi humanitas fuerit instrumentum physicum, an solùm morale.

2. Supponimus secundò, quòd instrumentum physicum est illud quod physico & reali influxu operatur effectum, ita vt inter causam & effectum possit fundari relatio producentis ad productum. Instrumentum verò morale est illud quod operatur inducendo, seu excitando alium vt operetur, & ideò remotè tantùm & mediatè attingit effectum, scilicet mediante causa principali, quam moraliter mouet vt operetur & producat.

Prima sententia affirmat, quòd fuerit instrumentum physicum. ita Caietanus & Medina q. 12. art. 2. Siluius q. 13. Suarez disp. 31. Aluarez disp. 66. Probant primò ex testimoniis Patrum, dum absolutè docent humanitatem Christi fuisse instrumentum Diuinitatis, & deduci videtur ex illo Lucæ 2. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes;* & Lucæ 8. *Ego sensi virtutem de me exiisse*, quia hæc testimonia nequeunt commodè intelligi de virtute morali, sed physica. 3.

Secundò probatur ratione, quia homo Christus faciebat miracula potestate & imperio, non oratione; ergo non vt instrumentum morale, sed vt physicum. Antecedens patet Lucæ 1. *Surge, tolle lectum tuum*; Matth. 8. *Volo, mundare*; Ioan. 11. *Lazare, veni foras*. Tertiò probant, quia Christus adhibebat tactum manus absque vllo verbo, vt quando Matth. 8. *Sanauit socrum Simonis, & per tactum fimbriæ vestimenti Christi*; Marci 5. & Lucæ 8. *Sanata est mulier patiens fluxum sanguinis*. Quartò, quia maior est perfectio Christi, quòd sit instrumentum physicum, & aliàs non repugnat; ergo, &c. 4.

Secunda & vera sententia negat, quòd humanitas Christi fuerit instrumentum physicum ad patranda miracula. ita Vasquez disp. 57. cap. 5. Raguza disp. 106. Becanus cap. 10. Hurtado disp. 8. diff. 4. Durandus in 3. d. 14. q. 5. ad 2. neque dissentit D. Thomas ibid. disp. 16. q. 1. art. 3 & 2. q. 178. art. 1. ad 1. & necessariò illam fateri debent Scholastici omnes, qui cum Scoto in 4. d. 1. q. 5. negant Sacramenta esse instrumenta physica gratiæ, quia de vtraque est eadem ratio, saltem quantùm ad aliqua miracula. Probatur ergo hæc sententia sic ab aliquibus Auctoribus: De ratione instrumenti physici est, quòd natiuâ suâ virtute attingat ipsum effectum, vel præuiam operationem physicam ad effectum simul cum causa principali, sed in humanitate Christi nulla apparet virtus innata, quæ possit hoc præstare respectu miraculorum; ergo. 5.

Respondent Aduersarij, hanc rationem 6.

nem instrumenti physici admittentes, quòd hoc solùm requiritur ad instrumentum physicum naturale, non verò ad instrumentum physicum supernaturale, quia hoc potest à Deo assumi, etiamsi nullam habeat virtutem propriam: quod probant exemplo Sacramentorum, nam Deus assumit aquam in baptismo, etiamsi nullam habeat virtutem ad producendam gratiam sacramentalem. Sed contrà, quia similiter asserit nostra sententia, quòd Sacramenta non sunt instrumenta physica, sed moralia, quia non habent virtutem natiuam, quâ attingant effectum, vel præuiam operationem ad effectum, sed solùm virtutem moralem ratione institutionis diuinæ.

7. Quia tamen prædicta ratio videtur supponere, quòd de ratione instrumenti physici sit aliqua virtus natiua inchoata in ipso, in actu primo existens in ordine ad effectum: quod in vera doctrina Scoti in 4. distinctione 1. reputo falsum: ideò aliter probo hanc nostram sententiam, quia duo per se requiruntur ad hoc, vt aliquid sit instrumentum physicum: primum, quòd in actu primo nullam habeat natiuam virtutem physicam (non dico formalem, sed effectiuam) in ordine ad effectum, aliàs esset causa principalis ad minus partialis: secundum, quòd illam participet in actu secundo à principali agente: sed humanitas Christi Domini non solùm non habuit aliquam virtutem physicam in actu primo, sed neque illam habuit participatam à principali agente in actu secundo in ordine ad patranda miracula; ergo humanitas Christi non fuit instrumentum physicum in ordine ad illa. Maior probatur primò, quia causa instrumentalis non distingueretur à causa principali partiali. Insuper intellectus, v. g. modò esset causa principalis, scilicet quando eleuatur in ordine ad visionem in actu primo per lumen gloriæ, seu per speciem impressam; & modò esset causa instrumentalis, scilicet quando eleuatur in actu secundo, quod est falsum, quia semper adhibet proprium influxum in effectum non minus quàm generans respectu prolis.

Secundò probatur à paritate serræ, quæ est verum instrumentum physicum, nam in actu primo nullam habet virtutem effectiuam, quia quantitas ratione cuius scindit lignum hoc facit in genere causæ formalis per incompossibilitatem partium, sed sola virtus physica effectiua est impulsus sibi impressus à principali agenti in actu secundo, seu actuali motione: vnde effectus secutus, scilicet scissio ligni tribuitur in genere causæ formalis quantitati serræ, & in genere causæ efficientis toti serræ, quæ in actu secundo habuit virtutem in genere causæ efficientis à principali agente. Minor probatur, quia nulla apparet virtus, quam humanitas Christi participauerit à Deo, quia si fuit materialis, non potuit operari effectus spirituales; si spiritualis, non potuit recipi in subiecto materiali. 8.

Ad hoc argumentum conantur respondere Contrarij, sed numquam satis explicant, quæ sit hæc virtus. Primò respondent Scholastici antiqui, quòd Deus impressit humanitati Christi quamdam qualitatem citò transeuntem, & aliqui vocant quasi intentionalem, quia se habet sicut species impressa. Sed inquiro, An sit materialis, vel spiritualis? & perseuerat argumentum factum. Præterea quæ qualitas potest esse, quæ mortuos resuscitet, tempestates sedauerit, &c. Ideò secundò respondet Caietanus, quòd absque impressione qualitatis eleuauerit Deus humanitatem Christi solam impressione cuiusdam motus. Sed inquiro, An iste motus habeat terminum productum in humanitate Christi, sicut impulsus in serra? & tunc redit idem argumentum; si verò non habet, quid facit in humanitate Christi, vel quid applicat ex his, quæ sunt in humanitate Christi, vt producat & agat miraculum? 9.

Præterea motus alterationis cùm sit fieri rei, vel ipsum comitetur, solùm recipitur, vbi recipitur res facta: sed sanitas, v. g. solùm recipiebatur in infirmo sanato, & non in Christo; ergo in Christo nullus motus (quantumuis virtuosus appellctur) recipiebatur ratione cuius operaretur, vt instrumentum physicum. 10.

11. Quare tertiò respondet Suarez disputatione 31. sectione 5. non esse necessarium humanitatem Christi aliquid recipere per prædictum influxum, & motũ virtuosum, quia ratione potentiæ obedientialis actiuæ, quam quæcumq; creatura (etiamsi non sit physicè actiua, vt quantitas, & relatio) habet in ordine ad hoc, vt sit Dei instrumentum ad quemcumque effectum concurrit humanitas Christi vt causa instrumentalis. Sed contrà quia vel aliquid agit humanitas Christi per istam potentiam obedientialem actiuam, vel nihil, si aliquid, ergo habet aliquem influxum proprium, & consequenter sequuntur plura. primum, quòd sit causa principalis partialis. 2. quòd possit compleri in actu primo, sicut completur intellectus per lumen in ordine ad visionem. 3. quòd aliquod prædicatum debeat correspondere illi in effectu. 4. quòd idem miraculum, v. g. expulsio dæmonis, quæ fieret ab humanitate Christi, posset fieri à quantitate ligni, & à relatione similitudinis inter duo alba, quæ videntur falsa. si nihil agit, ergo per illam obedientialem potentiam non habet rationem instrumenti physici.

12. Quartò respondent alij humanitatem Christi habere se vt instrumentum, licèt non concurrat per potentiam obedientialem actiuam, neque recipiat motum aut qualitatem, quia Deus illi physicè assistit, & sic solùm per extrinsecam Dei assistentiam habet rationem instrumenti physici. Sed contrà quia de ratione physici instrumenti est quòd assumatur à principali agente, & medio illo operetur: sed si nihil physicum recipiat Christi humanitas à Deo, non assumitur ab ipso, vt instrumentum physicum; ergo per solam extrinsecam assistentiam non erit instrumentum physicum. Et confirmatur, quia per hanc assistentiam solùm recipit denominationem extrinsecam, quæ non est virtus physica, sed quid rationis; ergo, &c. manet ergo probatum, quòd humanitas Christi non possit se habere vt instrumentum physicum respectu miraculorum.

13. Tandem probatur nostra sententia, quia quæ virtus potest habere physicam actiuitatem ad extrahendas animas ab inferis vt corporibus vniantur, præcipuè cùm in sententia D. Thomæ 1. p. quæst. 8. ita sit necessaria præsentia agentis ad passum, vt existimet hanc consequentiam esse formalem, *Deus vbique operatur, ergo vbique est præsens.* Præstereà si miraculum ambulandi super aquas consistit in substractione concursus Dei, quo non finit ipsas dilabi in ordine ad illam, nulla potuit esse adhuc in Christo virtus positiua; ergo nullo modo Christus operatus fuit miracula, vt instrumentum physicum: non nego quòd per qualitatem agilitatis potuisset hoc miraculum operari, sicut reperitur in Beatis, sed tunc agilitas se haberet vt causa principalis.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad primum dicimus Patres solùm voluisse significare quòd humanitas Christi non erat causa principalis miraculorum, & ideò eam appellant instrumentalem, non tamen quia existiment quòd sit verum instrumentum physicum; quando verò testimonia S. Scripturæ dicunt, quòd *virtus de illo exibat*, per virtutem non intelligunt fluxum ab aliqua qualitate physica in Christo existenti, sed intelligunt ipsum miraculum factum à Christo, iuxta phrasim S. Scripturæ Matthæi 11. Marci 6. Lucæ 10. *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes*, id est miracula, & licèt per exitum seu fluxum virtutis soleat significari causalitas physica, etiam potest intelligi causalitas moralis, quia verba, quibus in causa, fluxu, & effectu morali communiter vtimur, desumuntur à physicis. 14.

Ad secundum respondetur, quòd etiam Iosue imperio detinuit Solem, & D. Petrus Ananiam & Saphiam interfecit, & non deprecatione & etiam secundùm D. Thomam 2. 2. quęst. 178. hæc fuerunt vt causæ morales, & non vt physicæ. Et ratio est, quia quod per amicos deprecatione, & per seruos imperio possumus (quæ sunt causalitates morales) dicimus nos posse, præsertim quia credibile est nullum miraculum fecisse Christum absque oratione expressa aut implicita (orta aut à scientia beata, vel ab infusa, in quibus semper vigilabat) iuxta illud Ioan. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis;* & hoc modo factam fuisse resurrectionem 15.

nem Lazari constat ibidem ex illis verbis, *Gratias ago tibi, quoniam exaudisti me.*

16. Ad tertium respondetur, quòd si quando adhibebat tactum manus ad præstandam aliquam sanitatem, hoc faciebat aliquâ oratione (quod reputo falsum) adhuc tamen non operabatur tunc per aliquam virtutem physicam, sed per moralem: vnde nota, quòd virtus moralis quasi permanens, quæ erat in humanitate Christi ad miracula patranda, fuit illa dignitas, quam habebat ex vnione ad verbum, & derinabat in actus illius, consistebatque in quadam denominatione extrinseca, ratione cuius dignitatis mouebat Deum ad hoc, vt ad imperium, ad tactum, & ad alias operationes illins efficeret illa miracula, quæ volebat natura humana fieri, & per hanc virtutem permanentem & moralem operabatur illa.

17. Ad quartum respondetur, quòd iam ostendimus repugnantiam in eo quòd Christi humanitas sit instrumentum physicum, & etiamsi hæc non adesset, non ideò statim erat illi prædicta perfectio tribuenda, non enim debet tribui omne possibile, solùm ex eo quod possibile.

18. Ad ipsum quod diximus de virtute humanitatis ad faciendum miracula, dicimus similiter ad producendam gratiam in sua membra, quia idipsum concludunt probationes pro nostra sententia. Insuper non est caput ipsorum physicum, sed morale. Prætereà gratia de facto (in quo sensu loquimur in præsenti non de possibili, quia in hoc aliqualiter attigi hanc difficultatem disputatione 9. quæstione 1.) est creata, & sic non potest produci, nisi à solo Deo. Prætereà quia data fuit antiquis Patribus & Angelis per merita Christi. Vnde si physicè in illam influunt, sequeretur quòd antequam in executione reali existeret, operaretur, quod repugnat.

19. Hîc solet inquiri, Vtrùm Christus in quantum homo habuerit omnipotentiam quãtùm ad executionem propriæ voluntatis, id est, si facta sunt omnia quæ Christus voluit, ad hoc faciliter respondetur cum communi sententia, quòd facta sunt omnia quæ efficaciter voluit fieri, siue per se, siue per alios, & non sunt facta quæ inefficaciter voluit. vnde sicut Deus dicitur omnipotens, licèt non fiant quæ inefficaciter vult, ita Christus. ita S. Thomas quæst. 13. art. 4. in corpore Caietanus, & ceteri Expositores ibidem; & probatur ex Augustino quæstione 77. noui & veteris Testamenti, vbi sic habet, *Impossibile est Saluatorem voluisse id quod non est adimpletum, sed quod factum est id voluisse Christum dicendum est, neque potuisse velle id quod sciebat fieri non debere*; & ratio etiam suadet, quia Christus nouerat decreta diuina; ergo debebat velle efficaciter quæ Deus decreuerat efficaciter, & solùm inefficaciter qnæ non decreuerat efficaciter, & hoc siue vellet fieri per alios, siue per se (quidquid in contrarium velit Vasquez disputatione 58. cap. 2.) ad testimonia S. Scripturæ & Patrum, quæ ipse adducit; iam diximus disputatione 10. quæstione 3. parte 3. quia de omnibus currit eadem ratio. Neque obstat asserere, quòd aliqua voluit efficaciter quæ non euenerunt, quia non volnit illa efficaciter vt instrumentum Dei, sed solùm ex viribus naturæ, vt ostenderet imbecillitatem naturæ humanæ, & sic non euenerunt, nam respondetur hæc ipsa voluisse inefficaciter, siquidem potuit vti omnibus suis viribus tam naturalibus, quàm supernaturalibus vt euenirent, & noluit.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Christus secundùm quòd homo fuerit Rex temporalis omnium regnorum?

Non loquimur in hac quæstione de potestate, & iurisdictione indirecta circa regna temporalia, quæ oritur ex potestate directa circa spiritualia, quia temporalia seruiunt spiritualibus, & propter spiritualia mutari possunt temporalia, quatenus ad bonum spirituale necessum fuerit, quia certum est apud omnes Christum Dominum illam habuisse, imò & communicasse Ecclesiæ, & Summo Pontifici, sed loquimur de potestate, & iurisdictione temporali regia directa, eo modo quo ceteri Reges illam habent. 1.

2. Prima sententia negat Christum Dominum secundùm naturam humanam illam habuisse. ita Victoria relect. 1. de potestate Ecclesiæ quæst. 5. Medina quæst. 59. art. 4. Valentia quæst. 22. p. 6. Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 4. Becanus cap. 24. & probant primò ex illo Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2. probat quia nullo titulo fuit Rex omnium regnorum, quia non iure hæreditario, nec electione populorum, nec iure belli, vt patet, nec institutione aliquâ Dei, quia de hac non constat; ergo. 3. quia Christus nullum actum Regis exercuit; ergo in eo frustrà esset potestas regia. 4. quia si Christo talis potestas competeret, eam abdicasset, quia hoc esset perfectius, sicut & abdicare vsum talis potestatis. 5. quia aliàs ceteri Reges non essent veri Reges, cùm non haberent dominium suorum regnorum insolidum, sed tantùm essent vicarij Christi. 6. quia sicut Pontifex est vicarius Christi, esset similiter Rex totius vniuersi.

3. Secunda & vera sententia affirmat, quòd Christus Dominus secundùm naturam humanam fuit Rex temporalis omnium regnorum, & habuit potestatem directam, & iurisdictionem temporalem in omnia mundi regna supremam, & altioris cuiusdam ordinis, ac sunt reliquæ potestates aliorum Regum. ita tenent Antoninus 3. p. tit. 3. cap. 2. Waldensis lib. 2. doctrinæ fidei cap. 29. Molina tom. 1. de Iustitia tit. 2. disp. 28. Suarez disp. 48. Vasquez disput. 87. Raguza disp. 25. Lorca disp. 83. memb. 2. Fundamentum huius nostræ sententiæ est, quia vt aliquis sit Rex temporalis, sufficit quòd habeat potestatem supremam ad præcipiendum in his, quæ ad politicam reipublicæ gubernationem spectant, & ad ferendas leges pro ea gubernatione, & ad lites temporales dirimendas: sed humanitas Christi ex eo solùm quòd fuit Verbo substantialiter vnita ita excellens, & omnibus superior effecta est, vt ipsi debeatur non solùm omnis perfectio spiritualis, sed etiam omnis corporalis, præserrim moralis, videlicet reuerentia, obedientia, adoratio, potestas, & imperium, cùm hæc naturæ humanæ vnitæ non repugnent; ergo habuit potestatem ad præcipiendum, ad ferendas leges, &c. pro gubernatione omnium regnorum. Et confirmatur, quia incongruum, indecorum, & contra rationem esset non obedire naturæ humanæ Verbo diuino vnitæ præcisè ex hoc titulo, quia vnita erat; ergo etiamsi non habeat alios titulos ratione huius solutionis, habet prædictam potestatem.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondeo, quòd in illo loco, sicut & in aliis loquitur de actu & exercitio regnandi, quia nihil mādauit Christus in quantum Rex temporalis, nec aliquando fuit vsus tali potestate; nos verò loquimur de sola potestate quasi in actu primo, quam dicimus habuisse. 4.

Ad secundum dicimus, quòd habuit hanc regiam potestatem titulo vnionis hypostaticæ, qui titulus excellentior est illis omnibus ab argumento relatis. 5. Ad tertium concedo antecedens, & nego consequentiam, quia licèt eius potestas nullum habuerit exercitium non fuit frustrà, quia vnio ex qua proueniebat non erat frustrà, quia dignificabat naturam humanam, & ipsam cōstituebat dignam obedientiâ, cultu, & adoratione regiâ: insuper deseruiebat tamquam materia humilitatis, quæ relucet in eo quòd habens potestatem regiam non exerceret illam. Ad quartum respondetur, quòd non potuit à se abdicare talem potestatem, sicut neque vnionem hypostaticam ex qua oriebatur. Ad quintum dicimus, quòd argumentum cōcluderet, si potestates aliorum Regum essent eiusdem ordinis cum potestate regia Christi, quia non possunt dari duo Reges in solidum alicuius regni, tamen potestas Christi fuit superioris & excellentioris ordinis: vnde sicut non repugnat regia potestas hominum simul cum regia potestate Dei, cui humana subordinatur, ita neque respectu regiæ potestatis Christi, cui humanæ subordinabantur potestates, quæ non sunt vicariæ Christi potestates. Ad sextum respondetur, quòd Romanus Pontifex non est vicarius Christi quoad regiam potestatem directam, sed quoad spiritualem, imò nec habet omnem potestatem spiritualem, quia nequit constituere Sacramenta.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Christus fuerit peculiariter Rex Iudæorum?

1. IN hac quæstione inquiro, An præter regiam potestatem communem & supremam, quam quæstione præcedenti diximus habuisse Christum super omnia regna, habuerit peculiarem potestatem temporalem Regis Iudæorum, ita vt regia potestas illius regni conueniat eius humanitati, sicut conuenit super sua regna aliis Regibus. Lorca disput. 83. memb. 1. & Gaspar Hurtado disp. 19. diff. 11. referunt pro affirmata sententia Armacanum lib. 4. quęstionum Armenorum cap. 15. & 16. Bachonium in quarto, quæstione 1. prologi art. 2. Burgensem in 1. caput Matthęi additione 2. & probant ex illo Lucæ 1. *Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris sui*; Ioan. 2. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*; Michææ 5. *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. *ex te enim orietur Dux, qui regat populum meum Israel*; & Pilato interroganti Christum Matth. 27. *Tu es Rex Iudæorum?* Christus annuens respondit, *Tu dicis*; & Machabæorum cap. 54. quando Principes Iudæorum elegerunt Simonem Machabæum in Ducem & Principem Sacerdotum, vt perseueraret in eius familia addiderunt, donec resurgat Propheta fidelis, id est Messias; ergo, &c.

2. Secundò probatur, quia non aliâ ratione fuit Dauidi promissa possessio perpetua, & successio regni Israelitici, nisi quia per filium eius Christum continuandum & confirmandum; ergo. Tertiò, quia Virgo Maria erat ex progenie Dauid, & mulier succedebat in iure hæreditario, vt patet Numerorum 27. & licèt non descendat Virgo ex Dauide per lineam regiam, scilicet per Salomonem, sed descendebat per Nathan, vt communior tenet sententia. Prætereà fuit Christus filius adoptiuus Iosephi, quod sufficit ad habendum ius ad hæreditatem regni.

3. Verior tamen opinio negat Christum fuisse peculiariter Regem Iudæorum iure hæreditario, vel alio titulo. hanc tenent Waldensis lib. 2. doctrinæ fidei cap. 76. Sotus de Iustitia art. 1. Vasquez disp. 87. Raguza disp. 26. Becanus cap. 24. & communiter Theologi. Hæc sententia breuiter probatur, quia regnum Iudæorum non fuit Christo debitum iure belli, vt patet, nec electione populi, quia de prima constat, imò Ioan. 6. constat Christum fugisse in montem, quando post saturationem quinque millium hominum voluerunt ipsum Regem facere, & populus ipse in passione eius Cęsarem aclamauit in Regem, negans Christum, & dicens, *Nos non habemus alium Regem, nisi Cæsarem.* Insuper non fuit illi debitum titulo successionis, seu iure hæreditario, quia Virgo Maria quamuis fuerit ex familia Dauid, non tamen per Salomonem ad cuius successores solùm pertinebat regnum. Prætereà quamuis pertinuisset ad Virginem, non tamen ad Christum, quia ante Virginem mortuus est; & quamuis pertinuisset ad Iosephum (quod non constat, quia nec constat quòd eius parentes fuissent immediati successores regni; & etiamsi fuissent, non constat quòd Ioseph fuerit eorum primogenitus) multò minùs pertinuisset ad Christum, quia non fuit eius filius naturalis, sed putatiuus; & si fuisset quòd esset adoptiuus, id non sufficeret existentibus aliis legitimis descendentibus ex Salomone, prętерquàm quòd etiamsi prædictum regnum in domo Dauid, & Iuda non fuerit finitum in Ieconia, vt benè probat Lorca vbi suprà, quidquid in contrarium dicat Raguza, sed quòd permansit in eadem domo, etiam post transmigrationem Babylonis, tamen posteà electione populi fuit datum Machabæis descendentibus ex Iuda per lineam femineam, & ex Leui per virilem; ergo nullo titulo regnum Iudæorum conueniebat Christo Domino.

Dices: Quamuis regnum Iudęorum non conueniat Christo prædictis titulis, conueniebat tamen ratione institutionis diuinæ, nam quando Deus dedit regnum Iudæ & Dauidi, instituit vt perueniret ad Christum, in quo acciperet firmitatem & perpetuitatem. Respondetur quòd licet prædicta successio promissa fuerit Christo, sed non fuit vt regnaret regno temporali, sed vt regnum temporale eleuaret, & transferret in regnum spirituale Ecclesiæ: vnde 4.

appel-

appellatur regnum Dauid, quia ad illud successit, quod patet, ex modo quo testimonia S. Scripturæ promittunt prędictum regnum Christo, quia non solùm promittunt ius regni, sed etiam vsum, & actualem gubernationem, & regnationem: *Regnabit* (inquit Ieremias) *& sapiens erit*, &c. quod non habuit Christus secundùm temporalia, sed secundùm spiritualia, & ita docent omnes Ecclesiæ Patres, & intelligere de regno temporali redolet iudaicum sensum.

5. Ad primum argumentum ex testimoniis S. Scripturæ respondetur ex dictis, quòd loquuntur de regno spirituali Christi Domini, non de regno temporali; id autem quod additur in Machabæis, *donec resurgat Propheta fidelis*, solùm continet prophetiam de eo quòd duratura erat Machabæorum potestas. Ad secundum dicimus similiter, quòd regnum Dauid erat continuandum, & confirmandum in perpetuum per Christum, sed non in quantum regnum temporale, sed in quantum regnum spirituale. Ad tertium iam diximus qualiter nec sufficit quòd Virgo Maria fuit ex progenie Dauid, neque quòd Christus esset filius Iosephi adoptiuus ad hoc vt habuerit ius prædicti regni temporalis.

QVÆSTIO V.

An homo Christus habuerit dominium rerum omnium?

1. Sicut quęstione 3. diximus quòd est duplex potestas regia, vna infima, & communis, quam habent Reges in sua regna; alia suprema, & excellens, quam habet Deus super eadem regna, & Christus suo modo: ita in præsenti notamus quòd duplex est dominium super rem aliquam, vnum commune, & humanum, quod habent homines superiores sibi proprias; aliud supremum, & excellens, quod habet Deus, quæ dominia inter se non cōtrariantur, quia vnum subordinatur alteri, vt fatetur Hurtado disp. 19. diff. 12. non verò quęrimus in præsenti, An Christus secundùm quod homo habuerit dominium infimum & commune super omnes res mundi? quia de hoc omnes fatentur quòd non, licèt verum sit, quòd habuerit super aliquas res, vt statim dicemus: sed quærimus, An habuerit dominium excellentiæ modo sibi proportionato? sicut diximus habuisse potestatem regiam.

Medina quæst. 59. art. 4. Vasquez disp. 89. cap. 6. Hurtado vbi suprà, partem negatiuam tenent. Et probant primò, quia Ioan. 22. in Extrauaganti, *inter nonnullos*, & in Extrauaganti, *quia quorumdam de religiosis domibus*, definit Christum interdum habuisse dominium, & proprietatem aliquarum rerum; ergo supponit non habuisse dominium omnium. Secundò, quia si habuisset dominium omnium titulo aliquo, maximè titulo vnionis, sed hoc non, quia licèt ratione huius constituatur humanitas superior omnibus, & consequenter habens ius superioris, cui debet præstari obedientia, non tamen constituitur domina omnium rerum, quia titulus dominij non sequitur ad regiam potestatem, quia ceteri Reges ex eo quòd tales non sunt domini rerum omnium suorum regnorum; ergo etiamsi Christus fuerit Rex titulo supremæ potestatis ratione vnionis, non fuit dominus rerum omnium. 2.

Suarez verò disp. 48. Cabrera q. 22. art. 1. Lorca disp. 83. & Raguza disp. 24. partem affirmatiuam docent, & meritò, non ex eo quòd Christus arefaceret ficulneam alterius domini, neque ex eo quòd miserit dæmones in porcos, qui præcipitauerunt se in mare, cùm essent alterius hominis, hæc enim potuisset Christus, sicut & alter propheta facere, ex eo quòd sibi nota erat diuina voluntas, quando operabatur hæc miracula, sed ex eo quòd supremum ius super vniuersa regna, & ius supremum super vniuersas res vniuersorum sunt quædam dominia super illa; ergo sicut vnum oritur ex vi vnionis hypostaticæ, ita aliud. patet consequentia, quia nulla est disparitas, nec diuersa ratio, quare Christus ratione vnionis sit rex & dominus supremus omnium regnorum, & ratione eiusdem non sit supremus dominus rerum omnium, & nota quòd non dicimus quòd hoc secundum dominium sequatur ex primo, sed quòd sicut primum habetur à Christo ex vi vnionis hypostaticæ, 3.

ita

ita & secundum, quia argumentum nostrum solùm procedit à paritate.

4. Ad argumenta in contrarium adducta respondetur. Ad primum dicimus, quòd Pontifex loquitur de dominio communi & humano, quod habuit Christus solùm super aliquas res, non super omnes; non verò loquitur de dominio excellentiæ, de quo nostra procedit difficultas: quòd autem Christus Dominus habuerit dominium commune super aliquas res, & hoc vt condescenderet infirmis, tractat peroptimè Dermitius Thadæi in sua Nitela Franciscana cap. 6. art. 1. cum quo tamen stat, quòd in exemplum perfectorum habuerit paupertatem, non solùm in particulari, sed etiam in communi videatur idem Auctor.

5. Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem, quia sicut ratione vnionis fuit illi debita obedientia, &c. ita ratione eiusdem vnionis fuerunt illi debitæ omnes res mundi, præcipuè in nostra sententia asserenti, quòd ipse fuit primus prædestinatorum, & omnia propter ipsum prædestinata & creata sunt: vnde debuit esse Dominus omnium, non ex eo quòd Rex, quia ad regiam potestatem non sequitur dominium rerum cuiuscumque regni, vt probat benè argumentum, sed ex eo quòd est homo vnitus hypostaticè ipsi Deo, quare vt suprà notauimus, nostra ratio fundamentalis procedit à paritate, quia sicut vnum debetur illud, ita & aliud.

6. In calce huius quæstionis solet inquiri, An Christus, sicut dicitur Rex temporalis, & Dominus omnium, ita possit dici Rex spiritualis Ecclesiæ. Et respondeo cum Hurtado disp. 9. quòd sic fundamentum est, quia si propter supremam potestatem super regna dicitur Rex temporalis, & propter dominium super vniuersas mundi res dicitur supremus Dominus temporalis; ita propter supremam potestatem, quam ad condendum leges habuit in Ecclesia, iuxta illud Isaiæ 33. *Ipse est Legifer noster*, & ad imponenda alia, quæ pro gubernatione requiruntur, debet nominari & dici Rex spiritualis Ecclesiæ.

QVÆSTIO VI.

De sacerdotio Christi Domini.

Postquam egimus de potestate regia, venit modò agendum de potestate & dignitate sacerdotali, & conueniunt omnes Catholici Christum fuisse verè & propriè Sacerdotem, quod expressit Paulus ad Hebræos: *Habentes ergo Pontificem magnum Iesum Christum Filium Dei*, &c. & definitur in Concilio Ephesino can. 10. & Tridentino sess. 22. can. 1. & 2. Et ratio huius est, quia ad rationem propriam Sacerdotis, sufficit vt aliquis sit publicâ auctoritate constitutus ad duo munera sacerdotalia, scilicet ad orandum & sacrificandum pro populo, sed Christus non solùm pro nobis orauit, vt constat ex Paulo ad Hebræos 5. vbi concludit quòd pro sua reuerentia exauditus fuit, sed etiam seipsum obtulit in sacrificium cruentum in cruce, & incruentum in nocte cœnæ in pane & vino, & ad vtrumque munus fuit à Deo institutus Sacerdos, quia eius humanitas fuit delibuta vnguento sacerdotali Diuinitatis, vt docent Cyrillus lib. posteriori de recta in Deum fide cap. *de eo quòd Christus*; Nazianz. orat. 4. & plures alij Patres, qui possunt videri apud Recentiores; ergo fuit verè & propriè Sacerdos. 1.

Sed obiicies primò: Nam de ratione Sacerdotis est quòd sit quid distinctum ab ipso sacrificio, nam sacrificans & sacrificatum non possunt esse idem, sed Christus fuit sacrificium pro nobis oblatum; ergo; &c. Respondetur rectè Christū esse Sacerdotem & sacrificium, quia nō est de ratione Sacerdotis, quòd physicè occidat sacrificium, sed sufficit quòd moraliter, & hoc Christus fecit se voluntariè offerendo morti in cultum & reuerentiam Dei tamquam auctoris vitæ & mortis; vnde Ioan. 17. dixit Christus, *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, id est sacrifico me; vnde Nazianzenus orat. 30. dicit Christum dici ouem, quia fuit victima, & Pontificem, quia fuit oblator, & Ambr. 1. Comment. in Lucam ait, *Idem vitulus est, & Sacerdos*. Idem argumētum posset fieri de eo quòd Christus secundùm quod homo non posset esse templum & altare: sed eadem est 2.

solutio, nam sufficit moralis distinctio: vnde est templum, quia in ipso exoratur, & laudatur Deus, & in ipso offertur sacrificium, licet hæc fiant ab ipso, & est altare propter eamdem rationem, & quia aspersum est sanguine, sicut aspergebantur altaria in lege veteri, quando consecrabantur. quòd fuerit templum dicit Hieronym. in Michæam cap. 1. Fulgent. lib. 1. de Fide ad Petrum cap. 2. quòd fuerit altare docet Epiphan. hæresi 55. & Cyrill. Alexandr. lib. 9. de Adoratione, & licèt ad hoc sacrificium meliùs approprietur quòd crux fuerit altare, quia Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. ipsam vocauit aram, & quòd templum fuerit vniuersus mundus, quia Christus passus est in monte extra portam ciuitatis. ita Lorca disp. 82. num. 5.

3. Obiicies secundò ex hoc sequi etiam Martyres fuisse functos officio Sacerdotis in suo martyrio, quia martyrium potuit esse verum sacrificium, nam potuit esse actio deputata in cultum & honorem solius Dei tamquam auctoris vitæ & mortis, & Martyres se voluntariè obtulerunt. Respondetur ex duplici capite deficere martyrium à ratione veri & proprij sacrificij, primò quia occisio Martyris non est mactatio victimæ facta ex virtute religionis, scilicet in cultum & honorem Dei tamquam auctoris vitæ & mortis, sed facta ex virtute fortitudinis; vel ex virtute charitatis, ne quid contra fidem, vel contra legem Dei committat Martyr. Secundò, quia licèt ex virtute religionis & propter suum motiuum faceret, deficeret tamen, quia non fit ab homine deputato publicâ auctoritate ad offerendum sacrificium, seu ab homine habente munus sacerdotale, quare licèt aliquandò Martyres fuerint Sacerdotes, sed non in ordine ad sacrificandum seipsos, sed in ordine ad sacrificium Christi offerendum incruentum.

PARS PRIMA.

An sacerdotium Christi profuerit etiam ipsi Christo?

4. Aliqua sunt disputanda circa sacerdotium Christi, vt exactè explicetur. Et ideò primò inquirimus, An Christus sicut participauit fructum sui meriti, ita participauit fructum sui sacrificij; & non procedit difficultas de participatione fructus orationis, quæ est ministerium, seu munus minùs perfectum ex duobus quæ sunt in Sacerdote, nam hoc certum est, quia pro se orauit vt glorificaretur à Patre Ioan. 12. & consecutus statim fuit, sicut postulauit: sed procedit difficultas de participatione sacrificij; quod est munus magis præcipuum.

Prima sententia negat quam tenet Vasquez disput. 84. cap. 2. tribuitur D. Thomæ quæst. 22. art. 4. in corpore, & ad 2. & probatur primò ex Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. vbi asseritur quòd Christus non obtulit pro se sacrificium, quia peccato caruit. 2. quia duplex est tantùm sacrificium, vnum expiatorium, scilicet ad emundandum à peccatis; aliud gratificatorium, scilicet in gratiarum actionem: sed Christus non potuit pro se offerre sacrificium expiatorium, quia nullum habuit peccatum, neque potuit offerre in gratiarum actionem, quia Christus non subiit mortem, vt Deo gratias ageret, sed vt nos redimeret; ergo licèt oblatio sui ad mortem sibi profuerit in ratione meriti, non tamen in ratione sacrificij. 5.

Secunda sententia affirmat quam veram existimo, & tenet Suarez, Cabrera, Raguza super quæstionem 22. S. Thomas art. 4. quos sequitur Lorca vbi suprà num. 8. & Hurtado disp. 19. diff. 8. Fundamentum est, quia sacrificium potest offerri in gratiarum actionem, & ad obtinendum noua beneficia: vnde posset fieri in statu innocentiæ; ergo absque fundamento negatur Christum etiam eo fine se obtulisse in sacrificium, neque enim denegandum est Christo id quod laudaret, & fieret laudabile in quolibet alio homine. 6.

Confirmatur & declaratur, quia sicut per sacrificium expiatorium repræsentatur, quòd nos deberemus occidi propter nostra peccata in Deum commissa, sicut occiditur illa victima, ita per sacrificium gratificatorium repræsentatur Deum esse Dominum omnium quæ ab illo accepimus, in cuius significationis honorem prædicta victima destruitur: sed 7.

sed licèt Christus non potuerit se offerre in sacrificium expiatorium, quia nullum habuit peccatum, potuit tamen se offerre in obsequium diuini dominij, quia omnia, quæ habebat, & etiam ipsa vita erant Dei; ergo dicendum est, quòd sic fecit, siquidem cedebat in maiorem honorem, & cultum diuinum.

8. Ad argumenta in cõtrarium dicimus. Ad primũ, quòd Concilium loquitur de sacrificio expiatorio, vt patet. Ad 2. nego, quòd non potuerit sibi proficere, & pro se offerre vt sacrificium gratificatorium, quia licèt verum sit quòd Christus subierit mortem primò & principaliter vt nos redimeret, tamen secundariò & tamquam propter finem impulsiuum etiam subiit mortem in protestationem quòd Deus est Dominus omnium quæ habebat, & precipuè suæ vitæ, pro quibus omnibus agebat gratias, & similiter vt impetraret à Deo noua beneficia ratione prædicti sacrificij, scilicet gloriam sui corporis, exaltationem sui nominis, &c. & licèt eadem impetrauerit per eamdem oblationem, in quantum actionem meritoriam, quia vt sæpè notauimus in hac materia nihil obtinuit Christus, quod non obtinuerit in genere causæ meritoriæ.

9. Sed licèt verum sit quòd sacrificium Christi profecerit ipsi Christo, tamen debetis notare non esse simpliciter & absolutè proferendum Christum seipsum pro se sacrificasse, tum quia sacrificium absolutè prolatum supponit pro sacrificio propitiatorio seu expiatorio, tum quia vt diximus non fuit sacrificium pro se tamquam propter rationem motiuam, sed tamquam propter accessoriam seu impulsiuam.

PARS SECVNDA.

Quâ ratione Christus sit Sacerdos in æternum?

10. SVpponimus Christum Dominum esse Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech, iuxta illud psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* quod Paulus in Epist. ad Hebr. præcipuè cap. 7. intelligit & explicat de Christo. Difficultas ergo est inter Auctores, An talis perpetuitas, seu æternitas sumatur pro tota æternitate Dei? An pro duratione vsque in finem mundi? qua ratione illud, quod diu perseuerat secundùm phrasim S. Scripturæ, dici solet æternum.

Valentiá disp. 1. puncto 4. & Raguza disp. 22. docet sacerdotium Christi dici æternum, quia duraturum est vsque ad finem mundi. Fundamentum est, quia sacerdotium sumitur in ordine ad sacrificium, iuxta illud Pauli, *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* vnde *& necesse est hunc habere aliquid, quod offerat.* sed sacrificium Christi incruentum solùm durabit vsque ad finem mundi, & ratione huius sacrificij incruenti Christus dicitur Sacerdos in æternum, iuxta expositionem Concilij Trident. sess. 22. cap. 1. vbi hæc verba habet, *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech esse in æternum, declarans corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & successoribus, vt offerrent, præcepit*; ergo Christus non dicitur Sacerdos in æternum sumptâ æternitate pro æternitate Dei, sed sumptâ pro duratione vsque ad finem mundi. 11.

Medina verò, Suarez q. 22. art. 5. Vasquez disp. 85. & Hurtado diff. 3. docent æternitatem sumi pro æternitate Dei. Probant primò ex Paulo ad Hebr. 7. vbi dicit de Christo, *Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*, sed Christus manet in æternum æternitate sumptâ pro æternitate Dei. Secundò, quia sacerdotium non est nudum mysterium actus sacrificandi, sed est potestas & licentia ad orandum & sacrificandum pro populo, vt docet Tridentinum sess. 23. can. 1. sed hanc habuit Christus ratione vnionis hypostaticæ; ergo cùm hæc duret non solùm vsque ad finem mundi, sed per totã æternitatem Dei, sacerdotium Christi ratione illius dicetur æternum. 12.

13. Sed in hac re dicendum existimo, quòd si sacerdotium Christi sumatur in ordine ad actum sacrificandi, dicetur æternum æternitate sumptâ pro duratione vsque ad finem mundi: si verò sumatur pro dignitate sacerdotali, dicetur æternum æternitate sumptâ pro æternitate Dei; & sic dico quòd vtroque modo possit dici, & dicatur æternum. hanc existimo esse mẽtem P. Lorcæ disp. 82. n. 11. Et fundamentum est, quia

quia Sacerdos dicitur, & ab actu sacrificandi, & à dignitate sacerdotali; ergo & poterit dici Sacerdos in æternum in ordine ad actum sacrificandi, & in ordine ad dignitatem sacerdotalem, sed si sumatur in ordine ad actum non potest dici in æternum æternitate sumptâ pro æternitate Dei, sed pro duratione vsque in finem mundi; & si sumatur in ordine ad dignitatem, potest dici etiam in ordine ad æternitatem Dei; ergo, &c. Per hoc patet ad fundamenta vtriusq; sententiæ, quia prima probat de sacerdotio in ordine ad actum sacrificandi, & de illo in hoc sensu loquuntur verba Pauli & Concilij: secunda verò probat de sacerdotio in ordine ad dignitatem personæ, de qua loquuntur tam Paulus, quàm Concilium.

PARS TERTIA.

Quare Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech?

14. Conueniunt omnes, & etiam hæretici, quòd sacerdotium Christi non dicatur secundùm ordinem Melchisedech, quia fuerit sacerdos eodem ritu, seu institutione, vel ab eo consecratus & ordinatus, sed quia fuit expressior figura sacerdotium Melchisedech sacerdotij Christi, quàm sacerdotium Leuiticum: hæc autem consistit in quatuor similitudinibus, quarum tres adducit & probat D. Paulus ad Hebr. 7. quartam verò adducit Tridentinum sess. 22. suprà citatâ.

15. Prima similitudo est, quòd sicut Melchisedech fuit maior & dignior quàm Leui à quo Sacerdotes Leuitici originem ducebant, quod patet, quia ipsum benedixit, quando in lumbis Abrahami continebatur, & minor benedicitur à maiori: ita Christus fuit sacerdos maior, quàm Sacerdos Leuiticus. Secunda, quia Melchisedech vnam tantùm oblationem legitur obtulisse, Leuitici verò plures, ita Christus vnam tantùm oblationem cruentam obtulit in patibulo crucis, à qua differunt sacrificia Missæ, quia solùm sunt incruentæ repræsentationes illius, vt late in Tractatu de Sacrificio Missæ. Tertia, nam sicut Melchisedech fuit Rex salem, id est Rex pacis, & Melchisedech idem significat quod Rex iustitiæ, & inducitur in S. Scriptura sine patre, & sine matre, & sine genealogia, nec refertur principium aut finis vitæ illius, ita Christus dicitur Rex pacis & iustitiæ Isaiæ 9. & ratione naturæ diuinæ non habet principium & finem, nec habet matrem & genealogiam, nec ratione naturæ humanæ habet patrem. Quarta similitudo est in re oblata, quia obtulit panem & vinum Genesis 14. Leuitici autem hoc simul numquam obtulerunt, vtrumque autem simul obtulit Christus in nocte cœnæ.

Sed contra hanc vltimam similitudinem duo obiiciunt hæretici, primum 16.
quia in prædicto loco Genesis non dicitur quòd obtulit panem & vinum, sed quòd protulit; proferre autem non est idem, quod offerre: secundum, quia Paulus cùm accuratè ostenderet in quo figuraretur Christus in Melchisedech, non fecit mentionem huius similitudinis. Respondetur ad primum quod ex verbis subsequentibus colligitur, quòd ly *protulit* sumitur pro *obtulit*; sic enim habet textus: *Melchisedech proferens panem & vinum* (erat enim Sacerdos Dei altissimi) *benedixit eum:* ecce reddit causam quare protulerit panem & vinum, quia erat Sacerdos Dei altissimi: vnde non solùm Patres Ecclesiæ, sed etiam plures Rabini, quos refert Vasquez disp. 86. & Raguza disp. 23. legunt *obtulit*, & sic canit Ecclesia in festo corporis Christi, & docet Tridentinum vbi suprà.

Ad secundum respondetur dupliciter: Tunc Paulus solùm intendebat 17.
ostendere, quòd sacerdotium Christi excederet sacerdotium Leuiticum, in oblatione autem panis & vini sicut Melchisedech, aut in oblatione animalium sicut Leuitici, non erat excessus. 2. quòd sacrificium, quod à Christo fuit factum in pane & vino, non erat distinctum à sacrificio cruento crucis, & sic non retulit Paulus, quia iam implicitè retulerat in secunda similitudine in qua figurauit, in eo quòd tantùm obtulerat vnum sacrificium. Ex quibus patet, quòd licèt sacerdotium assimiletur Leuitico, sed quòd multò magis assimiletur sacerdotio Melchisedech, & hac ratione dicatur, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

DE

FILIATIONE,

PRÆDESTINATIONE,

ET SVBIECTIONE CHRISTI.

DE his attributis Christi dicendum, quæ relationem dicunt ad Deum, se offert in præsenti Disputatione, de qua non est parua difficultas, cui annexa est alia, de modo quo Christus orauerit ad Deum. de quibus disputat Scotus dist. 7. & dist. 10.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Christus in quantum homo formaliter fuerit filius Dei adoptiuus, an tantùm naturalis?

1. NOTANTER dixi in titulo quæstionis, *An tantùm naturalis*, quia quòd fuerit naturalis ad minus materialiter ratione suppositi diuini, quod homo in concreto sumptus concernit est de fide, vt patet ex Symbolo Apostolorum, *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*, &c. & ex Symbolo Athanasij, *Est ergo fides recta vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est*; & Ioannis 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*; & Pauli ad Hebræos 1. *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula*; & passim hæc veritas reperitur in sacra Scriptura.

2. Notanter similiter dixi, *inquantum homo*, propterea quòd homo capax est filiationis Dei adoptiuæ, cuius adoptionis sæpè meminit sacer Textus ad Roman. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba (Pater)*; & infrà, *quod sumus filij Dei: si autem filij & heredes*. Ad Galatas 4. *Vt adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis filij*. Ad Ephes. 1. *In adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*. Ad Roman. 8. *Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio filiorum*: hæc autem 1. Petri 2. dicitur *regeneratio*; ab Augustino sermone Domini in monte, *gratia spiritualis*; & tandem definitionem accepit à Concilio Trident. sess. 6. de iustificatione, vbi ait, *Iustis proponendam esse vitam æternam, & tamquam hereditatem filiis, & tamquam mercedem benè operantibus*; quærit ergo quæstio præsens, An hęc adoptio conueniat etiam Christo, vt homini.

Pro qua nota primò, quòd adoptio, si prout ad præsens attinet, definiatur, nihil est aliud, quàm *gratuita assumptio alicuius personæ extraneæ ad hereditatem*. quidquid sit, An hoc eueniat personæ ratione personalitatis, vel ratione naturæ, vel ratione vtriusque: hac ratione Mardocheus adoptauit in filiam Esther, quæ non erat filia sua, sed fratris; & filia Pharaonis Moysem adoptauit in filium alienum ab ea, & generatione, & sanguinis affinitione, vt inquit Liber Sacrosyllabus inferiùs sæpè referendus colum. 4. folio mihi 146. 3.

Quare nota secundò, quod adoptio requirit tres cōditiones. primam, quòd persona, quæ adoptatur, sit extranea, hoc est, non habeat ex natura sua ius ad hæreditatem ad quam adoptatur, vt si adoptetur ad ius filij non sit filius, & si ad ius nepotis quòd non sit nepos, &c. 2. quòd talis adoptio sit gratuita, id est, quòd adoptans non necessitetur aliquo, vel adstringatur aliquâ lege ad adop- 4.

 tandum.

tandum. 3. quòd in adoptione interueniat mutuus consensus adoptantis & adoptati, si adoptatus est adultus, & tutoris si sit pupillus. ita cauetur lege *in adoptionibus*, & lege *infans*, ff. *de adoptionibus*.

5. Denique nota tertiò, quòd aliæ conditiones reperiuntur in adoptione humana, quæ quia accidentales sunt, & imperfectionem dicunt, repelluntur ab adoptione diuina. Prima est, quòd adoptatus non accipiat esse naturale ab adoptante, sed hæc conditio per accidens se habet ad adoptionem, tum quia extraneitas requisita in adoptato solùm est respectu iuris ad hæreditatem, tum quia nepos potest adoptari in filium, etiamsi saltem mediate accipiat esse ab adoptante auo; tum denique quia tantùm requirit, quòd non accipiat esse ex vi generationis.

6. Secunda conditio est, quòd adoptio fiat in solatium adoptantis, quia scilicet orbatus est filiis, vel impotens ad illos habendos: sed etiam hæc conditio est per accidens, quia etiam potens habere, imò & habens filios potest adoptare: vnde quotidie pueri expositi adoptantur ab habentibus filios naturales.

7. Tertia, quòd adoptatus non succedat in hæreditatem, nisi post mortem adoptantis: sed conditio ista vel est falsa, quia etiam in vita adoptantis, ex cuius voluntate possunt filij adoptiui constitui veri domini bonorum ipsius, & sæpè cum tali dominio & possessione in matrimonium traduntur; vel si vera sit, proueniret ex imperfectione hæreditatis humanæ, quæ nequit à duobus æquè possideri, nisi velis dicere, quòd adoptans, scilicet Deus decedit in esse obiecti fidei adoptati, vt exponit Augustinus lib.83. quæstionum quæst. 67. vel quòd Christus per mortem decedens dereliquit nobis pacem suæ charitatis & gratiæ, iuxta illud, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, vt ibidem docuit Augustinus.

8. Quarta est, quòd adoptio nihil ponat intrinsecum, sed solam denominationem adoptionis: sed hæc conditio similiter dicit imperfectionem, quia si adoptio ponat aliquid reale inhærens, vt adoptio Dei, quæ ponit gratiam habitualem, erit multò magis perfecta: præterquàm quòd si adoptio Dei formalissimè vsurpetur, etiam ponit denominationem extrinsecam, nam licèt simul cum ea ponat gratiam habitualem, cui gratuita Dei electio ad beatitudinem est annexa de facto, tamen gratia talis exclusa præfata Dei gratuita electione non constituit formaliter, sed tantùm quasi fundamentaliter Filium Dei adoptiuum.

Ex his debetis deducere, quòd omnes iusti, qui accepti sunt ad gloriam, siue homines sint, siue Angeli non solùm dicuntur, sed verè sunt filij Dei adoptiui, iuxta illud Epistolæ 1. Ioan. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* quare quod Alex. 3. p. q. 10. memb. 6. dixit de hominibus iustis veteris Testamenti, quòd scilicet non essent filij Dei adoptiui, venit exponendum cum Augustino sup. ad Roman. 8. videlicet ex vi legis, quâ ratione pertinebant ad vetus Testamentum; tamen ex auxilio gratiæ, ratione cuius pertinebant ad Testamentum nouum, iustificabantur, constituebanturque filij adoptiui, qui omnes sic debent appellari, dum sunt in statu gratiæ, siue prædestinati, siue reprobi sint. quidquid Almainus in 3. d. 10. dicat in contrarium. 9.

PARS PRIMA.

Refertur sententia negans cum suis fundamentis.

Prima igitur in hac quæstione sententia negat quòd Christus secundum quod homo fuerit filius Dei adoptiuus. ita D. Thomas 3. p. q. 23. art. 4. ibi Suarez disp. 49. Vasquez disp. 89. Gaspar Hurtado tom. de Incarnat. disp. 17. diff. 3. Petrus Hurtado ibidem disp. 83. Lorca disp. 84. & communiter Thomistæ, docent Magist. Sentent. in 3. d. 10. D. Bonauent. art. 2. q. 1. Palud. d. 4. q. 3. Gabriel & Almain. q. vnicâ, Ricard. art. 2. q. 1. eam Scotus noster defendere videtur quæstione vnicâ, probabilemque sententiam censuit in reportatis in 3. d. 10. q. vnicâ; tenet Pytigianus quæst. 1. art. 3. Philip. Faber disp. 23. 10.

Hæc sententia probatur primò ex eo quòd definita expresse sit contra Felicem Episcopum Vrgelitanum, & Elipandum 11.

bandum Archiepiscopum Toletanum in Epistola ad Episcopos Hispaniæ edita ab Adriano Papa à Concilio Francfordiensi in Libro Sacrosyllabo compacto à D. Paulino lecto in eodem Concilio, ab ipsoque approbato, & denique in Epistola Imperatoris Caroli Magni scripta ad ipsum Elipandum, quæ omnia coniuncta extant 3. tom. Conciliorum p. 2. vnde ab Epistola Adriani incipiens hæc habet verba non longè à principio, *Nomen paternum tunc manifestauit hominibus, cùm se Patris Filium verum, & non putatiuum; proprium innotuit, & non adoptiuum.* & infrà, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, distinctè enim dixit meum, & vestrum eius videlicet, non per gratiam, sed per naturam, noster verò per gratiam adoptionis;* loquebatur autem Pontifex de Christo vt homine, quia de Christo, vt tali dicebant Felix, & Elipandus, quòd erat filius adoptiuus, vt patet ex illis verbis ipsius Adriani habitis columnâ 4. *Quam adoptionem prauissimo sensu, qui scripsit Epistolam* (scilicet Elipandus) *ad Christi voluit transferri humanitatem.*

12. Deinde probatur ex Libro Sacrosyllabo columnâ 2. fol. 145. hæc habet verba: *Asserunt igitur* (scilicet Felix, & Elipandus) *sed falsis assertionibus irretiti; Dominum nostrum Iesum Christum adoptiuum Dei filium, de Virgine natum; quod diuinis nequeunt approbare documentis: hac igitur dicentes, aut in vtero Virginis eum suspicantur adoptatum; quod dici nefas est, quia de Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit carnem, aut certè purum eum hominem, sine Deo natum, quod cogitare impium est; necesse est fateantur: ac per hoc postea quasi eguerit adoptione à patre in filium sit adoptatus; cùm nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in ceteris Sanctis, purisq; hominibus, sed essentialiter per naturam. Deus, inquit Apostolus, erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Et columnâ 4. folio 146. hæc habet: *Hoc ideò posuimus vt patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis: vnde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis; quia semper verus filius, semperq; Dominus, ac per hoc, & post assumptum hominem veri filij vocabulum non amisit, qui numquam verus desiit esse filius.* sed Christus secundùm quod homo priusquam haberet gratiam habitualem ratione cuius adoptaretur in filium, erat proprius filius; ergo in eum non cadit nomen adoptionis.

Deinde accedat Concilium Francfordiense, folio enim 150. dicit hæc testimonia, *Ideò poscimus vt cognoscatis Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum in vtraque natura esse & vnigenitum, & primogenitum, non adoptiuum, sed magnum Deum.* ecce qualiter negat quòd in aliqua Christi natura sit filius Dei adoptiuus, & fol. 153. dicit: *Adoptiuus siquidem non habet aliam significationem, nisi vt Iesus Christus non sit proprius filius Dei, nec ex Virgine ei in filium genitus, sed nescio ex quo seruo adoptatus in felicitatem, vt vos dicitis;* & vers. *hisce igitur*, ait: *Vnitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis adoptionis tollit iniuriam; si ergo Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptiuus esse, vel seruus? Deum enim nequaquam audetis confiteri seruum, vel adoptiuum.* ecce qualiter vnitas personæ reperta in Christo destruit filiationem adoptiuam etiam in natura humana. Præterea paulò antè dixit Concilium de adoptione: *Vbi hoc nomen didicisti ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non prædicauerunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostra non docuerunt, fortè in tertium cælum raptus fuisti?* ergo Concilium excludit à Christo Domino etiam vt homine adoptionem filij etiam vt inauditam nomine. quæ habet Epistola Imperatoris in eius confessione æquiualent dictis. 13.

Ex his ergo omnibus confecta manet prima probatio, quia tam Adrianus Papa, quàm Liber Sacrosyllabus, quàm Concilium Francfordiense duo definiunt; & quòd Christus non solùm secundùm quod Deus, sed etiam secundùm quod homo sit filius naturalis Dei, & similiter quòd non sit filius eius adoptiuus: imò hoc probant ex vnitate personæ à Nestorio negata, ex qua inferunt negationem adoptionis, & ex affirmatione adoptionis colligunt contra Elipandum errorem Nestorij, scilicet dualitatem personarum; ergo adoptio explosa est in omnibus his verbis relatis tamquam hostis vnitatis personæ, & tamquam comes indiuiduus Nestorianismi. Et confirmatur, quia si 14.

Pon-

Pontifex & Concilium excluderent dualitatem personarum, quæ inueniuntur in filio adoptiuo, & naturali ex vnitate personæ, esset ridicula illatio, quia non esset alia, quàm hæc, *est vna persona, ergo non sunt duæ*; ergo si aliquam non ridiculam consequentiam inferunt, ex eo euenit, quia filiatio adoptiua, & filiatio naturalis arguunt dualitatem personarum, & sic contra dictum Elipandi Christus est adoptiuus, & seruus, ait Concilium Christus est Deus, & vna persona; ergo non est adoptiuus, quia vt sic esset duplex.

15. Secundò probatur hæc sententia, quia qui adoptatur in filium, debet esse extraneus, & non naturâ, sed solo affectu coniunctus adoptanti: sed Christus secundùm quod homo non erat extraneus, & solo affectu coniunctus adoptanti, sed potiùs erat coniunctus cum natura diuina ratione suppositi Verbi terminantis ipsam humanam naturam, & hoc ab instanti suæ conceptionis, ita vt nullum detur instans temporis in quo non fuerit sic coniuncta; ergo Christus secundùm quod homo non fuit filius Dei adoptiuus. Maior huius argumenti propositio expressa est in Concilio Francfordiensi vers. *item sanctus*, vbi habet hæc verba, *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium nō habet?* Minor propter dicta est de fide.

16. Tertiò probatur, quia Christus etiam secundùm quod homo est filius Dei naturalis; ergo non est adoptiuus. Antecedens probatur à diuersis diuerso modo, vt patebit infrà, dum specialiter agamus in hac quæstione de hac diff. nam ratione vnionis hypostaticæ terminatur à persona Filij ratione cuius vel formaliter dicitur Filius ab illa, vel est aliquid cum quo Christus non solùm secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem specialiter & naturaliter refertur ad Patrem, siue hæc sit essentialis vt tota Trinitas, siue notionalis vt prima persona. consequens autem patet, ex eo quòd filius naturalis est filius intraneus respectu Patris, filius verò adoptiuus non est intraneus, sed extraneus; ergo eo ipso quòd Christus secundùm quod homo sit filius Dei naturalis, nequit esse filius eius adoptiuus.

Hanc sententiam ita veram existimant Auctores aliqui, vt oppositam notent censurâ: vnde referuntur Gabriel & Almainus censentes non posse dici securè Christum esse filium Dei adoptiuum, nec absolutè, nec vt hominem. Gaspar Hurtado de ea ait, quòd sit notâ digna. Petrus Hurtado vbi suprà §. 29. sub sect. 4. eam notauit errore; & sub sect. 1. §. 23. ait, quòd prædicta sententia, verbis, & ratione est ipsissimus error Felicis. Et denique ipse Vasquez cap. 6. inquit vt hæresim damnatam esse contra Felicem, & Elipandum in Conciliis Ratisponensi, & Francfordiensi, & sic damnat Scotum, Durandum, & alios Auctores eam defendentes. Sed non miramur, quòd qui semel & iterùm Sanctos inuoluit Ecclesiæ Patres cum hæreticis, idipsum faciat cum Scholasticis. quare vt benè vidit Hugo Cauellus in Scholiis ad 3. lib. Sentent. d. 10. q. vnicâ. Vasquez non didicit à Paulo illud: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. vnde arbor mala*, &c. 17.

PARS SECVNDA.

Explanatur error Felicis & Elipandi, & quid contra ipsos fuerit definitum?

ITa ignobilem quamlibet doctrinam reddit minima in fide nota, & ita aduersa licèt exigua censura sententiam quamlibet denigrat, vt nihil sit quod magis coram insipientibus eam deturpet vt fugiant, & coram sapientibus Catholicis vsquedum benè calcant retardet vt teneant; ideò nihil est quod magis pungat animum Auctoris Catholici, quàm sanam videre inuri doctrinam; quid si morsibus dilaceretur caninis? 18.

Ideò antequam progressum faciamus ad ostendendam sententiam affirmantem, oportet priùs in hac Parte specialiter ostendere errorem Elipandi & Felicis, & quid fuerit contra ipsos definitum, vt doctrinæ Scoticæ veritas patescat, & in fide nota non minima, sed vt videmus maxima pro merito damnetur exilio, & quia totum hoc ex Epistola Adriani Papæ ex Libro Sacrosyllabo, & ex Concilio Francfordiensi 19.

satis

satis superq; colligitur ipsis etiã Aduersariis concedentibus ab ipsis per cõclusiones petẽda venit explanatio prædicta.

20. Sed in primis veniret non contemnenda disceptatio circa auctoritatem Concilij Frãcfordiensis, & consequenter Epistolæ Adriani Libri Sacrosyllabi, & Epistolæ Imperatoris, quod Concilium non multis abhinc annis euulgauit Surius, in quem aliqui Scholastici fuerunt inuecti, tum propterea quòd illud ediderit leui fundamento, cùm tot sæculis delituerit, ita vt à Scholasticis illustribus fuerit ignotum, tum propter stylum, redolet enim elegantiam fucatam, tum & præcipuè quia sanctos Eugenium, Ildephonsum & Iulianum Archiepiscopos Toletanos quos pro se Elipandus citauerat notat hæresi, & tamquam cæcos cæcorum duces, dicit enim ex talibus parentibus tales filios exortos, & tandem concludit eos ignotos fuisse ab Ecclesia vniuersali, cùm tamen sint ab ea in Sanctorum numerum relati, & maximè ipsi plausibllis. vide Concilium folio 149. omitto an verum sit, quod hæretici recentiores proclamant, scilicet quòd in hoc Concilio definitum fuerit contra adorationem imaginum definitam in secunda Synodo Nicena, quorum sententiæ assentiunt Baronius in Notis Concilij Niceni, & Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap. 14. vt refert Surius in Notis super hoc Concilium §. *Nicenam Synodum* fol. 160. quia hoc peius omnibus dictis esset, quia tamen de pignoribus non est tristis, qui fidelis stat promissis (vt commune apud Hispanicos dictitat proloquium) his non inhæreamus, sed admittimus ipsum tamquam verum & legitimè congregatum Concilium Prouinciale, hæreamusq; Recentiorum auctoritati, imò potius ex ipso intendimus cõtra Aduersarios ostendere veritatem.

21. Dico igitur primò: Felix & Elipandus duas in Christo adstruunt personas, seu duo supposita, iuxta duas naturas, humanam scilicet & diuinam, quas habuit. hanc conclusionem tenent Suarez disp. 49. sect. 3. Valentia q. 20. puncto vnico, Raguza disp. 30. §. *secundò*, Lorca disp. 84. memb. 2. ita docuerunt Cæsar Baronius tom. 9. anno Christi 783. n. 5. & 6. item anno 794. n. 5. Mariana lib. 7. de rebus Hispaniæ c. 8. D. Antoninus 2. p. Historiæ tit. 14. c. 1. §. 6. Nauclerus generat. 27. Feuardẽtius in addit. ad Castro cõtra hereses Verbo Christus, Sandorus 7. de visibili monarchia anno 772. Paulus Emil. lib. 2. prope finem, Laurent. Surius in Annotationibus super hoc Concilium, Hugo Cauellus in Scholiis super 3. Sentent. dist. 10. q. vnicã, & plures alij, quos infrà pro sententia Scoti referemus.

Conclusio ita probatur primò ex variis testimoniis tum Epistolæ Adriani, tum Libri Sacrosyllabi, tum Concilij Francfordiensis. Ex Epistola Adriani accipe verba, quæ habet fol. 142. col. 4. eloquentissimus vir S. Gregorius Nazianzenus ad Clidonium ita scribit: *Si quis introducit duos filios, vnum quidem qui ex Deo & Patre, secundum verò qui ex matre, & non eumdem vt adoptionis excedat gratiam, qua promissa est his qui rectè credunt; alienum eum à nostro consortio iudicamus, naturæ verò duæ, Deus & homo, filij verò non duo*, &c. quibus verbis refutat Pontifex errorem Felicis & Elipandi; ergo quia ipsi duos filios admittebant alium naturalem, & adoptiuum alium. Expressiùs hoc habetur in Sacrosyllabo, pagina enim 146. in fine 2. columnæ sic ait: *Dei ergo Filius, quâ ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine, in vna persona coeunte vtraque natura, non duo filij, alius Dei, & alius hominis (sicut illi errando existimant) adoptiuus sit hominis Filius, & sine adoptione Dei Filius, sed in vna persona vnus idemq. Dei & hominis Filius.* 22.

Non minùs clarè habetur in Concilio folio 150. *Quod autem dicitis in Epistola fidei vestra* (loquitur cum Elipando) *ex Patre vnigenitum sine adoptione, primogenitum verò in fine temporis verum hominem assumendo de Virginis carne adoptione, vnigenitum in natura, primogenitum in adoptione & gratia, scimus enim Deum Dei Filium ex vtraque natura & vnigenitum esse & primogenitum, vnigenitus quia solus sine initio ex Deo Patre genitus, & solus ex initio temporis ex matre Virgine genitus: ideoq. in vtraque natura vnigenitus, etiam & primogenitus, quia omnis vnigenitus primogenitus est, licèt secundùm humanam generationem non omnis primogenitus sit vnigenitus.* Ecce qualiter 23.

liter hæretici præfati distinguebant in Christo inter vnigenitum & primogenitum, quam distinctionem impugnat Concilium; ergò distinguebant supposita.

24. Sed quid immoror? accipe vndequaque expressum testimonium, folio enim 152. ex Paschasio hæc refert Concilium verba: *Itaq; in Deo & homine gemina substantia, sed non gemina persona est, quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam non potest, siquidem persona res iuris est: substantia res natura*, &c. vnde contra Elipandum sic ex dictis à Paschasio concludit Concilium, da vnam in Redemptoris Dei hominisque personam. quid clarius?

25. Secundò probatur eadem conclusio testimonio fidei dignissimo Auctoris illius temporis, quo viguit hæresis Elipandi, scilicet Alcuini, qui tunc magister fuit Imperatoris Caroli Magni; lib. enim 3. de Trinit. cap. 9. sic ait: *Ideò cum Patre & Spiritu sancto Vnus est Deus, non nuncupatus, sed Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit, asserens Dei Filium in diuina natura Deum esse verum, in humana nuncupatiuum; similiter in diuina natura proprium Filium Dei, in humana adoptiuum, diuidens vnam personam Filij cum Nestorio in duas personas, id est veri Filij & adoptiui, cùm certissimè constat in illam personam, quam habuit æternaliter genitus, Dei Filium humanam assumpsisse naturam; quam nemo Catholicus fide confirmatus adoptiuam esse ausus sit dicere: Deus Dei Filius humanam assumpsit naturam, non personam.* ergo ex Alcuino Elipandus (cuius hæresim vocat Hispanicam) diuidebat cum Nestorio vnam personam Filij Dei in duplicem, aliam quæ esset veri filij, & aliam quæ esset filij adoptiui, & quòd prima assumebat secundam, quod execratur Alcuinus, quia Deus Dei Filius humanam assumpsit naturam, non personam.

26. Neque valet si respondeas cum Petro Hurtado vbi suprà sect. 2. sub sectione 2. §. 19. quòd illa verba, *diuidens vnam personam*, Alcuinus dixit de suo. Respondeo enim quòd omnia illa verba dixit de suo secundùm ea quæ tunc videbat dici ab hæreticis, seu legebat ex Epistola Elipandi missa ad Imperatorem. Prętereà quid mirum, quòd hoc inferret ex antecedentibus verbis, scilicet, *Dei Filium in diuina natura Deum esse verum, in humana nuncupatiuum*. hæc enim illatio non est ex vna re ad aliam diuersam, sed in eadem re ex vna locutione ad aliam, vt posteà magis explanabo. Idem quòd Alcuinus sensit sibi contemporaneus Ioannes Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum, & plures alij Auctores, quos refert Lorca vbi suprà memb. 2. num. 19.

Tertiò probatur, quia hæretici isti considerabant primò Christum secundùm humanitatem tamquam hominem purum, imò & seruum & leprosum, & posteà adoptatum in Dei Filium, & tandem coniunctum Filio Dei, nuncupatiueque talem; sed hæc non possunt stare, nisi esset in Christo dualitas personarum; ergo illam supponebant, vel prætendebant. Antecedens probatur primò ex nuper dictis de Alcuino. Secundò, ex his quæ habet Adrianus folio 142. *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt æquare eum nubibus, & legislatoribus non erubescatis adoptiuum eum filium, quasi purum hominem calamitati subiectum humanæ, & (quod pudet dicere) seruum eum impij & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare.* Et folio 144. columnâ 7. ait: *Patris testimonio de Filio perhibentis non creditis, qui dixit, Hic est Filius meus dilectus? Spiritus sancti ostensionem specie columbæ, quia ipse esset dilectus Filius, nihili penditis? super quem putatis Spiritum sanctum in specie columbæ descendisse? super Deum, an super hominem? an propter vnam personam Christi, superq; hominis Filium*, &c. Ecce qualiter Adrianus Pontifex reprehendit hæreticos quòd non credant Scripturæ de Christo perhibenti testimonium tamquam de Filio Dei etiam secundùm quod homo, & improbat dualitatem personarum ex descensu Spiritus sancti in specie columbæ, quasi diceret, Super quam personam descendit? super Deum, an super hominem? id est, super personam purè humanam, aut super personam purè diuinam? & concludit dicendo quid deberent affirmare, scilicet propter vnam 27.

per-

personam Christi, super Dei hominisq; Filium descendisse.

28. Præterea idem antecedens probatur ex Sacrosyllabo fol. 145. columnâ 2. *Asserunt igitur, sed falsis assertionibus irretiti, Dominum nostrum Iesum Christum adoptiuum Dei filium de Virgine natum: quod diuinis nequeunt approbare documentis, hac igitur dicentes, aut in vtero Virginis eum suspicantur adoptatum: quod dici nefas est, quia de beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit carnem: aut certè purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur.* Ecce qualiter ex eo quod hæretici asserebant quòd Christus secundùm quod natus ex Virgine erat filius Dei adoptiuus, quærit ab eis, An loquantur de natiuitate intra vterum? id est, de conceptione, aut de natiuitate extra vterum? id est, de partu, & de vtraque côqueritur quid dicant fuisse sine Deo natum, id est sine filiatione Dei, propterea quòd Filius Dei de beata Virgine sumpsit, non adoptauit carnem, id est vniuit sibi realiter, & non tantùm per affectum; ergo quando hæretici dicebant esse Filium Dei adoptiuum, vt natum de Virgine, loquebantur de eo tamquam de puro homine; aliàs argumentum factum non esset ad propositum, possent enim faciliter respondere quòd neque in vtero, neque extra vterum Christus secundùm quod homo fuerit sine Deo natus.

29. Confirmatur hoc ex eodem Sacrosyllabo fol. 146. columnâ 4. vbi sunt ista verba: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Si igitur iuxta hæreticos adoptiuo nomine censetur, vt nos puri & ingrati homines: quo ergo pacto Apostolus eum nomen perhibet super omne nomen habere? adoptiui etenim nomen non est super omne nomen, sed commune, & infra nominum tenetur mensuram. quid clarius?* Ecce qualiter hæretici censebant Christum vt hominem solo gaudere nomine filij adoptiui, & contra ipsos opponit Apostolum dicentem eum gaudere nomine super omne nomen, quale non est filij adoptiui, quia hoc est commune, & infra mensuram nominis veri & naturalis Filij Dei; ergo loquebantur de eo tamquam de puro homine, quia si loquerentur de eo tamquam homine Deo, argumentum præfatum impostura esset, non veritas.

30. Probatur denique idem antecedens ex Concilio Francfordiensi fol. 149. non longè à principio: *Inuenimus enim in libellis vestri principio scriptum, quod vos posuistis, confitemur & credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coæternum, & consubstantialem non adoptione, sed genere. Item post pauca in eodem loco legebatur, confitemur, & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione: non naturâ sed gratiâ: ecce serpens inter pomifera Paradisi latitans ligna.* ergo ex confessione hæreticorum relata à Concilio idipsum quòd affirmabant de Christo vt Deo, negabant de Christo vt homine; & sicut negabant de Christo vt Deo quòd esset filius adoptione & gratiâ, negabant de Christo vt homine quòd esset filius genere & naturâ, & confitebantur eum non esse filium Dei per naturam & generationem, seu genere (vt ipsi loquebantur) qui factus fuit ex muliere, & factus sub lege. Et folio 193. dicit: *Adoptiuus si quidem non habet aliam significationem* (intellige vt hæretici Christum adstruebant) *nisi vt Iesus Christus non sit proprius filius Dei, nec ex Virgine ei in filium genitus, sed nescio ex quo seruo adoptatus in filietatem, vt vos dicitis*; ergo hæretici priùs eum reputabant seruum, & posteà adoptatus in filium, & tandem nuncupatus fuit filius Dei naturalis; ergo verum stat antecedens nostri tertij argumenti; ergo, &c.

31. Quartò denique probatur nostra conclusio, quia non negat communicationem Idiomatum, qui admittit vnitatem suppositi, seu personæ in Christo Domino: sed Felix & Elipandus illam negabant; ergo ex eo quia vnitatem suppositi seu personæ non admittebant. Maior conceditur ab omnibus Catholicis, & est definita veritas in Concilio Lateranensi sub Martino I. consultatione 5. can. 4. & 6. Et ratio id suadet, quia idiomata accidêtium communicantur ad inuicem propter vnitatem subiecti in quo inhærent, qualiter in pomo album dicitur dulce, & e contrà; ergo & propter vnitatem suppositi idiomata naturarum diuersarum substantialium cômunicantur ad inuicem

Minorem probo ex verbis Concilij Francfordiensis fol. 151. contra modum loquendi Elipandi & Felicis: *Mansit verò persona Filij in sanctâ Trinitate, cui personæ humana accessit natura, vt esset, & vnâ persona Deus & homo, non homo deificus, & humanatus Deus, sed Deus homo, & homo Deus.* Ecce qualiter non admittebant in Christo has propositiones, *est Deus homo, est homo Deus*, in quibus communicatio Idiomatum reperitur, sed tantùm admittebant istas, *est homo deificus, est humanatus Deus*, quas negat Concilium propter diuisionem quam faciunt in supposito: vnde concludit Concilium his verbis, *Propter vnitatem personæ vnus Dei Filius, & idem hominis Filius, perfectus Deus, perfectus homo.*

32. Et confirmatur, quia vt patet ibidem solùm concedebant vnam personam per adglomerationem, quæ compositionem sine vnione, sicut aceruum lapidum significat, & erat Nestoriana locutio.

33. Neque obstat obiectio Vasquez asserentis quòd Elipandus concedebat hanc communicationem: vnde dicebat, *Quem* (scilicet Dei Filium) *sacra Scriptura testatur pro salute humani generis, Deitate exinanitâ hominem factum, circumcisum*, &c. Non inquam obstat, tum quia hoc est argumentari contra Concilium condemnans in suprà habitis propositionibus talem negationem Idiomatum, tum quia in propositione adducta latere potest æquiuocatio magna, nam Filium Dei factum esse hominem potest explicari, imò & explicatur à Nestorianis de factione accidentali habita per coniunctionem accidentalem vtriusque, quam ipsi adstruebant: vnde plures ex illis in hoc sensu admittebant (vt dicemus disputatione 19.) communicationem Idiomatum; tum denique quia Elipandus asserebat de Christo vt homine, vt vidimus testimoniis suprà adductis, quòd transibat ex seruo, & ex filio purè adoptiuo ad esse Filium Dei, nuncupatiuè tamen, non verè, & realiter; ergo cùm dicit Filium Dei pro salute humani generis Deitate exinanitâ hominem factum, circumcisum, &c. tantùm vult has denominationes, & hanc factionem debere intelligi nuncupatiuè tantùm (vt ipse loquebatur) non verè, & realiter; nos autem loquimur cum Catholicis de communicatione Idiomatum, non tantùm secundùm nomen, seu voces, & quantùm ad dici, sed de vera & reali, & quantùm ad esse, & fundata super veram & realem vnionem, quam quia negat Elipandus, ideò vbi suprà reprehenditur à Concilio.

His præhabitis dico secundò: Felix & Elipandus erant hæretici Nestoriani non illatiuè in re, sed directè, primò & per se. hanc conclusionem tenent Auctores adducti pro prima, & notanter dixi *non illatiuè*, vt ex diametro me opponam Auctoribus relatis in fine quæstionis ante hanc primam partem, quibus magis congruum visum fuit hæreticos excusare, quàm grauissimos & illustres Scholasticos Catholicos infrà referendos cum hæreticis non inuoluere; dixerunt autem quòd Felix & Elipandus non fuerunt Nestoriani, sed quòd Adrianus Papa, Sacrosyllabus, & Concilium ex ipsorum sententia inferebant, quòd consensuri forent Nestoriano errori adstruenti duas in Christo personas. 34.

Et similiter notanter ad *illatiuè* addidi *in re*, propterea quòd duplex potest esse illatio, vna ex vna re ad aliam, siue res sit realitas, siue formalitas, vt contingit in illatione à priori, quæ habetur ex causa ad effectum, & in illatione à posteriori ab effectu scilicet ad causam, v. g. *est homo, ergo est risibilis*; vel è contrà, *est album, ergo est disgregatiuum visus*, &c. Alia potest esse illatio ex vna voce ad aliam eamdem rem significantem, seu ex vna re significata per aliquod nomen; ad ipsammet rem significatam per aliud, siue sit synonimum, siue non, v. g. *est ensis, ergo est gladius*; vel aliter, *Fundator Vniuersitatis Complutensis deuastauit Mauros, & cepit Oram; ergo F. Franciscus de Cisceneros hoc fecit*, quia scilicet ipsemet fuit qui fundauit & erexit prædictam Vniuersitatem. *Messias natus fuit in Bethleem; ergo Iesus Christus Dominus noster natus fuit in Bethleem.* consequentia enim tantùm petit, quòd inferat vnum ex alio, siue vnum & aliud differant in re, siue differant solùm in voce, & secundùm hanc existimo consequentiam à definitione ad definitum, & è contrà, v. g. *est animal rationale, ergo est homo*; *est homo, ergo est animal* 35.

animal rationale, quia per diuersas voces significantur conceptus expliciti & impliciti diuersi, sed de eadem prorsus re; hoc ergo modo Concilium infert errorem Nestorij ex errore Elipandi, *est duplex filius, ergo est duplex persona*. non primo modo de quo nostra procedit conclusio.

36. Sed antequam probemus conclusionem nostram, nota cum Auctoribus præfatis pro ea, quòd cùm fuerit ab Ecclesia vniuersali pro tempore Felicis & Elipandi iam definitum contra Nestorium, quòd in Christo non sit duplex persona, vna humana pro humana natura, & alia diuina pro diuina, & contra ipsum acriter actum obiurgationibus, & execrationibus, vt oportebat, acerrimis, Felix & Elipandus cùm essent cordialiter Nestoriani non sunt ausi palàm adstruere in Christo duas personas expressis verbis, sed latenter illas nimiâ calliditate & fraudulentiâ volebant introducere sub prætextu duplicis filiationis in Christo, vnius secundùm quod homo, & alius secundùm quod Deus. vnde dicebant, vt vidimus, in Christo Domino duplex est Filius Dei, alius adoptiuus secundùm carnem, seu secundum quod homo, & alius secundùm diuinitatem, seu secundùm quod Deus, quia si semel admitteretur ab Ecclesia duplex in Christo filius habebant intentum, vt admitteretur duplex in Christo persona, Ecclesia tamen calliditatem & fraudulentiam aperuit, & cum ipsomet quod occultabant impugnauit.

37. Hoc supposito probatur conclusio primò ex suprà adductis pro prima conclusione, ex quibus patet modum loquendi horum hæreticorum esse Nestorij, quia *alius & alius filius in Christo*, & quòd alius sit secundùm quod homo, & hic adoptiuus, & alius secundùm quod Deus, & hic naturalis expressè denotant, vt infert Concilium (& non illatione de vna re ad aliam, sed de vna voce ad aliam significantem eamdem rem) dualitatem personarum, quia *alius & alius* sumuntur in significatione masculina, & vt sic significant personas, sicut *aliud & aliud* sumpta in significatione neutra significant naturas, vt est apud omnes Ecclesiæ Patres & Scholasticos manifestum; ergo non illatiuè in re (sed tantùm in significatione) Felix & Elipandus directè, primò & per se erant Nestoriani. patet consequentia, quia directè, primò & per se fatetur in re duas personas, qui fatetur duos filios, licèt voces sint diuersæ.

Secundò probatur expressis testimoniis, quorum primum sit Libri Sacrosyllabi, folio enim 145. columnâ 2. contra hos hæreticos habet hæc verba, *Sed quia supra firmam petram fundata est* (scilicet Ecclesia) *portæ inferi non præualebunt aduersus eam. huius nimirum vestiferi serpentis inflictu flliséq; poculo debriatur quidam, quorum nomina non sunt in calculo candido agni scripta, hæresim veternosam illustrium fortium, scilicet virorum calcibus mirabiliter inculcatam, Catholicaq; falce olim funditùs detruncatam* (videlicet contra Nestorium) *spinoso moliuntur rediuiua radice suscitare de stirpe*. Ecce qualiter asseritur, quòd isti hæretici moliebantur suscitare hæresim veternosam Nestorij iam funditùs euersam, quo reddebant viuam radicem sui erroris, hoc est, reuiuiscere faciebant hæresim Nestorij, in qua suus fundabatur error; nam asserere quòd in Christo sint duo filij, alius adoptiuus, alius naturalis, est reddere viuam hæresim Nestorij de dualitate personarum, supra quam tamquam supra radicem spinosum germen sui erroris faciebant oriri: vbi ponderari debet, quòd radix & fundamentum sui erroris erat hæresis Nestoriana; ergo qui eum tenebant, debebant directè, primò & per se esse Nestoriani. 38.

Secūdum sit eiusdem Libri fol. 148. vbi Elipandum & Felicem appellat *nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosæ fæce perfidiæ pollutos*: itaque non ait (vt intendit Vasquez cum discipulis sequacibus) quòd ex suo errore sequatur veternosa fæx perfidiæ Nestorij, sed ait quòd ipsi erant polluti veternosâ fæce perfidiæ Nestorij; ergo directè, primò & per se, & non illatiuè in re erant Felix & Elipandus Nestoriani. quòd autem appellentur *noui hostes Ecclesiæ*, ex eo est, quia de nouo modo dicendi, & quasi sub diuerso pallio inuoluti voluerunt introducere eamdem Nestorij dualitatem personarum: vnde in Epistola Concilij versus finem dicitur, *Nonne olim eadem vestra hæresis in Nestorio ab vniuersali Ecclesia refutata est, etiam & damnata?* ergo 39.

non est diuersa hæresis hæc Elipandi & Felicis ab hæresi Nestoriana, licèt in modo loquendi diuersificetur, sed eadem & eisdem argumentis refutata, & eodem damnata anathemate. Neque valet solutio Vasquez hoc dici à Concilio, quia prædicta hæresis infert hæresim Nestorianam, quia contrà est, quia eamdem eorum hæresim vocat Nestorianam, nota ly *nónne eadem vestra hæresis*; haben... ...go intentum nostrum secundæ conclusionis, scilicet quòd Felix & Elipandus non illatiuè in re, sed directè, primò & per se erant Nestoriani.

40. Tertiò probatur ratione, quia si isti non essent primò & per se Nestoriani, maximè quia fatebantur duas filiationes in Christo oppositas, scilicet adoptiuam & naturalem in vna tantùm persona, vt vult Vasquez, sed ex asserto isto non sequitur dualitas personarum; ergo si hæc debet à Felice & Elipando concedi, erit quia non tantùm ipsi ponunt duas filiationes oppositas, sed etiam quia ponunt duos filios, seu duas filiationes personaliter oppositas. Minorem, in qua est difficultas, probo, quia non minùs opponuntur creata filiatio & increata, temporalis & æterna, quàm filiatio Dei adoptiua & naturalis, nam non minorem extraneitatem in natura requirit vna, quàm alia, sed Christus secundùm quod homo etiam in concreto sumptus est filius Virginis filiatione creata & temporali, & secundùm quod homo etiam est filius Patris filiatione increata & æterna, vt vtrumque est de fide certum, & tamen non constituunt duos filios, sed vnum propter vnitatem personæ Verbi, cui naturæ diuersæ sunt vnitæ; ergo ex asserto duplicis filiationis oppositæ in eadem persona non sequitur dualitas personarum.

41. Sed dices diuersam esse rationem, quia filiatio creata naturalis non requirit intraneitatem in persona, sed tantùm in natura, & sic potest compati cum filiatione naturali increata; at verò filiatio Dei adoptiua non solùm requirit extraneitatem in natura, sed etiam in persona, nam adoptio est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem. Sed contrà primò, quia ad minus hæc doctrina secundùm totam Metaphysicam quam continet non est expressè definita in hoc Concilio, neque in aliquo, neque ex illo euidenter deducitur. Contrà secundò, quia persona in concreto sumpta claudit sub se non solùm personalitatem, sed etiam naturam; ergo si sola natura esset extranea, etiamsi personalitas non foret extranea, adhuc verificaretur, quòd si admitteretur gratis ad hæreditatem, esset assumptio personæ extraneæ.

Et confirmatur ab opposito, quia de lege ordinaria filius naturalis non solùm est intraneus in natura, sed etiam in persona, si enim persona generans est creata, persona genita est creata, & si increata increata est enim *origo viuentis à viuente*, & nihilominùs datur in Christo filiatio naturalis ad Virginem, etiãsi secundùm personalitatem non sit intraneus, propterea quòd hæc est increata, & sufficit quòd sit intraneus secundùm naturam humanam; ergo etiamsi Christus secundùm personalitatem non sit extraneus à Patre, dummodo sit extraneus secundùm aliquam naturam, secundùm eam poterit esse filius adoptiuus, & propter eam poterit dici gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem. Contrà tertiò, quia si per possibile vel impossibile crearetur à Deo aliqua natura humana existens, & conseruaretur absque aliqua personalitate propria vel aliena, posset adoptari in filium ab aliquo homine, quia esset sufficienter extranea ad ius hæreditatis; ergo non est de ratione adoptionis, quòd non solùm natura, sed etiam personalitas sit extranea. 42.

Denique dico tertiò: Error Felicis & Elipandi fuit constituere in Christo duos filios personaliter oppositos, alium secundùm quod homo, & hunc adoptiuum; & alium secundùm quod Deus, & hunc naturalem; & oppositum huius fuit ab Ecclesia definitum in Epistola Adriani in Libro Sacrosyllabo, & in Concilio Francfordiensi hanc conclusionem similiter tenent Auctores pro prima sententia relati, & faciliter probo primò ex dictis, quia si ex prima conclusione habemus quòd duas adstruebant personas in Christo, & ex secunda quòd illas non adstruebant per accidens, quia scilicet sequerentur & inferrentur ex suo errore, sed primò 43.

directè

directè & per se tamquam veri Nestoriani, licèt palliati, & sub prætextu duplicis filiationis; ergo error ipsorum non erat ponere duas filiationes in vnâ tantùm persona, sed duas filiationes personaliter oppositas, & duos filios personaliter distinctos, quorum vnus esset purus homo, adoptiuus filius, & nuncupatiuè naturalis, & alius foret coæternus Patri, consubstantialis ipsi, & sine initio genitus ab ipso, & sic illi naturalis, vt oppositum huius definitur, vbi suprà; ergo, &c.

44 Secundò probo, quia omnia scripta, quæ sunt pro hoc Concilio, eodem modo probant filiationem Christi vt hominis ex Deitate inexistente in Christo, sicut ex personalitate Filij: vnde Adrianus Papa fol. 143. contra hæreticos adducit confessionem D. Thomæ Apostoli, quâ dixit, *Dominus meus, & Deus meus;* & eos reprehendit, quia non confitentur diuinitatem cum Apostolo; ergo diuinitas, quam hæretici fatebantur, non erat in eodem Filio, sed in diuerso, quia si in eodem faterentur, neque essent reprehensibiles, neque argumentum ex diuinitate concluderet, quia Christus vt homo non est formaliter filius propter diuinitatem.

45 Ex his omnibus liquidò cōstat quàm longè sint ab errore Felicis & Elipandi auctores infrà referendi, qui non distinguendo, nec diuidendo in Christo supposita, admittunt in ipso secundùm naturam humanam filiationem adoptiuam ratione gratiæ habitualis in ipsa inhærentis, & filiationem naturalem ratione suppositi diuini; quod est Filius Dei naturalis ipsammet naturam terminantis, & realiter constituentis in ratione personæ diuinæ: imò nec defuit, qui iudicaret Aduersarios notantes sententiam istam dignos fore ignorantiæ, falsitatis & impietatis censurâ; ignorantiæ, quia tam expressa testimonia qualia sunt adducta non capiunt, neque perpendunt; falsitatis, quia oppositum est manifestè ostensum, & luce clarius apparet sincerè legenti omnia quæ sunt in Francfordiensi Concilio; impietatis tum si perpendunt, & capientes non excusant viros Catholicos, sed cum hæreticis intioluunt, tum quia eorum sensum verum detorquêt, & pro tantis viris omnem euasionis viam superficialiter præcludunt, tum denique quia doctrinæ Catholicæ statim demonstrandæ specimen præstant erroris & perfidiæ, quòd impietatis species est manifesta: nos autem ab omni abstinemus censura, ne iudicemur ad propriam vindictam procliues, sed potiùs omittimus, vt vnusquisque in suo sensu abundet.

PARS TERTIA.

Ostenditur quòd retentâ vnitate suppositi diuini Christus secundum quod homo est formaliter filius Dei adoptiuus.

46 Præhabitâ iam explanatione erroris Elipandi & Felicis, & ostenso quòd fuerunt Nestoriani, loquendo cum distinctione & diuisione personarum accedit ostendenda sententia, quæ affirmat quòd retentâ vnitate suppositi Christus secundùm quòd homo fuit formaliter filius Dei adoptiuus. hanc sententiam expressè docuit Durandus in 3. d. 14. q. 1. Scotus autem noster eam censuit probabilem in reportatis lib. 3. d. 10. q. vnicâ, sicut & oppositam; in 3. autem Sentent. magis in hanc inclinauit, nam §. *respondeo* ait quòd si filiatio accipiatur à natura Christum secundùm humanitatem ratione gratiæ habitualis fuisse adoptiuum, non autem si sumatur à persona; dixerat autem ipse d. 8. anteced. §. *ad quæstionem dico,* litt. C. contra D. Thomam 3. p. q. 23. art. 4. & contra D. Bonauenturam eâdem d. 8. q. 2. art. 2. loquendo de filiatione naturali, quòd non sumitur in creatis à persona, sed à natura: deinde, vt posteà probaret quòd in humana Christi natura non reperiebatur extraneitas requisita ad esse filium adoptiuum, hoc probauit, quia fuit innocens; & statim contra hoc insurgit, quia B. Maria non fuisset adoptiua filia, quia fuit innocens: vnde recurrit ad innocentiam ortam etiam ex carentia debiti ad peccandum, quam non habuit Virgo Maria; sed oppugnat, quia ad minus Adam & Angeli in sua prima creatione hanc cum carentia debiti innocentiam habuerunt, & sic non fuissent filij adoptiui, sed vt hoc neget, fatetur Christum

stum etiam secundùm naturam humanam omnino innocentem secundùm eam fuisse filium Dei adoptiuum.

47. Et licèt posteà vt probabilem relinquat sententiam oppositam, adstruat aliam viam, quâ etiam secundùm naturam humanam Christus non censeatur extraneus, quia scilicet in primo instanti fuit vnita Verbo, & ex tunc de congruo illi debita gratia, tamen statim impugnat Scotus, quia extraneitas requisita tantùm sistit in eo quòd in tali natura detur absolutè carentia iuris ad hæreditatem, quam habuit humanitas etiam vnita, vel ad minus in primo instanti quando vniebatur: vnde tunc quasi conuictus proprio argumento dicit, *responsionem quære*, & hoc non solùm semel, sed bis, scilicet primò in fine citati §. & secundò in fine §. *ad argumenta*. quare Scotum hanc tenuisse sententiam censent, non solùm antiqui Scotistæ Tataretus, Maior, & Basolis in 3. d. 4. art. 2. & nouissimè Hugo Cauellus præcipuè in reportatis vbi suprà, sed etiam Thomistæ moderni, videatur Vasquez cap. 5. & sic immeritò huic opponuntur veritati Pytigianus in 3. d. 10. & Philip. Faber disp. 23. cap. 1. censentque hanc sententiam probabilem plures, & præter suprà citatos Rubion in eadem distinctione, Rada 3. p. controuers. 3. art. 2. Ricard. d. 10. art. 2. q. 1. estque communis apud nostros Scotistas in hac Vniuersitate Complutensi, & ego eam sæpè sæpiùs in actibus generalibus publicisque concertationibus defensaui, & defensare vidi.

48. Neque obstat primò quòd Scotus in hoc tertio, in argumento *sed contra*, resoluit cum Magistro negante, & ad argumenta opposita respondet. Respondeo enim hoc fecisse Scotum vt ostenderet probabilitatem illius sententiæ communis, tamen tam in corpore quæstionis, quàm in fine solutionis argumentorum se ostendit argumento conuictum, quod est signum manifestum, quòd senserit oppositum. Neque similiter obstat secundò quòd Scotus in 3. d. 2. q. 1. §. *ad argumenta* ante litt. H habet hæc verba, *Imò nec conceditur quòd Christus sit filius Dei adoptiuus*. Respondeo enim primò, quòd non loquitur absolutè ex propria sententia. 2. quia loquitur de Christo absolutè, de quo non est absolutè concedendum quòd est filius adoptiuus, sed tantùm cum addito, scilicet secundùm naturam humanam. 3. quia statim ipse respondendo addit quòd comparatio à minori ad maius, quam argumentum faciebat ex Augustino, non petit hoc subiectum determinatū, scilicet Christum, sed hoc vel illud quòd sit filius Dei adoptiuus.

Hanc ergo sententiam probo primò ex S. Scriptura, quia retentâ vnitate suppositi debent in concordiam reuocari hæc duo testimonia Ioannis 14. *Ego & Pater vnum sumus, & Pater maior me est*, sed ex priori adstruitur in Christo filiatio æterna, quæ vnitatem habet, & æqualitatem cum Patre, nam ex eo quòd ponitur *ly. ego* per correlationem ad Patrem, facit hunc sensum, Ego Filius & Pater vnum sumus; ergo ex posteriori testimonio adstrui debet in Christo respectu Patris aliqua filiatio temporalis, quæ diuisionem & inæqualitatem habet respectu Patris, nam ex eo quòd ponitur *ly. me* per correspondentiam & correlationem ad Patrem, facit hunc sensum, Pater maior est me Filio, sed non est alia filiatio ad Patrem diuinum, quæ secum inuoluat inæqualitatem, nisi filiatio adoptiua, quia naturalis, quæ non habet æqualitatem, eū merum figmentum, vt infrà probabo ex professo; ergo vult dicere, Pater maior est me Filio adoptiuo; ergo in Christo secundùm quod homo datur formalis filiatio Dei adoptiua. 49.

Sed statim obiicies hoc argumentum fecisse Elipandum, & ad ipsum Concilium respondisse illa verba, *Pater maior me est*, non fuisse à Christo dicta propter adoptionem, sed propter formam serui, quam Christus vt homo habuit, & fol. 142. habet hæc verba, *Nam Deus & homo erat, qui secundùm Deum dicebat, Ego & Pater vnum sumus; & secundùm hominem, Pater maior me est*, &c. Ecce qualiter dicta sunt propter minoritatem, quam respectu Patris Christus habet vt homo. Sed contrà primò, quia Elipandus non faciebat argumentum retentâ vnitate suppositi, vt nos facimus, sed potiùs ex ipso volebat inferre, quòd in Christo essent duo filij, alius æqualis cum Patre, & alius minor Patre, ad quod optimè respondet Concilium, 50.

lium, quòd minoritas, & æqualitas non dicitur respectu personæ, neque respectu adoptionis personalis, sed respectu naturæ diuinæ, & naturæ humanæ, seu formæ serui. Contrà secundò, quia si retenta vnitate personali hoc diceret Concilium, vel nihil diceret, vel si aliquid, non ad propositum; nihil, quia soluere argumentum dicendo illam inæqualitatem debere intelligi de Christo secundùm quod homo, seu secundùm formam serui, erat respondere idipsum quod hæretici intendebant probare; nam illi non intendebant probare quòd Christus secundùm naturam diuinam foret filius Dei adoptiuus; sed secundùm naturam humanam; seu secundùm formam serui; vel si aliquid, non ad propositum, quia intentum argumenti est, quòd detur filiatio in Christo ad Patrem, tamquam ad maiorem; & hoc colligi ex ipsa filiatione significata in concreto per illa verba, *Pater maior est me Filio*; & dicere Concilium hoc dici secundùm h[illegible]nitatem; nihil est ad propositum; quia humanitas non filiatio est, sed fundamentum filiationis, neque construitur cum ly *me*, deberet enim dicere *mea*; & si accipiat humanitatem in concreto, id est, *me homine*; tunc ly *me* non sumitur correlatiuè ad Patrem, quod est intentum argumenti; vnde si ad propositum (vt fas est dicere) loquitur, est pro me, quia vult dicere, quòd retenta vnitate suppositi in Christo est humanitas, quæ capax est fundamentum filiationis ad Patrem, quæ secum inuoluit inæqualitatem; ergo filiationis adoptiuæ; quia hæc; & non alia eam inuoluit; & sic faciat hunc sensum, Pater maior est me Filio secundùm quod homine; & sic maior me Filio adoptiuo, non distincto ratione suppositi, sed ratione humanæ naturæ; & gratiæ habitualis: vnde Augustinus tract. 80. in Ioannem ait Christum in quantum vitem comparari vt minorem ad Patrem tamquam vt agricolam, & vt Verbum comparari vt æqualem, & sic in concordiam reducit hæc duo testimonia, sed humanitas præcisè considerata sine gratia, & donis supernaturalibus non potest esse vitis vera, de qua loquitur Ioanes c. 15. quæ det tamquam viridis fructum; ergo ex Aug. Christus secundùm quod homo ornatus gratia habituali cōparatur ad Patrem vt filius minor illo, ergo vt filius adoptiuus.

Secundò probatur ad Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis, iterùm in timore, sed accepistis spiritū adoptionis filiorum in quo clamamus Abba (Pater) ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi: si tamen compatimur, vt & cōglorificemur.* quod testimonium manifestè probat, quòd Christus est *cohæres* noster, sed non secundùm naturam diuinam; vt patet, ergo secundùm humanam, cui exhortamur vt simus conformes in passione, vt similiter simus in glorificatione; ergo est consilius noster. patet consequentia, quia loquitur Paulus de filiatione, quæ nobis præstat ius hæreditarium ad beatitudinem, & sic ait, *si autem filij & hæredes*; at nos sumus filij adoptiui, iuxta illud, *sed accepistis spiritū adoptionis filiorum*; ergo Christus, qui secundùm quod homo in vnitate suppositi diuini cohæres noster & consilius est; debet esse adoptiuus. Et cōfirmatur, quia iusti non sunt cohæredes Christi respectu beatitudinis increatæ, nam illius non sunt capaces; ergo respectu hæreditatis creatæ; ergo ius quod habet ad illam nón minùs constituit Christum secundùm quod homo filium, quàm nos; & consequenter eodem modo. 51.

Præterea inferiùs in eodem capite vers. 29. dicit, *Nam quos præsciuit & prædestinauit cōformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* vbi duo veniunt pōderanda. 1. quòd electi prædestinantur à Deo vt fiant *conformes imaginis Filij sui*, non enim dicit vt sint cōformes Filio suo, sed *imaginis Filij sui*, cùm enim ad imaginem Dei factus sit homo, vult Deus prædestinatos fieri conformes Christo secūdùm quod homo est, scilicet constitutus in gratia, & in gloria, & sic secundùm quod filius & hæres est propter istā. 2. quòd rationem huius reddit, vt sit ipse Christus secundùm quòd homo *primogenitus in multis fratribus*, id est, in omnibus filiis & prædestinatis; ergò primus in omnibus filiis adoptiuis ratione gratiæ & gloriæ: vnde Glossa Interlin. sic habet, *Conformus ita vt iure hæreditatem Patris obtinens*; & 52.

& aliis dissertiens, quod primogenitorum est; & Glossa ordinaria dicit, *Et quia primus sine peccato, & primus impassibilis resurgens, in quo habet fratres, nam secundùm id quòd vnigenitus est, non habet fratres; secundùm id autem quòd primogenitus est, fratres dignatus est vocare omnes; qui per eius primatum in Dei gratia renascuntur*; at qui Dei gratiâ renascuntur, sunt filij adoptiui; ergo si horum dignatus est esse primogenitus, erit primus filius adoptiuus.

53. Et si obiicias ex Concilio, quòd idem ipse, qui primogenitus est, similiter est vnigenitus. Respondeo materialiter verum est, & hoc intendit Concilium, quia refutat dualitatem personarum, formaliter autem est falsum, nam vt benè inquit Glossa, *secundùm id quòd vnigenitus est* (id est, secundùm rationem vnigenituræ) *non habet fratres*, sicut eos habet secundùm quod primogenitus est, scilicet ex genitura prędestinationis: vnde optimè stat, quòd eadem persona Verbi, quæ secundùm generationem æternam est vnigenitus Filius Patris, secundùm generationem spiritualem quam vt homo habet ratione habitualis gratiæ denominetur, & sit filius adoptiuus primogenitus in multis fratribus, ex quo patet quòd Concilium sit pro nobis, nec posse alium habere sensum. Et confirmatur, quia primogenitus in fratribus propriè loquendo est confrater in generatione.

54. Tertiò probatur ex illis verbis Pauli ad Hebræos cap. 1. *Multifariàm multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, qui cùm sit splendor gloriæ*, &c. vbi de Filio, in quo Deus locutus est nouissimè diebus istis, duo dicit, scilicet quòd ipsum *constituit hæredem vniuersorum*, & quòd per ipsum *fecit & sæcula*; ergo loquitur de eodem Filio prout se tenet ex parte naturæ diuinæ, & prout se tenet ex parte naturæ humanæ. patet consequentia, quia per primum, & non per secundum fecit sæcula (cùm autem dico primum & secundum, non intelligas duos filios, sed eumdem prout terminantem naturam humanam, & prout terminantem naturam diuinam) lex enim *per* denotat causam efficientem, sicut alibi in Euangelio Ioan. cap. 1. dicitur quòd *omnia per ipsum facta sunt*, & similiter secundum, & non primum constituit hæredem vniuersorum, nam constituere est decreto, seu statuto comitibus aliis diuinis personis statuere; scilicet dare illi hæreditatem vniuersorum; ergo loquitur de Christo vt homine, filio, hærede vniuersorum; ergo de filio vt sic adoptiuo. Probo consequentiam, quia Filius naturalis Dei non indiget Dei decreto vt constituatur hæres, nam ipse ex vi generationis est talis.

Quartò probatur ex Patribus, nam Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 21. dicit, *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui filius Dei filius hominis factus est; mixtus homo Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei*; & Marcius Victorinus lib. 1. contra Candidum Arrianum sic habet, *Nos adoptione filij, ille naturâ, etiam & adoptione quadam filius & Christus, sed secundùm carnem*; & D. Hilarius 2. de Trinit. post medium ait, *Potestatis dignitas non amittit, dum carnis humanitas adoptatur:* Neque obstat responsio, quòd impropriè loquantur, cùm expressè distinguant filiationem prouenientem ab adoptione à filiatione proueniente à natura. 55.

Quintò probatur, quia si propter aliquam rationem nostra sententia esset falsa, maximè propter ea quæ Adrianus Papa in suprà citata Epistola, Liber Sacrosyllabus & Concilium Francfordiense dicunt; sed hæc dicta non obstant; ergo, &c. Maior conceditur ab Aduersariis. Minor probatur, quia totum argumentum Adriani, Sacrosyllabi & Concilij consistit in hoc, si Christus non est extraneus personaliter, quomodo potest esse personaliter secundùm quod homo adoptiuus? nam vt probauimus Parte antecedenti contra diuidentes personas fuit actum, & contra filiationes diuersas constituentes duos filios, alium naturalem, alium adoptiuum, seu vnum Christum adglomeratum (vox est ipsius Elipandi) ex filio adoptiuo, & ex filio naturali, quod carentiam vnionis realis, & multiplicitatem personarum sonat, sicut aceruus lapidum: 56.

hoc

hoc autem argumentum non est contra nos, qui neque duos filios, neque duas personas, neque vnum Christum adglomeratum admittimus; ergo.

57. Sextò, quia in probabilissima plurium sententia humanitas Christi primò fuit prędestinata ad gloriam, posteà ad gratiam (sicut contingit alijs prædestinatis secundùm D. Paulũ ad Roman. 8. *Quos prædestinauit hos & vocauit; quos vocauit, hos & iustificauit*, &c.) & tandem ad vnionem hypostaticam; ergo antequam prædestinaretur ad filiationem naturalem, præcessit prędestinata ad filiationem adoptiuam. patet consequentia, quia post electionem ad finem sequitur electio mediorum, sed gratia in tantum est medium ad gloriam, in quantum dat ius ad gloriam, tamquam ad hæreditatem; ergo ante prædestinationem ad vnionem, quæ dedit filiationem naturalem, erat iam prædestinata ad gratiam, quæ dat filiationem adoptiuam, præcipuè naturæ humanæ pro illo priori non vnitæ; ergo & posteà hoc habet ordine executionis, licet præcedat vnio ad gratiam, aliàs frustraretur decretum efficax antecedens intentiuum. Nec valet si respondeas quòd gratia Christi solùm fuit decreta vt sanctificaret animam; quia contrà est, quòd anima posset esse sancta, & non habere ius ad vitã æternam; ergo si gratia fuit electa vt mediũ conducens vel ex natura sua, vel ex diuina ordinatione ad vitam æternam, debuit eligi vt dans ius ad illam, quia sine tali iure non foret medium.

58. Septimò probatur & à priori, quia adoptio est *gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem*, sed totum hoc reperitur in Christo secundùm quod homo est, &c. Maior non indiget probatione, quia est definitio ab omnibus admissa filiationis adoptiuę. Minorem, in qua est difficultas, sic probo, quia ex parte fundamenti tam radicalis, quàm formalis est gratuita assumptio; nam subiectum, in quo inhæret gratia, est humanitas, cui indebita est omnino gratia, si attendatur ex parte sui; ergo ex parte fundamenti radicalis est gratuita & libera talis assumptio ad hæreditatem. Præterea ipsa gratia habitualis est donum omnino liberaliter concessum, ita vt non sit debita ex iustitia humanitati; ergo ex parte fundamenti proximi est gratuita similiter talis assumptio. Deinde persona est extranea tam ex parte naturæ humanæ, quàm ex parte personalitatis, ex parte naturæ, nam vt probauimus non habet ius ad gloriã; ex parte personalitatis, quia diuina personalitas non habet ius ad hæreditatem creatam, sed ad increatam, cuius humanitas non est capax, neque similiter ex parte ipsius personalitatis diuinæ, vt terminat naturam humanam, primò quia si non habet ius ratione sui, neque ratione naturæ humanæ, neque similiter habebit ratione vtriusque. 2. quia personalitas vt terminat neque est filiatio Dei naturalis formaliter, sed tantùm materialiter, sicut est Verbum, & est imago Patris; neque est sanctitas iustificans, vt latè probauimus disp. 11. de gratia Christi, sed tantùm est quædam subsistentia personalis diuina terminans naturam humanam; ergo formalissimè loquendo est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem.

Sed obijcies primò, quòd ius ad gloriam habebat Christus ratione vnionis hypostaticæ. Sed contrà primò, quia vt infrà probabimus Parte sequenti, Christus secundùm quod homo non fuit formaliter; sed tantùm materialiter filius naturalis Dei. Contrà secundò, quia vnio ex dictis vbi suprà non est sanctitas formalis, & dato quòd esset, deberet attemperari subiecto, cui applicatur, sicut cócursus diuinus, qui qua talis deberet esse infinitus, attemperatur concursui creaturæ, & redditur finitus; ergo cùm humanitas nequeat esse terminus generationis diuinæ, neque habere ius ad hæreditatem increatam filij naturalis, non erit capax sanctitatis increatę vt talis, sed debet attemperari, & modificari, & reddere idipsum, quod potest reddere gratia habitualis creata summa; tunc autem superfluit, quod non est dicendum. Contrà tertiò, quia ex dicendis infrà: Christus secundùm quòd homo, & supposità vnione posset peccare de potentia Dei absoluta; ergo ratione illius non habet ius formale (de quo loquimur) ad gloriam tamquam ad hæreditatem. 58.

Obijcies secundò: Licet hoc ius non sit 59.

fit in vnione formaliter, benè tamen radicaliter, quia ratione illius erat debita naturæ humanæ Christi de congruo gratia habitualis. Sed cōtrà etiam homini supernaturaliter contrito debetur de congruo habitualis gratia, & nihilominùs sola ipsa gratia illum constituit habentem ius formale ad gloriam, & sic sola ipsa ipsum constituit formaliter Filium Dei adoptiuum; ergo etiamsi Christo ratione vnionis hypostaticæ debeatur de congruo gratia habitualis; hæc constituit ipsum formaliter Filium Dei adoptiuum. patet consequentia, quia debitum de congruo non aufert sufficientem extraneitatem requisitam ad filiationem adoptiuam, quandoquidem illa extraneitas solùm aufertur per debitum ex iustitia naturali, seu ex natura.

61. Obijcies tertiò: Extraneitas requisita ad filiationem adoptiuā neque attenditur ex parte iuris ad hęreditatem, neque ex parte ipsius hęreditatis, quia si sic accipiatur, certum est quòd Christus secundū quod homo neq; habuerit de condigno ius ad gloriā, neq; gloria fuerit illi debita ex iustitia exclusa gratia habituali, sed attēditur extraneitas ex parte personæ, scilicet quòd hæc nō sit Filius naturalis, quia eo ipso quòd talis est, extranea persona nō est.

62. Sed contrà primò, quia si stat quòd sit gratuita assumptio personæ ad hæreditatem sibi non debitam ex iustitia, cum hoc quòd persona non sit extranea. Inquiro quomodo debet appellari persona habens tale ius ratione prædicti iuris? vel ergo appellatur hęres adoptiuus, vel hæres naturalis, vel alio modo, sed non hęres naturalis, quia hęreditas naturalis non habet ortum à gratia, sicut ista, sed alius modus non apparet, nisi quòd sit hæres adoptiuus; ergo Christus secundùm quod homo formaliter erit hęres adoptiuus: & tūc vltrà inquiro vel hæres adoptiuus respectu Dei debet appellari filius eius adoptiuus, vel non? si debet sic appellari, habeo intentum; si non, ergo tota hæc quæstio reducitur ad solum nomen, & tam grauis disputatio redacta est ad solas voces, in qua exclusa vociferatione ex synonimis vocibus habeo illam consequentiam Pauli, *Quòd si filius & hæres, hæres quidem*, &c.

Contrà secundò, quia persona, quæ debet esse extranea, vel assumitur formaliter in quantum extranea pro toto concreto, vel pro parte concreti; si pro parte concreti, natura humana Christi, quæ est pars huius concreti, est formaliter extranea tam à iure, quàm à filiatione naturali; si pro toto concreto, etiam personalitas Verbi, vt terminat formaliter hanc humanam naturā, tantùm est subsistentia hæc personalis, & non formaliter filiatio naturalis, & cōsequenter est extranea negatiuè, id est, secundùm talem formalitatem non est intranea, nam non est formaliter personalitas, quia in illa forma filiationis Dei reperiuntur plura prædicata formalia, scilicet quòd sit subsistentia incōmunicabilis, quòd sit filiatio, quòd sit Verbum, quòd sit imago Patris; natura autem humana non terminatur ab hac forma secundùm omnia ista prędicata, quia tantùm habet ab ipsa id quod haberet à propria personalitate creata si eam haberet, & sic tantùm habet subsistentiam incommunicabilem, non reliqua prædicata; ergo licet reddatur materialiter & concomitanter filius naturalis, sicut imago, & Verbum, non tamen formaliter (sumpto formaliter à formalitate de qua modo loquimur non à forma) aliàs hæc prædicatio esset optima, *Christus secundùm quod homo formaliter est Verbum*, *Christus secundùm quod homo formaliter est imago Patris.* Si ergo istæ sunt falsę, & omnino absurdę prædicationes formales, similiter & ista, *Christus secundùm quod homo formaliter est filius Dei naturalis*, & solū ista erit vera formaliter *Christus secundùm quod homo formaliter est persona Verbi, vel est subsistens subsistentia Verbi diuini, Filij, & imaginis Patris*; ergo ex quacūque parte sumatur extraneitas formalis, persona Christi secundùm quod homo est, est formaliter extranea; ergo secundùm quod homo retentà vnitate suppositi diuini optimè quçit ei conuenire filiatio adoptiua. 63.

Octauò probatur, quia maiorē oppositionem habet mortalitas cum immortalitate, quàm filiatio adoptiua cum filiatione naturali, vel ad minus non minorem, neque minorem extraneitatem requirit vna ab alia, sed Christus secundùm quod homo formaliter 64.

est

est mortalis, licèt personalitas Verbi sit immortalis, & talis propositio non infert personarum separationem, neque distinctionem, quia ratione naturæ humanæ capax est mortis; ergo similiter Christus secundùm quod homo est formaliter adoptiuus filius, licèt secundùm personalitatem sit naturalis, neque video rationem quare per communicationem Idiomatum immortalis possit dici mortalis absque illatione diuersarum personarum, & filius naturalis non possit dici adoptiuus propter eamdem communicationem absque illatione diuersarum personarum: vnde dato casu, quòd incapax esset ratione personalitatis, filiationis adoptiuæ, ratione tamen naturæ humanæ capax esset illius, & hoc sufficeret vt diceretur adoptio personæ extraneæ.

65. Et confirmatur alio simili, quia Christus vt homo in concreto est membrum respectu Dei, iuxta illud Apostoli, *Caput Christi Deus*, & nihilominùs suppositum Verbi non est membrum, licèt concernatur ab humanitate Christi accepta in concreto, imò suppositum habet extraneitatem à ratione membri propriè accepti, quia est caput propriè acceptum; ergo etiamsi suppositum Verbi habeat extraneitatem à filiatione adoptiua, poterit nihilominùs ratione humanitatis sibi vnitæ, etiamsi hæc accipiatur in concreto, esse filius adoptiuus, nulla enim in hoc apparet disparitas, quia membrum vt contra distinctum à capite dicit negationem ad esse caput.

66. Nonò probatur, quia si propter aliquam rationem Christus secundùm quod homo non sit filius Dei adoptiuus formaliter, maximè quia est naturalis, sed potest peroptimè filius per generationem naturalis adoptari; ergo, &c. Minor in qua est difficultas probatur ex iure ciuili lege *qui liberatus* 12. ff. *de adoptionibus*, vbi dicitur quòd *qui liberatus patria potestate honestè redigi non potest, nisi adoptione*; ergo filius aliàs naturaliter genitus, & à patria potestate per emancipationem liberatus (vt inquit Iurisconsultus) potest redigi per adoptionem, seu per filiationem adoptiuam ad habendum ius ad hæreditatem, sicut alij filij naturales qui sunt sub patria potestate.

Decimò denique & vltimò probatur, quia Christus secundùm quod homo etiam in concreto sumptus non est formaliter filius Dei naturalis; ergo est formaliter filius adoptiuus. cōsequentia patet, quia si propter aliquam rationem non esset formaliter filius Dei adoptiuus, maximè vt fatentur Aduersarij, quia esset formaliter filius Dei naturalis, nam quòd sit filius Dei naturalis materialiter non opponitur neque contrariè, neque contradictoriè, neque relatiuè filiationi Dei adoptiuæ, quandoquidem adest extraneitas formalis à filiatione naturali, super quam fundari possit filiatio Dei adoptiua, & hæc nullam ponit indignitatem aut indecentiam in natura humana Christi, imò maximum affert honorem & perfectionem physicam & moralem, aliàs natura humana Christi formaliter loquendo esset peioris conditionis, quàm quilibet alius homo, qui formaliter est filius Dei adoptiuus, siquidem ipsa adhuc terminata à supposito diuino neque esset formaliter filius Dei naturalis, nec formaliter Dei filius adoptiuus. Maior enim, in qua est difficultas, quia longum exigit examen, oportet per segregatam sequentem partem ex proposito disputare. 67.

PARS QVARTA.

An Christus secundùm quod homo sit formaliter filius Dei naturalis?

Prima sententia affirmat, & est communis inter Thomistas; modus tamen defensionis non est apud illos communis, sed potiùs in varias excogitationes distrahuntur: vnde notant, quòd hoc concretum, *homo in quantum homo*, si attendatur in Christo, potest accipi & reduplicatione suppositi, & reduplicatione naturæ, id est, quòd lex *in quantum* vel solùm significat suppositum Verbi terminans naturam humanam, non autem ipsam naturam, licèt eam concernat, vel quòd per se significat non solùm suppositum, sed etiam ipsam humanam naturam: quo præsupposito aliqui aiunt, quòd Christus secundùm quod homo est formaliter filius Dei naturalis, si solùm significetur per se ipsum suppositum, & con- 68.

cernatur natura humana: alij etiam si vtrumq; significetur per se, inter quos aliqui explicant filiationem naturalem, non solùm propter personalitatem Verbi, sed etiam propter ipsam humanam naturam formaliter loquendo, quia secundùm hanc Christus procedit similis generanti ex vi generationis: alij verò hoc non explicant, sed omittunt, & tandem inter ipsos alia exoritur controuersia, An dicendus sit filius naturalis Trinitatis, necne? sed oportet vt breuiter per singula discurramus.

69. Primus ergo dicẽdi modus ait, quòd Christus in quantum homo est filius Dei naturalis acceptâ reduplicatione supra suppositum, & concernendo naturam per ipsammet æternam filiationem Verbi, tamquam per formam. ita docet D. Bonauentura in 3. d. 10. art. 2. q. 1. ad 3. Caietanus 3. p. q. 23. art. 4. vers. nota. Almainus in 3. d. 10. Raguza disp. 28. §. 1. Philip. Faber in 3. disp. 23. n. 10. & cap. 2. Lorca disp. 84. num. 47. & 48. & nouissimè tenet Basilius Ponce de Leon 1. p variarum select. 4. vers. *sed mihi*, qui eam fuisse sententiam communem fatetur & probat. in eamdem est Petrus Cabrera 3. p. q. 23. art. 1. disp. 1. num. 117. Fundamentum huius sententiæ est à priori, quia Christus secundùm quod homo non est formaliter filius Dei adoptiuus, & tamen est filius verè & propriè, vt S. Scriptura, Concilia, & Patres docent; ergo est filius naturalis, sed filius naturalis nequit esse ratione humanitatis, quia nulla alia filiatio naturalis datur, neque agnoscitur à Philosophis, nisi qui filius ex vi processionis euadit similis in natura, & Christus secundùm humanitatem non euadit talis; ergo tantùm est filius naturalis in quantum homo, si lex *in quantum* cadat supra suppositum Verbi terminans naturam humanam, non supra humanitatem: at illa filiatio est æterna; ergo, &c.

70. Secundò probari potest, quia natura humana non solùm denominatur, sed verè est subsistens per subsistentiam personalem Verbi; ergo non solùm denominatur, sed verè est filius per filiationem increatam Verbi. patet consequentia, quia eademmet indiuisibilis forma, vel quasi forma, quæ est subsistentia personalis Verbi, ipsa est filiatio æterna & increata Verbi; ergo sicut Christus secundùm quod homo formaliter tamquam per formam est subsistens personaliter per personalitatem Verbi, ita per eamdem est personaliter formaliter filius naturalis Dei; ergo licet humanitas non sit pars filiationis, neque intrat in recto in rationem formalem filij, est tamen subiectum quòd non solùm denominetur quasi extrinsecè, sed potiùs quasi intrinsecè filius Dei naturalis per filiationem formalem & increatam Verbi.

Tertiò probatur, quia Concilia dum impugnant filiationem Dei adoptiuam in Christo vt homine propter filiationem, quam habebat naturalem, solùm impugnant per solam filiationem increatam, & realiter identificatam cum diuina natura; ergo hæc, & non alia est, quæ formaliter opponitur filiationi adoptiuæ. Antecedens patet ex ponderatione aliquorum testimoniorum, & sit primùm ex Epistola Adriani colum. 4. fol. 142. vbi habentur hæc verba: *Nam Deus, & homo erat, qui secundùm Deum dicebat, Ego & Pater vnum sumus*, &c. ergo lex *ego*, scilicet Filius per ordinem ad increatam paternitatem sumitur, siquidem habent vnitatem in diuina Essentia. Sit secundum ex Sacrosyllabo columnâ 4. folio 146. vbi sic habetur: *Hoc ideò possumus, vt patenter daretur intelligi eum dici adoptatum, qui nondum priùs fuerat proprius filius adoptantis: vnde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semperq; Dominus, ac per hoc, & post assumptum hominem veri filij vocabulum non amisit, qui numquam verùs desijt esse filius*; ergo filiatio, propter quam dicitur Filius homo assumptus à Verbo, fuit ipsamet, quæ præexistebat ante ipsam assumptionem: sed hæc non est alia, quàm æterna. Tertium sit ex Concilio Frãcfordiensi, nam fol. 150. habentur ista verba: *Scimus enim Deum Dei Filium ex vtraque natura, & vnigenitum esse & primogenitum, vnigenitus quia solus sine initio ex Deo Patre genitus, & solus ex initio temporis ex Matre Virgine genitus; ideoq; in vtraque natura vnigenitus etiam, & primogenitus, quia omnis vnigenitus primogenitus est*, &c. ecce qualiter in vtraque natura est vnigenitus: proptereà quòd solus sine initio est ex Deo Patre genitus; ergo non solùm secundùm 71.

tiùm quod Deus, sed etiam secundùm quod homo est filius naturalis formaliter propter filiationem naturalem increatam & æternam; non ergo natura humana intrat in recto tamquam similis ex vi generationis, sed sola filiatio increata & æterna concernens seu denominans tamquam subiectum naturam humanam, neque excogitabilis est alia naturalis filiatio.

72. Secundus dicendi modus ait Christum esse filium Dei naturalem per filiationem Verbi, sed non sub formali conceptu filiationis, sed sub conceptu communi personæ diuinæ, vt homo, v. g. est sensitiuus, quia homo est, non tamen ex præcisa differentia hominis, sed ex conceptu communi animalis: itaq; Auctores huiusmodi distinguunt filiationem naturalem, quæ est per generationem, & eam quæ non est per generationem, sed per donum vnionis ad propriam personam diuinam, & primam excludunt à Christo vt homine; & admittunt secundam. ita Suarez dispnt. 49. sect. 2. Vasquez disput. 89. à num. 80. Becanus 3. p. cap. 18. q. 5. num. 6. Gaspar Hurtado de Incarnat. disp. 17. diff. 3.

73. Probant autem primò, quia Christus vt homo est persona, sed non extranea; ergo propria Dei, item est capax hæreditatis diuinæ, quæ ratione vnionis illi debetur ex natura rei; ergo Christus vt homo est filius naturalis Dei: patet consequentia, quia etiamsi non concipiatur personalitas Verbi sub expresso conceptu filiationis, sed sub ratione vniuersali personæ diuinæ habet propter eam Christus vt homo, quòd sit persona propria Dei, quòd sit hæres, & quòd sit hæres naturalis; ergo est filius naturalis, quia hæres & filius conuertuntur ad inuicem.

74. Secundò probatur, nam ex eo filius est alicui naturalis, quia habet in se formaliter aliquid Patris, à quo oritur vt à principio coniuncto; item est particeps bonorum eiusdem, & hæres, quæ bona illi debentur titulo naturali, sed in his omnibus assimilatur Christus vt homo ipsimet vt Deo, quia habet in se personalitatem Verbi, quæ est aliquid Patris, & ratione huius est hæres titulo naturali bonorum eiusdem Patris, id est, titulo spectante ad eius naturalem constitutionem; ergo conuenit filiatio Dei naturalis per vnionis donum cum filiatione eiusdem per naturalem generationem; ergo hæc analogica conuenientia sufficit vt verè dicatur Filius Dei naturalis non per generationem, sed per vnionis donum.

Tertiò probatur, quia personalitas Verbi etiam in communi accepta est sanctitas increata, quæ humanitatem Christi reddit sanctam, non minùs quàm reddit personam; ergo dat illi ius ad hæreditatem, non minùs quàm gratia habitualis; ergo constituit Filium, sed non adoptiuum; quia iste non est sanctus per sanctitatem increatam, ergo naturalem. Primum antecedens probatur; quia quælibet diuina & increata formalitas est ab omni labe immaculata puritas, at ex D. Dionysio de cælesti hierarchia hæc est formalis sanctitas; ergo, &c. Alij autem alio modo formant hoc argumentum; quia scilicet per personalitatem Verbi habet humanitas Christi increatam sanctitatem Deitatis; ergo Christus vt homo est sanctus per naturam, ergo per sanctitatem naturæ diuinæ habet ius ad hæreditatem diuinam, sed propter hanc Verbum est filius naturalis; ergo propter eamdem Christus vt homo est filius, & hæres naturalis. 75.

Si autem ab his Auctoribus inquiras duo, primum, An si Spiritus sanctus, vel Pater carnem humanam assumerent, sicut Verbum diuinum, dicerentur filij naturales Dei, necne? Respondent quòd dicerentur & essent filij naturales propter eamdem rationem, quàm Christus vt homo, quia haberent personalitatem diuinam, & essent hæredes per aliquid naturale. 2. respectu cuius Christus vt homo dicatur filius Dei naturalis? Respondent quòd respectu totius Trinitatis, quia personalitas Verbi non concipitur sub conceptu ipsius specifico, sed sub conceptu generali & vniuersali: vnde humanitas cum ipsa non refertur ad Patrem notionaliter, sed ad totam Trinitatem. Bone Deus, quantùm, & quàm difficilia excogitauerunt Auctores isti ad defensionem opinionis propriæ! 76.

His ergò solis non contentus Petrus Hurtado disp. 83. de Incarnat. sect. 5. sub sectionem 16. n. 100. censet prædictæ 77.

dictæ sententiæ aliquid inexplicatum fuisse; non enim satis explanat (inquit) conceptum filij in Christo secundùm humanitatem, quia non est deserenda communis ratio, quam Philosophi recognoscunt in Filio: Scriptura enim cùm loquitur, supponit vsum per se notum in verbis; & cùm loquitur de homine, supponit essentiam hominis omnibus per se notam; nec quærenda est alia ratio hominis; & sicut cùm Scriptura iustos appellat filios adoptiuos, hæremus significationi adoptionis; ita cùm Christum filium naturalem appellat; tenenda est definitio filij naturalis: præfatus autem modus dicendi non præstat hoc; quia non explicat qualiter secundùm humanitatem, secundùm quam dicitur Filius naturalis, euadat Christus similis in natura; quandoquidem filiatio naturalis est *origo viuentis à viuente ex principio coniuncto in similitudinem naturæ*, secundùm Philosophos.

58. Quare tertius modus dicendi est ipsius Petri Hurtado sect. 5. sub sect. 11. qui ait, quòd Christus vt homo non solùm reduplicãdo suppositum, sed etiam reduplicando humanam naturam est filius Dei naturalis secundùm suprà traditam definitionem, etiamsi persona Verbi non terminet sub conceptu specifico filiationis, sed sub vniuersali: quod probat, quia Christus vt homo procedit à Deo, *vt origo viuentis à viuente*, nam Christus vt homo viuens est, & originatur à Deo viuente, tamquam à principio, positâ naturâ diuinâ in recto, & tribus personis in obliquo connotatis: præterea procedit ab ipso tamquam *à principio coniuncto* humanitati, quia diuinitas est incarnata, & plenitudo eius habitat corporaliter in Christo vt homine, cui multò magis est intrinseca propter identitatem immediatam cum supposito Verbi, quàm Pater creatus est coniunctus proli per semen à se decisum: & denique procedit *in similitudinem naturæ*, quia homo est similitudo & imago Dei, iuxta illud Genesis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; ergo Christo vt homini etiam reduplicando naturam conuenit esse filium naturalem Dei secundùm omnem rationem definitionis filiationis naturalis. Et confirmat, quia Deus & homo conueniunt in aliquibus prædicatis, nam vterque est natura substantialis intellectualis; ergo homo est similis Deo in natura; ergo Christus vt homo ex vi suæ processionis procedit similis in natura; ergo, &c.

Secunda tamen & vera sententia negat quòd Christus secundùm quod homo, siue tantùm reduplicetur suppositum; siue etiam reduplicetur humana natura, sit formaliter filius Dei naturalis. ita consequenter ad dicta tenere debent Auctores, quos Parte antecedenti pro sententia adoptionis retulimus. vnde quando Scotus in 3. dist. 10. q. vnicâ ait, quòd si filiatio adoptiua attendatur præcisè ex parte suppositi, Christus non est dicendus filius Dei adoptiuus. non propterea censendus est, quòd asserat quòd formaliter sit secundùm quod homo filius Dei naturalis, quia aliud est, quòd non conueniat Christo vt homini ratione suppositi præcisè, quòd sit filius adoptiuus; aliud verò, quòd ei conueniat esse filium naturalem; potest enim neque vnum, neque alterum ei conuenire ratione suppositi præcisè; quare quando nos vbi suprà asseruimus, quòd Christus secundùm quod homo sit formaliter filius Dei adoptiuus, non reduplicamus supra suppositalitatem præcisè, sed supra naturam humanam connotando suppositum diuinum, quia tamen hæc sententia nostra plures continet partes, quibus omnes dicendi modos Aduersariorum repellit, ideò sequentes stabilio conclusiones. 79.

Dico igitur primò contra primum modum dicendi primæ sententiæ: Christus secundùm quod homo adhuc in concreto sumptus, non reduplicando humanam naturam, non est formaliter filius Dei naturalis. ita Auctores secundæ sententiæ, & plures ex prima, quos refert, & sequitur Petrus Hurtado vbi suprà sub sect. 3. num. 72. Et probatur primò, quia controuersia cum Felice & Elipando non erat, An Christus in quantum Deus, neque An Christus in quantum persona diuina sit filius Dei naturalis? sed An Christus in quantum homo sit talis? quod negabant ipsi, & definitum est ab Adriano & Francfordiensi contra ipsos, vt vidimus Parte secundâ; ergo definitio debet intel- 80.

intelligi de Christo vt homine includendo etiam ipsam humanitatem vel in recto, & vt sic falsò excluditur reduplicatio supra naturam, vel in obliquo (quod aiunt Aduersarij) & tunc sequitur quòd persona Verbi in quantum connotans & terminans naturam humanam sit Filius Dei naturalis, quod est falsum, quia si per impossibile illa persona non esset Filius naturalis, terminaret eamdem naturam. Et confirmatur, & declaratur, quia si per possibile vel impossibile personalitas creata Ioannis terminaret seu suppositaret naturam Petri, eodem modo hoc faceret siue Ioannes esset filius Francisci, siue Pauli; ergo Petrus non diceretur formaliter filius Francisci, etiamsi suppositaretur à Ioanne; qui est filius Francisci; quandoquidem posset suppositari ab eodem, illo non existente filio Francisci, sed alterius, imò nullius, quia creati immediatè à Deo; at eodem modo se habet persona Verbi in suppositando naturam humanam Christi; ergo Christus vt homo, etiamsi ly *vt* non reduplicetur, sed tantùm connotet humanam naturam, non est dicendus formaliter Filius Dei naturalis ratione filiationis increatæ Verbi.

81. Secundò probatur argumento suprà facto Parte 2. quia persona Verbi non minùs est formaliter imago Patris, & Verbum Patris, quàm est filius naturalis, & increatus Patris, sed Christus in quantum homo propter reduplicationem suppositi & personæ non est formaliter imago Patris; neque Verbum Patris, quia propter hanc reduplicationem tantùm hoc habet specificatiuè & materialiter, id est, illa persona, quæ terminat hanc naturam, habet esse Verbum Patris, & imaginem Patris; ergo Christus in quantum homo non est formaliter, sed tantùm materialiter Filius Dei naturalis Patris. Et confirmatur; quia si propter aliquam rationem Christus in quantum homo est formaliter filius naturalis Patris, maximè quia Pontifex, Concilia, & Patres Ecclesiæ sic definiunt; sed in his omnibus nullibi reperitur hoc Verbum *formaliter*, sed tantùm inuenitur quòd sit Filius naturalis Patris, quod optimè saluatur in eo quòd specificatiuè & materialiter sit talis; ergo; &c.

82. Dices quòd Adrianus & Francfordiense definiunt contra suprà dictos hæreticos admittentes tantùm vnum suppositum in duabus naturis, & consequenter quando definiunt quòd Christus vt homo est Filius Dei naturalis, est intelligendum in sensu formali, quia in sensu materiali etiam ipsi hoc concedebant propter vnitatem suppositi. Sed contrà primò, quia ipsos non admisisse vnitatem physicam & realem suppositi latè probauimus Parte 2. imò plures ex Auctoribus oppositæ sententiæ hoc docent. Contrà secundò, quia diminutè processissent Pontifex & Concilium in non apponendo hoc Verbum *formaliter*, quando contra hæreticos inferebant dualitatem personarum, quia ex hoc antecedenti, *Christus vt homo est filius Dei adoptiuus, Christus vt homo est filius Dei naturalis*, non sequitur hæc consequentia, *ergo est duplex persona*, nisi ponatur ly *formaliter*, nam concesso antecedenti negarent consequentiam, quia ex eo quòd Christus vt homo materialiter sit Filius Dei naturalis, & formaliter sit Filius Dei adoptiuus, tantùm habetur quòd materialiter non sit extraneus; & formaliter sit extraneus, quæ non sunt contradictoria; ergo diminutè processissent, quod non est dicendum.

83. Tertiò probatur, quia nullus Philosophorum agnouit filiationem naturalem, quæ non haberet pro fundamento, vel conditione essentiali generationem naturalem, & quòd Filius procedat per originem viuentis à viuente ex principio coniuncto in similitudinem naturæ, sed persona Verbi vt terminat naturam humanam, non reduplicando supra ipsam naturam hoc non habet; quia ipsa natura, & non personalitas deberet esse similis ex vi processionis, & ab Aduersariis excluditur in recto talis natura; ergo vt homo non est formaliter Filius Dei naturalis. Respondent Aduersarij, quòd duplex est filiatio Dei naturalis, vna, quâ Filius æternus pro-

procedit ex vi generationis similis Patri æterno in natura; alia verò, quâ Filius æternus vnitur naturæ capaci dilectionis, & amicitiæ, & hæreditatis; licèt ergo Christus vt homo non sit filius naturalis per similitudinem naturæ, quia hoc est proprium primæ filiationis, benè tamen modo posteriori.

84. Sed contrà primò, quia vel filiatio naturalis per talem vnionem tantùm denominat formaliter hominem Filium absque eo quòd fundetur in generatione, vel non? si denominat tantùm, ergo Christus vt homo tantùm est denominatiuè filius naturalis, & hoc etiam asserebant hæretici, vt vidimus ex Alcuino vbi suprà; si non denominat tantùm, inquiro quid efficit illa vnio vt constituatur homo formaliter Filius naturalis? nam quòd humanitas sit capax dilectionis, & amicitiæ, & hæreditatis, totum hoc haberet, etiamsi non esset Filius naturalis, eo ipso quòd est natura intellectualis, & in finem supernaturalem à Deo ordinabilis; ergo frustrà fingitur tale genus filiationis naturalis.

85. Contrà secundò, quia eodem fundamento possemus dicere, quòd nepos est filius naturalis aui; possemus enim dicere dupliciter posse vniri Filium cum generante, primò immediatè per generationem naturalem immediatam, & secundò mediatè per generationem mediatam, qualem habet nepos; imò de hac melius posset verificari quòd esset *origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ*, licèt hoc fieret mediatè: at hoc est inuertere naturas, & rerum essentias; ergo neque admittendum est illud duplex genus filiationis naturalis.

86. Contrà tertiò, quia sicut filiatio adoptiua Dei transfertur ex filiatione adoptiua humana, vt exempla, quæ adducit Concilium Francfordiense de Moyse respectu filiæ Pharaonis, & de Ester respectu Mardochei demõstrant, ita filiatio naturalis Dei transfertur ex filiatione naturali humana, aliàs non quæreremus in processione Verbi diuini qualiter esset *origo viuentis à viuente*, &c. ergo sicut in humanis nulla est filiatio naturalis, quæ non fundatur in generatione naturali, quâ Filius procedit ex vi processionis similis in natura generanti, ita neque in diuinis, neque in Christo, vt in ipso vt homine hæc non datur formaliter; ergo, &c.

87. Quartò denique probatur nostra conclusio, quia si Pater, vel Spiritus sanctus vniretur alicui humanitati, sicut Filius fuit vnitus humanitati Christi, ille Christus vt homo non esset formaliter Pater, neque formaliter Spiritus sanctus; ergo neque hic Christus vt homo est formaliter filius naturalis. Antecedens probatur, quia ille Christus vt homo nullum posset generare Filium æternum in ordine ad quem Pater æternus formaliter est Pater naturalis, neque ille Christus vt homo esset formaliter spiratus vt nexus, & vinculum vtriusque personæ; quòd enim sint Pater & Spiritus sanctus, non conuenit illis vt terminarent naturas illas humanas, sed vt terminant naturam diuinam, & realiter identificantur cum illa; neque etiam adueniret illis de nouo per nouam terminationem humanæ naturæ, quòd essent nouiter Pater naturalis, & Spiritus: dicendum ergo est, quia sicut illi Christi vt homines tantùm essent materialiter Pater, & Spiritus sanctus, & non formaliter; ita hic numero Christus vt homo tantùm est materialiter filius Dei naturalis, & non formaliter specificatiuè, & non reduplicatiuè.

88. Dico secundò: Contra secundum dicendi modum eiusdem primæ sententiæ Christus in quantum homo reduplicando etiam naturam non est filius Dei naturalis formaliter per donum vnionis ad personam diuinam in communi. ita docent Scotus noster in 3. dist. 10. quæst. vnicâ, §. *ad argumenta*, vers. *contrà ista negatio*, vbi ait, quòd negatio extraneitatis in Christo vt homine, requisita ad filiationem naturalem Dei, non habetur per solam vnionem personalem. tenent expresè Petrus Lorca disp. 84. & Basilius Ponce vbi suprà releċt. 4. qui meritò aiunt hũc dicendi modum esse cõtra antiquorum Theologorum assensum, siquidem omnes negant Christum vt hominem esse filium naturalem totius Trinitatis. videatur Alcuinus contẽporaneus Felicis &

& Elipandi, qui lib. 3. de Trinitate cap. 3. ait, quòd *nullus dicere audebit, quod Deus homo factus, duos habuisset Patres, vnum diuinitatis, alterum humanitatis.* ecce hoc dicunt Recentiores, quod non fuit ausus dicere Alcuinus, quando definita fuit in Christo vt homine filiatio naturalis. Præterea D. Thomas 4. contra Gentes cap. 47. habet hæc verba: *Spiritus sanctus non potest dici Pater Christi secundùm generationem humanam, sicut Virgo dicitur Mater eius: Spiritus enim sanctus non produxit humanam naturam in Christo ex sua substantia*; ergo D. Thomas non agnouit aliam filiationem naturalem, nisi ortam ex generatione, aliàs malè probaret quòd Christus secundùm quod homo non sit filius Spiritus sancti, quia posset esse ex vnionis dono: vnde meritò Ferrara vers. *aduertendum* ait: *Hac ratio procedit ex hoc supposito, quòd Filius generatur de substantia generantis, id est, ex semine.* Alia plura circa hoc dicemus inferiùs. Neque referri debet ab Aduersariis Albertus in 3. d. 10. art. 3. (quidquid velit Petrus Hurtado num. 91.) quia filiatio naturalis, quam adstruit ex dono conuenire Christo, est ipsa filiatio æterna Filij vnita materialiter humanitati Christi, tamen numquam dixit quòd sit formaliter filius naturalis propter ipsam, neque propter aliam.

89. Aliqua ex argumentis factis contra primum modum dicendi militant etiam contra hunc, sed in speciali sic probo primò nostram conclusionem, quia vnio ad personam in communi vel est filiatio formalis, vel filiatio fundamentalis; sed non est formalis, quia hæc terminari debet ad Patrem, vnio verò terminatur ad personam Filij; sed neque est filiatio fundamentalis, quia tam personalitas in communi, quàm hæc humanitas in particulari, quæ vniuntur, & ipsamet vnio, non magis fundant relationem Filij, quàm relationem nepotis; imò qui Filius diceretur ratione filiationis diuinæ tamquam termini (quem habet vnio hypostatica) potiùs nepos deberet appellari, quia nepos est filius filij, respicit enim Patrem non vt Patrem (quia vt sic dicitur Filius) sed vt Filium Aui; ergo ratione vnionis non habet Christus vt homo, etiam includendo naturam humanam, filiationem Dei naturalem.

Secundò probatur, quia si hæc vnio hypostatica fieret ad personam Patris, vel Spiritus sancti, eodem modo ille Christus diceretur Filius Dei naturalis, sicut dicitur hic homo Christus. sequela patet, quia prædicta vnio terminatur ad personam Verbi, non sub ratione specifica filiationis, sed sub ratione communi vniuersali, at hoc ipsum haberent illæ naturæ vnitæ personalitatibus Patris & Spiritus sācti, ergo eodem modo dicerētur filij Dei naturales. Respondent Aduersarij admittendo sequelam. videatur Petrus Hurtado sub sect. 8. num. 87. Sed contrà, quia si hæc ita se habent, ergo nullum est argumentum, vel ad minus deficit præcipuum deductum ex S. Scriptura, propter quòd inferatur distinctio trium personarū. probo consequentiam, quia si aliquod maximè quæ dicuntur de Christo vt filio Dei, & quæ ipse de seipso dicit in ordine ad Patrem, sed omnia hæc nullam haberent efficaciam, si responderetur ab hæreticis, quod ratione vnius personæ, quæ aliàs appellatur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus secundùm diuersa officia (vt aiebat Arrius) dicitur Filius naturalis ex dono vnionis, & non ex filiatione æterna, & sic quòd nomen Pater sumi debet essentialiter, non notionaliter, & sic venirent intelligenda illa testimonia Ioannis 14. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum: non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est, ego & Pater vnum sumus*, &c. nam si Pater & Spiritus sanctus vniti humanitati in ipsa in concreto accepta dicerentur Filius Dei naturalis, ergo ex filiatione Dei naturali in Christo Domino reperta non inferretur distinctio trium personarum, quia non acciperetur relatiuè ad Patrem notionalem, sed ad Deum, qui in Aduersariorum sententia est terminus prædictæ filiationis naturalis; at in S. Scriptura, quando fit expressa mentio de Filio Dei naturali sub hoc expresso nomine communiter est sermo de Christo Domino; ergo ex illo nullum esset efficax, vel ad minus præcipuum deficeret argumentum ad distinctionem personarum. 90.

91. Et confirmatur primò, quia Ecclesiæ Patres, ex eo quòd Christus dicatur filius Patris æterni, colligunt eum habere eamdem naturam cum Patre, & distinctam personam, videatur Gregor. Illiberitanus lib. de Fide, lib. de Trinitate satis laudato à D. Hieronymo; Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, & alij plures relati à Recentioribus vbi suprà, ex quibus Scholastici hoc acceperunt argumentum. legatur S. Thomas q. 23. art. 3. Scotus in 1. dist. 2. q. 6. in principio, & q. 7. §. *quia sicut dixi*, vbi ait, quòd pluralitas personarum sumitur ex pluralitate productionum; & in 3. dist. 10. q. vnicâ citatâ, §. *respondeo*, litt. A, solùm agnoscit filiationem naturalem, quæ fundetur in generatione naturali, & quòd ratione illius habeat ius ad hæreditatem; ergo est contra communem sensum Scholasticorum & Patrum hæc filiatio naturalis solùm procedens ex dono vnionis.

92. Et confirmatur secundò, quia si non repugnant inter se prædicata filij naturalis Dei cum prædicato creaturæ, inæqualitatis, &c. ergo ex filiatione naturali Dei non infertur consubstantialitas Filij cum Patre, neque æternitas, & æqualitas illius cum illo.

93. Tertiò probatur argumento Scoti ibidem vers. *contrà ista negatio*, quia negatio extraneitatis in Christo vt homine non est nisi propter gratiam habitualem Christi, quia propter illam solùm habet ius ad hæreditatem, quidquid sit An talis gratia debita sit vnioni debito congruentiæ, in aliquo tamen priori naturæ præcedit vnio hypostatica absque negatione extraneitatis; ergo ex vi vnionis hypostaticæ Christus vt homo non est formaliter filius Dei naturalis. patet consequentia, quia si non est negatus extraneitate, vsquedum accedit gratia habitualis; ergo ante infusionem ipsius præcedebat extraneus, & tamen præcedebat vnio; ergo vnio non dat carentiam extraneitatis, quæ carentia est propria Filij naturalis. quare hoc argumentum ita visum fuit efficax Scoto, quòd statim diceret, *responsionem quære*.

94. Aduersarij tamen, vt illi respōdeant, triplicem inuenerunt solutionem: primò enim respondent aliqui, quòd personalitas diuina sanctificat humanitatem, & sic dat illi ius ad hæreditatem antequam accedat gratia habitualis. 2. alij, quòd Deitas vnita per personalitatem sanctificat, & sic tale ius oritur ex natura. 3. denique alij, quòd quidquid sit An personalitas sanctificet, tamen est aliquid diuinum pertinens ad complementum naturale hominis, & est aliquid substantiale magis proprium Patris, quàm semen decisum à generante, & sic titulo naturali, & iure naturæ debetur hæreditas homini Christo, ius autem fundatum in natura est proprium Filij naturalis.

95. Sed contra primum & secundum latè probauimus disp. 11. quæst. 2. quòd nulla alia forma præter gratiam habitualem sanctificat humanitatem Christi, & sic nulla alia dat ius ad hæreditatem. Prætereà, quia si hoc sufficeret, multò potiori ratione diceretur de Spiritu sancto quòd sit filius, quia est sanctus vel per personalitatem, vel per Deitatem, vel per vtramque. Et si respondeas cum Petro Hurtado sub sect. 9. num 97. quòd Spiritus sanctus non habet personam ex dono, quia hoc est liberum beneficium Dei; neque est hæres, quia hæreditas est de his, quæ dari possunt, & auferri. Contrà ex hac solutione potiùs sequitur intentum; ergo hęc filiatio, quam adstruis in Christo, tota fundatur in gratia, scilicet in dono gratuito, & in hæreditate gratuita; ergo coincidit cum ea, quæ fundatur in gratia habituali; ergo non est naturalis. patet consequentia, quia naturalis ex eo dicit carentiam extraneitatis, quia dicit carentiam gratiæ; qui enim habet ius naturale, non est extraneus ad hæreditatem, neque hæreditas est illi merè gratiosa.

96. Contra tertium sequitur idipsum quod Auctores huius modi dicendi negauerant contra Auctores primi modi, quia iam homo Christus esset filius naturalis per ipsammet personalitatem. Præterea hæc personalitas non est intrinseca humanitati, sicut semen est proli. Deinde licèt sit, tamen non dat ius, quandoquidem de potentia Dei posset stare cum peccato. Præterea licèt non posset stare cum illo, adhuc non dat ius, quia cùm tantùm suppleat vices personæ creatæ, sicut hæc posset stare sine gratia, & sine peccato in pura natura,

tura, ita illa, & consequenter absque iure ad hæreditatem Dei, quia in statu puræ naturæ non esset tale ius. Denique quia si humanitas vniretur subsistentiæ communi indiuidui Deitatis, aliquid diuinum substantiale haberet, & magis intrinsecum Patri, seu Deo, quàm est ei intrinseca personalitas, & pertineret similiter ad complementū naturæ, & tamen hic homo nòn esset Filius, tū quia in eorum sententia vnio debet esse ad personalitatem saltem in communi & subsistētia indiuidui Deitatis non est personalitas; tum quia si propter eam esset Filius, multo magis indiuiduum Deitatis propter eam esset Filius; tum denique quia Deus est Pater essentialis *vt quod* propter talem subsistentiam, sicut Pater notionalis est Pater *vt quod* propter subsistentiam personalem; ergo propter eamdē formalitatem subsistentiæ indiuidui Deitatis homo esset Filius naturalis, & Deus esset Pater naturalis. hæc omnia absurda satis apparent; ergo, &c.

97. Quartò probatur, quia hæc filiatio naturalis, quā ex prædicto dono vnionis adstruunt Aduersarij, habet omnes iniurias & imperfectiones, quas habet filiatio Dei adoptiua; ergo vel nihil dicunt, vel in re grauissima quæstionem faciunt de solo nomine. Antecedens probatur, quia hęc filiatio naturalis intraneam & intrinsecam habet inęqualitatem inter Patrem & Filium, vt & ipsi fatentur; item refertur ad Patrem essentialiter, non notionaliter; item habet pro termino hęreditatem creatam; deinde procedit ex prædestinatione, electione, & effectu; & denique natura humana, cui hæreditas est conferenda, quantū est ex se, est extranea, quidquid sit, An prout cōiuncta cum personalitate per vnionē non sit extranea, quod nihil officit, quia etiam prout cōiuncta cum gratia habituali non est extranea, & maximè in eorum sententia, quę tenet, quòd gratia habitualis ex natura sua sanctificat, estque incompossibilis cum peccato, & dat ius ad hæreditatem, & consequenter in sensu composito accepta habet ius naturale, & nihilominùs constituit Filium Dei adoptiuum. consequentia autē patet, quia sub prætextu filiationis naturalis admittunt filiationem adoptiuam in reipsa, & solùm differunt à nobis, quòd nos fundamus filiationem super gratiā habitualem, illi verò super vnionem, & mirum est, quòd per hoc solùm ita acriter impugnarentur & anathematizarentur Felix & Elipandus ab Adriano Papa, & à Concilio Francfordiensi, quod nec credo, nec persuasum mihi habeo, sed potiùs oppositum manifeste ostendi.

Quintò probatur ab inconuenienti, 98. quia aliàs Christus esset formaliter filius Virginis Mariæ non solùm secundùm naturam humanam, sed etiam secundùm naturam diuinam, non tantùm terminatiuè, vt omnes Catholici fatentur, sed etiam formaliter, & intrante natura diuina in recto, quòd est omni absurdo absurdius propter intrinsecā repugnantiam, quam diuina Essentia habet ad filiationem respectu creaturæ. sequelam probo, quia si non repugnat quòd secundùm naturā humanam Christus sit formaliter filius naturalis Virginis, & formaliter filius naturalis Dei, licet talis natura humana non sit à Deo genita; ita non repugnabit, quod secundùm naturam diuinam sit formaliter filius Dei naturalis, & formaliter filius naturalis Virginis, licet talis nàtura diuina non sit à Virgine genita.

Et si reddas disparitatem, quod natura diuina, vel suppositalitas, quę vnitur, est sanctitas formalis, & sic pręstat ius ad hæreditatem, & consequenter constituit filiationem naturalem: at filiatio Christi ad Virginem terminata non se habet ita. Contrà primò, quia aliqui ex vobis nō recurrunt ad personalitatem tamquam ad sanctitatē, sed tamquam ad semen à Patre decisum. Contrà secundò, quia talis relatio dat Christo ius ad hæreditatem Virginis, & ad omnia bona, seu res familiares ipsius quascūq; habuisset, & potuisset habere, & similiter maternitas Virginis dat illi ius naturale ad bona Christi; ergo si Christus secundū naturam diuinā posset esse & denominari formaliter filius naturalis Virginis per hanc filiationis relationē, etiam posset esse & denominari hęres Virginis, licet talis filiatio non sit formalis sanctitas. Contrà tertiò, quia etiam personalitas diuina non est intrinseca naturæ; & si 99. aliquo

aliquo modo est intrinseca, tantũ concipitur per modum termini naturæ, & hoc sufficit vt sanctificet, & per modũ sanctitatis det ius, sed omnia hæc concipiuntur in illa filiatione Christi ad Virginem, quia in eisdem fundatur, & in maternitate Mariæ ad Christũ, quæ similiter terminatur personalitate Verbi immediatè, & mediatè ipsa diuinitate; ergo haberet quidquid esset requisitũ ad rationem sanctitatis, & ad habendum ius per formã, quæ sit sanctitas in eorum sententia. Ex quo tandem sequeretur, quòd beatissima Virgo titulo naturali maternitatis absque gratia habituali formaliter sit hæres Christi, nõ solùm secundùm quod homo est, sed etiã secundùm quod Deus est, quod nullus hucusque dixit.

100. Sextò & vltimò probatur, quia si Christus secũdùm quod homo sit formaliter filius Dei naturalis ex dono vnionis; ergo est filius naturalis Trinitatis. patet consequentia, quia à tota Trinitate habet prædictum donum vnionis. Respondent Recentiores admittendo consequentiam. ita Suarez disp. 49. sect. 2. à vers. *sextam rationem*; Vasquez disp. 89. cap. 14. à vers. *tertiò colligitur*; Martinus Becanus 3. p. c. 18. q. 5. n. 8. Gaspar Hurtado de Incarnatione diff. 17. n. 18. Petrus Hurtado vbi suprà sect. 6. sub sect. 3. Et probant primò ex Adriani Epistola suprà citata, vbi explicans illud Matthæi 3. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, habet hęc verba. *Si secundùm diuinitatem dixisset, nequaquã diceret, In quo mihi bene complacui, sed tãtummodò in quo mihi bene placuit: sed dum dicit complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas*; ergo Trinitatis est filius dilectus Christus vt homo, siquidem de ipso vt tali complacet tota Trinitas. Probant secundò, quia accedente nouo fundamento fundari potest noua relatio, quare relatio filiationis ad Mariam in Christo cadit super suppositum simul cum humana natura; ergo cum personalitate Verbi accedens humanitas potest fundare nouam relationem filiationis distinctã à filiatione increata Verbi, ergo nulla est repugnantia, quòd noua oriatur relatio filiationis naturalis ad totam Trinitatẽ distinctã ab illa, quam habet ad solam personam Patris persona Verbi coniuncta cum humana natura.

Sed contrà, quia hæc sententia est contra communem sentẽtiam Scholasticorum quidquid velit, & in oppositum contendat Petrus Hurtado, quia Durandus & D. Bonauentura, & alij Auctores, quos pro se citat, quòd vel concedant, vel ex aliorum placitis referant aliquam Christi filiationem terminatam ad Trinitatẽ, loquuntur vel de filiatione adoptiua vt Durandus, vel de filiatione naturali sumpta in lata & impropria metaphoricaque locutione sumpta scilicet pro creatione, & pro concursu, quo scilicet tres personę simul cum Virgine Maria produxerunt Christum vt hominem, tamen ipsimet Auctores impugnant omnem aliam filiationem Christi naturalem præter eam, quam habet notionalem increatam, & æternam terminatam ad solam personam Patris, vel quia appropinquat errori, vel quia confusionem ponit in relationibus diuinis, & hanc sententiam expresè docent Magister in 3. d. 4 Scotus q. vnicà § *ad argumenta*, vers. *ad illud dico*, litt. K. D. Bonauentura art. 2. q. 2. & 3. Gabriel q. vnicâ, art. 3. dub. 2. Thomas de Argentina art. 4. Albertus ibidem art. 4. Alexander Alensis 3. p. q. 8. memb. 3. art. 4. S. Thomas in 3. q. 1. art. 2. & 4. & contra Gentes cap. 47. & 3. p. q. 32. art. 3. ex Recentioribus Medina q. 33. art. 3 Cabrera q. 23 art. 4. disp. 1. num. 47. Lorca disp. 84. num. 39. & Pontius de Leon relect. 4. citatâ. 101.

Et probatur ex Patribus, quos adducit Magister Sentent. in litt. sed pro omnibus sufficiat Augustinus tom. 3. in Enchiridion cap. 38. 39. & 40. circa illa verba, *Spiritus sanctus superueniet in te* habet ista: *Numquid tamen ideò dicturi sumus Patrem hominis Christi esse Spiritũ sanctum, vt Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua vtraque substantia Christus vnus esset & Dei Patris filius secundum Verbum, & Spiritus sancti filius secundum hominẽ: sed quasi eum Spiritus sanctus tamquam Pater eius de matre Virgine genuisset? nec opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur absurda: cum hoc ipsum ita sit absurdum, vt nullæ fideles aures id valeant sustinere*. idem habet 102.

bet Augustinus tom. 3. lib. 1. de Trinitate cap. 4. & lib. 2. cap. 10. vnde Suarez disp. 49. sect. 3. vers. *responderi potest.* compulsus est fateri Augustinus sic sensisse. Neque aliquid valet solutio Petri Hurtado sect. 6. sub sect. 5. quòd loquatur de generatione & filiatione naturali, quæ fit per commixtionem seminum Patris & Matris, quia contrà est quòd Augustinus nec verbum de hoc dixit, neque ex antecedentibus & cõsequentibus valet colligi, quod enim Sententiarum Magister ait, explicans quomodo conceptus & natus dicitur Christus de Spiritu sancto, scilicet *non quòd Spiritus sanctus fuerit Virgini pro semine, non enim de substantia Spiritus sancti semen partus accepit*, non loquitur Magister explicando testimonium Augustini, sed explicando illa verba, *conceptus & natus*, quæ significant naturalem generationem, & quia nullam putat esse veram & propriam generationem in homine producto, nisi fiat per seminum commixtionem, ideò præcauet talem locutionem; & illam explicat, non Augustini verba, secundùm quæ nostra sententia euidenter probatur, & ostenditur; & si explicaret, idipsum dico de Augustino, quod de Magistro, scilicet quòd non cognoscant aliam filiationem naturalem creatam, nisi eam, quæ fiat ex seminum commixtione, propter cuius defectum denegatur Spiritui sancto quòd sit Pater naturalis hominis Christi.

103. Præterea Cõcilium Toletanum XI. in confessione fidei cap. 10. sic definit: *Nam Christus Iesus nullo modo Spiritus sancti filius credi vel intelligi potest.* & addidit Augustinus lib. de Trinit. cap. 10. à quo Concilium desumpsit prædicta verba, *nec suus.* Respondet Vasquez, quòd loquitur de Christo vt Deo. Sed contrà & benè insurgit Lorca, quòd loquitur de Christo vt incarnato; ergo de Christo secundùm naturam humanam. Probatur antecedens tum quia loquitur de IESV, quo nomine appellatur Christus secundùm quod homo, iuxta illud Lucæ 1. *Et vocabis nomen eius Iesum*; tum ex verbis immediate subsecutis in Concilio; *Pro eo quod beata Virgo Maria eodem Spiritu sancto obumbrante genuit, ne duos Patres Filij videamur concedere, quod nefas est dictu.* Vnde minùs valet solutio Hurtadi, quòd loquatur de Filio Spiritus sancti ex seminum commixtione, tum quia nullum est de hoc verbum, tum quia illa verba, *nullo modo Spiritus sancti Filius credi vel intelligi potest*, omnes filiationes naturales absolutè excludant, est enim negatio malignantis naturæ (vt Sũmulistæ aiunt) quòd omnia post se secuta destruit; tum denique quia inconueniens, quod infert Concilium, scilicet, *ne duos Patres Filij videamur concedere*, perseuerat etiamsi generatio non fiat ex seminum commixtione, & licèt Concilium dicat *quòd hoc nefas est dictu*, Auctores aduersi hanc deglutiunt censuram.

Sed vt ostendam quàm longè ab eorum sententia sit Francfordiense Concilium, aliqua ex ipso in medium proferam ponderatione dignã. In Libro Sacrosyllabo fol 145. colum. 3. hęc habentur verba: *Igitur cùm ad Iordanis alueum, Ioanne comite, qui Christus à populis existimabatur, appropinquaret, & vt sanctificaretur aquarum natura mediũ sese Iordanis intinxisset in vndis, vt manifestius inter adoptiuum & proprium Filium discerneret, & quia inseparabilia sunt semper opera Trinitatis, cæli aperti sunt super eum, & Spiritus sanctus sine quo numquam erat Filius corporali specie, sicut columba descendit super eum, & mansit super eum, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter, statimq́; vox Patris intonuit, dicens, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui; ac si diceret, Iste est super quem Spiritus sanctus in specie columba descendit, & Filius est, & dilectus est, & meus est, & hic est quem Spiritus sanctus proprium esse meum Filium singulariter demonstrauit.* Ecce qualiter Liber hic Sacrosyllabus distinguit tres Trinitatis personas; & tribuit Spiritui sancto, quòd determinaret inter Filium adoptiuum & naturalem, scilicet inter Ioannem Baptistam, & Christum, descendendo in forma columbæ super Christum, & non super Ioannem Baptistam; & tribuit personæ Patris, quòd loqueretur, & diceret, quòd ille Filius sic à Spiritu sancto signatus, determinatus, & demonstratus erat Filius, erat dilectus, *erat suus*, & quòd Spiritus sanctus sic demonstrasset; ergo non Trinitatis, sed solius Patris. Sit aliud testimonium ex eodem folio 148. *Nos autem* (inquit) *Domini,*

Domini, & charissimi fratres sequentes præcedentium Patrum sanam fidei doctrinam, respuentes per omnia deliramenta negantium hominum, corde credamus ad iustitiam, ore autem confiteamur ad salutem Dominum nostrum Iesum Christum verum Dei filium non putatiuum, proprium in vtraque natura, non adoptiuum, æqualem, & coæternum Patri sanctóq; Spiritui; ergo filiatio quam in confessione fidei Patres in Concilio Francfordiensi congregati confessi sunt Christo Domino in vtraque natura, non est filiatio hæc inæqualis, & temporalis, quam vt relatam ad totam Trinitatem adstruunt, sed est illa æterna solùm ad personam Patris terminata, quam habuit ab æterno diuinum Verbum. Præterea Concilium Francfordiense fol. 150. dicit: *Scimus enim Deum Dei Filium ex vtraque natura & vnigenitum esse, & primogenitum: vnigenitus, quia solus sine initio ex Deo Patre genitus, & solus ex initio temporis ex matre Virgine genitus*; ergo filiatio naturalis, secundùm quam Christus secundùm quod homo & vnigenitus est, & primogenitus, est illa quam habuit sine initio genitus, & solus ex initio temporis ex matre Virgine genitus; ergo hæc non est diuersa ab illa.

105. Ratione probatur, quia hæc Christi productio ex Virgine & Spiritu, vel hæc vnio personalis cum natura humana nullo modo participat definitionem generationis naturalis; ergo neque filiationis naturalis ad Trinitatem. Deinde probatur, quia aliàs plurimos posset Deus habere filios naturales, patet consequentia, quia Verbum (& idem dico de aliis duabus personis Trinitatis) pluribus potest vniri naturis; ergo Christus posset dici primogenitus, non solùm quia vnigenitus est, vt intellexit Concilium, & est communis Patrum Ecclesiæ consensus, sed etiam quia respectu aliorum subsequentium possibilium primus est, quod negat Concilium his verbis subsequentibus ad paulò anteà adducta: *Ideoq; in vtraque natura vnigenitus etiam & primogenitus, quia omnis vnigenitus primogenitus est, licèt secundùm humanam generationem non omnis primogenitus vnigenitus sit*; ergo nullo modo Christus secundùm quod homo est Filius naturalis Trinitatis.

106. Vt autem verba Adriani ab Aduersariis adducta non habeant eam intelligentiam, quam ipsi adstruere conantur, oportet contextum cum aliis anterioribus proponere; sic enim fol. 144. in principio habentur: *Patris testimonio de Filio perhibentis non creditis, qui dixit, Hic est Filius meus dilectus? Spiritus sancti ostensionem specie columbæ, quia esset ipse dilectus Filius, nihili penditis? super quem putatis Spiritum sanctum in specie columba descendisse? super Deum, an super hominem? an propter vnam personam Christi super Dei hominisq; Filium?* &c. *de eo ergo; id est, de hominis Filio, super quem Spiritus sanctus descendit. velut vnus sit Dei hominisq; Filius, vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit; si secundùm diuinitatem dixisset, nequaquam diceret, In quo mihi benè complacuit, sed tantummodò in quo mihi benè placuit: sed dum dicit complacuit, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas.* itaq; in his verbis intendit contra hæreticos Concilium, quòd Christus non solùm sit Filius Dei secundùm quod Deus, sed etiam secundùm quod homo, & vult quòd filiatio talis ostendatur per complacentiam totius Trinitatis, non in quantum Patris, vt Aduersarij intendunt, sed quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, vt aliàs diximus ex Sacrosyllabo, & sic ostensio, & manifestatio talis placiti, quia fuit opus ad extra, debuit fieri à tota Trinitate, & sic facta est à Patre vocem ferenti, à Filio homine audiente & consentiente, & à Spiritu sancto in specie columbæ determinatè significante subiectum, de quo vox Patris foret intelligenda; & consequenter debuit appellari complacentia, quia omnium trium personarum placentia. Vnde nota, quòd quando Pontifex loquitur de testimonio Patris, illud ponit sub illis verbis, *Hic est Filius meus dilectus*; & quando loquitur de testimonio Spiritus sancti, illud ponit sub his, *quia ipse esset dilectus Filius*; non enim ait *meus* vt Pater, sed quia non suus, ait, *Ipse esset dilectus Filius*, quia scilicet erat Patris Filius dilectus: vnde tantùm distat, quòd hoc testimonium sit pro Aduersariis, quòd potiùs manifestet clarè sententiam nostram.

Ad rationem respondeo, quòd nulla est repugnantia, quòd oriatur noua relatio 107.

latio

latio etiam filiationis naturalis ex nouo fundamento, vt patet in exemplo adducto filiationis naturalis ad Virginem, dum tamen illud fundamentum coniungatur tamquam cum conditione cum generatione naturali, de cuius ratione est, *quòd sit origo viuentis à viuente,* &c. & quia conditio hæc deficit, vt posteà ostendemus in impugnatione tertij modi in productione Christi facta à Trinitate, ideò meritò negari debet tamquam quid repugnans quòd Christus secundùm quod homo sit Filius SS. Trinitatis.

108. Sed inquires, An præfata sententia sit digna aliqua censura? Respondeo quòd auctoritas Auctorum illius, præcipuè Suarez continet valdè animum à censura, quia tamen in mea sententia testimonium adductum ex Concilio Toletano expressè militat contra illam, & in ipso dicitur quòd concedere duos Christi Patres *nefas est dictu*, ideò non possum idipsum non proferre, & cum Concilio assentire.

109. Dico tertiò contra tertium dicendi modum: Christus secundùm quod homo reduplicando non solùm supra suppositum, sed etiam supra naturam, quæ similis debeat esse generanti, non est formaliter Filius Dei naturalis. ita certa est hæc conclusio, vt oppositum nullus hucusque dixerit, nisi Petrus Hurtado. Eam igitur probo primò, quia si alicuius deberet esse Filius naturalis maximè Trinitatis, sed hoc non vt probauimus; ergo.

110. Secundò probo specialiter præter argumenta alia iam adducta, quæ etiam militant contra hunc dicendi modum, quia natura humana non est similis Deo eâ similitudine, quæ requiritur ex parte illius ad filiationem naturalem; ergo Christus vt homo non est formaliter Filius Dei naturalis hoc genere filiationis, quæ petat similitudinem in natura. Antecedens probatur; quia ex eo quòd Ecclesiæ Patres in illis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, non inuenerunt propriam & veram similitudinem filiorum, recurrunt ad varias & diuersas interpretandi rationes: vnde Hugo de S. Victore in Annotationibus in Genesim, & habetur in Glossa ordinaria cap. 1. Genesis obseruauit quòd sacer Textus dixerit, *ad imaginem*; & reddens rationem huius sic habet, *Quia non est ei vsquequaque similis, Filius est imago Patris, nō ad imaginem, quia quidquid habet Pater, totum habet Filius per naturam; homo verò ita est imago Dei, quòd ad imaginem non per naturam, sed participatione vel imitatione habet ea quæ Dei sunt.* ergo imago, & similitudo Dei, quæ reperitur in Christo vt homine, non est ea quæ est propria filiorum. Præterea Glossa Interlinearis explicat imaginem *in ratione quâ contemplandæ veritatis inhæret*, & D. Augustinus eam dupliciter assignat, vno modo 9. de Trinit. cap. 4. & deinceps, in quãtum scilicet in vna anima hominis sunt mens, notitia, & amor; alio modo 10. de Trinit. c. 10. in quantum scilicet est in ea memoria, intelligentia, & voluntas; & de hac loquens lib. 15. de Trinit. cap. 2. dicit quòd est euidentior priori. de quibus optimè ait tom. 1. lib. 2. Retractationum c. 24. quòd non omnino extinctæ sint per peccatum, sed taliter deformes, vt reformatione opus haberent. & denique Tertullianus lib. de Resurrectione carnis in principio, & magnus Athanasius sermone de Sanctissima Deipara post medium, & Nicenus quæstione de eo, quid sit ad imaginem Dei, ideò dictum censent, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quia factus fuerit homo ad instar Christi, habente se humanitate Christi vt prototypo & exemplari, & idem sit ad similitudinem nostram, ac ad similitudinem nostri; non ergo venit in notitiam Patrum hęc similitudo filiorum, quam adinuenit Hurtado.

Secundò probatur, quia similitudo 111. siue specifica, vt inuenitur inter homines Patrem & Filium, siue generica, vt inter equum & mulum (quæ repeririuntur in creatis) originem ducunt à commixtione seminum, ita vt illorum materia per diuersas transmutata dispositiones transferatur ad esse partem intrinsecam & essentialem geniti, sed in homine Christo non reperitur aliqua materia propria Patris, neque aliqua similitudo, quæ originem ducat ex illa, neque personalitas habet rationem materiæ, nec quasi materiæ, sed tantùm est terminus naturæ humanæ, & hæc non est similis

ergo sicut illæ non denominant formaliter Christum vt hominem, neque de illo formaliter prædicantur, ita neque ista; ergo non alio modo quàm materialiter est Filius Dei naturalis, quia reliquæ filiationes à diuina & æterna de nouo à Recentioribus inuentæ, omnino falsæ, & commentitiæ sunt.

115. Dico denique quintò supposito quòd necessariò tenendum foret, quòd Christus secundùm quod homo sit formaliter Filius Dei naturalis sic philosophandum censeo, scilicet quòd filiatio æterna & increata Verbi realiter & materialiter accepta sit fundamentum ex quo consurgat ius ad hæreditatem creatam, sed summam qualem habet Christus vt homo, quòd ius sit quędam habitudo moralis ad illam, formaliter constituens ipsum hæredem, non in lata significatione quæ competere potest non filiis, sed in ea quà synonimè accipitur hæres pro filio vel vnigenito, vel primogenito: in hac enim significatione idem erit formaliter hæres quod filius, & consurgente hac habitudine à filiatione naturali tamquam à fundamento, siue consurgat ex natura rei, siue tantùm de congruo dicenda est naturalis, & consequenter sicut constituet Christum vt hominem formaliter hæredem Dei naturalem, ita & constituit formaliter Filium Dei naturalem, non sumptà filiatione pro eo quod ex vi vocis significatur, sed pro hæreditate naturali: itaque in hac nostra sententia filiatio formalis non est forma realis, sed tantùm moralis, licèt fundata in forma reali, neque cádit supra suppositum, sed ex ipso oritur, & cadit supra humanam naturam, quæ est quæ per se significatur ab hac voce, *homo*; nec requirit similitudinem in natura, sed tantùm capacitatem, tum ad personari per filiationem Dei increatam, tum ad recipiendum dona gratiæ & gloriæ; nec petit carentiam extraneitatis formalis ortam ex generatione naturali, sed tantùm ortam ex ipsa positione filiationis naturalis positæ pro fundamento; nec denique requirit pro termino talis habitudinis aliquem Patrem siue notionalem, siue essentialem, sed sufficit quòd pro fundamento habeat filiationem Dei increatam de se terminatam ad Patrem notionalem. sic mihi venit intelligẽdus Scotus in reportatis 3. lib. dist. 10. quæst. vnicâ, vbi expressiùs quàm in 3. Sentent. defendit tamquam probabilem sententiam de filiatione naturali & formali Christi vt hominis.

Hanc sic probo conclusionem primò, quia non minùs est capax humanitas Christi Domini ad participandum ex Verbo tamquam ex fundamento aliquem respectum moralem ipsam dignificantem, quàm opera ipsius fuerunt capacia, sed opera Christi Domini fuerunt summè dignificata moraliter à Verbo tamquam à fundamento, & ab habitudine tamquam à ratione formali; ergo similiter. Secundò, quia ex tali filiatione naturali, licèt materialiter accepta oritur carentia formalis extraneitatis ad dignitatem, & ad hæreditatem; ergo formaliter non est extraneus hæres; ergo est hæres intraneus: sed hæres intraneus meritò dicitur hæres naturalis; ergo & filius naturalis. patet consequentia, quia si synonimè accipiantur hæres pro filio, & filius pro hærede, necessariò hæres intraneus, filius intraneus, & naturalis debet appellari. 116.

Sufficiant hæc pro probabilitate huius sententiæ; quia tamen carentia extraneitatis, quæ ad filiationem naturalem exigitur, communiter accipitur pro carentia orta ex generatione, & non pro carentia orta ex iure, neque ex dignitate iuris, seu habendi tale ius: quapropter sic communiter interpretatur à Iuristis, & à Theologis, vt vidimus in principio huius Quæstionis, quòd adoptio debet esse personæ extraneæ à generatione naturali adoptantis; & filiatio naturalis, quæ ab omnibus quæritur in præsenti, debet esse vera & propria, & ad verum & proprium terminata Patrem; ideò compellimur, vt argumenta contra adoptionem, & pro filiatione naturali ab Aduersariis facta dissoluamus. 117.

PARS QVINTA.

Fit satis argumentis contra adoptionem, & pro filiatione naturali factis.

118. Facilè erit modò argumentis contra adoptionem factis satisfacere, postquam in secunda Parte huius Quæstionis explicuimus errorem Felicis & Elipandi, & mentem Concilij Francfordiensis cum Adriano Papa contra ipsos definientes aperuimus, & sic ad primam probationem ex his omnibus adductam in Parte prima huius Quæstionis dicimus verum esse Pontificem, & Concilium duo definisse. primum, scilicet quòd Christus non solùm secundùm quod Deus, sed etiam secundùm quod homo erat Filius naturalis Dei. 2. quòd vt sic non sit Filius eius adoptiuus, notamus tamen quòd tam vnum, quàm aliud fuit definitum in in sensu quo contrariabantur sensui hæreticorum; cùm ergo illi circa primum assererent quòd Christus solùm erat Filius Dei secundùm naturam diuinam, non secũdùm quod homo, quia hic non verè & realiter, sed tantùm putatiuè & nuncupatiuè erat talis. ideò definitum est primum, quod verum habet, si personam Filij concedimus realiter & physicè vnitam cum humana natura, ita vt ratione personæ hic homo Christus sit verè & propriè Filius Dei naturalis, licèt hoc tantùm habeat materialiter & identicè, non formaliter & reduplicatiuè. Et cùm circa secundùm assererent quòd Christus vt homo erat Filius Dei adoptiuus, tamquam purus homo, alius, & distinctus ab ipso Christo vt Filio Dei, fuit in hoc sensu definitum contra ipsos, quòd adhuc in Christo non sit Filius Dei adoptiuus, intellige tamquam purus homo, alius, & distinctus ab ipso Christo vt Filio Dei, nam aliàs significatur & dicitur diuersitas & dualitas personarum, & de Christo vt homine negatur diuinitas. vnde Pontifex & Concilium omnem suam curam & sollicitudinem applicarunt in probando tum vnitatem personæ Christi Domini, tum dualitatem naturarum, & sic argumenta ex sacra Scriptura & Patribus, quæ accipiunt omnia, eò tendunt, vt probent quòd Christus vt homo est ipsamet Filij naturalis Dei persona, vnigenitus & primogenitus Patris, & in ipso vera Dei insit & reperiatur diuinitas, sicut vera inest & reperitur humanitas: nullo autem modo curarunt, neque de hoc aliquod est verbum in Concilio, an retentà vnitate suppositi sit formaliter Filius Dei adoptiuus secundùm quod homo, necne?

Quare ad testimonia ibi in oppositum adducta facilis erit responsio. Ad primum ex Adriano Papa dico, quòd cùm ait, *proprium, & non adoptiuum*, explicari debet per verba antecedentia; *verum, & non putatiuum*, negat enim quòd non sit Filius adoptiuus personaliter distinctus à proprio, qui verus Filius est Dei, & non putatiuus, seu nuncupatiuus, vt hæretici adstruebant, vt duos Filios realiter distinctos faterentur, quorum vnus scilicet adoptiuus, diceretur putatiuè ille alius, scilicet nuncupatiuè Filius Dei. Ad secundum ex eodem, cùm ait, *quòd non fuit Filius per gratiam adoptionis, sicut & nos, sed per naturam.* Respondeo hoc solùm negare in distinctis suppositis, id est, non fuit vnus Filius per gratiam, sicut & nos, & alius per naturam tamquam Deus. imò etiam si hoc absolutè proferret, non esset absolutè intelligendum quòd negaret adoptionem ex gratia, sæpè enim contingit quòd Patres Ecclesiæ vt omnino discedant à sensu hæreticorum, & se illis opponant, negant aliquid absolutè, quod non est absolutè negandum, quod omnium optimè probauit Scotus in reportatis vbi suprà ex D. Damasceno, qui lib. 3. cap. 12. & 58. negauit de beatissima Virgine quòd esset *Christotocon*, id est, genitrix Christi, sed tantùm concedit quòd esset *Theotocon*, id est, Mater Dei, vt se opponeret hæreticis, qui negabant fuisse Matrem Dei, & concedebant quòd solùm esset Mater Christi. vnde non negauit Damascenus quòd esset Mater Christi, sed negauit quòd esset Mater Christi non Dei, seu Christi non habentis sibi vnitam diuinitatem. ita dicimus in præsenti, quòd licèt Pontifex & Concilium dicant absolutè, *quòd Christus secundùm quod homo non est Filius Dei adoptiuus, quòd non est Filius per gratiam adoptionis* 119.

tionis sicut nos, &c. non sunt ista absolutè intelligenda vt sonant, sed tantùm vt se omnino opponant sensui hereticorum; quare cùm iste sit cum distinctione suppositorum, in eo veniunt intelligenda verba, quæ apparenter & superficialiter militant contra nostram sententiam.

120. Ad primum ex Sacrosyllabo facilis est expositio, nam cùm Felix & Elipandus dicerent quòd Iesus Christus erat de Virgine natus adoptiuus, sic arguit contra eos Concilium, Aut hæc adoptatio fuit, quando fuit per conceptionem natus in vtero Virginis, & hoc est falsum, quia Deus de Virgine inenarrabiliter assumpsit, non adoptauit carnem, id est, assumpsit ad realem vnitatem personæ, non ad solam vnionem per affectum & gratiam; aut hæc adoptatio fuit quando per partum natus est ex vtero Virginis, ita vt natus fuerit vt purus homo, & sine vnita sibi diuinitate, & tamquam indigens diuinâ vnione, eguerit vt vniretur post partum per adoptionem, & hoc similiter est falsum, quia Deus erat in eo per naturam, *Nam Deus*, inquit Apostolus; *erat in Christo mundum reconcilians sibi*, & sic non indigebat vt tantùm esset in eo per gratiam, sicut reliqui homines puri, & sine Deo nati, quia in originali peccato concepti, & in vtero non sanctificati indigent gratiâ vt aliquam habeant vnionem cum Deo.

121. Ad secundum ex eodem Sacrosyllabo dico loqui de Filio adoptato secundùm extraneitatem, non solùm secundùm naturam, sed etiam secũdùm personam, quia secundùm popularem ac communem acceptionem non distinguentem inter naturam & personalitatem, sed vtramque tamquam vnum indiuiduum accipientem idem est adoptare naturam, ac adoptare personam, & in hoc sensu (qui erat similiter hæreticorum, nam prætextu illius duas volebant iterùm introducere personas coram laicis & insipientibus populis, quibus hoc sollicitè prædicabant) optimè dicitur, *eum dici adoptatum, qui nondum priùs fuerat proprius filius, & sic in Dei Filium Iesum Christum non cadit nomen adoptionis, quia semper fuit verus Filius, verusq; Dominus*: tamen in sensu docto distinguente naturam à personalitate, & consequenter in vnione mirabili & singularissima Verbi diuini ad naturam humanam separante tum naturam à personalitate, tum in ipsa personalitate plures distinctas personalitates, nomen adoptionis non sumitur ab extraneitate tam personæ, quàm naturæ, & si ab extraneitate vtriusque, tamen non secundùm omnes eius formalitates, sed secundùm eas quæ per se constituunt personam, & ideò optimè queit cadere nomen adoptionis super Christum vt hominem retentâ vnitate suppositi, neque hunc sensum excludit Concilium, quia propter eum *Filius naturalis Dei post assumptum hominem veri Filij vocabulum non amisit, qui numquam verus desiit esse Filius*.

Ad alia testimonia Concilij Francfordiensis patet, quòd in primo in illis verbis, *in vtraque natura esse vnigenitum & primogenitum, non adoptiuum, sed magnum Deum*, est ipsa explicatio & intelligentia, quia dum adoptioni opponit quòd sit *magnus Deus*, patenter datur intelligi quòd excludat adoptionem, quæ aufert à Christo vt homine vnitam diuinitatem. In secundo manifestatur, quòd loquitur de adoptione accepta in ea significatione, quam ipsi hæretici populariter & insipienter intelligebant, scilicet ex aliquo seruo adoptationem in Filium, & sic adoptiuus non habet aliam ex eorum intelligentia significationem, quàm istam. Vnde in tertio testimonio meritò inquit Concilium, *quòd vnitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis adoptionis tollit iniuriam*, scilicet adoptionis diuidentis personas, quæ est indocta ac popularis acceptatio. In tertio denique testimonio reprehenduntur hæretici, non quia vsurpauerunt nomen adoptionis, quia ad habendam scientiam illius non diceretur contra Elipandum irrisoriè, *Fortè in tertium cælum raptus fuisti? nam Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & sancti tractatores hoc nomen tacuerunt*, quandoquidem ipse illud probabat aliquibus Patrum testimonis, & sub expresso nomine adoptionis adducebat pro se dicta ab Eugenio, Iuliano & Ildephonso, sed reprehenduntur, quia vsurpauerint illud taliter, quòd dicerent, quòd alius erat Filius Dei adoptiuus in Christo, & alius naturalis, quæ acceptio nullibi reperi- 122.

 tur,

tur, neque in sacra Scriptura, neque in Prophetis, &c. per hæc patet ad auctoritates adductas, ex quibus formatum fuit argumentum primum, seu prima probatio pro prima sententia.

123. Ad confirmationem respōdeo, quòd non est ridicula consequentia, quam infert Concilium ex vnitate personæ reperta in Christo Domino, quia consequentia talis est, *Est vnitas personæ in Christo; ergo non est alius filius adoptiuus, & alius filius naturalis:* & tunc vltrà, *Non est alius filius adoptiuus, & alius naturalis; ergo non est in eo duplex persona*, quam Felix & Elipandus volunt introducere: istæ autem consequentiæ nihil continent ridiculum. Vnde Cōcilium non arguit dualitatem personarum ex dualitate filiationis adoptiuæ & naturalis, aliàs non minùs inferretur ex dualitate filiationis naturalis, æternæ & temporalis, sed ex dualitate filiationis, quarum vna sit puri hominis, & alia veri Dei.

124. Ad secundum argumentum respondeo, quòd adoptiuus filius debet esse extraneus, scilicet secundùm generationem naturalem, & secundùm naturam secundùm quam est filius, vt sic autem Christus fuit extraneus, quia nec genitus secundùm naturam humanam, nec secundùm eam habens filiationem naturalem Dei. Addo ego, Imò fuit extrañeus, id est, non intraneus præcisiuè loquendo secundùm formalitatem subsistentiæ personalis, secundùm quam terminauit naturam humanam Christi, quia illa formalitas præcisiuè sumpta neque est formalitas filiationis, nec formalitas generationis, præcipuè vt terminat naturam humanam, licèt aliàs realiter identificetur cum illis, sed tantùm est subsistentia personalis: Concilium autem loquitur de adoptione in eodem sensu quo hæretici illam accipiebant, & sic meritò dixit, *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habet?* in quo sensu meritò excludit adoptionem à Christo etiam vt homine. Secundò respondeo negando requiri extraneitatem à generatione, sed sufficere extraneitatem à iure ad habendam hæreditatem. vnde ex iure ciuile, lege, *qui liberatus* 12. *ff. de adoptionibus*, suprà p. 2. adducta, vidimus quòd filius naturalis potest etiam adoptari.

Ad tertium argumentum respondetur negando quòd Christus vt homo sit formaliter Filius Dei naturalis, licèt concedi debeat secundùm fidem, quòd materialiter ratione suppositi, & solùm reduplicando suppositum fuerit Filius Dei naturalis. vnde ad argumenta, quæ pro filiatione naturali secundùm diuersos philosophandi modos adducta sunt parte 4. huius quæstionis, respondeo. Ad primum primi modi nego quòd Christus vt homo non sit formaliter filius Dei adoptiuus; concedo tamen quòd sit etiam Filius Dei naturalis, & quòd habeat hoc per filiationem increatam Verbi, tamen vt sic non est formaliter Filius, sed tantùm materialiter & identicè ratione suppositi diuini. Ad secundum nego, quòd sicut est formaliter subsistens natura humana per subsistentiam Verbi, ita sit formaliter Filius per filiationem Verbi, quia personalitas Verbi in tantum denominat formaliter humanitatem, in quantum adæquatè illam reddit incommunicabilem personaliter: vnde cùm hoc faciat per solam formalitatem subsistentiæ personalis, reliquæ formalitates cum illa identificatè non denominant ipsam formaliter, aliàs hæc esset vera, *Christus vt homo formaliter est Deus, vel est imago Dei, vel est Verbum Dei, vel est genitus notionaliter à Patre*, quod est falsum, quia tantùm sunt veræ materialiter. Ad tertium concedo totum, scilicet quòd dicatur Filius naturalis propter filiationem æternam; tamen, vt dixi, non in sensu formali, neque hoc probant aliqualiter auctoritates Adriani, Sacrosyllabi, & Concilij adductæ pro eo. 125.

Deinde ad prima argumenta pro secundo modo dicendi respondeo, quòd Christus vt homo est persona extranea attendendo ad naturam humanam, quæ est quæ per se significatur à voce concreti *homo*, licèt non sit positiuè extranea attendendo ad personalitatem; & notanter dixi, *positiuè extranea*, quia præcisiuè loquendo extranea est negatiuè, nam vt dixi secundùm formalitatem subsistentiæ incommunicabilis non est intranea, id est, non habet rationem formalem filiationis, neque gene- 126.

generationis, licèt materialiter intranea sit: præterea est extranea existens, quia in humana natura non debetur ex iustitia illi ius ad hæreditatem: præterea, quia nihil magis extraneum à personalitate diuina, quàm ius ad hæreditatem creatam, nam ius ipsius ad hæreditatem increatam est: vnde propter eam non constituitur humana natura formaliter hæres naturalis. Ad secundum, quòd Filius creatus dicitur Patri naturalis, quia proprium esse habet per veram generationem, & per seminalem propagationem, super quam fundatur ius naturale ad participationem bonorum Patris: Christus autem vt homo nihil horum habet, sed ex gratia fuit particeps bonorum creatorum, licèt talis gratia debita illi fuerit titulo congruentiæ, illæ autem metaphoræ solùm deseruire possunt ad Filium metaphoricum, non ad formalem, & verum, de quo agimus; imò & communiter noui, quòd similes allusiones sunt veritatis illusiones. Ad tertium nego, quòd personalitas, siue Deitas sit sanctitas respectu naturæ humanæ (quidquid sit respectu personæ diuinæ, de quo non est disputationis locus in præsenti) vt latè probaui disputatione 11. de gratia Dei. Deinde dato quòd esset sanctitas, non redderet Filium naturalem, sicut ipsæmet formalitates licèt sanctificent Patrem & Spiritum sanctum, non reddunt filios ipsos Dei naturales:

127. Deinde ad argumenta pro tertio modo dicendi respondeo quòd licèt Christus vt homo procedat à Deo vt *origo viuentis à viuente*, tamen non vt immediato principio & proprio, sed vt vniuersali supplenti causam secundam. Prętereà non procedit vt *à principio coniuncto intrinseco*, quia personalitas neque inhæret, neque intrinsecè informat humanitatem. Denique non procedit *in similitudinem naturæ*, tum quia non processit ex principio determinato ad vnum (qualiter Scotus in 1. Sentent. explicat hanc particulam huius difficultatis) sed tamquam effectus ad extra processit per voluntatem liberam; tum quia imago, & similitudo hominis respectu Dei neque est indiuidua, neque specifica, neque generica, quæ reperiuntur in genitis: vniuocatio autem non dicitur imago, vel similitudo, per quod patet ad confirmationem. Ex his omnibus constat, quòd Christus vt homo non sit formaliter Filius Dei naturalis; & consequenter, quòd hæc non obstent vt sit Filius Dei adoptiuus retentà vnitate suppositi.

Sed obiicies: Numquam in S. Scriptura, Conciliis, & Ecclesiæ Patribus Christus vt homo appellatur Filius adoptiuus, sed semper appellatur naturalis; ergo non est dicendum quòd sit talis. Respondeo primò negando antecedens, tum quia iam adduximus aliqua Patrum testimonia, qui sic appellant, & possent similiter referri testimonia D. Eugenij, Iuliani, & Ildephonsi, sed non in sensu, quo pro se illa referebat Elipandus, scilicet innuendo & significando diuisionem personarum, in quo meritò reprehenduntur & paruipenduntur à Concilio Francfordiensi, sed in sensu Catholico, scilicet retentà vnitate suppositi; tum quia in æquiualentibus verbis hæc appellatio continetur in S. Scriptura, scilicet in eis in quibus Christus respectu Patris appellatur Filius *minor*, insuper *cohæres noster, primogenitus in multis fratribus, prædestinatus ad gloriam, & ad gratiam*, &c vnde quando in Concilio asseritur quòd talis locutio non reperitur in Scriptura, intelligetur scilicet, vel sub nomine expresso filiationis adoptiuæ, vel quia in sensu adhuc Catholico inuenitur raro. Secundò respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia quando aliqua persona habet plures dignitates, quarum vna maior est altera, non vocatur nomine dignitatis minoris, sed maioris, vt v. g. Comes, Dux, & Rex est; semper appellatur Rex, quia rationabile est, quòd titulus nobilior præferatur: cùm ergo in Christo sit filiatio adoptiua, & naturalis, quæ non duos filios, sed vnum propter vnitatem suppositi constituunt, non debuit nomine filiationis adoptiuæ appellari, quæ communis est omnibus Sanctis, sed titulo excellentiori Filij naturalis, ad cuius fidem habendam tota Christi & Apostolorum prædicatio propendit, vt ipsius diuinitatem, excellentissimum amorem, firmam fidei doctrinam, & passionis valorem infinitum commendaret. 128.

Pluri-

129. Pluribus coniecturis vtitur Vasquez vt intendat Elipandum non fuisse Nestorianum, sed nostræ sententiæ Auctorem, sed frustrà laborat, vbi opposita veritas est ita manifesta, vt vidimus Parte secundâ. Sed sit prima, quia non auderet Elipandus hæresim Nestorianam docere, & scribere ad Imperatorem, cùm ita acriter esset ab Ecclesia damnata. Respondetur primò, hanc esse imprudentiam hæreticorum, vt patet in Luthero, qui palàm docuit plures errores, & Principibus suasit. Secundò, quòd non ita palàm illam docebat, quin simulasset prætextu filiationis adoptiuæ. Secunda coniectura est, quia aliàs non appellaretur à Patribus prædicta hæresis noua & inaudita. Respondetur: Etiam appellatur antiqua, & in Nestorio refutata, est autem noua ratione noui modi adstruendi illam. Tertia est quia Concilium & Adrianus non vtuntur testimoniis sacræ Scripturæ & Patrum, quæ sunt contra Nestorium; deberent autem vti, si Elipandus Nestorianus esset. Respondetur, multa ex argumentis tam S. Scripturæ quàm Patrum solùm habere vim contra sententiam Nestorij, & consequenter contra Elipandum, vt suprà vidimus: præterquam quòd propter nouum modum talis hæresis debuerunt nouo modo formari argumenta, & nouis vti auctoritatibus S. Scripturæ & Patrum. Præferenda tamen est (vt ait Lorca) ea coniectura, quâ cognoscimus, quòd cùm sententia Elipandi fuit publicata, statim tota Ecclesia opposuit se illi, & congregata fuerunt Concilia contra illam, & aspertimis verbis contra eam clamarunt Patres & Auctores; at verò nostra sententia non solùm caruit his omnibus, sed potiùs pluribus & grauissimis Auctoribus Catholicis fuit plausibilis: illud tamen nota, quòd semper est caute, & cum reduplicatione secundùm naturam humanam, Christus appellandus Filius Dei adoptiuus, ne suspicionem erroris Arrij vel Nestoriani inducamus.

130. In calce huius Quæstionis illud obseruandum venit, quod in casu, quo in Christo reperiri non possent omnes conditiones requisitæ ad filiationem adoptiuam, cùm aliàs multò minùs inueniantur in natura humana conditiones requisitæ ad filiationem Dei naturalem, consequenter multò minùs esset Christus secundùm naturam humanam dicendus formaliter Filius Dei naturalis: quam sententiam tenet Faber vbi suprà in fine primi Capitis, & satis probant rationes, quas pro nostra sententia adduxi contra D. Thomæ sententiam.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus sit prædestinatus Filius Dei?

Christum prædestinatum esse Filium Dei tradit Paulus ad Rom. 1. his verbis: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.* vbi loquitur Paulus de prædestinatione ad hoc vt Christus sit Filius Dei naturalis secundùm explicationem Patrum tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ, vt videri potest apud Lorcam disp. 85. memb. 1. apud Hurtad. disp. 18. diff. 8. sufficiat pro omnibus Augustinus tract. 105. in Ioannem, vbi ait: *Rectè dicitur prædestinatus non secundùm id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum, vt quid enim prædestinaretur, cùm iam esset, quod erat, illud enim prædestinatum erat, quod nõdum erat. Prædestinatus est Filius Dei in virtute: illud enim prædestinatum vt sic suo tempore fierit, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat vt fieret.* difficultas ergo est quomodo debeat intelligi talis propositio. 1.

Modus primus illam explicandi talis est, scilicet vt totum hoc complexum, *Christus sit Deus, Filius, & homo*, significetur per prædictam propositionem, & in hoc conueniunt omnes quòd totum hoc complexum potuit esse obiectum diuinæ prædestinationis, nam sicut hoc fuit in tempore, scilicet Deus, Filius & homo in Christo, ita potuit ab æterno prædestinari & determinari à Deo, quòd daretur quidam Christus in tempore, qui esset Deus, Filius, & homo. 2.

Secundus modus explicandi talis est, quòd supponatur aliquod subiectum, de quo prædicetur illud, quod fuit obiectum diuinæ prædestinationis, ita vt 3.

filiatio Dei naturalis, quæ fuit obiectum diuinæ prædestinationis, dicatur, & prædicetur de aliquo subiecto præexistente: & hic modus difficilior est, quia de triplici subiecto potest disputari, scilicet, vel de Christo vt sic, taliter quòd ipse dicatur prędestinatus à Deo ad esse Filium Dei naturalem; vel de homine, seu de hoc homine in indiuiduo, & in concreto; & tandem de humanitate, seu de hac humanitate in abstracto: & licèt in primo sensu sufficienter saluetur veritas prædictæ propositionis, tamen etiam est disputanda à nobis in hoc secundo, sicut reliqui Scriptores disputant.

4. De primo subiecto, scilicet de Christo, affirmant Medina, & Valencia quæstione 24. fuisse propriè, & in rigore prædestinatum, vt esset Filius Dei: quod probant primò ex suprà citatis verbis Pauli, sed quia in primo sensu suprà dicto sufficienter verificantur; ideò secundò probant ratione, quia Christus vt homo prædestinatus fuit, vt esset Filius Dei; ergo etiam Christus absolutè, quia quæ conueniunt homini Christo, etiam attribuuntur Christo absolutè, & absque addito.

5. Suarez verò disputatione 50. Lorca vbi suprà, Raguza disputatione 31. Becanus cap. 19. quæst. 2. negant, quorum sententia mihi videtur vera, & magis de mente Scoti in 3. distinct. 7. quæst. 3. vbi in fine quæstionis asserit hanc propositionem, *Christus in quantum homo prædestinatus est*, esse impropriam. Fundamentum huius sententiæ est, quia Christus includit in suo conceptu subsistentiam Verbi, ratione cuius habet, quòd sit Filius Dei naturalis filiatione æternaliter producta, & quòd sit Filius Dei naturalis per sanctificationem prouenientem vel à personalitate, vel à natura diuina in sententia Thomistarum; ergo Christus ratione sui, & tamquam subiectum prędconceptum non potuit prædestinari à Deo, vt esset Filius eius naturalis. patet consequentia, quia id, ad quod aliquis prædestinatur, non debet præsupponi ex parte subiecti, aliàs haberet illud per prædestinationem, & non haberet illud per prædestinationem.

6. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd neque Christus vt homo propriè & in rigore potuit prædestinari ad filiationem Dei naturalem, quia cùm homo propriè & in rigore sumatur in concreto, concernit suppositalitatem diuinam, & sic ipsam filiationem Dei naturalem: si autem impropriè sumatur homo, scilicet pro humanitate in abstracto, vera est prædicta propositio, sed non propria, vt inquit Scotus vbi suprà. Vnde est idem dicendum de hac propositione, *Christus vt homo est prædestinatus ad esse Filium Dei naturalem*; ac de ista, *Christus absolutè est prædestinatus ad esse Filium Dei naturalem*, quia in vtraque ex parte subiecti includitur filiatio diuina, ad quam est prædestinatio: ita tenent Durandus, & Paludanus in 3. dist. 7. quæst. 3. Lorca vbi suprà, Becanus cap. 2. & per hoc patet quid sit dicendum in nostra sententia de hoc subiecto *homo*, seu *hic homo*.

7. Sed contrà obiicit Vasquez disputatione 90. Aluarez disputatione 77. Suarez & Raguza vbi suprà; qui contrariam sustinent sententiam, primò quia in prædicto testimonio Pauli hic homo ex semine Dauid dicitur prædestinatus Filius Dei: secundò, quia vt homo accipiatur in concreto, ad hoc vt illi aliquòd conferatur ex decreto prædestinatiuo Dei, non est necesse quòd concernat hanc suppositalitatem singularem Verbi, sed satis est quòd prout concipitur ab intellectu diuino concernat hanc, vel illam suppositalitatem diuinam, vel humanam vagè, & quasi in communi; ergo Christus vt homo etiam propriè, & vt concernens suppositalitatem, potuit prædestinari ad esse Filium Dei.

8. Ad primum respondetur, prædictam propositionem sumptam in rigore solùm esse veram in primo sensu. Ad secundum respõdetur primò, quòd dato quòd *homo*, seu *hic homo* in cõcreto posset præconcipi ab intellectu diuino, concernens aliquam suppositalitatem vagè, & in communi, antequam talis suppositalitas sit contracta ad hanc in particulari, tamen hoc non sufficit ad hoc vt prædestinetur ad filiationem natu-

naturalem, quia cùm prædestinatio sit actus intellectus vel voluntatis factiuus, debet habere pro subiecto aliquid reipsa distinctum à termino, seu ab eo ad quod prædestinatur, aliàs cùm illud subiectum posset non prædestinari vlteriùs ad filiationem Dei, præsupponeretur (imò & perseuerari) in concreto ex vi illius decreti antecedentis ad prædestinationem absque filiatione Dei, cum qua realiter identificatur illa suppositalitas in communi, quod est falsum. patet consequentia, quia aliquod subiectum reale est subiectum illius prædestinationis, sed non datur aliqua suppositalitas in communi realis; ergo illud subiectum non potest præconcipi à Deo in concreto, vt posset esse subiectum prædestinationis. Secundò, quia suppositalitates sunt, sicut hæccitates à quibus non potest abstrahi aliquis verus, & positiuus conceptus communis, & quasi genericus, vt dixi in Logica disputatione vnicâ de specie, quæstione 4. de indiuiduo.

9. Ex dictis quinque inferenda sunt. Primum, ea multò magis esse vera de hac propositione, *Filius Dei prædestinatus fuit vt esset Filius Dei*, quia multò magis expressè & directè supponitur ex parte subiecti illud, quod est terminus prædicati. Secundum, minùs verè dixisse Hurtado diff. 4. hanc propositionem esse veram & propriam, *Filius æternus genitus in quantum homo fuit prædestinatus vt esset Filius Dei naturalis per sanctificationem naturalem humanitatis à Verbo, vel à Diuinitate.* Nam contrà est, quia dato quòd talis filiatio daretur (quam impugnaui quæstione antecedenti) adhuc ex parte subiecti includitur id quod est terminus prædicati, quia si homo in concreto concernit suppositalitatem diuinam (vt diximus, & consentit ipse Hurtado) consequenter non concernit illam, nisi quatenus dat naturæ humanæ suum effectum formalem supponendi, sed hunc effectum naturalem consequitur effectus formalis sanctificandi in natura capaci; ergo ista sanctificatio in qua formaliter consistit ista filiatio Dei naturalis, quæ ab Hurtado ponitur ex parte termini prædicati, præsupponebatur ex parte subiecti; ergo non poterat ad illam prædestinari.

Tertium, debet inferri Christum vt hominem propriè dici prædestinatum ad gratiam, & ad gloriam, quia licèt ordine intentionis non præsupponatur priùs vnio hypostatica, quàm gratia, & gloria, vt infrà dicitur, tamen ordine executionis priùs fuit prædestinata humanitas Christi ad vnionem; consequenter iam præsupponebatur Christus vt homo in concreto vt prædestinabilis ad gratiam & gloriam, tamquam ad dona distincta. Neque obstat, quòd prædestinatio sit, vel debeat esse ad donum. quia contrà est, nam etiam potest esse ad minimum, non enim minùs dicitur quis prædestinari ad aliquam gratiam actualem, quàm ad visionem, & fruitionem beatam. 10.

Quartum, inferri debet contra Durandum, Suarem, & Lorcam, Filium Dei absolutè, & sine hoc addito, secundùm quod homo, potuisse dici prædestinatum. ita Vasquez disputatione 92. cap. 2. Hurtado diff. 5. Fundamentum est, quia quæ conueniunt Christo, etiam conueniunt Filio Dei, saltem per communicationem Idiomatum, sed de Christo verè dicitur quòd fuerit prædestinatus ad gratiam, & ad gloriam; ergo de Filio Dei etiam absolutè potest dici quòd fuerit prædestinatus, sicut qui est Petrus, est homo, ita qui est prędestinatus ad gratiam, & ad gloriam est prædestinatus. 11.

Quintum, inferri debet Filium propriè & in rigore fuisse prædestinatum vt esset homo. ita Vasquez & Suarez vbi suprà, & citant Paludanum, Ricardum, & alios. Fundamentum est, quia Filius Dei præsuppositus fuit reipsa ad assumptionem humanitatis, & insuper ex decreto Dei eam assumpsit; ergo interuenit totum illud, quod requiritur vt Filius Dei dicatur prædestinatus ad esse hominem. Neque obstat quod obiiciunt Auctores contrariæ sententiæ, scilicet Durandus, Lorca, Raguza, & Becanus vbi suprà, ad rationem prędestinationis non sufficere accipere aliquid ex decreto Dei, sed insuper requiri quòd accipiatur gratis, & tãquam quoddam donum, 12.

num, quod non contingit in proposito, quia nulla fuit facta gratia Filio Dei in eo quòd fuisset homo; nam respondeo primò, quia quidquid non est debitum ex natura gratis dicitur concedi, & vt sic non erat debitum Filio Dei esse hominem: secundò, non requiri quòd sit gratia id ad quod fit prædestinatio, nam secundùm Concilium Valentinum cap. 3. etiam reprobi dicuntur prædestinati ad pœnam.

13. De rertio subiecto, scilicet de humanitate Christi in indiuiduo, sed in abstracto, & non contracta per suppositalitarem, verior sententia affirmat, quòd fuerit prædestinata ad vnionem hypostaticam. ita Suarez vbi suprà sect. 4. Becanus cap. 19. quæst. 3. Et ratio est clara, quia ex decreto & præfinitione Dei fuit humanitas Christi reipsa vnita Verbo, & talis vnio fuit illi gratiosa (si hæc conditio requiritur ad prædestinationem) ergo, &c.

14. Sed in contrarium arguit oppositum afferens Medina quæst. 24. art. 1. conclus. 4. quia prædestinari ad vnionem, est prædestinari ad filiationem diuinam, sed hæc non competit naturæ in abstracto, sed naturæ in concreto; ergo humanitas Christi non fuit ad vnionem prædestinata. Respondet Hurtado, quòd licèt humanitas Christi prædestinetur ad sanctificationem formalem, quam habet à personalitate diuina, vel à diuina Essentia, quas habet per vnionem, tamen non prædestinari ad denominationem filiationis, quia hæc non denominat abstractum, sed concretum. Sed contrà, quia in eorum sententia nihil est aliud filiatio Dei, quàm sanctificatio. Ideò respondeo, quòd humanitas, quæ prædestinatur ad vnionem, prædestinatur ad denominationem filiationis Dei consequenter, non tamen formaliter, quia personalitas cui humanitas vnitur non est formaliter filiatio Dei naturalis, licèt cum illa realiter identificetur, vt suprà diximus, & sic non denominat naturam filiam in abstracto, sed semper in concreto, quia iam supponit vnitam personalitati.

15. De hac humanitate in abstracto etiam inquiritur, An fuerit prædestinata ad gloriam? Negant Medina & Suarez vbi suprà, qui probant ex eo quòd gloria formaliter consistit in actione aliqua intellectus vel voluntatis, sed actiones sunt suppositorum, & non solius naturæ; ergo sola natura non potest ad gloriam prædestinari à Deo. Scotus vbi suprà, Hurtado diff. 7. multò veriùs affirmant quòd natura fuerit ad gloriam prædestinata, quod debet intelligi ordine intentionis. Fundamentum est, quia ordo executionis contrarius est ordini intentionis, sed in illo prior est vnio hypostatica, quàm gloria; ergo in isto priùs fuit intenta gloria, quàm vnio, & consequenter sola humanitas fuit prædestinata ad gloriam. ita probat Scotus §. *secundum dubium*, & nos latè ex mente ipsius tradidimus disp. 4. quæst. 1. §. 2. vbi videatur ordo intentionis & executionis circa Christum, & eius gloriam, gratiam, & vnionem.

16. Deinde probatur, quia actiones formaliter & primariò competunt naturæ singulari, supposito verò solùm denominatiuè: vnde quando accidens est separatum in Sacramento Eucharistiæ eodem modo operatur, ac quando est coniunctum, & idem contingeret si natura substantialis existeret separata à propria suppositalitate; ergo ordine intentionis quando non intelligitur coniuncta illi, benè potest prædestinari in ordine ad aliquam operationem; & per hoc patet ad fundamentum Aduersariorum.

17. Ratio autem Scoti solet impugnari ex eo quòd maximum bonum, quale est vnio hypostatica, non potest ordinari in minus bonum, quale est gloria, etiamsi sit summa; ergo non potuit à Deo priùs intendi gloria, & postea vnio, sed potiùs debuit intendi vnio, & tamquam propria passio ipsi debita omne donum gratiæ & gloriæ. Sed respondeo quòd sæpè minus bonum potest ordine intentionis priùs appeti, & posteà maius bonum in ordine ad illud, vt contingit quando appetuntur potentiæ propter actus qui sunt accidentia, & illæ substantiæ quæ ordinantur propter illos. Neque prædicta dona consequuntur tamquam propriæ passiones, cùm de potentia Dei possit esse vnio absque illis.

18. Deinde impugnatur à Vasque, quòd prædicta vnio appelletur à Scoto medium congruum in ordine ad summam gloriam, quia gratia habitualis est forma minùs digna, & nihilominùs est medium condignum. Respondetur tamen quòd condignitas in gratia habituali prouenit ab acceptatione Dei dante ius iustitiæ in ordine ad gloriam tamquam ad hæreditatem, & mediis meritis tamquam ad coronam, & hanc acceptationem non habet vnio hypostatica, non quia repuguet illi, vt diximus disputatione 11. de gratia Christi, sed quia de facto iustificatio prouenit à forma inhærenti in subiecto, & hoc modo non inhæret vnio sumpta pro personalitate Verbi, vel diuinitate, vt ab Aduersariis sumitur, & ideò à Scoto appellatur medium congruum: si autem comparatio fieret inter gratiam habitualem secundùm suam naturam, exclusâ acceptatione, & vnionem hypostaticam, tunc dicendum existimo quòd licèt magis connaturalis sit acceptatio ad summam gloriam in summa gratia, tamen maior congruentia esset in vnione vt acceptaretur ad summam gloriam, quàm in summa gratia, connaturalitas enim & congruentia sumuntur ex diuerso capite, illa enim sumitur ex natura aliqua, hæc verò sumitur ex dignitate naturæ. quare disp. 2. quæst. 4. in fine diximus gratiam summam in puro homine non fore violentam, si acceptaretur vt esset principium satisfaciendi pro aliis, sed potiùs talem acceptationem fore illi cõnaturalem, vtpote quia conformem naturæ gratiæ habitualis; in persona verò diuina, quæ habetur per vnionem, maior dignitas ad talem acceptationem inuenitur.

19. Ex dictis sunt duo inferenda. Primum est, quòd de humanitate Christi vt sic absolutè & simpliciter potest dici quòd fuerit prædestinata nullo posito termino ex parte prædicati, id est, non explicando ad quod sit prædestinata. ita Hurtado vbi suprà. Et ratio est, quia ipsa supponitur existens ex parte subiecti, & insuper illi fuerunt ex decreto prędefinitiuo Dei collata vnio hypostatica, gratia habitualis, & gloria; ergo sicut potuit dici prædestinata ad has formas, ita absolutè potuit dici prædestinata, quia in ratione specifica prædestinationis ad has formas includitur ratio generica prædestinationis.

Secundum est, quòd hæc humanitas, quæ supponitur tamquam subiectum huius prædicati, prædestinata est ad gloriam, gratiam, vnionem, & consequenter ad filiationem, de quibus hucusque modò disputamus, non est humanitas in statu possibilitatis, vt minùs benè docet quidam Scotista in manuscriptis, quia vt sic non solùm humanitas in abstracto, sed etiam in concreto poterat prædestinari ad filiationem Dei naturalem, quod etiam nobiscum ipse negauerat in suprà dictis: & ratio est manifesta, quia non solùm natura, sed etiam vnio suppositi, quando sunt in statu possibilitatis, sunt materia ad hoc, vt per decretum diuinum extrahantur ab illo statu, & constituantur in statu actualitatis & existentiæ; ergo non solùm natura humana vt sic, sed etiam Christus in statu possibilitatis prædestinari potuit ad statum futuritionis, imò ratione huius veritatis est vera propositio D. Pauli in primo sensu suprà dicto in principio Quæstionis. quare nobis dicendum est id quod disput. 4. quæst. 1. §. 2. ex professo probaui, quòd humanitas supponebatur ad prędestinationem tamquam subiectum actualiter existens, & quòd non pertineat per se ad ordinem prouidentiæ supernaturalis, sed solùm suppositiuè. 20.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Christus in quantum homo verè & strictè fuerit seruus Dei?

Nota primò pro intelligentia Quęstionis, quòd hęc tria, minor, subiectus, & seruus, distinguuntur inter se, quia minor dicitur qui est inferior in entitate & bonitate physica, & vt sic certum est quòd Christus secundùm humanitatem fuit minor Deo, iuxta illud Ioan. 14. *Pater maior me est*; imò fuit minor Angelis, iuxta illud psal. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. Subiectus verò dicitur qui tenetur parere alteri, & vt sic conueniunt Theologi quòd Christus secundùm quod homo fuerit subiectus, & Deo subditus, quia tenebatur 1.

batur parere & obedire legibus & præceptis diuinis, sicut ceteræ creaturæ rationales, quæ eo ipso quòd tales sunt, & iure creationis tenentur illi obedire. Colligitur ex pluribus S. Scripturæ testimoniis, sufficiat illud, *factus obediens vsque ad mortem*; & illud, *factum ex muliere, factum sub lege*; & licèt non potuerit incurrere culpam, neque pœnam de facto, benè tamen de potentia Dei, vt inferiùs. Seruus autem dicitur qui non est sui iuris, sed alterius, saltem quoad suas actiones.

2. Nota secundò, quòd hæc seruitus est, quæ opponitur ingenuitati & libertati, & est duplex, alia humana, quâ mancipia subduntur hominibus vel ratione captiuitatis in bello, vel ratione emptionis, vel alio titulo; alia diuina, quâ creaturæ rationales titulo creationis non sunt sui iuris, sed Dei, ita vt Deus illas possit absque iniustitia annihilare, & omnes suas actiones in proprium sui obsequium accommodare, ratione cuius Deus non solùm dicitur *Rex regum*, sed etiam *Dominus dominantium*, vt cum Suare diximus disput 2. quæst. 1. parte 2. sicut autem est maxima differentia inter bonitatem conditionis Domini diuini, & Domini humani, ita magnum intercedit discrimen inter seruitutem humanam & diuinam, quòd illa trahit secum vilitatem in honorem, & cōtumeliam maximam; at verò seruitus diuina potiùs auget honorem: vnde in Officio S. Agathæ dicitur in quadam Antiphona: *Summa ingenuitas est ista, in qua seruitus Christi comprobatur*. Insuper cum ipsa seruitute compatitur dignitas amicorum & filiorum Dei, imò & excellentissima dignitas maternitatis Dei, ad quam se præparauit beatissima Virgo Maria, dicendo: *Ecce Ancilla Domini*, &c. Et tandem cōmune proloquium habet, quòd seruire Deo, regnare est.

3. Quibus suppositis prima sententia docet, Christum vt hominem non esse propriè seruum Dei hac seruitute, quâ sunt serui homines. ita Vasquez disput 80. Becanus cap. 16. quæst. 2. Hurtado disp. 15. diff. 3. Probant primò ex Damasceno 3. de fide cap. 21. vbi ait: *Illud quoque sciendum est eum ne seruum quidem dicere nobis licere, sanè seruilis ordinis esset caro, nisi Deo copulata esset; at cùm semel ei vnita personaliter est, quonam iam pacto in seruilem classem redigatur, appellatione dumtaxat, ac nomine seruum dici? cùm hæc minimè sit; verùm nostra causa serui formam susceperit, ac seruus nobiscum vocatus sit*. Alia testimonia adducūtur Chrysost. homil. in Epist. ad Hebræos, Cyrilli in expositione Symboli, Niceni circa medium, quæ hoc ipsum significant.

Probant secundò, quia hoc est definitum in Concilio Francfordiensi, & ab Adriano I. in sua Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in qua totis viribus conatur Pontifex omnem à Christo excludere seruitutem; & probant auctoritate negatiuâ, quia in nouo Testamento numquam Christus appellatur seruus Dei, neque aliquando Christus suum Patrem appellauit suum dominum: vnde de Christo sic ponderat Adrianus, *Qui* (scilicet Christus) *secundùm Deum dicebat, Ego & Pater vnum sumus; & secundùm humanitatem, Pater maior me est; & tamen non ait, Pater Dominus meus est*; ergo secundùm humanitatem non fuit propriè seruus. Et confirmatur, quia prædictâ definitio Concilij & Adriani fuit contra Elipandum, sed Elipandus solùm docebat seruitutem in Christo vt homine; ergo in illo vt sic non fuit seruitus vera & propria. 4.

Tertiò probant ratione à priori, quia de ratione proprij serui est, ita esse sub dominio & potestate alicuius quoad opera, seu quoad actiones, vt etiam cum eo non communicet in bonis, nec in honore, nec in sede, sed Christus secundùm quod homo, licèt fuerit sub dominio & potestate Dei quoad sua opera, tamen participauit in bonis Deitatis se illi vniendo substantialiter; participauit honores, siquidem adoratur adoratione latriæ; participauit in sede, siquidem sedet à dextris Dei; ergo. Et confirmatur primò, quia Filius naturalis, & seruus seruitute propriâ non possunt in eadem conuenire persona; ergo neque in humanitate Christi. Et confirmatur secundò, quia ancilla eo ipso quòd à Domino suo ducitur in vxorem absque alio iure positiuo, solo iure naturali coniugij desinit esse ancilla, & fit libera, quia ratione coniugij euehitur ad honorem mariti: vnde si Rex est, euehitur ad honorem Reginæ, sed 5.

humanitas Christi per vnionem hypostaticam fuit desponsata & copulata Verbo diuino; ergo, &c.

6. Secunda & vera sententia affirmat Christum vt hominem fuisse propriè & strictè seruum Dei seruitute opposita libertati, sicut respectu Dei sunt serui ceteri homines puri. ita docent Suarez disp. 44. Lorca disp. 78. Aluarez disp. 74. Raguza disp. 16. & tenere debent, quotquot asserunt in Christo compati filiationem adoptiuam in humanitate, cum filiatione naturali. Et probatur primò ex S. Scriptura, nam Isaiæ 42. & 43. & Zachar 3. & Psal. 115. & pluribus aliis locis Christus dicitur Dei seruus, quia tamen respondetur quòd in veteri Testamento sic appellabatur per figuratam locutionem, ideò probatur ex nouo, vbi Matth. 12. refertur locus Isaiæ 42. & applicatur Christo, scilicet, *Ecce seruus meus quem elegi*; & quamuis Matth. non dixerit *seruus meus*, sed *puer meus*, tamen puer æquiualet seruo in phrasi S. Scripturæ; & & idem habetur Actorum 3. *Conuenerunt in ista ciuitate* (dixit D. Petrus) *aduersus puerum tuum Iesum.* Idem est autem referri hanc locutionem in nouo Testamento, ac appellari in nouo Testamento, quia tamen seruus in sacra Scriptura solet appellari obediens, & non seruus seruitute oppositâ ingenuitati; vt Genes. 18. appellauit Sara Abraham dominum suum, cuius non erat ancilla, sed coniux, ideò probanda est hæc sententia Patrum testimoniis, & ratione.

7. Secundò probatur innumeris Patrum testimoniis, qui absolutè, intrepidè, & absque modificatione Christum in quantum hominem appellant seruum Dei. legatur Lorca vbi suprà num. 14. sufficiat referre Athanasium serm. 3. contra Arrianos. vbi ait, *Omnes istæ voculæ* (scilicet seruus, & aliæ similes) *in rationem humanitatis verè & propriè competunt*; & August. epist. 178. dicit, *Sed & seruum eumdem euidentissimè confitemur*; & Cyril. in Libro thesauri sic habet, *Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma serui perfectus est seruus.* vnde excludendæ sunt explicationes Aduersariorum dicentium quòd Patres loquuntur impropriè & metaphoricè. Nam contrà est, quia ipsi Patres in prædictis verbis omnem proprietatem, euidentiam, & perfectionem seruitutis humanitati Christi attribuunt, tum quia dicunt quòd serui ratio verè & propriè competat Christo, tum quia aiunt quòd ita sit perfectus seruus in forma serui, sicut est perfectus Deus in forma Dei, sed in hac est proprius & perfectissimus; ergo & in illa.

8. Tertiò probatur ratione à priori, quia Christus secundùm humanitatem non erat sui iuris, sed Dei; ergo secundùm humanitatem erat verè & propriè seruus. patet antecedens, quia titulo creationis humanitatis exigere poterat Deus ex iustitia omnes suas operationes, & actiones, præcipere poterat, & annihilare poterat absque aliqua iniustitia, & Christus ex iustitia parere & obedire tenebatur; ergo etiam post vnionem humanitas Christi non erat sui iuris, sed Dei. Et confirmatur primò, quia Deus adhuc de potentia absoluta non potest transferre dominium supremum, quod habet in creaturas; ergo neque creatura humanitatis, quæ erat in Christo, potuit excludi à seruitute creaturæ. patet cõsequentia, quia dominium & seruitus, dominus & seruus relatiuè se habent ad inuicem. Confirmatur secundò, quia Christus secundùm humanam naturam fuit formaliter Filius Dei adoptiuus, licèt esset materialiter naturalis; ergo similiter secundùm humanitatem fuit formaliter seruus, licèt ratione vnionis fuisset dominus.

9. Quartò probatur, quia posito termino, & fundamento relationis seruitutis, necessariò resultat talis relatio; sed Deus in quantum per ipsum *viuimus, mouemur, & sumus*, est terminus, & creatura in quantum talis, & in quantum minor Deo, & in quãtum ipsi subiecta, vt teneatur obedire quidquid præcipiat, & in quantum obligata ad præstandum illi adorationem tamquam suo vero Domino est fundamentum; ergo reperitur vera relatio seruitutis inter prædicta extrema, sed ab his non excluditur Christus in quantum homo; ergo neque excluditur à relatione seruitutis.

10. Ad argumenta opposita ex prima sententia respondeo. Ad primum dico ibi Damascenum loqui de seruo puro, qui

qui secum simul non compatitur esse Dominum: Christus autem etiamsi secundùm humanitatem sit seruus, tamen per vnionem est Dominus, quia est Deus, quod patet ex illis verbis eiusdem Damasceni, *At cùm semel ei vnita personaliter est* (*scilicet caro*) *quonam iam pacto in seruilem classem* (intellige ceterorum hominum) *redigatur*, *& appellatione dumtaxat, ac nomine seruum dici.* Nota. ly *dumtaxat*, ac si diceret, quare dumtaxat debet appellari nomine serui, quia ratione vnionis etiam est Dominus.

11. Pro testimoniis aliorum Patrum nota quòd aliquando negant seruitutem in Christo respectu Verbi, quia ipsum appellando seruum Verbi inducatur distinctio suppositorum: vnde meritò obseruat Lorca num. 26. hanc locutionem, *Christus est seruus Dei*, esse cauendam, & solùm posse loqui cum addito (quidquid in contrarium velit Hurtado vbi suprà) scilicet, *Christus in quantum homo est seruus Dei:* aliquando verò Patres negant seruitutem Dei in Christo ortam ex peccato, nam ratione peccati contrahunt homines vilitatem mancipiorum, & subduntur gehennalibus, & dæmonum pœnis, & in hoc sensu fuit locutus Cyrillus vbi suprà: Chrysostomus autem solùm dicit, quòd Christus modò in cælo non est seruus, quia regnat, non loquebatur de ministerio temporali, quod exercuit in vita seruiens suis discipulis, iuxta illud Lucæ 22. *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat*; & Matthæi 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; & dicit quòd hoc ministerium non exercetur modò à Christo in cælo, quia regnat ibi; quare potiùs est pro nobis.

12. Ad secundum respondetur, quòd Concilium Francfordiense & Adrianus solùm definiunt Christum in quantum hominem non fuisse seruum in sensu intento ab Elipando, qui, vt suprà diximus, fuit Nestorianus, & diuidebat in Christo supposita: quapropter hoc improbauit Adrianus primò excludendo omnem in Christo seruitutem, tam respectu aliorum hominum, quia cùm illorum esset Dominus, etiam secundùm naturam humanam non poterat eorum esse seruus aliquo titulo, quàm respectu Dei, vel ratione peccati, vel ratione distinctionis in suppositis, quia vtramque seruitutem dicebant hæretici, primam appellando Christum captiuum, leprosum, &c. quæ non possunt intelligi, nisi ratione peccati: secundam appellando Christum absolutè, & sine addito, Filium Dei adoptiuum, purum hominem, & seruum, sicut ceteros homines, &c. Secundò probauit Adrianus auctoritate negatiua S. Scripturæ, non quia aliquando non reperta fuerit talis locutio in S. Scriptura, nam iam adduximus aliqua ipsius testimonia pro nostra sententia, sed quia rarò inuenitur, vel quia non reperitur in sensu quo hæretici loquebantur, & per hoc patet ad confirmationem.

Ad tertium respondetur in hoc distingui seruitutem diuinam ab humana, quòd illa potiùs induit rationem ingenuitatis & libertatis, cùm seruus Dei tantis nobilitetur honoribus, quod patet in pura creatura beatæ Virginis Mariæ, quæ affecta fuit excellentiâ & dignitate maternitatis Dei, & etiam patet in aliis seruis Dei qui pluribus honorantur, & sic non mirum quòd humanitas Christi ad tam supremos euecta sit honores. Dices: Actiones sunt suppositorum; ergo suppositum diuinum non potuit habere actiones serui. Respondetur primò: Actiones sunt suppositorum denominatiue, formaliter autem naturarum; & sicut non repugnat supposito diuino habere actiones hominis, ita neque actiones serui. Secundò, seruitutem non fundari in actione actuali, nam seruus est aliquis, etiam quando nihil operatur, sed fũdatur in debito & obligatione actionum, & licèt actiones conuenirent supposito, debitum autem conueniebat naturæ. 13.

Ad primam cõfirmationem respondetur, quòd filiatio naturalis orta ex propria natura traducta per generationem, & seruitus non possunt compati in eadem persona creata; tamen filiatio naturalis habita solùm per communicationem Idiomatum, sicut eam habet humanitas Christi, & seruitus orta ex creatione benè possunt compati in eadem Christi humanitate, quia inter se nullã habent oppositionem cõtradictoriam. 14.

Dices:

15. Dices: Ad minus repugnat prædicta seruitus Dei cum filiatione adoptiua Dei, quia in humanis secundùm leges filius adoptiuus non potest esse seruus, seu mancipium. Respondetur quòd in humanis mancipatus potest destrui per leges humanas, quia dependet ab illis; at verò seruitus Dei non dependet ab aliqua lege positiua, quæ possit aboleri etiam à Deo, sed dependet ex naturis rerum, scilicet quia Deus eo ipso quòd est Creator, est Dominus; & humanitas eo ipso quòd est creatura, est Dei serua, & ancilla: vnde sicut reperiuntur in alio puro homine filiatio adoptiua Dei, & seruitus, ita reperiuntur in humanitate Christi.

16. Ad secundam confirmationem respondetur similiter, quòd sicut lege humanâ stabilita est seruitus, ita eadem lege stabilitum est, quòd ancilla ducta ex voluntate viri in vxorem fiat libera, vtraque autem lex dicitur ius naturale, quia secundùm rectum dictamen rationis vtrumque stabilitum est; & sicut recta ratio iudicat quòd aliquæ personæ non sint sui iuris, sed alterius, propter diuersos titulos, de quibus aliàs, ita similiter recta ratio iudicat, quòd persona, quæ fit vna caro cum alia ratione coniugij, fiat similiter libera cum illa. at verò seruitus diuina non pendet ab aliqua lege adhuc diuina, quæ possit deficere: vnde etiamsi humana natura coniuncta sit cum persona Verbi, semper manet serua, præterquam quòd hæc seruitus non adducit secum vilitatem, quæ petat aboleri, sicut illa, sed potiùs ingenuitatem maximam, vt diximus.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Christus in hac vita mortali verè orauerit ad Deum?

1. Affinis est & annexa quæstioni de seruitute hæc quæstio de oratione, nam statui serui conuenit exhibere suo Domino cultum, & reuerentiam debitam, quæ per actum orationis exhibetur: vnde suppono id in quo omnes Theologi conueniunt, scilicet Christum vt Deum non orasse, nec orare potuisse, quia oratio propriè est *actus intellectus manifestantis desiderium rei, quam petens cupit obtinere ab aliquo, tamquam à superiori, saltem quoad id quod à Deo impetrare cupit*, quia respectu Dei nullus potest esse superior, etiam quoad aliqua.

Et si dicas, quòd *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Roman. 8. Respondetur quòd ly *Spiritus* vel intelligitur Spiritus gratiæ, vel auxilij actualis; vel si intelligitur tertia Trinitatis persona, est phrasis S. Scripturæ, quæ significat idem, quod postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus. ita exponit Augustinus epistolâ 121. 2.

Loquendo ergo de Christo secundùm quod est homo, ratio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex Damasceno 4. de Fide cap. 18. & ex Chrysostomo homil. 63. in Ioannem, qui dicunt Christum non verè & propriè orasse, sed simulasse orationem, loquentem cum Patre æterno more humano: vnde dicunt, quòd prædicta simulata oratio fiebat à Christo, vt nos doceret orare. 3.

Nihilominùs Theologi omnes conueniunt Christum vt hominem verè & propriè orasse Deum, dum erat viator. ita Scholastici in 3. d. 17. & in 4. d. 15. S. Thomas & eius Expositores quæst. 21. art. 1. Fundamentum est primò, quia Christus sæpissimè orabat, vt passim S. Scriptura testatur, sufficiat testimonium Lucæ 6. *& erat pernoctans in oratione Dei:* sed oratio, quæ solùm fieret in exemplum aliorum, deberet esse publica, & vt nota esset, saltem aliquibus, & non ita secreta, sicut oratio noctis: ergo dicendum est, quòd non solùm fuit oratio in exemplum aliorum, sed etiam quia erat vera & propria petitio, &c. Secundò & à priori, quia Christus secundùm naturam humanam erat minor Patre, & potuit desiderare obtinere ab eo aliqua beneficia sibi & nobis; ergo potuit habere actum intellectus, qui illi manifestaret hæc desideria, sed hæc manifestatio est oratio; ergo. Et confirmatur, quia nullum inconueniens ex opposito sequeretur; ergo, &c. 4.

Dices: Frustrà quis petit vt fiat, vel vt non fiat id quod certum scit futurum, vel non futurum; sed Christus à primo cōceptionis instanti certò sciuit quæ 5.

quæ futura, vel non futura erant; ergo. Respondetur frustrà petere aliquem id quod scit futurum, vel non futurum independenter à sua oratione, minimè tamen id quod scit futurum, vel non futurum dependenter ab illa, & sic potuit Christus orare, quia cognoscebat suam orationem esse medium ad consequendum illa, vel suæ orationi fore illi deneganda, sicut in simili dicitur de actibus eius liberis, quòd etiamsi antequam essent, sciret Christus ad quid erat eius voluntas determinanda, nihilominùs erant liberi, quia cognoscebat fieri dependenter ab eius voluntate in actu primo indeterminata, & omnino libera.

6. Ad testimonium Patrum, quæ pro parte negatiua sunt adducta. Respondeo Patres prætendisse in hoc se opponere Arrianis, qui ex oratione Christi inferebant Christum non esse verum Deum, quia oratio est inferioris ad superiorem; & prædicti Patres asserebant, quòd talis oratio respectu Christi vt Dei non esset vera & propria, sed simulata, & vt nos doceret, non tamen quia hoc dicerent de oratione respectu naturæ humanæ, quæ verè erat inferior, quia de hac non erat disputatio & controuersia, sed etiam alij Patres cum Arrio disputantes fecerũt, admittendo illud Ioan. 14. *Pater maior me est*, intelligi de Christo vt Deo ob solam prioritatem originis, quâ Pater est prior Filio, sed pro adæquata explicatione orationis Christi sint Partes sequentes.

PARS PRIMA.

Vtrum omnis Christi oratio in terris fuerit semper exaudita?

7. Faciliter me expediam ab hac difficultate, quia soluta manet disputatione 16. quæstione 2. in fine, vbi fit dubium, An omnis Christi voluntas humana fuerit adimpleta? tamen ne intactum lapidem relinquamus, conueniunt omnes Theologi Christi orationem, & petitionem efficacem semper fuisse à Deo exauditam, qualis fuit illa, quam fecit pro resurrectione Lazari. Ioan. 11. & aliæ plures. Et ratio est, quia nihil efficaciter petiuit, & nulla fuit oratio efficax, quæ in quantum talis non redacta sit efficax absolutè & simpliciter per consecutionem effectus intenti per orationem. Neque est difficultas in præsenti de oratione inefficaci, seu conditionata, quâ, v.g. Matth. 26. dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non quod ego volo fiat, sed quod tu.* quia certum est hanc orationem non fuisse exauditam. Est ergo difficultas, An præfata oratio inefficax & conditionata sit vera oratio, necne? quæ vt benè inquit Hurtado disp. 16. diff. 2. potiùs est quæstio de nomine, quàm de re.

Circa quam prima sententia negat esse veram orationem, & consequenter affirmat omnem Christi orationem esse exauditam, quia de ratione orationis est quòd sit efficax. ita Vasquez disput. 82. cap. 5. Becanus cap. 17. quæst. 3. Siluius quæst. 21. art. 4. & probant. illa tantùm est vera oratio, quæ est petitio, quâ aliqua eo animo insinuamus, & proponimus, vt nobis fiant, & concedantur; sed sic est, quòd Christus ea, quæ sciebat non facienda à Deo, non poterat ab ipso petere animo, & desiderio, vt fierent; ergò oratio conditionata & inefficax non est vera oratio. Et confirmatur, quia Ioan. 11. dicitur, *Ego autem sciebam, quia semper me audis*; & idem videtur sensisse Martham, dum eodem capite dixit, *Scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*; ergo omnis oratio Christi fuit exaudita, & tamen non fuit audita oratio inefficax; ergo hæc non est vera oratio. 8.

Secunda tamen & vera sententia affirmat orationem Christi inefficacem fuisse veram orationem, & consequenter omnem Christi orationem non fuisse à Deo exauditam. ita tenent omnes Scholastici antiqui, noster Alexander Alensis 3. p. quæst. 16. memb. 1. art. 1. D. Bonauentura in 3. dist. 17. art. 2. & alij, quos citant & sequuntur Suarez, & plures recentiores Thomistæ quæst. 21. art. 4. Valencia puncto 2. Lorca disputatione 80. Fundamentum est primò, quia de ratione orationis non est consecutio rei, sed manifestatio veri desiderij illius, quod petitur; sed Christus verè desiderabat, v.g. quòd ab eo calix passionis transiret: vnde pronus in terra prolixiùs orabat, 9.

bat, *Pater si possibile est, transeat calix iste;* ergo oratio inefficax est etiam vera oratio. Maior per se patet. Minor iterùm confirmatur, quia omnes Ecclesiæ Patres inferunt veritatem naturæ humanæ Christi ex illa oratione orta ex timore mortis, quam recusabat, sed hæc non benè infertur ex oratione apparenti & simulata, sed ex vera & affectuosa, imò & taliter affectuosa, quòd propter illa sudor sanguinis promanaret; ergo, &c.

10. Secundò probatur, quia si propter aliquam rationem oratio inefficax non esset vera oratio in Christo, maximè quia sciebat se non fore consecuturum effectum, sed sic est, quod sciebat fieri dependenter à sua oratione efficacissimè proposita, quantùm erat ex parte humanitatis, quia ex eo sciebat Deum fore denegaturum, quia sciebat se petiturum, & oraturum; ergo antecedenter ad scientiam, quâ sciebat suam petitionem non consecuturam fore effectum, sciebat se efficaciter ex parte sua manifestaturum fore talem petitionem Deo, licèt prædicta oratio redigeretur inefficax ex eo quod Deus eius non annuebat votis propter alios fines suæ diuinæ prouidentiæ, quibus cognitis Christus se conformabat. Et confirmatur à simili, quia illa voluntas, quâ Deus vult omnes homines saluos fieri, est in Deo vera, imò & vehemens voluntas persecutionis, vt latè traditur in materia de voluntate contra Vasquem, licèt alias sit inefficax; ergo Christi oratio inefficax est vera oratio, licèt non consequatur effectum. patet consequentia, quia nulla est disparitas.

11. Ad rationem pro prima sententia adductam respondetur, quòd quælibet Christi oratio etiam inefficax facta fuit à Christo eo animo, vt rem, quam postulabat, consequeretur à Deo, nec quòd sciret se non fore consecuturum aliquid efficiebat, quia id sciebat se non fore consecuturum postquam affectuosè vehementerque petiisset: vnde de illo communiter intelligitur illud psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*, &c. imò per hoc magis manifestabatur eius humanitas, quæ in consecutione suæ voluntatis dependebat à diuina. Ad confirmationem respondetur, quòd illa testimonia S. Scripturæ loquuntur de oratione efficaci, quam exhibebat Christus attentis omnibus circumstantiis, & cognitâ voluntate diuinâ, quæ ferè semper Christo quasi subordinabatur ad faciendum quòd ipsi placuerit, nam quando aliter determinabat voluntas diuina, tunc statim ei se subdebat voluntas humana Christi; non verò loquuntur de omni oratione tam efficaci, quàm inefficaci.

PARS SECVNDA.

Vtrùm Christus nunc in cælo existens verè oret pro nobis?

Notanter dixi verè oret, quia quòd oret interpretatiuè & impropriè ostendendo diuino cõspectui suam humanitatem cicatricibus & vulneribus insignitam, vt moueat eius pietatem circa homines, fatentur omnes. quare tota controuersia est de vera oratione & manifestatione proprij desiderij circa consecutionem alicuius boni à Deo pro hominibus. 12.

Prima sententia negat Christum in cælo verè nunc orare. ita Rupert. lib. 9. de diuinis officiis cap. 3. Adelmanus in cap. 8. ad Rom. Medina, & Aluarez q. 21 art. 1. Aragon 2. 2. q. 83. art. 11. Vasquez disp. 81. Becanus cap. 17. q. 4. Et probant primò ex Theodoreto, Hieronymo, & aliis Ecclesiæ Patribus, qui locutiones S. Scripturæ, quas infrà pro nostra sententia adducemus, explicant de oratione Christi impropria, in quantum ostendit Patri sua vulnera. Secundò, quia Christus suis meritis meruit nobis nostram redemptionem, & salutem, ita vt nostram inueniret redemptionem, vt dicitur ad Hebræos 9. imò & morte sua consummauit nostram sanctificationem, vt dicit cap. 10. ergo post mortem nihil meretur nobis, & consequenter nec verè orat. 13.

Tertiò probat Hurtado, quia si modò petit in cælo Christus, vel obtinet id quod petit merito ipsius orationis, & hoc modò Christus modò mereretur in patria; vel obtinet per orationem, tanquam per applicationem meritorum, quæ habuit in via, & hoc modò non, tum quia talis applicatio cùm sit per opus Deo gratum & dignum consequendi 14.

quendi id quod petit, esset meritoria; tum & præcipuè quia ridiculum esset relinquere redemptionem nostram, aut secundùm se totam, aut secundùm partem orationi Christi, tamquam applicationi nudæ; nã cùm hoc fieret veluti sic loquente Christo, quando fuit viator suo Patri, *Pater obsecro te, vt hac, aut illa dona, quæ nunc à te postulo, vt conferas mihi, aut illis hominibus, ea conferas illis, quando ego in cælo existens, iterùm illa postulem:* hoc autem videtur ridiculum, quia si tunc illa dona postulabat Christus, ad quid erant iterùm in patria ab ipso postulanda? Quartò probatur, quia si nunc in patria orat, ergo liceret dicere, Christe ora pro nobis, quod non est in vsu Ecclesiæ; sed solùm Christe miserere nobis.

15. Secunda & vera sententia affirmat Christum de facto in cælo verè orare. est expressa sententia D. Thomæ in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6. quæstiunculâ 2. ad 1. D. Bonauenturæ opusculo 39. de Vita Christi cap. 89. de Ascensione, vbi introducit Filium æternum, dum ascendit in cælum, orantem Patrem, vt mittat Spiritum sanctum; Abulensis in 14. Matth. quæst. 142. Toleti in 16. Ioan. à num. 35. & communiter tenent Recentiores, Suarez disp. 45. sect. 2. Valencia quæst. 21. puncto 1. Lorca disp. 81. Raguza disp. 18. Et probatur primò ex pluribus S. Scripturæ testimoniis: Ad Rom. 8. *Iesus qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Hebræos 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum,* &c. Sed vbi nulla est repugnantia, verba S. Scripturæ sunt in proprio sensu accipienda secundùm regulam Augustini; ergo cùm prædicta verba significent veram orationem, sic debent accipi.

16. Secundò sic probant, quia interpellationes illæ, quas Christus facit per ostensionem suæ humanitatis, & suorum vulnerum, fiunt in demonstrationem alicuius, quod desiderat Christus obtinere à Patre; sed hæc demonstratio est vera oratio, quia est manifestatio alicuius desiderij, & cum animo obtinendi id quod desideratur; ergo Christus in patria nunc verè orat. Et confirmatur primò, quia humanitas Christi, & eius vulnera semper sunt, & fuerunt præsentia conspectui diuino, neque vt recordaretur illorum Deus, deberent de nouo repræsentari ipsi; ergo quòd dicantur à Patribus de nouo repræsentari est, & significat quòd postuletur à Christo, vt merita sua, & valor illorum applicentur ad consecutionem alicuius boni; ergo verè orat. Et confirmatur secundò, quia Christus adhuc in patria habet prouidentiam nostri; ergo vult fieri ea, quæ pertinent ad nos, sed plura ex illis indigent virtute diuinâ vt fiant; ergo eius humanitas postulat à Patre, quòd fiant.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum, prædictos Patres implicitè explicasse veram Christi orationem in patria per illas explicitas demonstrationes, & ostensiones humanitatis, & vulnerum illius, quia ridiculum apparet, quòd putemus Christum facere de nouo tales ostensiones suo Patri, & quòd non sit ad indicandum illi suam voluntatem circa consecutionem alicuius boni; quare plures Ecclesiæ Patres, qui videri possunt apud Recentiores, expresse tenent Christum verè orare nunc in cælo pro nobis; & si aliqui contrarium insinuant, id etiam dicunt de Christo in via: vnde debent explicari, sicut ipsos explicuimus in principio Quæstionis, scilicet quòd loquerentur contra Arrianos; & si non loquuntur de Christo, vt in via, sed vt in patria, solùm debent intelligi quòd Christus habeat orationem per tales demonstrationes cum anxietate & angore sicut communiter oratur, & ipse orauit in via, non tamen quia negent veram & propriam orationem. 17.

Ad secundum respondeo, quòd circa merita Christi possumus considerare & ipsa merita in esse talia, & applicationem illorum pro aliquo subiecto, vel pro alicuius boni consecutione. Dico ergo quòd si primo modo considerentur omnia fuerunt operata in via, & nostra redemptio fuit consummata in Christi morte, & vt sic benè probat argumentum quòd Christus nihil mereatur nobis post mortem etiam per orationem; si 18.

si tamen considerentur secundo modo, dico quòd dependent ab oratione vera Christi, tamquam ab applicatione, quia Christum sua ostendere vulnera, &c. nihil est aliud, quàm quòd Christus postulet à Patre, quòd dignetur illa merita applicari pro consecutione alicuius boni ab illo subiecto pro quo orat.

19. Ad tertium respondeo, quòd Christus obtinet per orationem id quod modò petit, non tamquam per meritum, siue condignum, siue congruum, quia licèt talis oratio sit opus laudabile & dignum obtinere id quod petit, tamen deficit illi esse in statu merendi ad hoc vt sit meritorium, sed obtinet per orationem, & tamquam per applicationem eorum meritorum, quæ habuit in via, & tamquam propter impetrationem sine ordine ad aliqua merita antecedentia, quæ impetratio licèt in via sæpè reperiatur coniuncta cum ratione meriti, tamen in patria non habet esse meritoria: vnde sic reperitur in aliis Beatis nobis à Deo per orationem impetrantibus plura beneficia. Neque est necessarium, quòd Christus orauerit illo modo, quo dicitur ab Hurtado, sed quòd solùm obtulerit Christus in generali suam passionem efficaciter pro consecutione omnium beneficiorum, quæ Pater voluerit efficaciter hominibus concedere, & quòd posteà in cælo oret pro consecutione huius, & pro consecutione illius beneficij, quia licet sciat Christus quòd beneficium sit consecuturum, & quòd non, tamen scit se consecuturum, vel non consecuturum per orationem dependenter ab illa, non tamquam à merito, sed tamquam ab applicatione, vel deprecatione.

20. Ad quartum respondetur, quòd etiamsi Christus in patria pro nobis oret, non tamen licet in deprecationibus dicere, Christe ora pro nobis, sed miserere nobis, quia in oratione erga Christum eodem modo nos gerere debemus, ac in adoratione, in qua licèt possimus adorare adoratione duliæ propter solam sanctitatem humanitatis, numquam tamen sic debet adorari, sed adoratione latriæ propter Verbi personam, quia cuicumque personæ tribuendus est maior honor, cuius est capax.

Dices: Christus habet eamdem potestatem in cælo, & in terra; ergo non indiget oratione ad consecutionem cuiuscumque beneficij. Et confirmatur, quia B. Virgo Maria, & Sancti omnes petitiones suas exhibent coram Christo; ergo quia Christus seipso potest præstare prædicta beneficia; ergo non indiget oratione ad illa præstanda. Respondetur ad obiectionem, quòd etiãsi Christus in via habuit omnimodam potestatem, & nihilominùs verè orauit in via, vt Aduersarij concedunt. Dico ergo quòd Christus habet omnimodam potestatem, quia fit quidquid vult efficaciter fieri, quæ volitio efficax per orationem exprimitur à Christo. vnde talis potestas non aufert orationem. Ad confirmationem dico, quòd Virgo, & Sancti suas petitiones exhibent coram Christo, tum quia est Deus, tum etiam quia quidquid ipse efficaciter postulauerit per humanitatem à Patre infallibiliter fiet. 21.

In fine huius Partis duo obseruare debetis: primum, quòd quando Christus aliquid à Patre postulat, non necesse habet vocali oratione suas exprimere petitiones, sed satis est quòd mentali 2. quòd eius oratio in patria non sit cum anxietate, & angore, sed summâ alacritate, quia vtrumque eodem modo contingit in reliquis Beatis. 22.

DISPV-

DISPVTATIO XVIII.
DE
DEFECTIBVS
ASSVMPTIS A CHRISTO
IN HVMANITATE.

DEfectus ad humanitatem pertinentes vel pertinent ad animam, vt peccatum, & ignorantia; vel ad corpus, vt morbus, fames, mors, &c. vel pertinent ad vtrumque, vt affectiones irascibiles, & concupiscibiles: de quibus omnibus est agendum in hac Disputatione, & disputat Scotus in 3. dist. 12. 15. & 16.

QVÆSTIO PRIMA.

De impeccabilitate Christi secundùm naturam humanam

1. DE fide est nullum fuisse peccatum, neque originale, neque actuale in Christo. ita definitur in Concilio Ephesino cap. 10. Et probatur ex S. Scriptura, nam peccatum originale excludunt illa verba Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum*. Et ratione probatur, quia peccatum originale solùm contrahitur ab his qui descendunt ex Adamo per seminalem propagationem, sed Christus non fuit secundùm humanitatem genitus ope viri; ergo, &c. Peccatum autem actuale excludunt illa verba Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*. Et 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit*, &c. Et ratio similiter suadet, quia qui factus est homo vt nos redimeret à peccatis, & vt nobis præberet exemplum, non debuit assumere peccatum.

2. Dico enim quòd non defuit quidam Apostata monachus præmonstratensis (vt refert Prateolus verbo *Præmonstratensis*) qui asseruit Christum desperasse in cruce, quando Matth. 27. dixit, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*; ideoq; damnatum fuisse. & idem docuerunt Antichristiani (vt refert idem Prateolus verbo *Antichristiani*) cuius erroris initium fuit Caluinus (vt refert Bellarminus lib. 4 de Christo cap. 8.) qui quamuis non dicat quòd Christus desperauerit, dixit tamen quòd emisit vocem similem desperationi, quæ necessariò debuit esse peccatum. Respondetur tamen in prædictis verbis nullo modo desperationem contineri, primò quia hæc non compatitur cum illa dulcedine, quam præ se ferunt illa priora verba, Deus, Deus meus, sed solùm fuerunt verba maximè dolentis, & significant quòd permissum fuerit à Deo ita vehementer angi. 2. quia non compatitur cum aliis verbis, quæ eodem tempore Christus protulit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*.

Sed inquires primò, quid significant 3. illa verba 2. ad Corinth. 5. *Cùm qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Respondetur, id est, factus est nobis hostia pro peccatis, quæ solet appellari peccatum, iuxta illud Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent Sacerdotes*, id est, hostias pro peccatis.

Inquires secundò, quid significant 4. illa Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*; & Psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*; & Psal. 68. *Domine tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita*. In quibus psalmis semper fit sermo de Christo, vt receptum est apud omnes. Respondetur primò, quòd à nonnullis exponuntur negatiuè, quasi diceret Christus, Ita nulla habeo delicta vt longè sint à salute mea. 2. quòd sua delicta ap-

pellet Christus, quæ sibi falsò fuerunt imposita. 3. & communiter vt peccata nostra appellet sua, tum quia pro eis satisfecit, tum quia secundùm regulam Anthiconij, quæ sunt membrorum dicuntur de corpore, & è contrà. Non tamen propterea licuit August. de Roma Archiepiscopo Nazareno dicere quòd quotidie Christus peccat, quòd hoc absoluto modo loquendi significatur Christum in se peccare: vnde meritò fuit damnatus in Concilio Vasiliensi.

5. Difficultas ergo huius Quæstionis non est de actu, sed de potentia, ita vt repugnet humanitati Christi assumptæ posse peccare. Et suppono primò non procedere de humanitate prout ornata gratiâ habituali, quia vt sic certum est quòd potuerit peccare, sicut de facto contingit in homine iusto; & similiter est magis probabile, quòd gratia, & peccatum saltem de potentia Dei possint esse simul. Suppono secundò neque procedere de humanitate prout ornata gloriâ, quia vt sic certum est quòd non potuerit peccare etiam de potentia Dei, quia cùm per beatitudinem fuerit coniunctus Deo per affectum iustitiæ, stante illa non potuit disiungi per affectum iniustitiæ, seu peccati, aliàs posset simul amare, & non amare Deum. Procedit ergo difficultas de humanitate præcisè prout Verbo diuino vnita, An non repugnet peccare, siue peccatum possit simul perseuerare cum hypostatica vnione in humanitate, siue ex commissione, siue ex patratione peccati proueniat, quòd statim destruatur prædicta vnio, sicut ad commissionem peccati mortalis in homine puro destruitur gratia habitualis.

6. Circa quam prima sententia negat Christum potuisse peccare. ita tenent Magister in 3. d. 12. D. Thomas q. 2. art. 1. & 2. D. Bonauent. & Ricardus art. 2. q. 12. Paludanus q. 2. Capreolus q. 1. Almaynus d. 1. q. 2. Alensis 3. p. q. 14. memb. 1. Henricus quodlibet 6. q. 6. Suarez tomo 1. in 3. partem disputatione 33. sect. 2. Vasquez disp. 61. cap. 3. Raguza disp. 14. Hurtado disp. 6. diff. 7. Non tamen omnes Auctores isti probant hanc sententiam eodem fundamento. Nam Alensis duo asserit falsa: primum, quòd Verbum non potuerit sibi vnire naturam humanam, nisi ornatam gratiâ habituali, quod refutauimus disputatione 9. Secundum, quòd gratia habitualis, & peccatum non possint esse simul, quod latè impugnatur à Scotistis in materia de gratia, & non respondet quæstioni, quia licèt non possint esse simul, sed necessariò debeat excludi per peccatum, tamen non constituit subiectum impeccabile, vt manifestè constat in hominibus iustis, in quibus per peccatum excluditur gratia.

Henricus autem defendit hanc sententiam, ex eo quòd putet Verbum non potuisse assumere naturam humanam, nisi ornatam visione & fruitione beata, cum qua in sententia eorum, & etiam Scoti incompossibile est peccatum, vt suprà dixi. Sed hic modus dicendi primò non tribuit impossibilitatem peccandi proximè & immediatè vnioni hypostaticæ, sed visioni & fruitioni beatæ. Secundò, falsò asserit Verbum non potuisse assumere humanitatem, nisi ornatam visione & fruitione, quia secundùm Scotum in 3. d. 2. q. 1. quem sequuntur omnes Theologi, nulla est implicatio in tali assumptione absque actuali visione & fruitione, licèt illi esset debita, non enim debitum, hoc est debitum iustitiæ, sed congruentiæ, & decentiæ connaturalis, quod licet de lege ordinaria sit adimplendum, de potentia tamen absoluta nullam implicationem inuoluit quòd non adimpleatur, & quòd inueniatur vnio hypostatica absque visione & fruitione beata; cùm ergo in hoc nulla sit implicatio, supponamus sic factum; quod ergo de impeccabilitate Christi ratione vnionis, quæ solùm venit in examen. 7.

S. Thomas, & eius sequaces suprà citati ex eo probant impeccabilitatem in Christo ex vi vnionis, quia si stante vnione humanitas peccaret, peccatum attribueretur ipsi Deo, cùm longè sit ab ipso, & quod audire pias aures offendit, exaggerantque hoc nimio verborum strepitu. quod dupliciter probatur à diuersis, primò ab aliquibus, quia actiones sunt suppositorum; ergo Verbum peccaret, vel diceretur peccare. 2. à Suare, & ab aliis, quia Verbum diuinum tenebatur taliter regere suam humanitatem, eo ipso quòd erat sua, 8.

sua, vt ipsi imputentur peccata illius, si aliqua patraret tamquam Auctori, & causæ morali, sicut patet in Prælato cui imputantur peccata subditorum, quia sunt aliquid eius; & patet in homine, cui imputantur peccata suarum manuum, & suorum pedum, quia sunt eius.

9. Sed contra primum sic argumentor, quia non minus repugnat Verbo conspui, flagellari, crucifigi, mori, &c. quàm peccare, sed per vnionem Verbum patitur illas denominationes; ergo & hanc. Neque enim actiones sunt elicitiuè suppositorum, sed denominatiuè solùm; imò ex parte est maior repugnantia in prioribus denominationibus, cùm sint physicæ, quàm in hac, quæ solùm est moralis: vnde prædicta denominatio non debet pias aures offendere, si aures ita sunt doctæ, sicut piæ.

10. Respondent aliqui Verbum posse denominari per priores denominationes, quia illarum rerum potest Deus esse causa, cùm sint entia physica, & non mala simpliciter, sed solùm secundùm quid: secùs verò per posteriorem, quia Deus non potest esse causa peccati, cùm sit malum simpliciter & morale. Sed contrà, quia hoc non est ad propositum, primò quia denominationes istæ non respiciunt habitudinem effectus ad causam, sed denominati ad formas denominantes: vnde si per impossibile Deus non esset causa mortis, nihilominùs in Christo denominaretur mortuus; ergo quòd sit, vel non sit causa, non tollit denominationem. Secundò, quia flagellantes & crucifigentes Christum peccabant in his actionibus; ergo denominabatur Verbum peccaminosè flagellatum, crucifixum, &c. & tamen Deus non erat auctor formæ peccaminosæ per quam denominabatur; ergo potest denominari ab aliqua forma, cuius non est auctor; ergo & si humanitas Christi peccaret, Verbum posset denominari peccans, licèt non posset esse auctor peccati in genere causæ efficientis adhuc moralis.

11. Contra secundum sic argumentor, quia impedire peccata, est actio Dei ad extra; ergo non conuenit Verbo vnito præcisè, sed toti Trinitati; ergo etiamsi humanitas, quæ est aliquid Verbi, peccaret, non imputaretur Verbo, tamquam causæ morali. Et confirmatur, quia absque iniustitia posset Trinitas non cõferre humanitati Christi Verbo vnitæ omnia dona supernaturalia gratiæ & gloriæ; ergo & posset non conferre auxilium efficax ad non peccandum. patet consequentia, quia tam hoc auxilium, quàm illa dona non confert Deus titulo iustitiæ, sed titulo congruentiæ, & decentiæ. Exempla autem à Contrariis adducta nihil probant, quia Prælatus ratione officij tenetur ex iustitia vitare peccata subditorum. vnde si non vitat, imputantur ei tamquam causæ morali, peccata autem manuum & pedum, non ex eo præcisè quòd sunt aliquid hominis imputantur eis, sed quia taliter sunt eius, quòd omnino physicè subduntur eius imperio, & voluntati, quomodo non subdebatur humanitas Verbo, sed solùm subdebatur illi, sicut reliquis personis Trinitatis.

Vasquez autem cap. 6. aliter defendit hanc sententiam, ex eo enim asserit humanitatem vnitam non posse peccare, quia ex vi vnionis sanctificabatur fortiori ac excellentiori, ac nos sanctificamur per gratiam habitualem. 12.

Per quod respondet ad obiectiones, quæ sibi obiici possunt, scilicet quòd in nobis possunt in probabilissima sententia esse simul de potentia absoluta, quia non habent, neque inferunt contradictoria; ergo & peccatum, & vnio hypostatica. Præterea, quia licèt gratia & peccatum non possint esse simul, nihilominùs gratia non constituit subiectum impeccabile, quia homo iustus potest peccare, licèt quando adest peccatum excludatur gratia; ergo vnio licèt constituat humanitatem sanctam, non constituit impeccabilem, quia accedente peccato destrueretur vnio hypostatica. Ad hæc ergo omnia respondet esse vera respectu nostræ gratiæ habitualis, non verò respectu naturæ diuinæ, quæ est sanctitas essentialis ita excellens & fortis, vt non solùm excludat peccata mortalia, sicut nostra gratia, sed etiam venialia omnia, quod non facit nostra gratia, & insuper ita est suprema, vt nullis subdatur operibus, ac per consequens illi repugnat, quòd per opera peccaminosa possit destrui. ita Hurtado 13.

tado cum aliis vbi suprà diff. 7. placetque Suari, & aliis Recentioribus.

14. Sed contrà, quia hic modus dicendi plus verba continet, quàm veritatem, quod primò ostendo sic, nam dato casu quòd Verbum, vel diuina natura sanctificaret formaliter humanitatem (quod esse falsum probaui disputatione 11.) Inquiro quare non est magis fortis in ratione sanctitatis formalis, quàm gratia habitualis in eodem genere? nulla enim est forma, etiamsi perfectissima sit, quæ si habeat contrarium, non excludatur, vel sit exclusibilis ab ipso; cùm ergo sanctitas essentialis habeat pro contrario peccatum, nam est munditia animæ excludens immundicitiam peccati, etiamsi perfectissima & infinita sit, excludetur, vel exclusibilis erit à peccato.

15. Secundò supponamus quòd Verbum assumeret naturam humanam aliquo peccato fœdatam, tunc sic per talem assumptionem præcisè non expelleretur peccatum præexistens; ergo vnio non est incompossibilis de potentia Dei cum peccato. Supposito probatur simul cum antecedenti, quia natura illa esset capax subsistentiæ, neque peccatum auferebat ab ea hanc capacitatem; ergo esset assumptibilis à Verbo. Minor probatur ad hominem, quia Vasquez 1. 2. disp. 206. cap. 6. constanter defendit, quòd peccatum habituale non expellitur adhuc de potentia Dei, nisi per sanctitatem intrinsecam physicè & intrinsecè inhærentem & mutantem naturam, & hoc modo non se habet Verbum, aut Essentia diuina respectu naturæ humanæ, quia solùm erit eius sanctitas extrinseca, vt etiam ipse habet tomo de Incarnatione disp. 41. cap. 4.

16. Tertiò, quia sancti Patres potuerunt mereri de condigno hanc vnionem hypostaticam, non ex meritis Christi per gratiam collatam, sed ex mera liberalitate Dei, vt latè diximus cum communi sententia disp. 9. ergo non repugnat quòd prædicta vnio obnoxia & subiecta sit quantùm ad suam existentiam operibus creatis; ergo similiter eius annihilatio, seu non existentia potest dependere ab operibus de condigno demeritoriis illius; ergo non repugnaret, quòd si Christus peccaret, Deus destrueret & annihilaret talem vnionem, sicut in homine iusto peccante destruit gratiam; malè ergo asserunt Aduersarij, quòd talis vnio est ita fortis, quòd repugnet illi dependere à quibuscumque operibus creatis.

Quartò & vrgentissimè, quia si ex vi vnionis formaliter humanitas redditur impeccabilis; ergo tollitur eius libertas ad peccandum, & consequenter ad merendum, quod est absurdum in omni sententia. Probo sequelam à paritate in sententia Vasquez, quia ex eo negat voluntatem manere in actu primo liberam ad operandum, si in ea ponatur illa qualitas prædeterminans, quam adstruunt Dominicani, quia prædeterminaretur voluntas per aliquod antecedens, cui omnino resistere non potest, sed similiter eo ipso quòd voluntas per vnionem formaliter redderetur impeccabilis, constitueretur voluntas per aliquod antecedens operationem taliter determinata, quod illi determinationi resistere non potest omnino; ergo destrueretur eius libertas, non minùs ac destruitur in eius sententia per qualitatem prædeterminantem. Neque hîc habet locum eorum scientia conditionata, nam siue talis scientia esset, vel non esset vera, semper erit verum quòd humanitas vnita neque peccauit, neque poterit peccare ratione vnionis tamquam formæ antecedentis prædeterminantis voluntatem ad bonum, imò neque relinquentis indifferentiam ad malum. 17.

Ad fundamentum ergo Vasquez respondeò ideò sanctitatem Christi fuisse excellentem & fortem; ergo ratione vnionis debebatur eius humanitati non titulo iustitiæ, sed titulo cōgruentiæ, & decentiæ, quòd haberet sanctitatem creatam, tam habitualem, quæ excluderet non solùm peccata mortalia, sed etiam venialia, quàm actualem efficaciter auxiliatricem, quæ excluderet in actu secundo actiones peccaminosas, non tamen in actu primo potentiam ad peccandum. 18.

Obiicit Vasquez: Operationes Christi dicuntur Theandricæ, quia sunt Dei & hominis, sed actio peccaminosa non posset sic appellari; ergo nec potest in Christo reperiri. Respondetur quòd de facto omnes Christi operationes 19.

tiones dicuntur Theandricæ propter conformitatem quam habent omnis operatio voluntatis humanæ, & omnis operatio voluntatis diuinæ, vt dixi disput 10. q. 3. §. 2. tamen si de possibili Christus peccaret, talis operatio peccaminosa, licèt denominaret Verbum, tamen non esset operatio Theandrica, cùm deficeret illi vnio moralis, seu cōformitas cum operatione diuina, per quam vnionem cōstituitur formaliter operatio in esse Theādrica, vt ibi dixi, & probaui.

20. Secunda & vera sententia affirmat Christū potuisse peccare adhuc in sensu composito, & supposita vnione ad Verbum. hanc puto esse mentem Scoti in 3. d 12. q. 1. vbi solùm admittit Christum de facto fuisse impeccabilem ratione beatitudinis, & non ratione alterius, sequuntur eius discipuli, tenet Durandus q. 2. Gabriel q. vnicâ, & Marsilius q 19. art. 3. & q. 3. art. 2. Fundamentum est, quia humanitas non est physicè & intrinsecè mutata per vnionem hypostaticam, sed humanitas ex se est peccabilis cùm habeat intellectum proponentem bonum & malum voluntati, & voluntatem liberam & indifferentem ad prosequendum tam malum, quàm bonum; ergo adhuc supposità vnione perseuerabit peccabilis. Et confirmatur, quia impeccabilitas non probatur aliquo modo, vt patet ex refutatione eorum, quos pro contraria sententia adduximus; ergo, &c.

21. Sed cōtraria sententia notat nostram temeritatis & impietatis censurâ, & vt illam confirment, cōgregant maximam Ecclesiæ Patrum cateruam ita excludentium à Christo peccatum, vt simul peccabilitatem excludant, & hoc ex vi vnionis. Respondetur tamen quòd potius deberent notare modestiam huius sententiæ Auctorum, qui cùm videant plures sectatores illius, & ex contraria sententia, & de medio tolli veram naturam humanam Christi non audent eam aliquâ censurâ inurere. Respondemus igitur ad testimonia Patrum, quòd loquantur de facto, & suppositis omnibus donis, quæ modò habet Christus, præcipuè fruitione beata, in quantum talia dona erant illi debita debito decentiæ & congruentiæ vnionis.

22. Ex quo debetis inferre Christum de facto non esse dicendum simpliciter & absolutè quòd habuerit potentiam ad peccandum, quia quando potentia est impedita, non est simpliciter & absolutè vocanda potentia, sed cum addito, scilicet remota, vel proxima impedita, & ideò tam Patres, quàm Scholastici abstinuerunt ab hac voce.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Christus assumpserit, vel assumere potuerit ignorantiam?

DVplex est ignorantia, vna positiua, quæ est error, seu deceptio existens in intellectu; alia negatiua, quæ est defectus scientiæ; quia tamen scientia potest esse debita, vel non debita huic subiecto, ideò ignorantia negatiua diuiditur in priuatiuam, quæ est defectus scientiæ debitæ huic subiecto, & in purè negatiuam, quæ est defectus scientiæ non debitæ illi. Duo ergo in præsenti disputantur: Primum, An sit de fide, quòd in Christo non fuerit ignorantia priuatiua, quia quòd sciuerit omnia, quæ ad omnia sua munera pertinebant, fatentur omnes tamquam certum, sicut fatentur quòd habuerit ignorantiam negatiuam saltem in proprio genere plurium obiectorum saltem ex indiuiduis possibilibus, quia eorum cognitio in proprio genere erat humanitati Christi impossibilis, vt latè diximus disp. 15. quæst. 4. §. 4. 5. & 6. Præterea secundum, quod disputatur, est, An de potentia absoluta potuerit esse error, seu ignorantia positiua in intellectu Christi? 1.

Circa primum est difficultas pro parte affirmatiua, quia Gregorius Magnus lib. 8. Epistolarum cap. 42. Sophronius Epistolâ synodicâ, quæ habetur actione 11. sextæ Synodi, & plures alij Patres referunt tamquam hæreticos, qui appellantur Gnostici, ab aliis Agnoitæ, ab aliis Ignoitæ, quasi ignorantes, asserentes Christum vel didicisse alphabetum sub ferula præceptoris, vel nesciuisse diem Iudicij: sed partem negatiuam reputo veriorem cum Lorca disput. 59. Vasquez disput. 51. cap. 2. Fundamentum est, quia nullo Concilio generali aut particulari inuenitur definitum, quòd Christus secundùm naturam humanam sciuerit omnia quæ 2.

quæ ad sua pertinebant munera, & officia; ergo non est de fide, quòd in Christo non fuerit ignorantia priuatiua.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur quòd Gnostici referebantur tamquam hæretici, quia vel negabant Christum tamquam Deum scire omnia cum Arrio, vel tamquam hominem purum plura nescire cum Nestorio: vnde prędicti Patres asseruit quòd non possit esse Ignoista, qui non sit Nestorianus; ad illud de nescientia diei Iudicij, dixi iam disp. 15. q. 2.

3. Sed dices: Christus Ioan. 11. interrogauit de Lazaro, *Vbi posuisti eum?* & Ioan. 6. interrogauit Philippum, *Vnde ememus panem, vt manducent hi?* Respondetur cum Damasceno in his locutionibus nullam fuisse ignorantiam, sed simulationem quamdam prudentem, vt occasionem acciperet aliquid docendi, aut faciendi, quia ex occasione interrogationis & responsionis aliquando aliquod declarabat mysterium, aliquando verò suam manifestabat potentiam.

4. Circa secundum Suarez disp. 34. sectione 3. Raguza disp. 116. docent in Christo non potuisse adhuc de potentia absoluta habere errorem positiuum. Et probant primò, quia in errore nulla potest esse honestas, nec ad finem honestum conducere, sed Verbum non potest assumere id quòd sic non se habeat; ergo. Secundò, quia si illi non repugnat error, non haberet auctoritatem ad fidem faciendam in his quæ testificarentur; ergo.

5. Vasquez verò disp. 61. & Lorca disput. 59. multò veriùs existimant non repugnare de potentia Dei reperiri in Christo errorem: à nobis autem faciliter probatur hæc sententia, quia in Christo potuit reperiri peccatum; ergo & error. A Thomistis verò probatur primò: Verbum in tali casu non esset auctor erroris, sed tota Trinitas, cui hoc non repugnat, sicut neque quòd concurrat ad materiale peccati. Secundò probatur, quia prædictus error potuit esse inculpabilis, nec Verbum teneretur impedire illum in natura humana, quia hæc licèt sit natura Christi, non tamen est natura Verbi; ergo ex nullo capite repugnat.

6. Ad primum contrariæ sententiæ respondetur, quòd in errore, qui non est peccatum, nulla est honestas, nec inhonestas; & licèt non conducat ad aliquem finem honestum, sufficit quòd non conducat inhonestè ad aliquem finem.

Ad secundum respōdetur, quòd duplex potest considerari auctoritas in Christo, vel in quantum est organum Spiritus sancti, & vt sic concedo quòd repugnat illi error, tamen de potentia Dei poterat non esse organum ipsius; vel in quantum præcisè attenditur secundùm naturam humanitatis, & vt sic non est infallibilis auctoritatis, & potuit habere errorem, imò & habitus vitiosos. 7.

In fine quæstionis obserua cum Vasquez, Lorca & Raguza contra suos, quòd de facto patiatur Christus in sensibus deceptionem illam, quæ nobis contingit, quando res distantes apparent nobis minores, quàm in se sunt, quia hoc spectabat ad connaturalem modum operandi, & mirum esset quòd non videret ibidem, corrigebat tamen prædictas deceptiones per scientiam interiorem tam beatam, quàm infusam, per quas cognoscebat res sicuti sunt in se à parte rei. 8.

QVÆSTIO III.

Vtrùm defectus corporales, quos assumpsit Christus in humanitate, fuerint ipsi Christo voluntarij?

HÆc Quæstio supponit Christum assumpsisse aliquos defectus naturales, nam iuxta cōmunem Scholasticorum sententiam assumpsit omnes illos, qui naturales & communes sunt naturæ humanæ post peccatum Adami, non tamen assumpsit aliquos speciales, qui vel ex imperfecta virtute seminū, vel ex imperfecto regiminè corporis promanant. Et ratio est, quia sicut decuit vt assumeret pœnalitates vt pro nobis satisfaceret, & esset nostrū exemplum, ita non decuit assumere illos, qui vel ipsi possunt imputari ad culpam, vel ad nullam vtilitatem redemptionis, vel alterius finis conducunt: vnde Nicenus 3. thesauri cap. 25. ait in Christo nullam à cōmuni lege factam fuisse exceptionem, nisi in cōceptione & partu. 1.

Ex

2. Ex quo tria debetis inferre. Primum, Christum assumpsisse corpus naturaliter subiectum passionibus, quod negauerant Iulianus Alicarnasius & Haianus, vt refert Nicephorus lib. 17. cap. 29. licet aliàs concederent corpus verum humanum contra alios hæreticos, quos refutauimus disp. 7. quæst. 3: imò hic error ita placuit Iustiniano Imperatori aliàs pio & catholico, vt propterea iuberet exulare Athanasium, quia contrarium docebat, imò Vasquez disp. 59. cap. 1. illum tribuit Hilario 10. de Trinitate, & sæpè alibi, sed Bonauentura in 3. d. 16. arr. 1. q. 1. ad 1. refert se audiuisse Gulielmum Parisiensem dicentem se legisse librum in quo Hilarius id retractauit, & seclusa hac retractatione D. Bonauentura illum aliter excusat; scilicet quòd loquatur de Christo secundùm naturam diuinam, quia contra Arrianos probabat, quòd defectus, quos assumpsit, non potuerunt esse secundùm naturam Verbi, vel loquitur de necessitate contrahendi defectus ex peccato, sicut nos, vel de necessitate contrahendi illos, ita vt non liberè & voluntariè contraheret, sed assertum nostrum habetur Isaiæ 53. *Verè languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit*; & Ioan. 19. *Sitio*; & 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum*, &c. & definitur in Concilio Ephesino Anathematismo cap. 2. & 5. Synodo actione 8. & in pluribus aliis Conciliis, & in Symbolo Apostolorũ Niceno, & Athanasij. Sed obiiciunt hæretici illud Psalmi 15. & Actor. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Respondetur quòd non loquitur de morte, sed de putrefactione, & vltima resolutione corporis in vermes, & in cineres, quia hęc præuenta fuit per resurrectionem.

3. Secundum, quod debetis inferre, est Christum non assumpsisse morbum corporalem propter rationem suprà dictam. ita Scholastici cum Magistro in 3. d. 15. D. Thomas q. 14 art. 4. vbi Suarez ait quòd contrarium asserere est temerarium, & pias aures offendit; imò Concilium Francfordiense Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ defendit contra Elipandum, quòd non habuerit morbum lepræ.

4. Sed obiicies primò illud Isaiæ suprà relatum, *Verè languores nostros ipse tulit*, &c. Respõdetur cum Suare & Lorca duplicem habere sensum litteralem: primus, quia illos sanauit, & abstulit, vt exponi videtur à Matthæo cap. 8. Præterea secundus, quia suscepit pœnas corporales, quas pro nostris peccatis nos merebamur suscipere, quæ pœnæ communiter solent appellari nomine doloris & infirmitatis.

Obiicies secundò Isaiam in eodem capite dicentem, *Et nos reputauimus eum quasi leprosum*. Respondet Concilium Francfordiense Isaiam non absolutè dixisse *leprosum*, sed *quasi leprosum*, quia scilicet Iudæi eum cauebant, siue cauebant leprosos. 5.

Tertium est corpus Christi fuisse pulchrum, & non deforme, vt voluit Michaël de Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. quod videtur tradidisse Tertull. lib. de Carne Christi c. 9. sed contraria sententia est omnium Scholasticorum & Patrum. legantur Recẽtiores, & patet ex illo Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, quòd licèt Cyrillus & Basil. explicẽt de pulchritudine Diuinitatis, & Theodoretus cum aliis de pulchritudine gratiæ, tamen de pulchritudine corporis explicant August. & Casiodorus, ibidem Bernardus serm. 1. de omnibus Sanctis, & Chrysostomus homil. 18. in Matthæum; & ratio id conuincit, quia Christi corpus habuit optimum temperamentum, omniumq; membrorum integram & optimam dispositionem, ex quibus non potuit nõ prouenire maxima pulchritudo. 6.

Et confirmatur primò, quia corpus Christi fuit fabricatum opere Spiritus sancti ex Virginis Mariæ purissimis sanguinibus, & aliàs ad nihil potuit esse vtile corpus indecorum & deforme; ergo cùm opera Dei sint perfectissima in hoc opere, debuit potissimè resplendere virtus diuina. 7.

Et confirmatur secundò, quia Christus fuit destinatus ad prædicandum ad quod potiùs bona dispositio corporis, quàm horribilitas conducit: præterea fuit à Deo constitutus caput regni cælestis, & totius curiæ triumphantis; ergo non decuit quòd aliquis alius haberet magis venustum & speciosum corpus adhuc in donis naturalibus, quàm ipse. Præterea quia eius huma- 8.

humanitas fuit primogenita ante omnem creaturam ex dictis d. 4. sed quae congruentia potuit esse vt opus proximum à Deo intentum fuisset horribile; ergo mihi videtur dicendum illud suprà dicti psalmi, *Speciosus forma*, &c.

9. Debetis tamen obseruare, quòd licèt corpus Christi quantùm ad suam dispositionem sit ita venustum, graue, & omni pulchritudine pulchrius, tamen tenui victu, aspero vestitu, & pluribus totius vitae laboribus, vigiliis, ac ieiuniis fuisse multò diminutum, imò in passione nimis deformatum. Per quod patet ad testimoniū Isaiae 53. quod adducit Medina, *Non est species ei, neque decor*, quia loquitur de tempore passionis, vt ibi explicat Cyrillus, & Chrysostomus vbi suprà, & Vigilius lib. 5. contra Eutichetem. Dices: Virum adeò sanctum, & Euangelij praedicatorem non decebat pulchritudo. Respondetur hoc esse verum de pulchritudine, quae pronocaret ad peccandum, non verò de ea quae modesta & maiestuosa est, & potiùs honestè attrahit imprimens affectum puritatis & candoris. Imò mihi videtur verum illud quod Auctor Iosephinae asserit his verbis. *Ioseph Christo fuit simillimus, ac per consequens formosissimus.* quod ego multò meliùs dicam de beatissima Virgine, ex qua pulchritudo humanitatis Christi fuit desumpta.

10. His ergo tribus praehabitis quaestio nostra solùm habet locum in illis defectibus corporis, qui in aliqua actione vel passione consistunt, quos videtur Damascenus 3. de fide cap. 20. appellasse voluntarios, ait enim, *Neque enim in eo quidquam coactum consideratur, sed omnia voluntaria, volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est.* quo etiam modo loquitur Sophronius Epistolâ Synodicâ 6. Synodi actione 11. & licèt aliquando appellent praedictos defectus naturales, sed non prout opponuntur liberis, sed phantasticis, & apparentibus; & ex alia parte idem Damascenus lib. de Haeresibus haeresi 84. numerat inter errores Alicarnasij suprà relati, & aliorum, quòd dixerit praedictas passiones & defectus non fuisse in Christo, sicut in nobis, quia in nobis sunt necessarij, & in Christo voluntarij. Difficultas ergo huius quaestionis est, quomodo haec duo sint inter se concilianda.

Dico primò: Praedicti defectus fuerunt Christo necessarij attentâ eius naturâ, & virtute naturali ad impediendum illos, attentisque causis naturalibus, & naturali dispositione sui corporis. ita Magister d. 17. Scotus q. 1. & 2. D. Thomas q. 14. art. 2. Alexander q. 17. memb. 1. & omnes Scholastici cum illis. Haec conclusio probatur, quia Christus assumpsit veram naturam humanam in omnibus similem nostrae absque peccato, sed nostra haec patitur necessariò; ergo. Et hoc sibi voluit Damascenus, quando condemnat Alicarnasium, quia cùm iste haereticus negasset corpus Christi fuisse passibile, consequenter dicebat non subditum fuisse necessariò passionibus naturae passibilis: vnde si applicaretur igni, non calefieret, quod meritò condemnat Damascenus. Dices: Christus ieiunauit 40. diebus, & 40. noctibus. Respondetur hoc ieiunium numerari à Patribus inter eius miracula. 11.

Dico secundò: Simul cum hac necessitate orta ex natura fuerunt Christo voluntarij praedicti defectus non solùm in quantum Deo, quia vt sic certum est, & etiam ex suppositione, quòd hominem vellet redimere de condigno, nam id poterat sine passionibus, sed etiam in quantum homini. ita Scholastici. Et probatur, quia tam per scientiam visionis, quàm per scientiam infusam erant illi defectus praeuisi, & insuper habebat potentiam saltem vt instrumentum diuinitatis ad illos euitandos, & non euitauit, sed potiùs acceptauit in primo conceptionis instanti, secundùm illa verba psal. 39. *Corpus autem adoptasti mihi, tunc dixi, Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui*, &c. ergo fuerunt illi voluntarij tam obiectiuè, quia fuerunt voliti, quàm causaliter, quia fuerunt expressâ volitione voliti (inquam) acceptati, & hac ratione ipsos defectus appellauit voluntarios Damascenus vbi suprà, & cum ipso reliqui Scholastici. Et confirmatur, quia dato quòd Christus non posset illos euitare, poterat illos libenter admittere. hoc actu conditionato volo 12.

tales

tales passiones sufferre, etiamsi possem non sufferre; ergo.

13. Dico tertiò: Prædicti defectus non fuerunt Christo simpliciter coacti. Probatur, quia id quod est voluntarium, non potest esse coactum, sed tales defectus fuerunt voluntarij; ergo. Probatur consequentia, quia coactum, & spontaneum, seu voluntarium opponuntur Dices primò: Etiam refugiebat Christus mortem saltem inefficaciter; ergo erat illi coacta. Respondetur quòd à voluntate inefficaci solùm sumitur coactio secundùm quid, non verò simpliciter, quæ solùm sumitur ab efficaci, vt traditur ab Aristotele Ethic.cap.1. in materia de actibus. Dices secundò: Mors Christo fuit violenta, quia fuit ab agente extrinseco passo non conferente vim; ergo fuit simpliciter coacta. Respondetur quòd violentia solùm opponitur contra appetitum naturalem, non contra elicitum contra quem tantùm opponitur coactio.

14. Dico quartò: Christus assumpsit radicalem necessitatem aliquorum defectuum corporalium, quos actu non assumpsit. Probatur: Habuit necessitatem moriendi more naturali, si non moreretur violenter; nam, vt inquit Augustinus 2. de peccatorum meritis, & remissione cap.29 *Naturali necessitate perueniret ad senectutem, & tandem senio confectus moreretur*. Præterea habuit necessitatem conuertendi se in cineres, si per resurrectionem non impediretur.

15. Difficultas ergo est, An habuerit necessitatem contrahendi aliquam infirmitatem? cuius solutio pendet ex eo, An aliquis posset mori naturaliter absque aliquo morbo? negat Valesius cum aliis medicis lib. 6. controuersiarum medicinarum cap. 1. quia nulla forma expellitur à materia absque contraria dispositione & intemperie, sed in hac consistit infirmitas; ergo.

16. Meliùs verò affirmat Medina & Cabrera quæst. 14. art. 4. Suarez disp. 32. sect.2. Raguza disp.111. Et fundamentum est, quia mors potest prouenire ex sola remissione caloris naturalis, & humidi radicalis requisiti ad conseruationem vitæ, sed hæc remissio non necessariò causatur à contraria dispositione & intemperie, sed quotidie naturaliter fit, aliàs semper essemus infirmi, & pro illo statu senectutis ille tenuis, & remissus calor est naturalis; ergo mors naturaliter potest causari absque infirmitate.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur ex dictis, quòd pro diuerso statu potest naturaliter forma expelli à materia absque contraria dispositione. 17.

Sed inquires, An possit dici Christum contraxisse hos defectus, sicut nos? Respondetur duplicem causam esse in nobis ad contrahendos illos, alia physica, quæ est naturalis compositio corporis ex quatuor humoribus contrariis, qui semper inter se pugnant; alia moralis, quatenus per peccatum originale fuit remota iustitia originalis, quæ illos impediebat. Dicimus ergo quòd primo modo Christus illos contraxit, sicut nos; non verò secundo modo, quia non contraxit peccatum originale, vt patet ex dictis: vnde meliùs loquemur, si dicamus illos assumpsisse, & non illos contraxisse. 18.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Christus assumpserit defectus corporis & animæ communes?

PEr defectus corporis & animæ intelligimus affectiones appetitus sensitiui, quæ habent pro principio animam secundùm gradum sentiendi, & dependent ab organis, & partibus corporis, quæ ad 11. capita reductæ sunt à D. Thoma 1. 2. à quæst. 22. vsque ad 48. sunt autem amor, concupiscentia, delectatio, odium, fuga, tristitia, spes, audacia, desperatio, timor & ira: circa quas duo sunt certa: primum, quòd in Christo fuerint aliquæ ex prædictis affectionibus. ita definitur à Leone I. in Epistola 11. quæ est ad Iulianum, & passim traditur in 6. Synodo actione 408. Et ratio est clara, quia appetitus sensitiuus non fuit in illo otiosus: præterea quia eius voluntas operabatur in illo modo sibi connaturali, sed hic petit vt excitet appetitum ad similem & proportionatum actum, ac ipsa habet; ergo. Secundum, quòd in tribus differunt affectiones appetitus nostri ab affectionibus appe- 1.

titus Christi, primò ex parte obiecti, quia in nobis sæpè tendunt circa obiecta illicita, secùs in Christo. 2. ex parte effectus, quia in nobis aliquando turbant rationem, sed numquam in Christo. 3. ex parte principij, nam omnes in Christo fuerunt voluntariæ, & imperabantur à ratione, in nobis autem antecedunt sæpè rationem. ita omnes Scholastici, videatur Lorca disp. 60.

2. Solùm hìc est resoluendum dubiolum, An tales affectiones in Christo possent appellari passiones, an propassiones? Et ratio dubitandi est, quia secundùm Hieronymum (in illa verba Matthæi cap. 26. *Cœpit tristari*, &c.) & Stoicos, quos sequitur Cicero 4. Tusculanarum, affectiones inordinatæ, & contrariæ rationi dicuntur affectiones appetitus; illæ verò, quæ rationem antecedunt, & non sunt consummatæ, dicuntur propassiones; ergo in Christo non debuerunt dici passiones, sed propassiones. vnde notat Hieronymus, Euangelistam solùm dixisse de Christo, quòd cœpit tristari, non quòd tristatus fuisset. Sed contraria sententia communis est apud Scholasticos, & Patres, qui videri possunt apud Lorcam, quòd prædictæ affectiones possint passiones appellari, quia de ratione passionis non est inordinatio, & contrarietas rationi, sed quòd fiat cum dependentia ab organo corporeo cum alteratione & passione ipsius, quæ non semper est contra rationem. vnde sic appellantur à tota Schola Peripathetica & Platonica. Acceptio autem Hieronymi non est in vsu; & si esset, adhuc in Christo non esset propassio, quia cùm fuerint omnes affectiones illi voluntariæ non antecesserunt rationem, neque Euangelista voluit quòd Christus habuerit solùm initium tristitiæ, sed solùm voluit declarare tempus in quo incepit eius tristitia. De aliquibus autem affectionibus in particulari sunt speciales difficultates, quas oportet per partes explicare.

PARS PRIMA.

An in Christi humanitate fuerit fomes peccati?

3. SVppono ex aliis Theologiæ materiis quòd fomes peccati neque est morbida qualitas, neque ipse appetitus sensitiuus adhuc prout inclinans ad motus seu appetitiones contra rationem (vt quidam volunt) sed esse, vt optimè vidit Vasquez disp. 61. & 118. motum seu appetitionem ipsam appetitus sensitiui præuenientem rationem, & allicientem voluntatem ad id quod ex obiecto est contra rationem, quia fomes peccati idem est quod fomentum ad peccandum; inclinatio autem natiua appetitus non excitat ad peccandum, sed immoderata appetitio illius, v.g. vt appetitio libidinosa, quæ ex obiecto insurgit inhonesta, vel ex alia aliqua causa.

Quo supposito conueniunt Scholastici in 3. d. 15. in Christo non fuisse fomitem peccati, quod etiam tradiderunt Leo 19. epist. 11. Damascenus 3. de fide cap. 22. Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 11. & in 5. Synodo collat. 8. canone 12. damnatur quidam Theodorus, qui dixit Christum molestias & rebellionem carnis passum fuisse, & sanè non parum indecens esset prædictos motus admittere in humanitate Christi, vtpote ex obiecto contra rationem, licèt non sint formaliter peccata. Difficultas ergo est in explicando quomodo fomes non solùm fuerit in Christo ligatus & impeditus, sed etiam omnino ablatus & extinctus. 4.

S. Thomas q. 15. art. 2. indicat id factum fuisse mediis virtutibus moralibus, quas habebat in summo gradu, & perficiebant partem sensitiuam, sed quidquid sit, an dentur ibi virtutes prædictæ, tamen dato quòd sint, non possunt extinguere fomitem, sicut neque etiam si darentur ibi habitus vitiosi in summo gradu, extinguerent in appetitu inclinationem ad bonum, vt benè obiicit Vasquez disp. 61. cap. 8. verum est quòd multùm iuuant, non tamen quòd omnino extinguunt. 5.

Alij verò prædictam extinctionem tribuunt vnioni hypostaticæ, aut quia ratione vnionis incumbit Verbo obligatio impediendi eos motus, aut quia sunt incompossibiles cum sanctitate proueniente ex vnione. Sed contrà insurgit Vasquez suprà cap. 5. & Hurtado disp. 10. diff. 8. quia prima ratio non concludit, nam ex eo quòd Verbum termi- 6.

terminet naturam humanam, actio humanitatis non est peculiaritet actio Verbi, sed solius humanitatis, sicut neque humanitas fuit natura, neque pars Verbi, sed Christi; ergo ratione vnionis non incumbit Verbo obligatio impediendi eos motus. Neque concludit secunda ratio, quia etiamsi humanitas sanctificetur per vnionem, tamen prædicti motus non sunt peccata; ergo neque sunt contra talem sanctitatem.

7. Dicendum ergo nobis est, quòd ablatio, & extinctio fomitis proueniat in Christo, tum ab extrinseco, scilicet à perpetua vigilia, quam habebat, tam ratione visionis & fruitionis beatæ, quàm ratione scientiæ infusæ, insuper & ratione protectionis specialis, & manutenentiæ Dei, quibus omnibus non sinebat eos motus insurgere. ita Medina q. 15. art. 2. cum quo Vasquez, Lorca, & Hurtado locis citatis, tum etiam ab intrinseco non solùm per prædictas virtutes morales, sed etiam per aliquod donum speciale, quod omnino retraheret appetitum à prædictis motibus ex quacumque causa aliàs prouenientibus, quia cùm appetitus sit potentia organica multùm dependet eius inclinatio à complexione & qualitatibus corporis. ita Lorca vbi suprà, & idipsum dicendum existimo de beatissima Virgine saltem post conceptionem Christi, imò & de beato Ioseph postquam sanctissimæ Virginis sponsus factus est, quòd habuerint fomitem extinctum, vel saltem religatum.

8. Sed obiicies primò illud ad Hebræos 4 *Christus fuit tentatus per omnia absque peccato*; ergo habuit rebellionem & tentationem carnis. Respondetur quòd omnis Christi tentatio fuit ab extrinseco, scilicet à dæmone, à quo nulla proueniebat deordinatio in potentiis, non ab intrinseco, quia talis tentatio indecens erat. Sed contrà, Christus renuebat mori; ergo etiam fuit tentatus quantùm ad appetitum intrinsecum: vnde dicebat, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Respondet Vasquez quòd illa renuentia non proueniebat ex fomite, quia obiectum quod appetebat non erat intrinsecè malum, sed extrinsecè, solùm quia erat contra decretum Dei esse mortem Christi. Sed contrà, quia etiam appetere comestionem carnis in die Veneris, est contra obiectum malum extrinsecè, scilicet quia prohibitum, & nihilominùs prouenit ex fomite; ergo similiter. Respōdeo ergo quòd renuentia illa non fuit inordinata, neque contra rationem, cùm potiùs fuerit imperata à voluntate humana, prout sequebatur rationem tendentem in mortem, præcisè vt erat malum naturæ, & ex fine honesto, scilicet demonstrandi veritatem naturæ assumptæ infirmæ, quod significant illa verba, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*.

Obiicies secundò Cyrillum 10. thesauri cap. 3. vbi sic habet, *Et ita singulas passiones carnis fuisse in Christo absque peccato commotus inuenis non vt ab ipsis homo ille separetur, sicut & nos, sed vt cōmotæ vincerentur virtute inhabitantis Verbi*; ergo habuit Christus passiones carnis quas vinceret. Respondetur Cyrillum noluisse ponere pugnam inter passiones carnis & spiritus, sicut in nobis, sed solùm voluisse ponere victoriam non formaliter prout dicit ordinem ad pugnam, sed materialiter, hoc est, quòd effectus, qui in nobis solet esse victoria post pugnam, in ipso repertus fuit absque illa, quia eius omnes passiones fuerunt omnino subditæ rationi. Præterea dico, quòd licèt tales passiones dicantur à Cyrillo commotæ, non debeat intelligi de commotione interna appetitus, sed de externa per suggestionem dæmonis, vt quando obtulit lapides vt conuerteret in panem. 9.

Ex dictis potestis inferre, quòd de potentia absoluta Verbum potuerit assumere humanitatem cum fomite peccati, vt contra Suarez disp. 34. sect. 2. notat Vasquez loco citato quòd multò magis est verum in nostra sententia, quæ docet quòd humanitas Christi potuerit de potentia Dei peccare. 10.

PARS SECVNDA.

An & quomodo fuerit in Christo tristitia?

SVppono contra Thomistas, quòd tristitia non consistit in illo actu, qui ab illis appellatur fuga vitalis, seu discessus à malo apprehenso, vt premente, 11.

mente, & inexistente, sed quòd consistat in aliqua qualitate recepta, vel in appetitu sensitiuo, vel in voluntate causata tamquam ex duplici causa partiali ex prædicta fuga vitali circa prædictum obiectum, & ex cognitione illius mali, vt prementis, & inexistentis. quo supposito omnes Catholici fatentur tamquam de fide, quòd in Christo fuit tristitia, vt patet ex illo Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem;* & Paulus ad Hebræos 5. dicit, quòd Christus orabat cum lacrymis; & ratio id suadet, quia mors proponebatur naturæ humanæ vt malum, etiam instans; ergo habuit obiectum tristitiæ, & causas illius.

12. Sed contrà obiicies primò illud Isaiæ 42. *Non erit tristis, & turbulentus.* quod ad litem intelligitur de Christo. Respōdetur cum D. Hieronymo significari his verbis communem aspectum exteriorem Christi fuisse serenum, & non horrendum, & rugatâ fronte non tantum per hoc negatur aliquando habuisse tristitiam.

13. Obiicies secundò: Summum gaudium expellit omnem tristitiam, ex Aristotele 7. Ethic. cap. vltimo: sed Christus habebat summum gaudium ratione visionis & fruitionis beatæ; ergo non potuit aliquam habere tristitiam. Respondent aliqui, quia gaudium & tristitia non sunt contraria, quæ inferant contradictoria, & sic de potentia Dei potuerunt simul reperiri in Christo, etiamsi sint in gradibus summè intensis. Sed contrà, quia circa idem obiectum se habent tamquam accessus & recessus, & obiecta gaudij & tristitiæ se habent vt bonum & malum, quæ per se cōtradictionem inuoluunt; ergo sunt contraria, quæ circa idem obiectum inferunt contradictionem.

14. Propter hæc alij respondent, quòd in Christo fuerunt gaudium & tristitia circa diuersa obiecta. Sed contrà, quia omnia obiecta, quæ potuerunt Christo causare tristitiam, causabant similiter summum gaudium, siquidem videbantur visione beatâ, in qua omnia obiecta cognita lætificant; ergo neque ex diuersitate obiecti oriebatur, quòd Christus haberet tristitiam. Respondetur, quòd gaudium, quod dependenter à corpore causatur etiam in intellectu & voluntate, non potest compati cum tristitia, quæ ab eodem corpore dependet, qualis fuit tristitia Christi, & de his locutus fuit Aristoteles, quia loquebatur de his quæ quotidie experimur: at verò gaudium, quod est independens à phantasmatibus, & à corpore, quale est illud quod habetur per visionem & fruitionem beatam, si suspendatur à Deo quòd non communicetur corpori, benè potest compati cum tristitia quotidiana, quia non sunt eiusdem ordinis, nec habent inter se oppositionem contradictoriam aut contrariam, quod magis patet in qualitatibus quas causant.

Inquires, An verum sit quod Canus 12. de locis dixit tamquam probabile, scilicet delectationem, & gaudium proueniens à visione & fruitione beata habuisse suspensionem tempore passionis. Respondeo mihi videri probabile, sed non ex eo quòd talis suspensio gaudij sit necessaria, vt daret locum tristitiæ, nam vt diximus non opponuntur ex natura rei gaudium supernaturale à visione proueniens, & tristitia corporalis vel naturalis, & in hoc habent verum alij hoc negantes, sed ex eo quòd magis conducat ad redemptionem nostram habere Christum non solùm tristitiam positiuam naturaliter causatam à passione & morte, sed etiam tristitiam negatiuam, hoc est, carentiam lætitiæ prouenientis à visione beata, quæ benè potest à Deo impediri, siquidem potest non causare illam qualitatem, vel annihilare præexistentem, quæ est realiter distincta à visione, & habet se per modum accidentis inseparabilis illius, in cuius receptione diximus consistere delectationem & gaudium, & hoc videtur deduci in illo Matth. 27. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* nam Deus non dereliquit eum auferendo ab illo vnionem, gratiam, & gloriam; ergo probabile est quòd ipsum dereliquit auferendo gaudium, & lætitiam, quæ consequitur ad gloriam; & ex illo Psal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (vbi ipse loquitur de morte Christi) *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem;* quasi diceret Christus, Duo dabis mihi post mortem. primum, quòd corpus meum non videat corruptionem.

nem. 2. quòd cum vultu tuo, quem nunc in mea passione possideo per visionem beatam, posteà adimpleas me lætitiâ & delectationibus in dextera tua vsque in finem, quas lętitias & delectationes tunc non habebat in passione, siquidem eas desiderabat.

16. Sed duo se offerunt in pręsenti examinanda. 1. An tristitia positiua, quæ fuit in Christo circa suã mortẽ, fuerit solùm in appetitu illius sensitiuo. 2. An etiã in rationali, scilicet in voluntate? Caietan. q. 46. circa art. 7. negat quòd fuerit in voluntate, & probat, quia si ratione alicuius; maximè ratione alicuius nolitionis inefficacis, quâ refugeret mortem, sed hæc non potuit esse in Christo, aliàs haberet pro obiecto non solùm aliquid disconueniens huic subiecto absolutè considerato secundum naturalem eius inclinationẽ, sed etiam considerato in hoc statu beatifico: quæ duo per se requirũtur ad causandã tristitiam, & actum fugę inefficacem; & propter defectũ posterioris, etiamsi primũ reperiatur, Beati nõ tristantur de damnatione suorũ filiorum: cùm ergo volũtas Christi habuerit statum beatificum, non potuit habere nolitionem de sua morte adhuc inefficacem, & consequenter neque tristitiã.

17. Sed hæc sententia nec vera est, nec tuta; quare dicendũ nobis est cum cõmuni sententia, quã tenet Scotus dist. 15. q. vnicâ per totam ibidem Philip. Faber pręcipuè c. 2. & 3. Lorca disp. 61 n. 4. quòd Christus nõ solùm habuerit tristitiam in appetitu sensitiuo, sed etiam in rationali, scilicet in voluntate circa suam mortem. Et probatur, quia hoc expresè traditur in pluribus locis sextæ Synodi, dum ex hac voluntate, quâ Christus recusabat mortẽ inefficaciter dicens, *Pater si possibile est*, &c. *sed non mea voluntas, sed tua fiat*. colligitur quòd in Christo fuerit volũtas humana, sed ex volitione inefficaci sequitur tristitia in eadem potentia, vt patet in illo, qui nollet proijcere merces in mare, & tamen projcit; ergo, &c.

18. Ad fundamentum Caietani respondetur non esse illa duo per se requisita ad nolitionem inefficacem tristantem, sed sufficere primum; ratio autẽ quare Beati etiamsi habeant nolitionem inefficacem circa damnationem suorũ filiorũ, non tristentur inquiunt aliqui, est quia habent summum gaudium cõiunctum cum voluntate efficaci de eorum damnatione à Deo volita. Sed cõtrà, quia etiam Christus habebat summum gaudium (præcipuè in eorum opinione) coniunctum cum voluntate efficaci moriendi, vt adimpleretur voluntas Dei; ergo similiter non haberet tristitiam in voluntate. quare dicendum nobis est, quòd ratio quare Beati non habent tristitiam de damnatione suorum filiorum, etiamsi habeant actũ inefficacem circa illam, quia Deus suspendit causalitatem illius qualitatis tristantis, ne in statu felici comprehensionis sit aliqua tristitia; at verò cùm etiam Christus fuerit in statu viatoris, in quo merebatur per tristitiam circa mortem, non suspendit Deus causalitatem illius.

Secundum, quod se offert examinandum, est, An hæc tristitia, quæ, vt diximus, fuit in volũtate, fuerit in ea, non solùm secundùm portionem inferiorem, sed etiam secundùm portionẽ superiorem. D. Thomas 3. p. q 15. art. 6. cum pluribus alijs solùm existimat fuisse secundùm portionem inferiorẽ: Scotus verò dist. 15. q. vnicâ existimat quòd etiam fuerit secundùm portionẽ superiorem, aduertit tamen quòd controuersia ista solùm sit de nomine secundùm diuersas acceptiones portionis superioris, & inferioris, sed vt mentem eius satis difficilem, & obscuram, propter plura, quæ inuoluit, & adducit, aperiam, breuiter pono sequentia notabilia ex verbis eius deducta. 19.

Noto primò, quod de tribus obiectis posset Christus tristari tamquam de obiectis sibi disconuenientibus, quę est ratio, vt diximus, propter quã causatur tristitia. Primum est carentia visionis, & fruitionis beatæ, & hac non fuit tristatus Christus in morte, quia non caruit, nec timujt carere visione, quia vt optimè Scotus per illud per quod Christus meruit alijs coniungi suo fini (scilicet per passionem & mortem) non erat congruum vt ipse non coniungeretur illi fini, & sic semper habuit hanc coniunctionem per visionem & fruitionem. 2. est peccatum, & de proprio non fuit tristatus, quia non habuit; de alieno verò fuit tristatus, 20.

quia vellet non esse, & plurima patrata sunt ab hominibus 3. est passio, & mors Christi, imò & omnia mala ipsi disconuenientia, & de his est difficultas an fuerit tristatus secundùm portionem superiorem.

21. Nota secundò, quòd tribus etiam modis potest de aliquo obiecto discōuenienti tristari voluntas, quæ diuiditur in voluntatem vt naturā, & in voluntatem vt liberam, hoc est, in appetitum innatum, & in appetitum elicitum. Tristat primò in quantū est simpliciter disconueniens voluntati vt natura est, & hoc modo passio, mors, &c. tristauerunt Christum, quia sicut eius voluntas naturaliter appetit conseruationem in suo corpore, ita separatio, seu dispositio ad separationē illius tristabant naturaliter. Secundò, in quantum erat disconueniens appetitui sensitiuo, & consequenter voluntati in quantū habenti colligantiam cum illo, & hoc etiam modo fuit tristatus Christus, quia sicut verè in appetitu sensitiuo habuit dolorem, ita in appetitu rationali, seu in voluntate habuit tristitiam. Tertiò, in quantum erat disconueniens voluntati vt liberę, quia liberè nolebat mortē, & sicut velle, vel nolle liberū diuiditur in efficax, & in inefficax, ita hic tertius modus diuiditur in disconuenientiam obiecti efficacem, & secundùm hanc Christus non fuit tristatus de sua morte, & passione, quia potiùs efficaciter voluit pati & mori & in disconuenientiam inefficacem, secundùm quam Christus fuit tristatus de sua passione, & morte, quia nollet eam ferre. Difficultas ergo est, An secundùm prædictos tres modos, secundùm quos Christus fuit tristatus, tristitia pertineat ad voluntatem secundùm portionem superiorem, an solùm secundùm aliquam?

22. Pro qua nota tertiò quòd ista diuisio portionis superioris & inferioris tradita est ab Augustino varijs in locis, sed præsertim lib. 12. de Trinitate cap. 2. & 4. & 14. & quòd pro eius declaratione multa dicat Scotus tum in 3. dist. 15. & in reportatis ibidem, tum in 2. dist. 24. & primò aduertit quod portio superior & inferior non est duplex potentia in anima, sed sunt diuersæ rationes, quas per ordinem & comparationem ad diuersa obiecta habent intellectus, volūtas, & memoria. Secundò aduertit quòd duplex sumitur ab Augustino portio superior, & inferior: primò strictè in quantū portio superior solùm respicit obiecta æterna (id est, quæ pertinent ad intrinseca Dei) & inferior respicit obiecta temporalia. 2. largè portio superior prout respicit quæcumq; obiecta, sed referenda ea ad æterna; seu regulanda ea per regulas æternas, hoc est, per mādata, & decretum Dei, & vt sic portio inferior solùm sistit in eisdem obiectis non referendo ad æterna, nec regulando per regulas æternas.

Quibus suppositis dico primò: Passio & mors non causauerunt tristitiam in voluntate Christi secundùm portionem superiorem sumptā portione superiori in primo & stricto sensu in quo est vera sententia D. Thomę, & Sectatorum illius. Et ratio est clara, quia vt sic portio superior solùm respicit pro obiectis, quę sunt æterna & intrinseca in Deo, sed passio & mors humanitatis Christi non sunt ęterna & intrinseca in Deo; ergo circa illam non potuit Christus habere tristitiam in voluntate secundùm portionem superiorem. Sed inquires: Circa quæ potuit hoc modo habere tristitiam? Respōdeo cum Scoto, quòd circa carentiam participationis Dei per visionem, & fruitionē beatam, si eam nō haberet; & similiter circa carentiam rectitudinis debitę inesse actui, hoc est, circa peccatum contra Deum commissum, si illud committeret; imò de facto habuit tristitiā secundùm portionem superiorem hoc modo sumptam propter peccata aliorum. 23.

Dico secundò: Si portio superior sumatur in secundo & largo sensu, Christus habuit tristitiā secundùm portionem superiorem in voluntate sumpta tam vt natura, quàm vt libera, & in hoc sensu se explicat Scotus, & vera est sētentia illius. Et probatur, quia voluntas vt natura respicit passionem & mortem vt sibi simpliciter disconuenientes secundùm decreta Dei pertinentia ad prouidentiam naturalem, quibus eam stabiliuit cum appetitu innato ad conseruandum se in proprio corpore; ergo voluntas vt natura tristabatur secundùm portionem supe- 24.

superiorem de sua passione, & morte: vnde tristitia, quam voluntas habebat de his præcisè prout coniuncta, & habens colligationem cum appetitu sensitiuo, erat secundùm portionem inferiorem accepta in hoc secundo sensu. Deinde voluntas vt libera nolebat inefficaciter passionem & mortem, si hoc sibi concederet regula æterna, scilicet voluntas Dei, & quòd hoc sibi potuisset à Deo concedi proponebat illi suus intellectus, sed hæc nolitio erat libera, & respiciebat regulam æternam; ergo erat secundùm portionem superiorem in secundo sensu accepta; ergo tristitia, quæ consequebatur, oriebatur ex appetitu rationali elicito secundùm portionem superiorem. hæc sunt quæ ad obscuram doctrinam Scoti in præsenti in maiorem lucem elicere potui.

PARS TERTIA.

An in humanitate Christi fuerit dolor?

25. Dolor & tristitia conueniunt in hoc, quòd sint qualitates, & non actus vitales fugæ (vt appellantur à Thomistis) quæ causantur ab obiecto disconuenienti cognito, vt præsenti, & inexistenti, seu premente: differunt tamen in hoc, quòd tristitia est de obiecto cognito per imaginationem, si tristitia est in appetitu sensitiuo; vel cognito per intellectum, si tristitia est in appetitu rationali: dolor verò est de obiecto cognito per sensum tactus existentis in illa parte in qua residet qualitas dolorificans, & licèt dolorem præcedat aliqualis imaginatio, vt ait Aristoteles 3. de Anima, sed dolor non sequitur per se talem imaginationem, sed sensationem tactus; causatur autem prædicta qualitas dolorificans tãquam ex duplici causa ex vitali actu fugæ, quo sensus tactus in quantum appetitus illius est, refugit aliquod obiectum tamquam sibi disconueniens, & ex actu vitali apprehensionis eiusdem tactus in quantum sensus apprehensiuus est, quo apprehendit tale obiectum vt sibi disconueniens & premens, vt in simili diximus suprà de tristitia. quo supposito, de fide est, quòd in humanitate Christi fuerit verus dolor. vnde Isaiæ 53. appellatur *Vir dolorum*; & Psal. dicitur, *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; & nisi in Christo fuisset verus dolor, non adeò commendarentur quæ pro nobis pertulit, & patientia, & ipsius meritum, tam à sacra Scriptura, quàm à Patribus. Dices: Quomodo potuit dolere qui habuit summum gaudium ortum à visione beata? Respondetur primò, quia non opponuntur ex natura rei dolor sensitiuus, & gaudium purè mentale tamquam duo contraria, sed tantùm opponuntur moraliter, sicut suprà diximus de tristitia. Secundò, quia etiamsi opponerentur contrariè ex natura rei, suspendit Deus concursum, ne gaudium visionis & fruitionis deriuaretur in partes sensitiuas. Tertiò, potest tamquam probabile dici illud Cani, scilicet quòd licèt Christus habuerit visionem & fruitionem, non habuerit gaudium promanans ab illis, quia Deus suspendebat, præcipuè tempore passionis suum concursum, & consequenter habuit absque inconuenienti dolorem.

Contra veritatem istam fidei solùm sunt hæretici, qui dicebant Christum habuisse corpus impassibile, sed de illis iam egimus & refutauimus in principio quæstionis 3. Solùm in præsenti potest esse dubium de intentione doloris Christi. Circa quod D. Thomas 3. p. q. 46. art. 6. asserit dolorem Christi esse maximum intensiuè, non respectu omnium dolorum, qui possunt esse de potentia Dei, sed respectu eorum, quos homines de facto passi sunt: quæ sententia vera est secundùm illud Threnorum 1. *Attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Suadet D. Thomas ratione, quia magnitudo doloris Christi ex parte obiecti est acerbissima, quia confixio in locis neruosis, & maximè sensibilibus, scilicet in manibus & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis, & diuturnitas suspensionis vsque ad animum emittendum est maximi doloris. 26.

Sed ratio ista, vt benè vidit Philip. Faber vbi suprà cap. 2. non concludit intẽtum, primò quia alij Martyres hunc eumdem dolorem crucifixionis habuerunt, 2. quia alia species doloris potest esse magis intẽsa & extensa vt com- 27.

bustio in igne, præcipuè si talis combustio fiat paulatim quod nostro Hispanico sermone dicitur, *quemarle con fuego lento*, vel nimia frigefactio, vel intromissio attenta spinarum inter carnem & vngues, &c.

28. Quare hac ratione relictâ probatur alia, quam etiam adducit D.Thomas, & attigit Scotus, quia nullus homo habuit temperamentum ad pondus, & dispositionem corporis ita congruam, rectam, & proportionatam, sicut habuit corpus Christi; ergo nullus habuit ita perfectum sensum tactus, sicut Christus, & consequenter nullus fuit ita sensibilis & perceptiuus doloris, sicut Christus; cùm ergo aliàs tam acerbam habuerit passionem & mortem, quòd meo videri à crucifixione translatum sit nomen cruciatus ad significandum magnitudinem alicuius doloris. Dicendum est, quòd licèt alius de potentia Dei potuerit pati maiorem dolorem, tamen de facto nullus passus fuit tam grandem, sicut Christus. Et confirmatur, quia ipse fuit caput Martyrum; ergo congruum fuit, quòd eius martyrium caput fuisset ceterorum martyriorum.

PARS QVARTA.

Vtrùm in humanitate Christi fuerit timor?

29. NOn in impræsenti est sermo de timore, qui est donum Spiritus sancti, quia de ipso iam egimus disputatione 12. quæstione 4. sed de timore, qui est passio animæ, ratione cuius timetur aliquod malum, seu nocumentum naturæ, v. g. flagella, crucifixio, &c. & hic non consistit in qualitate aliqua recepta, vt diximus de tristitia & dolore, sed in actu vitali appetitus sensitiui, vel rationalis, iuxta propositiones antecedentes obiecti, quòd timemus factas vel ab imaginatione, vel ab intellectu: loquendo ergo de hoc timore, est de fide, quòd in humanitate Christi fuerit repertus timor de sua passione, & morte. ita omnes Ecclesiæ Patres, & Scholastici, quos citāt Recentiores locis suprà citatis. Et probatur ex illo Marci 14. *Cæpit Iesus pauere, & tadere, & mæstus esse*; & Lucæ 22. *Et positus in agonia prolixiùs orabat*; agonia autem species quædam, vel saltem effectus timoris est: quod autem fuerit de sua morte, patet ex illo Marci 26. *Transeat à me calix iste*. Tota ergo difficultas impræsenti est, Quomodo in Christo potuit esse timor? siquidem de essentia ipsius est, quòd respiciat obiectum, disconueniens vt contingens sibi, ita vt habeat spem euasionis, ex Aristot. lib. 2. Rethoricorum cap. 5. Christus autem non respiciebat passionem, & mortem vt contingentem sibi, quia tam per scientiam beatam, quàm per infusam certò sciebat sibi futuram.

Propter hoc Caietanus super articulum quæstionis 15. D. Thomæ cum 30.
aliis dicit, quòd Christus non habuerit timorem in voluntate, sed solùm in appetitu sensitiuo, quia ab hoc apprehendebantur passio & mors vt euitabiles. Sed hæc sententia reiicitur ab omnibus, primò quia etiam fuit in Christo timor in voluntate, vt insinuatur ex illis verbis, *Sed non sicut ego volo, sed sicut tu*. imò Agato Papa in Epistola ad Imperatorem, quæ habetur in 6. Synodo generali, actione 4. Ex eo probat quòd in Christo fuerit voluntas humana distincta à diuina, quia habuit timorem mortis: & hoc argumentum nimiùm familiare est apud Patres. Secundò, quia cognitio appetitus sequitur cognitionem intellectus; ergo si hæc non apprehendebat mortem vt euitabilem, neque illa. Præterea quia si notitia imaginationis circa mortem proponebat obiectum vt contingens, ergo & notitia acquisita secuta ad illam in intellectu; ergo si secundùm illam habuit timorem in sensu, ita secundùm hanc potuit habere timorem in voluntate.

Lorca verò disp. 61. §. *de timore*, di- 31.
stinguit duplicem timorem, alium perfectum, qui respicit in obiecto contingentiam, & mixtus sit cum spe euasionis, & hunc negat fuisse in Christo; alium verò imperfectum non respicientem in obiecto contingentiam, & hunc asserit fuisse in Christo, putatq; numero 17. controuersiam cum Recentioribus Thomistis concedentibus perfectum timorem in Christo esse solùm de solo nomine; sed hic Auctor non distinguit duas species perfecti timoris, sed solùm admittit vnam, quæ per

per se respiciat obiectum contingens, & consequenter falsa est eius sententia, quia sicut excludit veram definitionem timoris à Christo, ita excludit verum timorem: vnde meritò Vasquez disp. 61. cap. 3. ait quòd hic modus dicendi sit dignus censurâ. Vasquez in loco nuper citato, & Suarez in Comment. art. 7. D. Thomæ asserunt quòd in Christo fuerit verus, & perfectus timor, non solùm in appetitu, sed etiam in voluntate, quæ sententia mihi videtur vera. Fundamentum, quo probant, tale est, quia de ratione timoris non est incertitudo, aut contingentia, sicut neque de ratione spei: vnde qui timet suam mortem, licèt sit certò futura, & timet scissionem, vel combustionem, seu cocturam brachij, quam ipse eligit propter sanitatem recuperandam. Sed hoc fundamentum mihi non placet, quia existimo quòd timor, qui respicit contingentiam, respicit illam per se, sicut loquendo de ipsa spe, dixi disp. 12. q. 2. legantur quæ ibi dixi.

32. Quare aliter probatur prædicta sententia, quia duplex est spes timoris, & vtraque perfecta. Prima est, quæ opponitur contra securitatem & confidentiam, & hæc per se respicit in obiecto contingentiam, quia secum semper inuoluit aliqualem spem consequendi, vel non consequendi illud, quod timet consequi, vel non consequi, siue bonum, siue malum sit, & hac ratione in Christo non fuit timor, quia semper habuit certitudinem de eo, quòd futura esset sua passio, & mors pro redemptione generis humani per suam scientiam tam beatam, quàm infusam; & hoc probat ratio dubitandi posita in principio pro hac difficultate, nam non potuit timere illud de quo certus erat fore futurum, nam in hoc sensu timor & securitas opponuntur, & ex hoc timore oritur negotiatio, vt inquit Aristoteles in loco citato, quia qui timet, vt securus reddatur de eo, quod prætendit consequi, vel euitare apponit media, & negotiationes.

33. Secunda species timoris est, quæ opponitur audaciæ & fortitudini, & hæc non respicit contingentiam in obiecto, sed solùm respicit obiectum in quantum molestum & laboriosum, & hoc timet, siue contingens, siue non contingens sit, sicut enim qui fortiter & audacter se committit in aliquod molestum dicitur non timere illud, itaque qui refugit se tradere in manus talis operis laboriosi dicitur verè timere illud, & hic timor qui ex sua specie & obiecto perfectus est, vtpote quia oppositum diuersæ virtuti ab illo alio fuit repertus in carne Christi: vnde ipse asserebat, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; quasi diceret, Spiritus quidem audaciam & fortitudinem habet ad patiendum & moriendum; hæc autem deficit in carne, vtpote quia vt infirma timet.

Neque existimare debetis, quòd timor iste solùm fuerit in appetitu sensitiuo, ex eo quòd Christus dixerit quòd caro erat infirma, sed debet intelligi taliter quòd ex infirmitate carnis ortus fuerit timor, etiam in voluntate; quare post prædicta verba adiecit Christus, *Verumtamen non quod ego volo fiat, sed quod tu*; quia etiam eius voluntas timebat mori. Neque est aliquid inconueniens, quòd in portione inferiori inueniatur talis timor, dum tamen coniuncta fuerit simul cum illo prona quædam obedientia, & secundùm portionem superiorem virtus excellens fortitudinis. 34.

PARS QVINTA.

An in Christo fuerit verè & propriè actus admirationis?

NOn potest negari quòd in Christo non fuerit admiratio, nam id exprimitur Matth. 8. & Lucæ 1. vbi videns Christus fidem Centurionis miratus est; difficultas est, An fuerit vera & propria? circa quam D. Bonauentura in cap. 7. Lucæ, & Maldonatus in cap. 8. Matthæi; docent non fuisse veram & propriam, sed tãtùm exhibuisse signa externa admirationis, quod etiam approbat Lorca vbi suprà; & tradit D. Augustinus lib. de Genes. contra Manichæos cap. 8. & aliis in locis. Et ratione probatur, quia vera admiratio oritur ex ignorantia naturæ rei, quam videmus, aut causæ illius rei, ex Aristotele 1. Metaphys. cap. 2. sed Christus nullam habuit ignorantiam; ergo. 35.

36. S. Thomas q. 15. art. 8. & ibidem omnes eius Expositores, & Scholastici omnes d. 15. communiter docent, & verissimè in Christo fuisse propriam & strictam admirationem, quod etiam admisit Augustinus epist. 101. quamuis differant Auctores in modo explicandi hanc admirationem. Lorca, quia existimat esse de ratione illius ignorantiam, vel saltem nescientiam, dicit quòd in Christo fuit admiratio fidei Centurionis, quia per scientiam experimentalem, seu acquisitam illam de nouo cognouit, & desiderauit scire per eamdem scientiam causam talis fidei.

37. Vasquez & alij assignant tres species admirationis, quia voluntas ex apprehesione rei magnæ & excellentis coparatione sui quasi se demittit, contrahit, & subiicit rei, aut causæ rei, quam admiratur: quæ admiratio est quasi quidam stupor, sed differt ab illo, quia hic addit suspensionem iudicij circa rem; est etiam admiratio quasi species quædam timoris, vt ait Damascenus 2. de Fidè cap. 15. & S. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. iuxta illud Matth. 9. *Videntes autem turbæ timuerunt* (id est admiratæ sunt) *& glorificauerunt Deum, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie:* hic autem voluntatis affectus admirantis potest oriri, vel ex eo quòd res appareat magna respectu scientiæ admirantis, & vt sic excitat alium affectũ, scilicet sciendi causam illius rei, & hæc admiratio non potuit esse in Christo, quia tam magnam fidem Centurionis, quàm causam illius ipse sciebat; vel potest oriri ex eo quòd res appareat magna respectu potentiæ admirantis, quia nequit ipse efficere illud, & hic affectus excitat alium laudandi sic facientem, & hæc admiratio fuit in Christo, quia fides Centurionis superabat virtutem naturalem Christi; vel tandem potest oriri ex eo quòd res appareat magna respectu entitatis personæ, quâ ratione omnes etiam Beati admirantur Deum, & excitatur timor reuerẽtialis, & ipse Deus nullius habet admirationem, & hoc modo etiam fuit Christus admiratus, quia admirabatur omnipotentiam Dei, quæ erat causa talis fidei.

38. Hic modus dicendi mihi placet, tum quia benè explicat species admirationis, tum etiam quia per illum satisfieri potest rationibus in contrarium adductis. Vnde respondeo ad id quod adducitur pro prima sententia, quòd Augustinus loquitur ibi de admiratione, quæ denotat ignorantiam in admirante, quæ non fuit in Christo, sed solùm signa illius; & de eadem loquitur Aristoteles, quia loquitur de admiratione, quæ frequenter & communiter reperitur in nobis. Ad id quod dicit Lorca, scilicet esse necessariam ignorantiam, vel saltem nescientiam, Respondeo esse verum respectu admirationis primo modo acceptæ; non verò acceptæ secundo & tertio modo; id autem, quod dicit habuisse admirationem ratione nouæ scientiæ experimentalis, futile est, quia dicit quòd non admiratur quis de eo quod videt fieri ab alio manu sinistrâ, si ipse possit facere dexterâ; ita neque Christus deberet mirari de eo quod nesciret scientia acquisitiua, si illud sciebat scientia infusa, aut beata. Addo ego admirationem veram & propriam fuisse in Christo de fide Centurionis eâ ratione quâ verè admiramur de scientia pueri in statu nimis puerili, licèt sciamus causam illius, quæ est quòd natura in illo præuenerit terminos communes naturæ in discurrendo, & illud videtur nobis mirabile, non quia sit supra scientiam nostram, neque supra potentiam, sed quia rarum & insolitum est, & supra potentiam naturæ acceptæ secundùm dispositiones communes, quas obseruat; ita Christus admirabatur tantam fidem in quodam puro homine illius temporis, & non qualicumque, sed gentili, quibus difficillimum erat credere in Messiam, quia iuxta illius statum credere erat res grandis, & digna admiratione, licèt non superaret scientiam, neque potentiam Christi admirantis.

PARS SEXTA.

Vtrùm in Christo fuerit ira, & quid sit dicendum de ceteris passionibus?

NEgari non potest in Christo fuisse iram, quia sæpè dicitur in Euangelio fuisse indignatum, præcipuè Ioan. 2. vbi fuit flagellum contra vendentes & ementes in templo. Difficultas ergo est, an fuerit vera. Sed respondetur 39.

detur cum communni sententia, quam breuiter tradit Philippus Faber in 2. disp. 40. in fine, quòd vera ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ, per quam intendit repellere illatam iniuriam sibi, vel aliis: quapropter appetitus recruciationis solet appellari: hæc autem ira vera est duplex, alia, quâ quis appetit vindictam sine ordine rationis, & hæc est peccatum, & consequenter non fuit in Christo; aliâ, quâ quis appetit vindictam cum ordine rationis, quare ratione superior appetit vindictam, & hæc non est peccatum, iuxta illud Psal. *Irascimini, & nolite peccare*, sed potiùs dicitur *zelus*, & hoc modo fuit in Christo, quia erat omnibus superior, iuxta illud, *Zelus domus tua comedit me.*

40. Deinde fuit in Christo amor, & odium, quia laudabilis reperiatur in ceteris passionibus tamquam illarum causa, & idem est dicendum de desiderio & fuga, nam desiderauit fugere mortem inefficaciter; fuit similiter dilectio tam in appetitu, quàm in voluntate de bonis aliorum, iuxta illud Psalm. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum;* non tamen habuit spem de aliquo, quia nulla respiciebat sibi, vel aliis contingentia, nam quæ futura essent, infallibiliter sciebat, sed potiùs habuit desperationem, non eam quam blasphemi hæretici adstruunt, sed quia certò sciebat se non fore consecuturum sibi, vel aliis aliqua bona temporalia, vel spiritualia, conformabat se cum voluntate diuina, desperando illa; habuit similiter Christus audaciam, quâ fortiter subiuit labores, passionem & mortem, & per eam expulsus fuit timor contrarius, de quo egimus parte 4.

DISPVTATIO XIX.

DE

MODO QVO DEBEMVS LOQVI IN HOC MYSTERIO.

IN mysteriis fidei non minùs oportet scire articulum fidei, quàm scire modum loquendi circa illum, & licèt aliquos attigerimus in discursu materiæ circa aliquas difficultates in particulari, tamen in præsenti tradendæ sunt regulæ generales loquendi, de quibus agit Scotus in 3. dist. 7. & 11.

QVÆSTIO PRIMA.

Quâ ratione idiomata naturæ humanæ & diuinæ ad inuicem communicentur in Christo?

1. Ommunicatio Idiomatum idem est, quod communicatio proprietatum. Et certum est de fide, quòd talis communicatio reperiatur in Christo, quâ ratione dicitur, Deus est homo, rationalis, natus, mortuus, crucifixus, &c. & homo est Deus, immortalis, æternus, creator, &c. Est hæc veritas definita in Concilio Lateranensi sub Martino 1. consultatione 5. can. 4. & 6. & in pluribus aliis Conciliis, quæ videri possunt apud Recentiores, & locutiones tales passim habentur in sacra Scriptura, sufficiat illud 1. ad Corint. 2. dicitur, *Si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* sed Dominus gloriæ est Deus; ergo hæc locutio est vera, *Deus est crucifixus.* Difficultas ergo est, quâ ratione tales locutiones sint veræ.

Circa quam Bellarminus lib. de Christo cap. 8. refert quemdam hæreticum, licèt cum Nestorio affirmantem solùm coniunctionem accidentalem inter naturam 2.

turam humanam, & personam Verbi, tamen admittentem prędictas locutiones tamquam veras, ex eo quòd proprietates naturæ diuinæ per naturam humanam resplendent, & quia per eam tamqnam per instrumentum natura diuina operabatur. Sed contrà primò, quia calamus est instrumentum hominis, & proprietates illius non dicuntur de homine, neque è contrà; ergo quòd humanitas sit instrumentum, non est ratio ad communicationem Idiomatum. 2. quia adhuc desideraretur ratio quare proprietates naturæ humanæ dicuntur de diuina. 3. quia ex prædicto fundamento sequeretur, quòd neque attributa, quæ pertinent ad subiectum Dei, vt esse immaterialem, immortalem, &c. neque quæ pertinent ad operationes immanentes, vt sunt visio & fruitio, possent dici in Christo de natura humana in concreto, quia scilicet has non potest operari per naturam humanam tamquam per instrumentum; ergo prædicta hæresis stulta & falsa est.

3. Alij verò Auctores affirmabant tales locutiones esse veras, ex eo quòd prædicatio vnius non fit de altera in recto, sed in obliquo, ita vt idem sit *Deus est homo*, ac *Deus habet hominem*. hos Auctores refert D. Bonauentura in 3. d. 7. art. 1. q. 1. quos optimè impugnat, primò ex eo quòd hæc ratio sapit Nestorianismum, scilicet vnionem accidentalem, non aliter; ac sicut homo assumens vestem non dicitur *homo est vestis*, ita neque Deus assumens humanitatem diceretur homo, quod est hæreticum: 2. quia aliàs etiam posset dici, *Deus est pes*, *Deus est manus*, quia per vnionem etiam habet Deus pedem & manum: quâ ratione etiam impugnantur alij apud Ricardum ibidem asserentes idem esse *Deus est homo*, ac *natura diuina est vnita naturæ humanæ*: sed contrà, quia etiam vnita est pedi; ergo.

4. Dicendum ergo nobis est cum Scoto dist. 7. D. Thoma q. 16. art. 5. & omnibus aliis Scholasticis prædictas locutiones esse veras, quia prædicta idiomata sumpta in concreto supponunt directè pro supposito Verbi, quod vnicum est: vnde idem est, *homo est Deus*; ac dicere, *Suppositum habens humanitatem, est suppositum habens Deitatem*.

Et confirmatur, quia terminus supponit solùm in propositione, quidquid in contrarium vélit Vasquez 1. p. disput. 157. cap. 3. ergo debet accipi pro eo pro quo verè potest significari, sed hoc est suppositum Verbi; ergo hæc concreta, *homo, Deus*, &c. pro supposito debent accipi. 5.

6. Ex quo tria debetis inferre, primò quòd proprietates, quæ pertinent ad alia supposita diuina, nō possunt enuntiari de natura humana, neque è contrà, quia solùm suppositum Verbi fuit vnitum; quare hæ sunt falsæ, *Hic homo generat Filium Dei, hic homo est Spiritus sanctus*, &c. Secundum, quòd idiomata non possunt prædicari sumpta in abstracto, quia vt sic non concernunt suppositum, ratione cuius habent, quòd possint de altera natura prędicari: vnde istæ sunt falsæ, *Humanitas est Deitas, Deitas est homo*, &c. Tertium, quòd licèt idiomata contraria siue substantialia, siue accidentalia sint, possint in concreto ad inuicem prædicari, non tamen contradictoria. Et ratio est, quia negatio negans, quæ inuenitur in contradictoriis, talis est naturæ, quòd destruit totum quod inuenit post se; quare licèt hæ veræ sint, *Deus est mortuus, Deus est immortalis*, quia solùm opponuntur contrariè; non tamen ista, *Deus est non mortuus*, quia opponitur contradictoriè.

7. Sed contra conclusionem sic argumentor, primò quia si ista concreta, *homo, Deus*, &c. supponunt pro supposito; ergo ista propositio (& aliæ similes) *homo est Deus*, est identica, quia æquiualet huic, *Suppositum habens humanitatem est suppositum habens Deitatem*. Respondetur ad rationem prædicationis identicæ non solùm requiri quòd idem prædicetur de seipso, sed etiam quòd prædicetur eodem modo, quod non contingit in præsenti, imò etiam in prędicatione formali requiritur non minùs identitas inter subiectum, & prædicatum, quàm distinctio.

8. Secundò argumentor, quia aliqui Patres Ecclesiæ sumnnt aliquando hęc prædicata in abstracto. Respondetur esse benignè interpretandos, qnia de vero sensu securi non fuerunt Patres solliciti de modo enuntiandi.

9. Maior est difficultas, An prædictæ enun-

enunciationes, quæ fiunt per communicationem Idiomatum, propriæ sint? Circa quam Durandus in 3. d. 14. q. 2. licèt obscurè loquatur, videtur tamen insinuare quòd non sint propriæ. quod primò probatur, quia quando modus enunciandi est *in quid*, & prædicatum non est *in quid*, talis propositio est impropria, sed in hac, *Deus est homo*, modus prædicandi est *in quid*, & prædicatum non est *in quid*, quia inquirenti quid est Deus, non potest responderi est homo; ergo, &c. Secundò, quia prædicatum substantiuum, quod prædicatur adiectiuè, non potest propriè prædicari, sed *homo* in supradicta propositione prædicatur adiectiuè, vt patet ex Damasceno 3. de fide cap. 2. vbi admittit hanc propositionem, *Deus est humanatus*, & tamen est prędicatum substãtiuum; ergo. Tertiò, quia vna natura non potest prędicari de alia, nisi vel vtraque sumatur adiectiuè, vel saltem aliqua, vt in his, *album est calidum, Petrus est calidus*, quare istæ sunt falsæ, *albedo est calor, Petrus est calor*, sed in Christo est duplex & distincta natura; ergo, &c.

10. Dicendum tamen nobis est cum communi sententia, tales enunciationes, quæ fiunt per communicationem Idiomatum, esse proprias. Et probatur primò, quia in Concilio Lateranensi vbi suprà definitur quòd Virgo Maria fuit mater Dei, & genuit Deum, sed hæc locutio solùm est vera per cõmunicationem Idiomatum; ergo dicere quòd tales locutiones non sint propriæ, repugnat decretis Ecclesiæ. Secundò probatur, quia illa est prędicatio propria, in qua & voces propriæ accipiuntur, & modus enunciandi est dialecticus; sed sic contingit in præsenti, quia voces propriæ accipiuntur, & modus enũciandi est maximè dialecticus, vt infertur per hunc syllogismum expositorium, *Verbum est Deus, Verbum est homo, ergo Deus est homo*; vel aliter, *Iesus est hic homo, hic homo est Filius Dei, ergo Iesus est Filius Dei.* Maior per se patet. Minor verò probatur, quia *hic homo* in concreto sumptus dicit suppositalitatem Verbi, quæ est suppositalitas tam naturæ humanæ, quàm diuinæ.

11. Ad primum argumentum Durandi omissis variis solutionibus aliorũ, quorum aliqui existimant hanc propositionem, *Deus est homo*, esse in materia contingenti, & omnino per accidens: alij verò, esse in materia naturali, & per se: Respõdetur cum Scoto in 3. dist. 7. q. 1. art. 4. & 5. D. Bonauent. art. 1. q. 1. non posse ex re determinari, an prædicta propositio sit per accidens & in materia contingenti, an per se & in materia naturali, quia nõ potest regulari secundùm regulas propositionum aliarum propter supernaturalitatem mysterij, nam ex vna parte videtur contingens, quia natura humana accidentaliter aduenit personæ Verbi, à qua potest adesse, & abesse; & ex altera parte videtur per se, quia substantialiter vnitur cum Verbo, sicut mea natura vnitur substantialiter cum mea personalitate, siue autem accidẽtaliter adueniat; quia tamen substantialiter vnitur, semper est propria, quia modus enunciandi est proprius, & prædicatum *in quid* vt statim explicabitur: vnde talis propositio non est in materia remota, quia licèt naturæ in abstracto remotè se habeant ad inuicem; & sic nequeunt prædicari, tamen prout concernunt suppositum non se habent remotè.

Sed inquires primò, An hæc propositio, *Deus est homo*, sit vniuoca cum istis, *Petrus est homo, Ioannes est homo.* 12. Respondetur cum Scoto *§. quartò videndum est*, quòd aliud est prædicatum vniuocum, aliud est prædicari vniuocè. Primum est quando cõceptus prædicati est in se vnus, est tamen extra essentiam subiecti, vt in his, *paries est albus, Petrus est albus*; & hoc modò certum est, quòd est vniuocum prædicatum de Petro & Ioanne, &c. Secundum est quando conceptus prædicati non solùm est in se vnus, sed etiam est de quidditate subiecti, de quo prædicatur; & hoc modo (inquit Scotus, & benè) quòd homo non est respectu Dei vniuocum prædicatum, sed respectu Petri, Ioãnis, &c. licèt non omnino debeat dici tale prædicatum accidentale huic subiecto, siquidem se habet vt substantialis natura subsistens substantialiter per subsistentiam ipsius.

Inquires secundò, An id quod hucusque diximus de hac propositione, 13. *Deus est homo*, sit similiter dicendum de hac, *Christus est homo*. Et respondetur negatiuè, quia prædicatum *homo* est de quid-

quidditate Christi, quia secundùm Damascenum lib. 3. de fide cap. 3. *Christus est nomen hypostasis duarum naturarum significatiuum*; sed vt benè inquit Scotus, licèt talis prædicatio sit per se ex parte prædicati, quia id, quod prædicatur, est de conceptu subiecti, non tamen est omnino per se ex parte subiecti, quia Christus non est omnino vnum per se secundùm hypostasim, quod patet à paritate, quia hæc propositio, *homo albus est coloratus*, non dicit prædicatum, ita vnum per se ex parte subiecti, sicut ista, *albedo est color*; ergo neque ista, *Christus est homo*, sicut ista, *Petrus est homo*. Neque propter hoc debet imputari Scoto, quòd asseruerit talem propositionem esse accidentalem, & contingentem, quia id Scotus minimè dixit, imò Varronem id asserentem impugnat.

14. Ad secundum argumentum Durandi nego, quòd in hac propositione, *Deus est homo*, ly *homo* sumitur adiectiuè. Ad probationem ex Damasceno respondetur quòd adiectiuum *humanatus* dupliciter potest sumi: primò, prout est nomen denominatiuum sumptum ab humanitate, & vt sic hæc propositio, *Deus est humanatus*, est falsa, imò & damnata in Concilio Francfordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, vbi ait, *vnam personam esse Deum & hominem, non hominem deificum, & Deum humanatum*. Et ratio est, quia per hanc propositionem significatur natura humana non vniri Verbo vt forma substantialis ipsius, sed vt forma accidentalis. idem dicendum est de hac propositione, *Deus est humanus*, scilicet, quòd sit falsa. Secundò sumitur *humanatus* prout est participium huius verbi *humano humanas*, & tunc est vera propositio, quia significat idem quod hominem fieri, sicut quòd Deus incarnatus fuerit idem est, ac Deus factus est caro, scilicet à verbo *incarnor incarnaris*, & in hoc sensu eam accepit Damascenus, in quo *homo* non sumitur adiectiuè, quia adiectiuum quod prædicatur in hac, *Deus factus est homo*, & ly *factus homo* sumitur substantiuè.

15. Hic solet inquiri de his adiectiuis, *Christus est homo deificus, dominicus*, vel *diuinus*; & quidem de adiectiuo *deificus* Concilium Francfordiense vt vidimus negauit posse prædicari de Christo, quod debet intelligi, si accipiatur vt denominatiuum, & idem sit ac *deatus*, nam hæc est falsa, *Christus est homo deatus*; si tamen significet idem quod factus est Deus, poterit prædicari in sensu in subsequenti quæstione explicando, non est autem in vsu, & in hoc sensu acceperunt aliqui Patres hanc propositionem, *Christus est homo deificatus*.

Quantum ad adiectiuum *dominicus*, Epiphanius, Athanasius, & Augustinus hanc propositionem admiserũt, *Christus est homo dominicus*; sed illam retractauit (& meritò) Augustinus 1. Retractationum cap. 19. Et ratio est, quia cùm nomen *dominicus* sit nomen possessionis, significat distinctionem inter possidentem, & rem possessam; & consequenter *homo*, qui dicitur in concreto, & est res possessa, distingueretur à supposito, quod est falsum, & Nestorianum, quia *homo* sumptus in cõcreto includit illud: si autem sumatur concretum pro abstracto, ita vt idem sit ac *humanitas dominica*, vt sic est vera, quia humanitas possidetur à diuinitate, tamquam à suo Domino, & in hoc sensu illam explicauit Augustinus ibidem, & debent explicari ceteri Patres. 16.

Quãtum ad adiectiuum *diuinus*, Vasquez disp. 63. cap. 2. existimat esse idem dicendum ac de adiectiuo *dominicus*, sed fallitur profectò, vt benè inquit Lorca disp. 63. dub. 3. n. 29. Et ratio est, quia, vt diximus, adiectiuum *dominicus*, ex eo quòd significat possessionem rei, significat distinctionem à possidente, quare nequit dici *homo dominicus*, sed *homo Dominus*, sed neque *homo Dei*, sed *homo Deus*, tamen adiectiuum *dominicus* potiùs significat esse aliquid Dei eius naturam participans inadæquatè, ita vt non sit totus Deus, quâ ratione dicimus naturam diuinam, essentiam diuinam, Verbum diuinũ, Spiritum diuinũ, &c. sicut adiectiuum *humanus* significat aliquid hominis, & non totum hominem, qualiter dicimus personam humanam, carnem humanam, &c. ergo hęc propositio, *Christus est homo diuinus*, est vera, quia significat quòd Christus est homo habens aliquid Dei, scilicet vnam personam diuinam. vnde Dionysius de Cælesti Hierarchia cap. 4. appellauit Iesum diuinum, & hæc est sententia D.Tho- 17.

D.Thomæ q.16. art.3. Ex quo debetis deducere, quòd hæc propositio, *humanitas est diuina*, est falsa, quia sumpta in abstracto nihil habet diuinitatis.

18. Ad tertium argumentum Durandi respond. quòd non potest esse eadem ratio de propositionibus fundatis in vnione naturarum creatarũ, quia semper comparantur, vel tamquam duo accidentia in eodem subiecto, vt in hac, *album est dulce*; vel tamquam accidens in subiecto, vt in hac, *Petrus est albus*; ac de propositionibus, quæ fundantur in vnione hypostatica, quia cùm hæc sit substantialis, habet diuersas regulas, & sic potest prædicari homo substantiuè in hac, *Deus est homo*, &c. imò aliqui tenent, quòd in prædictis propositionibus *album est dulce* accipiatur substantiuè, & sit idem, ac subiectum habens dulcedinem, & Petrus est albus, id est, aliquod subiectum habens albedinem.

QVÆSTIO II.

Qualiter dicatur Deus factus est homo, & homo factus est Deus?

1. HÆc propositio, *Deus factus est homo*, ita est vera, quòd sit de fide, & patet ex illo Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est*, id est homo. Solùm est difficultas an sit propria? quod negat D. Bonauentura in 3.d.7. art.1.q.2. Cuius fundamentum est, quia participium *factus* referens prędicatum ad subiectum, si propriè accipiatur, tria denotat: primum antecedentiam subiecti respectu prædicati: 2. quòd prædicatum incipiat de nouo esse in subiecto: 3. quòd subiectum mutetur per prædicatum, sed licèt duo priora reperiantur in subiecto prædictæ propositionis, non tamen reperitur tertium, quia Deus non mutatur; ergo, &c.

2. Communis tamen & vera sententia affirmat quòd talis propositio sit propria. Et probatur, quia hæc est propria, *Deus est homo*, licèt ex parte Dei non reperiatur vera & propria mutatio; ergo similiter ista, *Deus factus est homo*, licèt ex parte Dei non reperiatur vera & propria mutatio, quia non magis requiritur mutatio in Deo ad hanc, ac ad illam, cùm sufficiat sola mutatio existens in humanitate. Et confirmatur primò à Scoto quæstione 2. quia licèt *factio*, cùm prędicat secũdum adiacens, implicet prædicari de Deo, aliàs hæc esset vera, *Deus est factus*, tamen quando prædicat tertium adiacens, vt in hac, *Deus factus est homo*, non implicat prædicari etiam secundùm vocem *factionis*; ergo est propria. Et confirmatur, secundò, quia *factio* passiua non includit formaliter, nisi habitudinem facti ad faciens, & aliam habitudinem ipsius facti ad non esse præcedens, sed Deus verè & propriè de nouo factus est homo per factionem, seu vnitionem Trinitatis, & anteà non erat factus homo; ergo talis propositio, *Deus factus est homo*, vera & propria est. Et confirmatur tertiò, quia quando duo necessariò se concomitantur eâdem proprietate, quâ vnum dicitur, dicitur & aliud, sed naturam humanam vniri Verbo, & Verbum esse hominem necessariò se concomitantur; ergo sicut illa per factionem habuit propriè esse Verbum, ita & Verbum esse hominem.

Ad fundamentum D. Bonauenturæ respondetur falsum esse requiri ad proprietatem talis locutionis mutationem propriam in Deo, quia satis est quòd sit in natura humana; & notanter dixi *propriam*, quia impropria ratione cuius potest dici de aliquo, quòd aliter se habeat nunc, quàm priùs, nihil interest, quòd concedamus, vt cum Valencia dixi disp.1.q.2. Dices: Si per actionem incarnatiuam mutata est natura humana, ergo saltem per communicationem Idiomatũ erit verum dicere quòd Deus fuerit verè & propriè mutatus in Incarnatione. Respondetur negando sequelam, quia naturæ solùm habêt communicationem Idiomatum in Christo, quando sumuntur in concreto, vt dixi quęstione 1. Mutatio autem propria solùm fuit reperta in natura humana in abstracto, quia per illam tamquam per viam trãsiuit humanitas ad esse vnitam cum Verbo. Contrà, ergo Deus nequit dici genitus ex Virgine, siquidem generatio fit solùm in humanitate priusquã hæc natura terminetur à Verbo. Respõdetur negãdo paritatem, quia generatio non denominat subiectũ genitum, sicut mutatio denominat mutatum, sed denominat terminũ genitum; hic autem nõ est sola natura humana, sed Christus. 3.

4. Idipsum quod quæsiuimus de hac propositione, *Deus factus est homo*, quærimus etiam de hac, *Deus factus est hic homo*, an scilicet sit vera & propria. Et respondetur affirmatiuè, & probatur, quia Deus non est factus homo in communi; ergo factus est hic homo in particulari. Et confirmatur, quia si Deus factus est homo, ly *homo* non supponit simpliciter, seu immobiliter; ergo licèt sub hoc prædicato descendere, & signare hunc, vel illum hominem, ratione cuius sit vera propositio. Idem est dicendum, si loco illius prædicati, *hic homo*, ponatur *Iesus*, vel *Christus*, vel *Filius Virginis*.

5. Sed obiicies primò: *Hic homo*, in hac propositione, *Deus factus est hic homo*, significat diuinum suppositum, sed falsum est quòd Deus sit factus diuinum suppositum; ergo & talis propositio. Respondetur primò, quòd *homo*, secundùm ea quæ cum Scoto diximus disput. 6. q. 3. solùm significat directè naturam humanam, & indirectè suppositum; & consequenter idem erit dicendum de hoc prædicato, *hic homo*. Secundò, quòd etiamsi prędictum prædicatum positum in propositione supponat pro diuino supposito, sed non quomodocumque accepto, sed accepto vt sustentante naturam humanam, vt sic autem nulla est repugnantia, quòd Deus sit factus diuinum suppositum vt de nouo sustentans naturam humanam.

6. Obiicies secundò cum Scoto: Si Deus factus est hic homo, ergo per cōmunicationem Idiomatum erit verum dicere, quòd Deus factus sit Deus, quia per syllogismum expositorium ita infertur, *Deus factus est hic homo, hic homo est Deus; ergo Deus factus est Deus*. Respondet Scotus negando consequentiam, quia communicatio Idiomatum solùm est post vnionem factam, non verò ante illam, neque in fieri vnionis. Ad probationem dico, quòd in prædicto syllogismo variatur suppositio ex parte medij, quia *hic homo* in maiori sumitur formaliter, id est, quatenus respicit humanitatem formalem: in minori verò sumitur materialiter, id est, quatenus respicit rationem suppositalitatis, quæ ratio non significatur per se ab hac voce, *hic homo*, sed solùm materialiter. Præterea variatur suppositio, quia in maiori ly: *Deus* supponit pro Deo præcisè, in minori verò pro Deo sustentante naturam humanam.

7. Postquam diximus de hac propositione, *Deus factus est homo*, & *hic homo*, venit agendum de hac propositione, *homo factus est Deus*, vel *hic homo factus est Deus*. & primò certum est, quòd si ly: *factus* ponatur, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati sit falsa, quia significat vel quòd Deus sit factus, vel quòd suppositum diuinum concernens naturam humanam sit factum. Secūdò est certum, quòd si ly *factus* significet quòd homo factus sit Deus, ita vt natura humana transierit per aliquam effectionem ad esse naturam diuinam, vel è contra, esse omnino falsum; dicendum ergo breuiter nobis est hanc propositionem esse veram, ita vt significetur, quòd totum hoc coniunctum, scilicet *Deus factus est homo*, vel *hic homo*, sit factum, sicut diximus disp. 17. q. 2. de hac propositione, *Christus est prædestinatus Filius Dei*, & in hoc sensu esse talem propositionem propriam. legatur ibi hæc difficultas, & Lorca disp. 63. qui latè de ea agit.

QVÆSTIO III.

Vtrùm absolutè Christus, & sine addito possit dici creatura?

1. Creatura in præsenti sumitur prout est idem quod dependens secundùm se totum à Deo, & factum ex nihilo, siue proximè & immediatè vt fit Angelus, siue remotè vt modò fit homo. Et conueniunt omnes, quòd quando datur suspicio erroris Arrij, non est dicendus Christus creatura absque addito, quia significat etiam suppositum in Christo fuisse creatum. Est ergo difficultas, An quando cessat talis suspicio possit absolutè proferri, quòd Christus est creatura? Circa quam prima sententia affirmat. ita D. Bonauentura in 3. d. 11. q. 2. art. 2. Nicolaus de Orbelis d. 11. Caietanus q. 16. art. 8. & 10. Valencia q. 16. p. 2. Vasquez disp. 65. Hurtado disp. 11. diff. 11. qui citant pro se D. Thomam q. 16. art. 8. & q. 20. art. 1. ad 1. & plures Eccle-

Ecclesiæ Patres; sed parum roboris accipit hæc sententia, sicut & subsequens ab illis, quia solùm loquuntur vel cum addito secundùm humanitatem, vel contra Arrium; & ideò ratione probatur, quia humanitas Christi verè & propriè dicitur creatura; ergo & Christus. patet consequentia, quia quæ absolutè conueniunt humanitati, & vnionem non excludunt, etiam absolutè conueniunt huic homini in concreto, seu Christo, quâ ratione illi conueniunt esse passibilem, risibilem, genitum ex Virgine, &c. Ex qua sententia duo inferuntur, primum quòd etiam hoc sit verum de *hoc homine*, quia pronomen *hoc* cadit supra ly *homine*. 2. quòd etiam per communicationem Idiomatum posset dici de Deo, seu de Verbo, quod est creatura.

2. Secunda sententia negat istas propositiones. ita Thomas in 3. d. 11. art. 2. Ricardus art. 2. Durandus & Palud. q. 1. Gabriel q. vnicâ, Medina, Cabrera, & Aluarez q. 15. art. 8. Canus de locis lib. 12. cap. 11. præter plures Ecclesiæ Patres, qui pro hac sententia à Recentioribus adducuntur. Et probatur primò, quia Christus est nomen personæ, præsertim quando ponitur ex parte subiecti, sed hæc non est creatura; ergo. 2. quia creatura est id quod secundùm Scotum pendet à Deo, & ex nihilo fit, sed Christus secundùm Scotum non pendet à Deo; ergo. 3. omnis creatura aliquando non fuit, Christus autem semper fuit. 4. quia Christus non est aliquid quod sit factum; ergo non est creatura, quia hæc fit à Deo. 5. & principaliter, quia prædicatum, quod est natum, conuenire tam toti, quàm parti, non potest absolutè proferri; quare qui est albus secundùm dentes, non potest absolutè appellari albus: vnde hæc est falsa, Æthiops est albus; & qui est crispus secundùm capillos, potest absolutè vocari crispus, quia crispitudo non potest æquè conuenire toti & partibus sicut albedo, sed solùm parti, scilicet capillis; sed hoc prædicatum *creatura* non solùm competit naturæ humanæ, sed personæ humanæ: ergo etiamsi reperiatur in Christo ratione naturæ humanæ, non poterit absolutè prædicari de Christo, quia non competit, sed potiùs repugnat ratione personæ diuinæ, & consequenter hæc sententia negat illa duo, quæ inferebat prima.

In hac re dicendum existimo vtramque sententiam esse probabilem, & hæc est vera mens Scoti in 3. dist. 11. q. 1. vbi postquam proposuit primam opinionem, ait, §. *cuius ista opinio*, quòd cui prædicta opinio non placet, potest ita philosophari, &c. & tradit secundam suprà positam opinionem, & non respondet ad argumenta prioris, ex quibus patet ipsum sensisse non minùs probabilem, quàm secundam, vt benè obseruauit Vasquez vbi suprà. Fundamentum nostræ sententiæ est, quia non est certum, quòd prædicatum *creatura* conueniat tam personæ creatæ, quàm naturæ, præcipuè si persona creata consistat in negatiuo, an verò conueniat naturæ formaliter, & terminatiuè personalitati? Præterea dato quòd conueniat formaliter vtrique, quare non sufficiat quòd conueniat naturæ humanæ vt persona diuina dicatur denominatiuè creatura ablata suspicione erroris, in quo casu procedit nostra quæstio, sicut dicitur mortalis denominatiuè à mortalitate naturæ humanæ, licèt etiam mortalitas videatur conuenire personalitati, quia deficiente vitâ, deficit etiam. quæ omnia fauent primæ sententiæ. Ex alia parte videtur, quòd Christus, qui est subiectum talis propositionis, licèt habeat vices suppositi humani, in quantum terminat naturam humanam, tamen in se significat, & supponit pro supposito diuino, cui videtur repugnare esse creaturam denominatiuè, nam denominatio debet sumi à forma potente denominare; humanitas autem in abstracto, licèt sit creatura, non potest in quantum talis denominare concretum: præterea quia nomen *creatura* videtur concretum, ergo non potest prædicari solùm ratione partis concreti, & consequenter neque de Christo ratione humanitatis, & hæc sunt quæ fauent secundæ sententiæ. 3.

Stando ergo in secunda sententia respondetur ad argumentum primæ: Dico quòd etiamsi humanitas in abstracto sit creatura in abstracto, tamen homo in concreto est creatura in concreto; & consequenter non solùm dicit naturam esse creatam, sed etiam 4.

 dicit

dicit suppositum esse creatum. vnde nequit prędicari de Christo. Dices hoc esse verum, si hoc prædicatum assumeretur formaliter, seu essentialiter, non verò si accipiatur denominatiuè & accidentaliter. Respondeo non posse sic assumi, quia creatura in concreto includit vtrumque per se, & naturam creatam, & personalitatem creatam.

5. Stando verò in prima sententia respondeo ad argumenta secundæ. Ad primum, quòd *Christus* sumptus pro persona non est formaliter creatura, sed denominatiuè à natura creata. Ad secundum respondetur dupliciter posse sumi creaturam secundùm se totam pendere à Deo, & fieri ex nihilo, vel quòd ly, *secundùm se totam*, includat naturam, & personalitatem naturæ, & hoc modo acceptum est falsum; vel quòd ly, *secundùm se totam*, includat partes omnes tam integrales, quàm essentiales totius naturæ, & hoc modo est verum, sed nihil contra nos. & per hoc patet ad 3. & 4. ir o cc ad 5. quia natura humana, ratic ne cuius conuenit tale prædicatum Christo, & sumitur vt pars, si comparetur cum supposito; & sumitur vt totum, si comparetur ad suas partes, ex quibus componitur: quare prædicatum *creatura* videtur esse vt prædicatum *crispus*, si natura humana sumitur vt pars suppositi; & videtur esse vt prædicatum transcendens, si natura humana sumatur vt totum in se compositum ex suis partibus.

6. Dices: Hæc prædicatio est formalis, *homo est rationalis*, licèt rationalitas solùm conueniat homini ratione partis, scilicet animæ rationalis; ergo similiter hæc erit formalis, *Christus* (idem dico de hoc subiecto *Iesus*) *est creatura*, licèt hoc solùm illi conueniat ratione partis. Respondetur quòd rationalitas non conuenit homini solùm ratione animæ rationalis, sed ratione totius compositi, & idem dico de reliquis prædicatis, quæ in recta linea prædicamentali dicuntur de homine, & ideò non denominatiuè, sed formaliter prædicantur; at verò creatura solùm dicitur de Christo ratione cuiusdam partis, scilicet naturæ humanæ, & ideò solùm prædicatur de Christo denominatiuè, in quantum Christus supponit pro supposito diuino, quia si accipiatur in quantum intrinsecè includit duplicem naturam, ita formaliter diceretur creatura, sicut dicitur homo, vel Deus.

Idem quod diximus de hac propositione, *Christus est creatura*, est dicendum de hac, *Christus incepit esse*, quia eadem est ratio vtriusque, nam id quod incipit est per dependentiam ab alio, à quo incipit; solùm est obseruandum, quòd quando Scotus quæstione 3. ait, quòd de Christo verificatur quod incipit esse simpliciter, non verò de Verbo, seu Filio Dei non debet intelligi, quòd dixerit aliter esse philosophandum de Christo, ac de Filio Dei in ratione suppositi, sed solùm in quantum Christus essentialiter includit duas naturas, & consequenter quando incipit esse vna, Christus incipit simpliciter, id est, quantum ad id quod ad partes intrinsecas pertinet: Verbum autem Filius Dei non includit humanam essentialiter, sed licèt substantialiter vniatur cum illa, tamen illam habet quasi accidentaliter, siquidem aduenit enti totali in vltimo actu constituto. vnde Lorca disp. 67. cap. 3. & 4. minùs benè Scotum intellexit, putans Scotum se contrariasse aliter loquens de hac propositione, ac de præcedenti. 7.

QVÆSTIO IV.

Quæ enuntiationes fieri possint cum nota reduplicationis?

NOtæ reduplicationis communiter sunt hæ, *in quantum, secundùm quod, quatenus*, &c. possunt autem sumi dupliciter, vel reduplicatiuè, vel specificatiuè. Primo modo sumantur quando replicant seu repetunt totum terminum cui immediatè apponuntur, vt quando dicimus, Homo in quantum homo est risibilis. Secundo modo sumuntur quando non replicant seu repetunt totum terminum cui immediatè apponuntur, sed partem tantùm, vt quando dicimus, Homo in quantum animal est sensibilis, Æthiops secundùm dentes est albus. Differentia autem inter hos duos modos consistit in hoc, quòd particula reduplicatiua in primo significat rationem formalem propter quam præcisè prædicatum conue- 1.

conueniat subiecto: vnde idem est dicere, Homo in quantum homo est risibilis; ac dicere, Ratio formalis propter quam homini conuenit risibilitas est humanitas. In secundò verò particula reduplicatiua solùm designat subiectum cui conuenit prædicatum, siue illi conueniat per se, siue per accidens; quare idem est dicere, Æthiops secundùm dentes est albus; ac dicere, Partes in quibus est albedo in Æthiope sunt dentes, non verò aliæ partes; & idem est, Homo in quantum animal est sensibilis; ac dicere, Sensibilitas non conuenit homini ratione differentiæ specificæ, sed ratione generis, quod est animal.

2. Quo supposito prima difficultas est, An Christus in quantum homo possit dici creatura? Negat Gabriel in 3.d.11. q. vnicâ. Fundamentum est, quia terminus *Christus*, cui hæc particula *in quantum* apponitur, nec distrahitur ad aliud significandum, nec eius significatio minuitur; ergo siue sumatur reduplicatiuè, siue specificatiuè, non erit talis propositio vera.

3. Sed vera & communis sententia affirmat, quòd Christus in quantum homo possit dici creatura. ita S. Thomas, & eius Expositores q. 16. art. 10. Vasquez disp. 66. Hurtado diff. 13. Et probatur, quia humanitas Christi fuit creata, sed hæc significatur per illam particulam *in quantum*; ergo Christus in quantum homo potest dici creatura: vnde talis particula saltem debet sumi vt nota specificationis; & notanter dixi saltem, quia an possit sumi vt nota reduplicationis, ita vt totum quod homo in concreto dicit, possit dici creatura, pertinet ad difficultatem examinatam in præcedenti quæstione, vbi videatur.

4. Ad fundamentum Gabrielis respondetur, quòd terminus *Christus*, per particulam *in quantum homo*, & distrahitur à propria significatione, quia non significat totum illud, quod essentialiter reperitur in Christo, siquidem in quantum homo non dicit naturam diuinam, quam intrinsecè includit Christus; & similiter eius significatio minuitur, siquidem in quantum homo solùm significat naturam humanam terminatam à personalitate Verbi.

5. Secunda difficultas est, An Christus in quantum homo sit Deus? Negant omnes Theologi, & meritò. legatur Vasquez disp. 69. Fundamentum est, quia si particula *in quantum* sumatur reduplicatiuè, significat quòd ratio formalis, propter quam Christus est Deus, est quia est homo, & hoc est absurdum; si verò sumatur specificatiuè, significat quòd illa pars, cui conueniat in Christo Deitas, sit humanitas, quæ per se significatur à voce *homo*, & hoc similiter est falsum, quia Christus non est Deus, quia est homo, sed quia est persona diuina.

Tertia difficultas est, An Christus in quantum homo sit persona? Affirmant Vasquez disp. 69. cap. 2. & Lorca disp. 66. num. 12. & probant, quia homo est concretum; ergo in quantum tale non minùs includit humanitatem, quàm personalitatem Verbi, sed hæc coniuncta cum humanitate est persona; ergo Christus in quantum homo est persona, etiamsi [illegible] *in quantum* reduplicatiuè sumatur, & multò meliùs erit vera si sumatur specificatiuè, quia vel significatur quòd homo in Christo sit persona, vel quòd Christus sit persona, quia est homo, quod totum est verum: vnde etiam est verum, quòd Christus in quantum est Deus, est persona, imò & persona diuina, propter eamdem rationem. 6.

Diuus verò Bonauentura in 3. d. 10. art. 1. q. 2. Durandus quæst. 1. Paludanus q. 1. art. 1. partem negatiuam tuentur: quæ sententia, si intelligatur de particula *in quantum* sumpta non specificatiuè, sed reduplicatiuè, vt existimo sumi ab illis Auctoribus, mihi videtur vera. Et ratio est, quia particula sumpta reduplicatiuè applicat termino antecedenti terminum consequentem secundùm id quod per se significatur à voce termini consequentis, sed vox *homo* per se significat humanitatem; ergo applicata Christo per particulam *in quantum* reduplicatiuè acceptam, significabit quòd Christus *in quantum homo*, id est, quatenus habet humanitatem erit persona, quod est falsum, quia personalitas non significatur ex vi huius vocis *homo*. Et confirmatur, quia aliàs non esset falsa propositio, *Christus in quantum homo est Deus*, vt nobiscum confessi sunt Aduersarij in antecedenti diffi- 7.

difficultate. sequela patet hoc syllogismo expositorio, *Christus in quantum homo est persona diuina, persona diuina est Deus, ergo Christus in quantum homo est Deus;* ergo ex eo est falsa, quia particula *in quantum* reduplicat solùm super id quod per se significatur à voce *homo*, scilicet super humanitatem, quæ non est Deus, & consequenter neque persona diuina.

8. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd licèt vox *homo* sit alicuius concreti, tamen in quantum applicatur alicui termino cum particula *in quantum*, applicatur solùm secundùm id quod per se significat, & id est, natura humana, & non persona: vt quando dicimus, *persona in quantum persona*, non significamus naturam, quæ reperitur in persona, sed solùm personalitatem per quam formaliter constituitur talis natura in esse personæ: vnde prædicta propositio, *Christus in quantum homo est persona diuina*, solùm est vera materialiter & specificatiuè, non verò reduplicatiuè & formaliter; & idem dico de hac, *Christus in quantum homo est persona diuina;* & similiter idem est dicendum de hac, *Christus in quantum hic homo est persona diuina*, quia illud adiectiuum *hic* solùm denotat hæccitatē naturæ humanæ, nō verò personalitatem.

DISPVTATIO XX.
ET VLTIMA.
DE
ADORATIONE
CHRISTI DOMINI.

Disputatio præsens appendix est materiei de Incarnatione, propterea quòd hæretici errando circa Incarnationis mysterium, etiam circa debitam Christo adorationem errauerunt; & sic ansam dederunt, non solùm Conciliis, quæ veritatem huius mysterij definierunt, sed etiam Scholasticis, qui de Incarnatione disputarunt, vt veritatem debitæ adorationis tum definiendo, tum aperirent disputando. quare scopus illius erit agere de adoratione Christi, ne extra chorum saltemus (vt inquit Petrus Hurtado disp. 85.) agentes de adoratione Sanctorum & reliquiarum, sed parabimus viam supponendo cum Scoto in hoc 3. dist. 9. q. vnicâ, quæ spectant ad adorationem in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

Ad quam virtutem spectet adoratio.

1. ADORATIO, ex Damasceno orat. 1. de imaginibus, nihil est aliud, *quàm submissionis & inferioritatis nota;* vel (vt ait oratione 3.) *est animi submissi atque humilis significatio:* est autem discrimen (vt notant Recentiores) inter hoc quod est honorare, venerari, colere, laudare, glorificare, adorare, & reuereri. Nam honorare, & venerari, quòd idem est, latiùs patet, quàm adorare, quia non omnis honor est adoratio: vnde Augustinus lib. contra errores Arrianorum cap. 23. ait, *Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat:* & hoc ostendi potest ratione desumptâ ex Aristotele 4. Ethic. cap. 3. & 8. Ethic. cap. 3. vbi ait quòd *honor est signum exhibitum alicui in testimonium suæ bonitatis & excellentiæ,* sed

sed adoratio vltra hoc requirit submissionem, seu quòd in adorato recognoscamus excellentiam & superioritatem cum subiectione nostra; ergo latiùs patet honorare, quàm adorare.

2. Laudare est verbis honorare, vnde est species quædam honoris, vt docet Arist. 1. Rethor. c. 1. quare quod cap. 12. ait, quòd honorantur ea quæ sunt per se bona, laudantur verò quæ ad aliud sunt vtilia, debet intelligi per extensionem, id est, non solùm laudantur ea quæ honorantur, sed etiam ea quæ licèt non honorentur, sunt tamen ad aliquid vtilia. Glorificare addit ad laudare acclamationem ex affectu feruido procedẽtem, quia ex Aug. lib. 83. quęstionum q. 31. *est clara cum laude notitia*; & ex D. Thoma 2. 2. q. 103. art. 1. *est effectus laudis.* eo enim ipso quòd aliquem maximoperè laudo, eum glorifico. Reuereri licèt fit cum timore adorare, tamen quia adoratio etiam fit cum subiectione & recognitione, ideò pro synonimis iam communiter vsurpantur.

3. His omnibus verbis adoratio solet significari, quæ non est tam indaganda ex propria eorum significatione, quàm ex qualitate materiæ, quæ colitur. Prætereà aliquando sumitur quasi antonomaticè pro adoratione soli Deo debita, iuxta illud Matth. 4. *Solùm Dominũ Deum tuum adorabis*, &c. quapropter Hieron. supra Dan. 3. & Epiphanius aduersus hæreses hęresi 11. veniunt intelligendi, dum dicunt, soli Deo exhibendam esse adorationem: aliquando verò etiam tribuitur adoratio aliis rebus, & censetur à Scriptura meritoria & laudabilis. Diuiditur autem iuxta hęc à Scholasticis adoratio, *in latriam, duliam, & hyperduliam*, quæ sunt voces grææ, & quidquid sit, An secũdùm proprietatẽ græcam significent seruitutem, vt cum hæreticis nostri tẽporis intendit Ludouicus Viues in cap. 1. lib. 10. D. August. de Ciuit. Dei, ni iam communi vsu, à quo voces accipiunt, & suâ significationem, & suam proprietatem significant adorationem (quæ genus est cuiusdã seruitutis) sed diuersam pro diuersitate excellentiæ eorum qui adorantur: *latriam* appellant Ecclesiæ Patres adorationem Deo debitam, *duliam* eam quæ debetur creaturæ, *hyperduliam* debitam similiter creaturæ, sed propter aliquã superemi-nentem excellẽtiam. colligitur doctrina hæc ex tota 2. Synodo Nicena, ex D. Aug. 10. de Ciuit. cap. 1. Beda super cap. 4. Lucæ, Basilio super cap. 1. Isaiæ, Damasceno vbi sup. Isidoro 8. Etymologiarum cap. vlt. Aurelianensi tom. 5. Biblioth. Patrum lib. 1. de cultu imaginum. Obseruat tamen D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 3. ad 1. quòd licèt nomen *latria* nũquam tribuatur nisi diuinæ adorationi, tamen nomen *dulia* non solùm adorationi creaturæ, sed aliquando etiã diuinæ accommodatur adorationi, fortasse quia excellẽtiæ creaturarum propter quas adorantur, etiam in Deo eminentissimo modo reperiuntur. Deniq; *dulia* sumi strictissimè solet pro seruitute, quæ veris seu propriis dominis, insuper & populos gubernãtibus exhibetur.

Supponit prætereà quęstionis interrogatio quòd adoratio sit actus alicuius virtutis, quod similiter expressit Scotus in 3. dist. 9. q. vnicâ loquens de latria, & ipsa ratio manifestat, quia reddere vnicuique quod suum est, quando fit ex electione & liberè, est actus virtutis, nam hoc ex proprio obiecto est honestum, sed hoc fit per adorationem; ergo. Et confirmatur, quia quod ex se non est honestum, nequit præcipi à Deo: at adoratio est præcepta, vt patet ex verbis adductis, *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. ergo. quòd autem ex repetitione prædicti actus honesti generetur habitus, scilicet & generatur ex frequentatione alterius, nulli debet esse dubium. Nec refert quod obiiciunt aliqui, quòd potentiæ non indigent habitu ad ea quæ sunt secundùm inclinationem naturalem, quia aliud est quòd non habeant indigentiam illius ad habendam operationem circa illa simpliciter, aliud quòd non indigeant ad melius esse, & ad facilius operandum. primum est verum, sed non secundum, præterquàm quòd diuersa est ratio de operationibus quæ dependent à principio naturali determinato ad vnum, ac de illis quæ dependent à libero, quod deficere potest, etsi prioribus forte posset negari habitus, sed posterioribus minimè. 4.

Dico ergo primò: In hac re virtus adorationis nõ est theologalis. est communis sententia. eam tenet Scotus vbi suprà. Et probatur, quia quæcumque 5.

virtus non ſpecificatur à fine *cui*, ſed à fine *qui*, id eſt, non à perſona, ſed à motiuo: ſed motiuum adorationis etiamſi ſit circa Deum, non eſt theologale, quia eſt cultum reddere debitum tali vel tali excellentiæ ipſi æquali & proportionali. ergo adorationis virtus etiam in communi ſumptæ non eſt theologalis. Et ſi dicas, Excellentia perſonæ me mouet ad reddēdum cultum debitum; ergo quando me mouet excellentia diuina, adoratio erit virtus theologalis. Reſpondeo quòd excellentia perſonæ ſolùm mouet (prout ad adorationem attinet) ad taxandum quantus debeat eſſe cultus illi præſtādus, quia reſpectu adorationis ſola honeſtas quæ relucet in hoc quod eſt reddere cultum debitum, eſt quæ mouet; ſi autem vel diligo, vel plurimum facio excellētiam perſonæ propter ipſam excellentiam, hoc vel ad amicitiam, vel ad ęſtimationem pertinet formaliter, non ad adorationem.

6. Dico ſecundò: Adoratio in cōmuni accepta eſt virtus moralis, & inter cardinales pertinet ad iuſtitiam. tenet ſimiliter Scotus ibid. & S. Thom. 2. 2. q. 8. & q. 101. & 102. ſequunturque vtriuſque diſcipuli. Et probatur, quia omnis virtus quæ non eſt theologica eſt moralis, & inter cardinales adoratio non eſt ex illis quæ ordinant hominem in ordine ad ſe vt fortitudo & temperantia, ſed ex illis quæ ipſum ordinant in ordine ad alium, vt iuſtitia: vnde Philoſophi tres enumerarunt virtutes circa hoc quod eſt reddere alicui cultum debitum, videlicet religionem circa Deum, pietatem circa parentes & patriam, & obſeruantiam circa homines in dignitate & ſuperioritate conſtitutos. ergo, &c.

7. Sed obiiciet aliquis: Potiùs reducenda venit adoratio ad humilitatem, & cōſequenter ad temperantiam, quàm ad iuſtitiam. Probo, Nam quid magis proprium humilitatis videtur, quàm ſubmittere ſe alteri, & eum ſuperiorem recognoſcere? Reſpondetur, quòd licèt actus imperati adorationis, & actus imperati humilitatis materialiter conſiderati ſæpè coincidant in vnum, tamen formaliter ſpectati valdè diuerſi ſunt, cùm fiant propter diuerſas honeſtates, tamquam propter diuerſa motiua: humilitas enim, quæ pars eſt temperātiæ, moderatur affectum honoris, & ſub hac ratione exercet actus imperatos ſubmiſſionis: at adoratio actus imperatos ſubmiſſionis exercet, non vt affectū honoris moderetur, ſed vt alteri honorem debitum reddat ratione ſuæ dignitatis & excellentiæ. quod exemplificari poteſt in largitione pecuniæ, quæ ſi imperetur ex motiuo moderādi affectum circa diuitias, ſpectat ad liberalitatem; at ſi ex motiuo ſoluendi debitum imperetur, ad iuſtitiam ſpectat. quā ergo ratione coincidere materialiter poteſt humilitas cum adoratione, ſimiliter & coincidere poſſunt actus aliarum virtutum, quæ dirigi poſſint ad reddēdum alteri cultum debitum; vnde verum habet vulgata illa locutio, quam refert Aug. in Enchir. c. 13. & lib. 12. de Trinit. cap. 12. & 10. de Ciuit. Dei cap. 9. *Religio Christiana maximè colit Deum fide, ſpe, & charitate.*

Dico tertiò: Adoratio prout in ſpeciali reſpicit Deum, conſtituit virtutem religionis; & prout reſpicit parentes & patriam, conſtituit pietatem; & prout reſpicit homines in dignitate & ſuperioritate cōſtitutos, cōſtituit obſeruantiam. eſt communis apud præfatos Auctores & morales Philoſophos ſentētia. Et probatur, quia excellentiæ, propter quas attenditur qualis debeat eſſe cultus, in his omnibus ſunt diuerſæ ſpeciei; ergo & virtutes. patet cōſequentia, quia etſi verum ſit quòd excellentia non ſit ſpecificatiuum & motiuū, ſed honeſtas inuēta in hoc quod eſt reddere cultum debitū, vt ſuprà diximus, tamē ex illa vt cognita, & in ſtatera ponderata reſultat diuerſitas ſpecifica in cultu exhibēbo; quare ſi parentibus debetur diſcoopertio capitis, Deo debetur genuflexio, &c. 8.

Sed inquires, An prædictæ virtutes vniuocè conueniant in ratione adorationis? Petrus Bergomenſis in tabula ſeu cōcordantiis D. Thomæ loquendo de virtute latriæ & duliæ refert tamquam ſententiam D. Thomæ 2. 2. q. 94. art. 1. ad 2. & in 3. diſt. 9. q. 1. art. 2. quæſtiunculā 7. quòd ſolùm conueniant analogicè: ſed in his locis Angelicus Doctor non loquitur niſi de latria & idolatria, de quibus ait quòd licèt conueniant vniuocè in ratione cultus humani, in ratione verò virtutis ſolùm conueniunt æquiuocè, quia idolatria ſecun- 9.

ſecundùm dici eſt religionis virtus. refert etiam ipſum 2.2.q.88.art.1.ad 1. propterea quòd ibi ait quòd excellentia Dei non communicatur creaturæ ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm quamdam propoſitionem; ergo tantùm conueniunt analogicè. pro qua ſententia videtur D. Bonauentura in 3. diſt. 9. art. 2. ad 4.

10. Reſpondeo tamen quòd prædictæ virtutes vniuocè cõueniunt in ratione adorationis. ita Suarez ſuper 3. partem diſp. 51. ſect. 3. & Lorca diſp. 86. dub. 1. loquẽtes de latria, dulia, & hyperdulia. Sed non congruit eorum ratio, quã hoc probant, ſcilicet quia etſi excellentia increata Dei, & excellentia creata creaturæ vniuocè non conueniant, tamen vniuocè conueniunt adoratio creata erga Deum, & adoratio creata erga creaturam, quia vtraque eſt creata, & ponunt exemplum in fide humana & diuina, quæ vniuocè conueniunt in ratione fidei, licèt vna nitatur auctoritati creatæ, & alia increatæ & diuinæ Nam contrà eſt, quia actus ita ſpecificantur ex obiectis, & quaſi tranſmutantur in naturas illorum, quòd ſi obiecta opponantur contradictoriè, & ipſi actus opponuntur contradictoriè, v.g. actus fidei & viſionis opponuntur contradictoriè, quia de ratione obiecti fidei eſt, quòd ſit non viſum, ſeu non apparens, & viſionis obiectum non habet hanc negationem. Sit aliud exemplum iudicium quo iudico aliquod obiectum eſſe impoſſibile, & iudicium quo illud ipſum obiectũ iudico eſſe poſſibile, contradicũtur, & non aliã ratione, niſi quia poſſibile & impoſſibile in eodem obiecto contradictoria ſunt, & priuatiuè opponuntur; ergo ſi excellentia diuina & increata & creata nõ cõueniunt vniuocè, & cõtradictoriè opponũtur, neq; actus circa illa poterunt vniuocè conuenire. Exemplum de duplici fide non eſt ad propoſitum in ſententia Scoti, qui ſicut admittit vniuocationem inter Deum & creaturas, ita inter auctoritatem humanam, & auctoritatem diuinam in ratione communi auctoritatis abſtrahentis à fallibili & infallibili.

11. Ratio ergo pro nobis ea eſt, quia redditio cultus debiti diuinæ excellentiæ, & redditio cultus debiti creaturæ, à quibus ſpecificantur prędictæ virtutes religionis, pietatis, & obſeruantiæ, vniuocè conueniunt in ratione redditionis cultus debiti, & conſequenter iſtæ virtutes debent vniuocè conuenire in ratione adorationis, quia iuxta Ariſtotelicam definitionem vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune: ratio verò ſignificata per nomen eſt eiuſdem rationis in vniuocatis, ſcilicet prout illo nomine communi ſignificantur, ſed reddere cultum debitum alicui ſignificatur per nomen adorationis. ergo, &c.

QVÆSTIO II.

Per quem actum exhibeatur formalis adoratio.

1. NOn eſt dubium in hac quæſtione de actu exteriori adorationis, nam manifeſtum eſt quòd genuflexio, diſcoopertio capitis, thurificatio, & alij ſimiles actus, qui ſunt nota & ſignum ſubmiſſi animi in recognitionem exhibita alterius tamquam maioris excellentiæ, ſeu dignitatis, ſunt actus adorationis, nam vt benè inquit Scotus loco ſuprà citato, adoratio eſt *bona propria reputare parua reſpectu bonorum illius, quem reueretur, cuius bona reputat magna.* eſt ergo dubium de actu interiori.

2. Pro quo nota quòd primò ad actum adorationis præcedit in intellectu actus, quo quis prudenter exiſtimat, eum, quem adorat, ob ſuam excellentiam dignum eſſe, vt ei talis, vel talis cultus exhibeatur, ſi enim hic actus non præcederet, nequaquam ex animo aliquem quis adorare poſſet: deinde ſuccedit voluntatis actus, quo quis ob honeſtatem ſibi propoſitam in reddendo cultum iuxta præfatam ſibi præcognitam excellentiam vult illi exhibere cultum debitum, & tandem reperiri debet ipſa exhibitio cultus: quærimus ergo, An hic vltimus actus poſſit eſſe interior? nam duo priores licet interni ſint, tamen non ſunt ipſa formalis, & actualis adoratio, ſed primus deſeruit vt prudenter proponatur obiectum proſequendum, & ſecundus ſit quaſi imperium quod præcipit adorationem; hoc autem quærimus de adoratione interna, quæ verſetur circa Deum, vel Angelum.

3. Vasquez latissimè 3. p. disp. 93. defendit, quòd nequeat actus adorationis esse internus, & pro hac sententia citat plures Auctores, D. Bonauenturam in 3. dist 9. art. 2. q. 3. & 4. Almainum & Maiorem ibid. q. 1. Marsilium q. 8. art. 1. ad 3. Durandum dist. 9. q. 1. n. 7. & 8. D. Thom. 2. 2. q. 84. in principio vbi enumerat adorationem inter actus exteriores religionis, tenent Valencia 2. 2. disp. 6. cap. 3. §. 1. Lessius lib. 2. cap. 38. dub. 1. & Raguza disput. 37. Fundamentum est quia adoratio non est actus intellectus, quia non fidei vt patet, neque prudentiæ, quia hic antecedit vt dirigat voluntatem, non orationis, quia licèt hæc imperari possit ab adoratione, tamen non est formalis adoratio, quia vel est formalis petitio, vel eleuatio mentis in Deum. Neque similiter est actus voluntatis, quia hic vel versatur circa Deum, vel non, si non, ergo non potest esse signum vel non summissionis, seu submissi cultus, ergo neque adoratio; si sic, erit charitatis, aut spei, aut obedientiæ, aut alterius virtutis, ergo non adorationis, nullo ergo modo adoratio potest esse actus interior.

4. Vera tamen & amplectenda sententia affirmat, quòd actus adorationis potest esse interior, & merè spiritualis. ita Scotus noster in 3. dist. 9. q. vnicâ, §. *de primo*, vbi distinguit duplicem adorationem, vnam internam, & externam aliam. quam sententiam esse communem cum Magistro in 3. dist. 9. docuit Suarez tom. 1. supra 3. partem disp. 51. sect. 2. tenent Bellarminus lib. 1. de Cultu Sanctorum cap. 12. Lorca disput. 87. dub. 3. & Gaspar Hurt. disp. 20. de Adoratione diffic. 4. & est absolutè de mente D. Thomæ 2. 2. q. 84. art. 2. vbi inquirit an adoratio importet actũ corporalem? & respondet ex Damasceno, duplicem esse adorationem, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & incorporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione: quòd autem vbi suprà adorationem inter actus externos enumeret, non est in causa vt illam excludat ab actibus internis, sed solùm quòd referat etiam ipsam inter alios actus externos.

5. Hæc sententia probatur primò ex D. Damasceno 4. de fide cap. 13. dum ait, *Quia nos constamus ex natura visibili & spirituali, Deum summum opificem duplici genere adorationis afficimus, sicut etiam mente & corporis labiis psallimus.* vbi non solùm distinguit adorationem interiorem & exteriorem, sed etiam illam comparat orationi interiori & exteriori, sed datur vera oratio interior; ergo & vera adoratio. Secundò probatur ratione, nam præcipitur adoratio Angelis; ergo datur adoratio spiritualis, quia Angeli sunt puri spiritus. Antecedens patet Psal. 96. *Et adorent eum omnes Angeli eius*; & ad Hebræos 1. *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius*; & 2. Esdræ 9. *Exercitus cæli te adorat.* Et in præfatione Missæ dicitur, *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes*, &c.

Sed respondet Vasquez, quòd in his locis sumitur adoratio impropriè, quia quodlibet virtutis exercitium in Dei gloriam relatum, tamquam in vltimum finem, est quidam Dei honor, seu cultus. Sed contrà primò, quia Scripturæ verba in proprio sensu sunt accipienda, dum non implicat manifestè. Secundò, quæro quãdo Angelis præcipitur adoratio, quis, & cuius virtutis actus præcipitur? numquid amoris, aut humilitatis, aut obedientiæ, vel omnem virtutis actum? sed non omnem, quia plures non sunt sub præcepto, sed sub consilio, ergo aliquem; si autem aliquem, non diceret *& adorent*, sed ament, vel obediant, &c. quia si amor significaretur nomine adorationis, non significaretur hoc nomine obedientiæ, nam sicut obedientia non significatur nomine amoris, ita neque significaretur nomine adorationis, prout adoratio significaret amorem. Contrà tertiò, quia ad Philip. 2. dicitur, *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*; ergo comparata vera adoratione cælestium & terrestrium significata per genuflexionem, sicut hæc cum omni proprietate intelligitur de hominibus, ita illa cum omni proprietate debet intelligi de Angelis. patet consequentia tum ex contrapositione præfata verborum, tum à simili, nam ex illis verbis Pauli 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, 6.

rectè

rectè inferunt Theologi dari veram locutionem angelicam, sicut datur vera locutio humana; ergo similiter ex genuflexione cælestium & terrestrium licebit inferre veram Angelorum & spirituum cælestium adorationem per genuflexionem significatam.

7. Tertiò probatur à priori, nam ad actum propriæ adorationis requiruntur duo, scilicet quòd fiat ex motiuo reddendi cultum debitum, & quòd sit signum, & nota submissionis, seu animi humiliati, & alteri cedentis, sed possunt dari actus in Angelo, & in anima separata; siue sint intellectus, siue voluntatis, qui comprehēdant vtrumque; ergo. Maior est vera, quia explicat definitionem adorationis. Minor autem diuerso modo probatur à diuersis, nam aliqui constituunt actum internum adorationis in actu humilitatis, exhibito in recognitionem superioris, seu adorati: sed hic tantùm est materialis adoratio, non formalis, de qua quærimus, quia humiliare se tantum est abiicere se; & quòd supra hoc addatur, quòd fiat in recognitionem superioris, supponit, vel concomitantem habet ipsam adorationem, quæ illam constituit in sua specie, & extrahit à specie humilitatis. Alij constituunt in quadam complacentia, quâ quis complacet se esse inferiorem alteri, & subesse illi, quia hoc est congruum suæ excellentiæ, sed hic actus vel antecedit, vel subsequitur adorationem, nam vel posset habere hanc complacentiam, & non exhibere notam & signum talis complacentiæ; vel si non posset, nihilominùs ipsa complacentia non est ipsa exhibitio notæ, & signi, quo cognoscitur adoratio.

8. Meliùs ergo omnibus hoc explicuit Scotus vbi suprà, dum sic definit internam adorationem: *Revereri aliquem actu interiori, est bona propria parua reputare respectu bonorum illius, quem reueretur, cuius bona reputat magna.* sed reputare est actus intellectus appretiantis hoc præ illo. ergo si detur actus intellectus, qui præferat bonitatem & excellentiam personæ alicuius, scilicet Dei, vel Angeli, vel alterius respectu propriæ bonitatis & excellentiæ, vel dominium alterius respectu seruitutis propriæ, talis actus exhibebit formalissimam adorationem, quia talis actus erit formalis nota, & signum expressum prælationis vnius bonitatis ad aliam, & insuper est à voluntate in hunc finem ordinans (quare hic actus non est ille primus quem retulimus in principio quæstionis, sed alius subsecutus ad imperium voluntatis) deinde si eliciatur ex imperio voluntatis reddendi cultum debitum illi personæ, habebit honestatem moralem adorationis; ergo cùm vterque iste actus sit internus, & comprehendens vtrumque quod requirit vera & propria adoratio, non debet hæc denegari actibus internis.

Per hoc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, quia formalis adoratio licet sit actus intellectus, non est actus fidei, neque orationis, neq; prudentiæ, sed tantùm est actus appretiationis & prælationis vnius præ alio, imperatus in hunc finem, vt scilicet sit nota & signum præfatæ prælationis; actus autem qui pertinet ad voluntatem, non est formalis adoratio, seu non est eliciuè adoratio, sed imperatiuè, neque indiget quòd sit charitatis, vel spei, &c. quia sufficit quòd habeat pro motiuo reddere cultū debitum ad hoc vt sit verus actus religionis, sicut enim in fide alius est actus quo volo credere, & alius intellectus quo credo, & ille prior habet honestatem virtutis fidei, ita in religione alius est actus voluntatis quo volo reddere cultum debitum, & alius intellectus quo reddo per talem appretiationem, & ille prior habet honestatem virtutis religionis, imò propter ipsum virtus ista est moralis & honesta. 9.

Sed in fine huius quæstionis inquires primò propter quos titulos debita sit Deo adoratio. Respondeo cum Damasceno orat. 3. de imagine, quòd propter quinque Deus latriâ potest adorari, primò propter supremum eius dominium. 2. propter infinitam eius gloriam & sanctitatem. 3. propter maxima erga homines beneficia. 4. propterea quòd ab illo speramus omne bonum. 5. denique quia illum offendimus. qui tituli sub duplici mihi veniunt explicandi titulo, nam Deus vt concipitur in se bonus & perfectus habet supremum dominium, gloriam & sanctitatem, & vt concipitur bonus in ordine ad nos, concipitur noster beneficus, obie- 10.

obiectiua spes nostra, & placabilis per nostram satisfactionem. & sub vtroque est merito & debito adorabilis latriâ.

11. Inquires secundò, An Deus eâdem latriâ sit adorabilis ob diuersa eius attributa, & beneficia? Sed vt respōdeam in primis suppono, quòd propter quodcumque Dei attributum est Deus adorabilis latriâ, quia quodcumque ex illis est infinita excellentia, quæ comparata respectu nostræ, præferri debet tamquam increatum creaturæ, & sic non solùm Deus sub formalitate Deitatis conceptus, sed etiam conceptus sub ratione misericordiæ, vel iustitiæ, vel charitatis, &c. debet adorari genuflexione, thurificatione, &c. quod meritò docuit Corduba lib. 1. quæst. 5. dub. 2. Deinde suppono quòd propter quodcumque beneficium est Deus adorabilis. supponit Scotus loco citato §. *respondeo*. vnde propter beneficium Incarnationis genuflectimus in Missa, dum dicitur, ***Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est;*** & in gloria inclinamus caput, dum dicimus, ***Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam***, quæ scilicet relucet in tot beneficiis ab eo acceptis.

12. Dico ergo quòd non est diuersa in specie latria, quâ adoratur Deus sub ratione suorum attributorum, & sub ratione benefacientis ab ea quâ adoratur sub ratione Deitatis, quia omnia ista respiciuntur sub vna ratione specifica, scilicet sub ratione excellentiæ infinitæ, & non materialiter secundùm formalitates quibus constituuntur & distinguuntur, nam secundùm hanc rationem intellectus noster comparat illam ad excellentiam creatam, & illam illi præfert, non autem quatenus ipsæ formalitates comparantur inter se, quia inter illas non est comparatio pertinens ad adorationem, vnaquæque est infinita, & quia diuersi generis est, incomparabilis est ad inuicem, & licèt non sint motiuum adorationis, quia hoc est honestas, quæ reperitur in cultu, tamen vt iste debitè taxetur, attenduntur, sed vt dixi sub vna ratione specifica, & sic non est magis quàm vna species latriæ, & si per impossibile essent duo Dij, quorum vnus crearet, & alius redimeret, vterque esset eâdem adoratione latriæ adorandus, quia tantùm attenditur vterque Deus vt infinitè bonus nobis in vtroque beneficio, sic docent Alexander 3. p. q. 3. memb. 1. art. 3. Gabriel lect. 49. in Canonem, Suarez disp. 15. sect. 4. Vasquez disp. 94. Raguza disp. 38. & Gaspar Hurtado disput. 20. diffic. 6. quidquid sit de eorum fundamento.

QVÆSTIO III.

Qualiter latria, quâ Christum adoramus, respiciat ipsum Deum & hominem.

SVpponit quæstio præsens, quòd Christus, qui essentialiter est vna persona Verbi in duabus, & ex duabus naturis subsistens, diuina scilicet, & humana, adoretur adoratione latriæ, quâ tota Trinitas, & singulæ personæ adorantur, quod de fide certum est ex Concilio Ephesino can. 8. & in Epistola Concilij Alexandrini ibi recepta, & in 5. Synodo collatione 8. can. 9. & habetur expressè in Scriptura ad Philip. 2. ***In nomine Iesu omne genu flectatur;*** & Ioan. 20. adorauit Thomas, dicens, ***Dominus meus, & Deus meus;*** & cap. 3. dixerat de se Christus, ***Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem;*** & Apoc. 5. & 22. adorant Sācti Agnum occisum ab origine mundi, id est Christum, dicentes, ***Benedictio, & honor, & potestas in sæcula sæculorum.*** Et ratio hoc suadet, quia Christus est Deus, neque assumendo humanitatem debito sibi priuauit honore, sicut Rex, & si vilioribus vestibus induatur, regio tamen est tractandus obsequio. Est ergo difficultas qualiter adoretur, id est, An ipsa adoratio latriæ respiciat in ipso Christo non solùm personam diuinam, sed etiam humanam naturam. 1.

Conueniunt omnes Catholici quòd humanitas in Christo reperta debeat adorari adoratione latriæ, est autem inter eos dissidium an hæc sit ipsa quâ adoratur Diuinitas, an alia minor? & si est ipsamet, qualiter hæc respiciat humanitatem. Prima sententia tenet humanitatem Christi Verbo vnitam non adorari eâdem adoratione latriæ quâ ipsum Verbum, sed aliâ, quæ etsi latria sit, non tamen ita perfecta. ita Alexand. 2.

3. p.

3. p. q. 30. art. 2. & 4. p. q. 2. art. 1. ad vltimum. Gabriel in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. conclus. 3. Corduba lib. 5. q. 3. Paludanus in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. Et probant primò ex Glossa super illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius.* vbi ait, *Caro à Verbo Dei assumpta sine impietate adoratur à nobis, quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi priùs adoret, non illa dico adoratione, qua latria est, qua soli Creatori debetur.* Et Raban citatus ab Alexandro vbi suprà ait: *Non enim adoramus eam* (scilicet humanitatem) *omnino in terra prostrati, nec sacrificamus sicut Deo quia nos ex nihilo creauit, sed quia per ipsam redempti sumus; ideoq; dicitur latria communi quadam significatione.* Et D. Damascenus orat. 1. de imaginibus pag. 5. sic habet: *Non materiam, sed materiæ Auctorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, vt per materiam mihi salutem præberet: materiam verò, per quam mihi salus parata est, colere non desinam, non tamen vt Deum.*

3. Secundò probant, quia latriæ adoratio soli Deo debetur, ergo propter solam diuinitatem; ergo humanitas, quæ in Christo reperitur, non debet adorari latriâ, etiamsi vnita sit diuino Verbo. Et confirmatur primò, quia vnio non sufficit ad eamdem Dei adorationem præstandam, sicut accidentia, vel vestes quæ sunt in Rege creato non adorantur eâdem adoratione, quâ ipse Rex adoratur. Et cõfirmatur secundò, quia vel modò Angelus adorat Verbum in Christo eâdem numero adoratione, quâ antequam esset vnitum humanitati adorabat, vel non; si primùm ergo humanitas Christi non adoratur latriâ, quia ante incarnationem neque erat vnita, neque habebat existentiam, si non: inquiro quâ adoretur adoratione? & quæcumque illa sit, non erit latria, quia id, quod additum est, est creatum, licèt sit vnitum diuino, propter quod licèt sit latria, sed debet esse inferioris & imperfectioris rationis. Et confirmatur tertiò, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed humanitas adoratur propter Verbum, ergo magis adoratur Verbum; ergo latria quæ respicit Verbum, est magis perfecta.

4. Secunda sententia docet, quòd humanitas Christi prout vnita Verbo adoretur eâdem adoratione, quâ diuinitas, non tamen per se sicut illa, sed per accidens. ita Durandus in 3. dist. 9. q. 2. Et probat, quia Ecclesiæ Patres asserunt quòd in Christo adoretur humanitas eâdem adoratione quâ Deus sicut purpura adoratur simul cum Rege, sed purpura adoratur per accidens, & quod per se adoratur est regia dignitas; ergo humanitas vnita adoratur per accidens eâdem adoratione, quâ adoratur Deus: immerito autem reprehẽditur hic modus dicendi Durãdi ab aliquibus Scholasticis (vt benè aduertit Vasquez disput. 95. cap. 3. n. 15.) quia ipse non ait quòd humanitas vnita sit Verbo per accidens (vt ipsi putant, vel inferunt) sed quòd adoretur per accidens, licèt fuerit substantialiter vnita, nam vt constat ex Aristotele 5. Physic. cap. 1. non solùm ea dicuntur moueri per accidens motu alterius, quæ illi per accidens sunt coniuncta, vt esse musicum, esse album, &c. sed etiam partes substantiales, quæ illi vnione substantiali adhærent; sicut ergo partes mouentur, ita humanitas adoratur.

Tertia sententia defendit quòd humanitas adoretur eâdem quâ Deus adoratione, sed de consequenti. ita D. Bonauentura in 3. dist. 9. art. 1. q. 1. ad 5. Ricardus art. 2. q. 1. ad 1. Thomas de Argentina art. 1. Et probant, quia propter vnionem hypostaticam humanitas nobilitatur Verbo. ergo honoratur illo, ergo participare debet honorem Verbi, ergo & adorationem Verbi, sed hæc est latria, ergo illa debet adorari, sed non primario & per se, quia hoc est proprium Dei, ergo de consequenti. 5.

Verior tamen & quarta sententia docet, quòd licèt humanitas vnita secundùm omnem eius excellentiam non sit ratio propter quam Christus adoretur latriâ, est tamen terminus seu obiectum *quod* adorationis latriæ, itaque totus Christus constans ex duplici natura adoratur latriâ, tamen humanitas vnita non est obiectum per se primarium, quia hoc est Deitas, seu diuinum Verbum, quod est ratio motiua, sed est obiectum per se secundarium, quod ex vi prioris est necessariò terminatiuum. hæc est (licèt non ita expressè) sententia Scoti vbi suprà *§. de tertio*, eamque 6.

tradunt

tradunt communiter Scholastici cum Magistro in 3. dist. 9. Ricardus art. 2. q 1. Capreolus q. 1. art. 1. conclusione 1. Almainus & Maior q. 1. conclusione 4. Marsilius q. 8. art. 2. conclusione 1. & 2. S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistæ 3. p. q. 25. art. 1. & 2. Vasquez disp. 95 cap. 2. Suarez sectione 2. Lorca disp. 88. & ex nostris Philippus Faber in 3. disp. 22. cap. 3. Pytigianus dist. 9. q. vnicâ, art. 5. Ouandus ibidem art. 2. dub. 3. Neque dissentiunt Auctores secundæ & tertiæ sententiæ, sed per adorationem per accidens, vel de consequenti volunt significare id quod nos appellamus per se secundario.

7. Probatur primò veritas huius sententiæ, quæ definita videtur in Concilio Alexandrino in Epistola ad Nestorium quæ est 10. inter Epistolas Cyrilli, & approbata etiam fuit in Concilio Ephesino, vbi post reprehensionem huius Nestorianæ propositionis, *Propter eum qui hominem induit, veneror eum qui indutus est*, eo quòd hic modus adorationis Christum diuidit personaliter, subiunguntur verba ista, *Sed vnus intelligitur Christus Iesus, Filius vnigenitus, qui vnâ adoratione propriâ cum carne adoratur*; & in 8. Anathematismo hoc ipsum definitur, quem explicans Cyrillus in libro declarationum, & in Apologetico sic ait, *Vtpote vnus existens Filius non absque carne, sed illâ potiùs adorandus est*. & idem definitur in 5. Synodo Constantinopolitana collatione 8. cap. 9. sed sic est, quòd humanitas secundùm omnem eius excellentiam, etiamsi vnita sit Verbo diuino, non est infinita in excellentia ratione sui, propter quam infinitatem debetur latria; ergo etiamsi humanitas non sit ratio propter quam Christus adoretur latriâ, est tamen secundùm præfatas Conciliorum definitiones ipsamet adorabilis latriâ tamquam obiectum per se secundarium, quia per se vnita est Verbo.

8. Secundò probatur, nam in Concilio Tridentino sessione 13. cap. 5. & can. 6. statuitur adorandum esse Sacramentum Eucharistiæ adoratione latriæ propter diuinitatis præsentiam, sed diuinitas non minùs, sed multò magis assistit in humanitate Christi, in qua inhabitat tota diuinitatis plenitudo corporaliter, seu realiter, & verè; ergo humanitas Christi non minori adoratione adoranda est, quàm Eucharistiæ Sacramentum, quod ex Tridentino adoratur latriâ.

Tertiò probatur ex Patribus, nam Damascenus (quem citat Scotus vbi suprà) de orthodoxa fide cap. 54. constanter docet vnâ adoratione Christi carnem cum diuinitate esse colendam, & hoc exemplificat in ferro ignito, *quod*, inquit, *timeo tangere propter ignem coniunctum, atque simul fugio ferrum & ignem*. potest etiam citari lib. 3. de fide cap. 8. & lib. 4. cap. 3. & orat. 1. de imaginibus. & Athanasius orat 5. contra Arrianos ad Adelphium fratrem ait, *quòd cùm in adoratione Christi adoramus Verbum, non seponimus aut separamus carnem*. & in lib. de Verbi Incarnatione post primum folium sic habet, *Et quia increati corpus factum est* (scilicet corpus Christi) *ideò eius corpus dicitur, cuius factum est; ac proinde illi sacra offerimus, adhibetisq; vestram orationem, eaq; de causa rectè, legitimaq; adoratione adoratur, & diuinâ adoratione colitur*. & D. Epiphanius in Anchorato post folium 7. habet hęc verba, *Adoras Saluatorem incorporatum, aut non adoras? quomodo verò non adoraueros? si enim non adoraucro, non habebo vitam, Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus: ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: Nam Rex purpurâ indutus ab omnibus adoratur; numquid ergo purpura adoratur, an Rex? manifestum est quòd Rex; coadoratur autem cum ipso ipsa purpura, quam gestat; vbi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non ampliùs purpura adoratur*. idem docuerunt plures alij Patres Augustinus in illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, & Cassiodorus ibidem intelligētes per scabellum ipsam Christi humanitatem; quod desumpserunt ex Ambrosio lib. 3. de Spiritu sancto cap. 2. quibus accedit D. Leo in Sermone 1. de Ascensione. 9.

Quartò denique probatur ratione, quia ad hoc, vt aliquod totum secundùm omnes suas partes per se terminet aliquam adorationem, non est necessarium quòd in omnibus suis partibus sit excellentia, seu ratio formalis propter quam tali adoratione reueretur, sed sat est quòd illi conueniat secundùm aliquam sui partem; ergo ad hoc, vt Christus prout dicit personam Verbi subsistentem 10.

sistentem in duabus naturis, humana scilicet, & diuina, terminet secundum omnem naturam adorationem latriæ, non erit necessarium, quòd increata, & & infinita excellentia, quæ est ratio formalis prędictę terminationis, sit in qualibet eius natura, sed sat erit quòd sit in aliqua, scilicet in natura diuina. Antecedens, in quo esse potest difficultas, probatur instantiis manifestis, & prima sit Regis induti purpurâ, quâ vsus est Epiphanius suprà, vbi totum adoratur, & sola regia dignitas est ratio formalis adorationis; secunda sit hominis sancti, vel sapientis, vel virtutibus adornati, quâ vsus est Scotus loco citato, vbi totus homo adoratur constans corpore & animâ rationali, & tamen sanctitas, sapientia, virtutes, quæ sunt rationes formales propter quas adoratur, non sunt in corpore, sed in anima.

11. Quòd autē adoratio per se primario in Christo terminetur ad Verbū, & per se secundario terminetur ad humanitatem, satis colligitur ex Cōciliis & Patribus suprà adductis, dum non absolutè dicunt adorari carnem Christi, sed adorari simul cum Verbo, vbi satis indicāt, quòd propter coniunctionem ad Verbum, quod est ratio adorandi, & consequēter per se primo adoratur, adoretur humanitas per se secūdo, hoc enim ipso quòd aliquod obiectū terminat actum ratione alterius, cum quo habet vnionem & cōiunctionem, & propter talem vnionem non qualemcumque, sed cum ratione formali, & per se primaria terminat ipsū, dicitur (& meritò) terminare per se secūdo, sed sic se habet humanitas Christi Verbo diuino vnita; ergo terminat adorationē latriæ per se secūdo.

12. Ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad primum respōdent Scotus & D. Thomas quod Glossa in illis verbis loquitur de adoratione humanitatis precisè sumptæ, non de ipsa prout vnita. Addunt Vasquez & Lorca, neque in ipsa Glossa, neque in D. Aug. ex quo desumpta est inueniuntur illa vltima verba, *Non illa dico adoratione, quæ latria est*, &c. Ad verba Rabani respondetur eodem modo, quòd scilicet veniunt intelligenda de humanitate attēta secundùm se, non prout vnita. D. autem Damascenus est pro nobis, vt patet ex locis suprà adductis: vnde verba, quæ ab Aduersariis adducuntur, scilicet, *Materiam verò, per quam mihi salus parata est, colere non desinam, non tamen vt Deum*, tantùm sibi volunt quòd humanitas non sit obiectum per se primarium adorationis latriæ, sicut est Deus, at non negat quòd sit secundarium.

Ad secundum dico, quòd latriæ adoratio soli Deo debetur tāquam obiecto per se primario, tamen tāquam obiecto secundario etiam debetur humanitati vnitæ. Ad primam confirmationem respōdetur, quòd licèt quęlibet vnio non sufficiat ad præstandam adorationem omnibus partibus vnitis vt patet, si vniatur cum Rege ignorantia, vel fatuitas, aut peccatum, ista non adorarentur, quando fieret Regi adoratio, quia non cēsentur partes quasi per se illius, benè tamen sufficit illa vnio quæ vnit in aliquam per se partem illius totius adorabilis, & sic manus, vel pes Regis adoratur & osculatur, quia est per se pars ipsius, & similiter purpura, quia vestis est regia, & ad ostentationem regiæ dignitatis conducens vt per se moralis pars Regis adoratur, & ab aliquibus Regibus conceditur vt osculetur in signum adorationis, & sic multo potiori iure humanitas Christi adorabilis est latriâ, propter eà quòd est per se pars Christi in quo est Verbo vnita. 13.

Ad secundam confirmationem dicimus, quòd Angelus post Incarnationem adorat diuinum Verbum incarnatum non omnino eodem actu quo antea adorabat, sed aliquo modo diuerso propter nouam extensionem ad humanitatem: hæc tamen diuersitas, quæ ex extensione illi aduenit, non est in ratione sua formali, cùm obiectum formale prædictæ adorationis omnino inuariatum maneat, sed in ratione sua materiali, & entitatiua, sicut si modò videretur visione beatâ Verbum, & posteà proposità de nouo aliquâ creaturâ futurâ, vel possibili ex vi visionis Verbi, per eamdem visionem videretur illa creatura. 14.

Ad tertiam confirmationem respondeo dupliciter: primò, quòd illud axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ly *& illud magis* explicant aliqui, id est, *& illud prius*; & sic non habet vim consequentiæ, quia tantùm infert, quòd priùs seu perpriùs adoretur latriâ diuinum Verbum, quàm humanitas. Secundò dico quòd licèt intelligatur vt 15.

vt sonat, solùm probat quòd magis est adorabilis latria diuinũ Verbum, quàm humanitas sibi vnita, quia hoc habet Verbum tamquam obiectum formale, & per se primarium; humanitas verò tantùm illud habet tamquam obiectum materiale, & per se secundarium. Quia ergo Auctores secundæ & tertiæ sententiæ idipsum volũt dicere, quòd nos (licèt eorum modus loquendi non sit ita aptus, & conueniens, sicut noster) non necesse habemus satisfacere eorum argumentis.

16. In calce huius Quęstionis obseruandum venit, quòd licèt aliqui Theologi existimauerint non fuisse ab Ecclesia definitam adorationem latriæ humanitati Christi exhibendam, tamen plures alij cum Vasquez disp. 95. in fine cap. 2. aiunt definitam fuisse, nam sicut Nestorius non solùm affirmabat duas in Christo personas, sed etiam duas distinctas adorationes ipsi exhibendas, ita Ecclesia non solùm definiuit vnitatem personæ in duabus naturis, sed etiam vnitatem adorationis latriæ vtrisq; exhibenbam, & hoc videtur probabilius, & colligi ex testimoniis Conciliorum & Patrum adductis in principio quęstionis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm humanitas Christi per se, & præcisa à Verbo diuino possit adorari, & quâ adoratione?

1. TRipliciter potest humanitas considerari per se, & pręcisa à Verbo: primò præcisione, & separatione reali, vt si dimitteretur à Verbo, & à Deo cõseruaretur in esse existẽtiæ. 2. pręcisione merâ intellectus, quæ subdiuidi potest in vnam, quæ tãtùm concipiat humanitatem Christi absq; eo quòd concipiat vnionem vel Verbum; & in aliam, quæ licèt totum hoc concipiat, tamen solùm attendat ad humanitatem prout nobilitatam denominatione extrinsecâ deificationis, nõ verò ad ipsam formam extrinsecè deificãtem. 3. denique præcisione voluntatis, quæ licèt præcedat in intellectu integra notitia eorum quę sunt in Christo, potest velle adorare solam humanitatem habente se merè negatiuè circa reliqua alia, quę intellectus præcognouit, imò & proposuit ad adorandum. Circa primũ eodem modo est philosophandum, ac infrà de adoratione reliquiarũ, sicut enim reliquiæ Sanctorum adorari debẽt propterea quòd sunt partes alicuius Sancti, ita & humanitas Christi quia fuisset terminata à Verbo, & ad minus idipsum quod diximus de adoratione crucis, clauorum, & lanceæ propter contactũ ad Christũ; multo potiori iure dicẽdum foret tunc de humanitate propter præcedentem vnionem ad Verbum diuinum. Cùm autem hæc speculatio sit merè metaphysica, quia numquam humanitas Christi desiit esse vnita, non est de ea quæstio, sed de aliis duabus præcisionibus, in quibus prior, & in priori sensu accepta est quæ à Scholasticis præcipuè discutitur: ex cuius decisione facilis erit responsio ad tertiam præcisionem, & ad secundam in secundo sensu acceptam.

Prima ergo sententia sustinet quòd humanitas Christi sic per intellectũ pręcisa nõ potest per se seu seorsim adorari nõ adorato Verbo, & cõsequenter quòd nequit adorari nisi adoratione latriæ. ita Vasquez tom. 1. super 3. p. disp. 96. cap. 2. Lorca disp. 89. Raguza disp. 42. Gaspar Hurt. disp. 20. diff. 12. citantque alios, quos excusat Suarez infrà referendus, & probant primò testimoniis Conciliorum & Patrum, quæ adduximus quęstione præcedenti, in quibus habetur, in adoratione Christi non esse separandum Verbum à carne, neque carnem à Verbo, sed vtrumque simul eãdem adoratione latriæ esse venerãdum. 2.

Secundò probant, quia humanitas à Verbo pręcisa vel adoratur propter deificationem passiuã à Deitate prouenientem extrinsecè, vel adoratur propter excellentiam intrinsecam prouenietem à gratia habituali, & à reliquis virtutibus, & donis supernaturalibus: sed primum nequit esse absq; inclusione ipsius Verbi, quia denominatio extrinseca nequit intelligi absque forma extrinseca denominante; neq; secundum similiter queit esse, tum quia sicut actiones sunt suppositorum, ita & passiones; & consequenter nequit esse adorabile, nisi suppositum, tum quia quando res est adorabilis superiori titulo, non decet illam priuari excellentiori adoratione, & solùm inferiori venerari, fieri valet absque iniuria, sicut si Rex adoraretur vt Comes, vel vt Dux, relicta regali adoratione maiestatis regiæ propria. 3.

Tertiò

4. Tertiò probat in speciali P. Lorca num. 20. ab auctoritate negatiua (quod argumentum in hac parte existimat efficacissimum) quia Ecclesia numquam meminit huius adorationis, quæ solùm ad humanitatem Christi terminaretur sistendo propriis eius intrinsecis excellentiis, neque aliquando illam docuit aut proposuit communitati fidelium, neque inuenitur aliquod illius vestigium in vllo sanctorum Patrum. Neque obstat, si dicas (inquit P. Lorca) ideò Ecclesiam & Patres hanc adorationem omisisse, quia in praxi erat periculosa, propterea quòd daret ansam existimandi Christum esse purum hominem. quia contrà est primò, quòd in actibus externis adorationis non apparet an illa adoratio sit latriæ vel hyperduliæ, siquidem prostrationes & genuflexiones, &c. sunt vtrique adorationi communes, & in actibus internis non est talis fallacia vt supponimus; ergo nullum adest periculum præfati erroris; ergo ideò Ecclesia & Patres non meminerunt huius adorationis, quia non decet. Contrà secundò, quia si hæc adoratio deceret, quò magis ex alia parte periculosa esset, eò redderet magis studiosam & sollicitam Ecclesiam, vt doceret modum quo prædicta adoratio fieret sine errore.

5. Secunda tamen & vera sententia affirmat posse humanitatem, quæ de facto vnita est diuino Verbo, secundùm se consideratam adorari ratione gratiæ habitualis, ratione virtutum, & aliorum donorum, quæ in ipsa sunt non adorato diuino Verbo. hanc sententiam tenet Suarez disput. 52. & sect. 3. docet esse omnium Scholasticorum, qui in propriis terminis hanc quæstionem attigerunt Henricus quodlib. 10. quæst. 6. Almainus in 3. dist. 9. q. 1. Paludanus q. 2. &c. sequitur Petrus Hurtado disput. 85. sect. 2. num. 8. & absolutè illam priùs tradidit Scotus in 3. dist. 9. q. vnicâ, §. *ad argumenta*, vbi super illa verba Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, quæ intelliguntur de sola humanitate, & exposuerat Glossa de quadam inferiori adoratione ad adorationem latriæ, habet hæc Scotus, *Vel potest exponi* (scilicet Glossa) *de ipsa carne vt termino adorationis totali, ita quòd ibi sistatur in eius consideratione & adoratione*. admittit ergo Scotus adorationem carnis, seu humanitatis Christi præcisè sumptæ, inferiorem latriâ, quæ totaliter & adæquatè terminatur ad ipsam. Scotum sequuntur discipuli, cum quibus Philippus Faber super prædictam distinctionem disp. 22. cap. 4. & Corduba lib. 1. q. 5. dub. 3.

Hæc sententia probatur primò ex D. Damasceno relato à D. Thoma pro hac sua sententia 3. p. q. 25. art. 2. in solutione ad 1. in lib. 4. cap. 3. vbi habet hæc verba, *Caro ipsius* (scilicet Christi) *suaptè quidem natura, si subtili quadam cogitatione id, quod in oculis incurrit, ab eo, quod in animo tantùm, ac ratione intelligitur, distinxeris, haudquaquam adoranda est* (intellige adoratione latriæ) *vtpote condita; & tunc sic intellecta, vt separatè à diuino Verbo debetur sibi adoratio dulia, non cuiuscumque, sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant*. quid clariùs posset pro hac adduci sententia? nam Damascenus expresse cōcedit humanitati præcisè adorationem hyperduliæ, & illi negat latriæ. Et cōfirmatur ex testimonio Glossæ suprà relato (quod nos adduximus q. 3. in principio) & illud non negauerunt, sed potiùs admiserunt tam Scotus, quàm S. Thomas, & explicuerūt de adoratione humanitatis præcisæ, subintellectæ pro scabello in illis verbis, *adorate scabellum pedum eius*, sed dicit fore adorandam adoratione quæ non sit latria, quia hæc debetur Creatori. ergo, &c. 6.

Secundò probatur ratione, nam prędicta præcisio neque est contra fidem, neque contra bonos mores; ergo neque adoratio subsecuta. Antecedens patet, quia intellectus pręscindens humanitatem à Verbo, non negat humanitatem esse vnitam Verbo, neque negat illi deberi adorationem latriæ quando concipiatur coniuncta cum Verbo, siquidem iuxta vulgare Philosophorum proloquium *abstrahentium non est mendacium*; ergo talis præcisio non est cōtra fidem. Præterea id non est contra bonos mores, quod non negat aliquid debitum bonis moribus, sed qui sic præscindit humanitatem à Verbo, & ab vnione nō negat aliquid debitum bonis moribus, quia nō negat adorationem latriæ debitam humanitati prout vnitæ; ergo prædicta pręcisio nō est cōtra bonos mores. 7.

Consequentia probatur, quia tunc adoratio subsecuta nihil continet contra fidem, neque contra bonos mores, quando subsequitur ad actum intellectus proponentem obiectum honestum, nihilque contra prædicta continens, sed humanitas Christi ornata tum gratiâ habituali, tum virtutibus in heroico gradn, tum donis omnibus supernaturalibus & naturalibus est obiectum honestum ad adorationem, dignumque vt in notam & signum tantæ tamque supremæ excellentiæ quælibet creatura se submittat, & vt sic proponitur à tali actu præcisiuo; ergo adoratio ad ipsum subsecuta nihil continet contra fidem, neque contra bonos mores.

8. Tertiò probatur à simili de amore & laude: si quis enim humanitatem Christi præcisam à diuino Verbo considerarct, cõtemplando illam vt quamdam naturam rationalem sanctissimam, & purissimam, & summâ quâdam dignitate acceptam, potest illam vt sic amare, & summis laudibus extollere: qui amor, & quæ laus erant rectissima, etsi propter ipsa non attingatur diuinum Verbum. ergo eodem pacto poterimus rectissimè, & absque vllo inconuenienti adorare Christi humanitatem, vt sic præcisam à Verbo, ipso Verbo non adorato.

9. Respondent aliqui, aliam esse rationem adorationis, & aliam amoris, seu laudis, nam adoratio exhibet notam submissionis, attendendo ad excellentiam rei adoratæ, & ideò vt dignè fiat, semper debet attendi summa excellentia: amor verò & laus solùm sunt vel prosecutio obiecti, vel pręedicatio quædam dignitatis alterius, & non semper est necessarium aliquem prosequi, aut laudibus extollere, attendendo ad summam illius excellentiam, sed aliquando etiam res minima laudatur. Sed contrà primò, quia non minùs attenditur in amore ad bonitatem obiecti, & in laude ad excellentiam illius, quàm in adoratione, siquidem propter tales amatur & laudatur, at in istis non est necesse attendere ad maiorem, neque est indecentia laudare minorem virtutem relictâ maiori, quia ex primo non sequitur negatio secundi; ergo neque in adoratione. Secundò, quia ex responsione data fit fortius pro nobis argumentum, quod sic formo: Adoratio debet attendere ad maiorem excellentiam obiecti adorati. ergo potest v-rsari etiam in praxi circa minorem. Probo cõsequentiam, quia si adoratio, vt diximus quæstione 1. *est bona propria reputare parua respectu bonorum illius, quem reueretur, cuius bona reputat magna.* eo ipso quòd quis se submittit in notam & signum quòd propria excellentia est parua respectu excellentiæ alterius, quo hęc est inferior, & non ex supremis, quas adoratus habet, magis ipsum superexaltat, & extollit; ergo non minus est excellentia minor obiectum adorationis, quàm amoris & laudis. quare præfata solutio effugium visum fuit Suario.

Ad argumenta respondetur, & ad 10. primum dicimus quòd testimonia Conciliorum & Patrum ibi adiecta solùm militant contra errorem Nestorianum diuidentem in Christo personas, & consequenter negantem adorationem latriæ Christo vt homini, quia non fatebatur humanitatem vnitam substantialiter diuino Verbo, non verò contra nos, qui non negamus talem vnionem, sed solùm per intellectum pręscindentes humanitatem cum suis omnibus donis ab vnione Verbi, dicimus vt sic debere adorari & non latriâ, sed hyperduliâ propter supremam sanctitudinem. vnde hoc benè vidit P. Lorca suprà relatus, quem posteà aliqualiter fuit secutus Gaspar Hurtado, qui tantùm admittit prædicta testimonia ad maiorem congruentiam adorationis, & vt non denotetur error, non autem quia sint ex intentione contra nostram sententiam, vt vult solitâ procacitate Vasquez, sollicitè curans interpretari locutiones hæreticorum, vt damnent sententias Catholicorum, vt patet in pluribus testimoniis ex his quæ adducit, quorum locutiones fiunt in concreto, vt expressè damnent Nestorium sumentem humanitatem in concreto, vt diuersas in Christo constituat personas diuersâ adoratione adorandas, & ipse ait fore accipiendas in abstracto; sic fecit de illo Anathematismo 8. Cyrilli, vbi damnatur ille modus loquendi, *Assumptum hominem vnà cum Verbo adorandum, & glorificandum*; & vt Vasquez condemnet sententiam nostram dicit quòd ly*hominem* debet sumi pro huma-

humanitate in abstracto, cùm tamen talis modus loquendi damnetur, quia sumpto homine in concreto, & coniunctum cum ly *vnà cum Verbo*, significat duplicem personam.

11. Ad secundum respondeo quòd humanitas adoratur propter bonitatem intrinsecam prouenietem à gratia, &c. nec esse obiectum adorationis censetur aliqua passio ex his quæ denominatiuè sunt suppositorum, sicut actiones, nam sicut potest intelligi humanitas per præcisionem absque eo quòd concipiatur suppositum, ita & potest amari, laudari, & adorari: nec similiter obstat excellentia superior, quia nulla est indecentia quòd per præcisionem relinquatur, siquidem non negatur: imò talis adoratio sæpè contingit Regibus, vt Hispaniarum Regi, qui in Flādria adoratur vt Comes, & in Biscaia vt dominus, &c. Notanter autem dixi in hac solutione quòd humanitas adoratur propter bonitatem intrinsecam, quia reputo omnino falsum id quod Lorca num. 11. & Hurtado num. 41. existimant scilicet quòd possit adorari propter deificationem extrinsecam non adoratâ ipsâ Deitate, & scilicet quia est forma extrinseca. Nam contrà est quòd denominatio extrinseca in quantum talis ita intrinsecè inuoluit & includit in suo conceptu essentiali ipsam formam extrinsecam, sicut denominatio intrinseca ipsam formam intrinsecam, sed hæc nequit præscindi à sua forma; ergo neque illa. Et confirmatur, quia quòd columna dicatur dextera, nequit intelligi nisi per ordinem ad dexteritatem existentem in animali, sed hoc modo dicitur humanitas Christi deificata; ergo, &c. quod autem dicunt aliqui, quòd denominatio extrinseca sumitur à quodam respectu rationis, & non ab ipsa forma, falsum est, quia prædictus respectus rationis fingitur ab intellectu quasi forma inhærens in denominato; & consequenter propter eum denominatio non est extrinseca, sed intrinseca.

12. Ad tertium iam patet falsitas auctoritatis negatiuæ, quam pro se adducit Lorca, siquidem sententia nostra tot grauissimis & antiquissimis Theologis fuit plausibilis, insuper Ecclesiæ Patribus, præcipuè D. Damasceno & Glossæ; quòd autem Ecclesia ex professo eam non docuerit, prouenit ex triplici causa: prima, quia hanc adorationem deberi humanitati Christi manifestissimum est etiam hereticis: secunda, quia cùm ipsi humanitati propter vnionem ad Verbum debeatur illa maior adoratio, quæ est latriæ, non opus fuit Ecclesiæ hanc minorem adstruere, sed supponere, & ad maiorem (vt æquum est) applicare fideles: tertia, quia propter errorem Nestorij sollicitantis adorationem singularem humanitati tamquam suppositaliter & personaliter distinctæ à Verbo, fuit Ecclesiæ necessarium hanc adorationem præcludere, ne foret insipientibus occasio errandi cum Nestorio, qui error etiamsi merè internus foret, debuit ab Ecclesia præcaueri, neque est necessarium quòd Ecclesia specialiter doceat hanc præcautionem vtentibus sensu præcisiuo, siquidèm Scholastici hoc faciunt, neq; eâ indigent qui vtuntur præcisione, quandoquidem error esset in negatione vnionis hypostaticæ, & in negatione adorationis latriæ propter illam, non autem est error in præcisione.

Ex his debet inferri primò quid tenendum sit circa tertium sensum huius quæstionis, dicimus enim quòd etiamsi voluntas supponat cognitionem eorum omnium quæ sunt in humanitate Christi, potest optimè habere se merè negatiuè in aliqua adoratione circa vnionem, & circa Verbum diuinum, adorando solùm humanitatem prout ornatam gratiâ habituali, & reliquis donis, siquidem in hoc nulla apparet repugnantia, neque indecentia vt probauimus; imò hoc sæpè contingit in meditatione, & compassione, & adoratione plagarum Christi, flagellorum, & crucifixionis absque expressâ habitudine ad Verbum, sed solùm ad humanitatem patientem & sufferentem, licèt posteà in aliis adorationibus possit voluntas totum quod præcognouit adorare. 13.

Secundò debet inferri quid tenendum sit circa secundum sensum secundo modo acceptum, nam vt patet ex solutione ad secundum argumentum, nequit humanitas cognosci vt deificata, & non cognoscere ipsam Deitatem deificantem, & consequenter nequit adorari quin ipsa Deitas adoretur: neque 14.

neque obstat quod aliqui dicunt, scilicet quòd ratio adorandi non adoratur *vt quod*, tum quia hoc tantùm probat quòd non adoretur vt terminus adorationis, tamen non probat quòd ipsa humanitas adoretur adoratione minori quàm latria, tum quia licèt verum sit, quòd ratio *qua*, seu obiectum formale *quo*, comparatum cum obiecto materiali vel formali *quod*, non dicatur terminus adorationis, non est quia non adoretur, & terminet actum adorationis, sed quia ipsum non habet solùm hoc, sicut illud habet obiectum materiale, sed etiam habet quòd sit formale, & ratio *qua* tamen nihil magis videtur in pariete viso quàm color, nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ita nihil magis adoratur in humanitate vnita seu deificata quàm Deitas, & cõsequenter humanitas prout deificata non potest præcisiuè & sine Verbo adorari.

15. Tertiò denique debet inferri, quòd adoratio debita humanitati Christi sic præcisè est hyperdulia, quæ est eiusdem rationis, seu speciei cum adoratione duliæ, sicut sunt eiusdem speciei gratia habitualis, & reliqua dona creata, quæ sunt excellentiæ in quibus fundantur, solùm inter eas est differentia materialis, & propter supremum & heroicum gradum, quem habent gratia habitualis, & reliqua dona Christi comparata cum eis quæ sunt in reliquis, qui adorantur dulia: communiter vocatur *hyperdulia*, adoratio humanitati Christi debita propter prædictas excellentias; & notanter dico, *propter prædictas excellentias*, quia propter beneficium redemptionis prout exhibitæ à Christo Domino debetur adoratio latriæ, nam inuoluit secum valorem deriuatum à persona diuina, cui talis adoratio debetur; quod si de potentia absolutè fieret ab homine puro, hyperduliæ adoratio sufficeret, nam ex partibus latria solùm debetur Creatori.

QVÆSTIO V.

De adoratione eorum quæ specialiter referuntur ad Christum.

1. NOn quærimus in præsenti de his omnibus quæ communem habent respectum ad Christum scilicet vel vt Dominum, vel vt Deum, vel vt redemptorem, vel vt auxiliatorem, &c. nam hæc quæ communia sunt ad Tractatum de Adoratione in communi remittimus, sed solùm agimus de eis quæ specialiter referuntur ad ipsum, vt exactè examinemus adorationem in ipsis Christo debitam: hæc autem ad quatuor reducenda veniunt, scilicet ad adorationem Virginis Mariæ prout matris Dei, nominis IESV, Crucis in qua pependit, & imaginis ipsius Christi: sed vt distinctè procedamus, oportet Quæstionem diuidere in Partes.

PARS PRIMA.

Quâ adoratione Virgo Maria est adoranda vt mater Christi?

MAximè reprehendunt hæretici nostri temporis (vt refert Canisius lib. 5. de Beata Virgine à cap. 11.) cultum sacrum, quem Ecclesia Catholica defert Virgini, sed in oppositum Catholici maximè illum commendant, & adorandam fore affirmant adoratione sacra maiori, quàm ciuili, vt generaliter de Sanctis (quorum omnium copulatiuè ipsa est sanctissima) definitur in 7. Synodo actione 2. & 3. & 4. & 7. & in Tridentino sessione 25. in decreto de veneratione Sanctorum, & constat ex traditione & vsu Ecclesiæ, & loquendo de Virgine in speciali docuerunt Nazianzenus in suis carminibus, Athanasius sermone in Euangelia de sanctissima Virgine, Augustinus sermone 35. de Sanctis, Damascenus 4. de Fide cap. 15. Petrus Diaconus sermone 1. de Natiuitate B. Mariæ, Bernardus sermone 1. de Assumptione, Anselmus opusculo de Excellentia B. Virginis, Gregorius in Epistola ad Germ. circa finem, & plures alij Patres, quos referunt Vasquez disp. 99. cap. 1. & Raguza disp. 43. Suarez tom. 2. disput. 22. & Lorca disp. 96. 2.

Id autem quod obiiciunt hæretici ex Epiphanio hæresi 78. & 79. reprehendente mulierculas quasdam, quia Virgini tortam panis offerebant, non est ad rem, quia Epiphanius ibi non eas reprehendit præcisè propter oblationem, sed quia offerebant tortam illam 3.

in sacrificium, in quo deficiebant primò, quia sibi vsurpabatur officium Sacerdotis; secundò, quia sacrificium, quod soli Deo potest offerri, offerebant Virgini; tertiò, quia offerebant sacrificium, quod in lege Euangelica prohibitum est, quapropter meritò reprehensione dignæ fuerunt.

4. His suppositis non agimus in præsenti de adoratione debita Virgini propter propriam & intrinsecam ipsius excellentiam: de hac enim loquentes Scholastici, ingenuè fatentur debitam esse duliam, & non qualemcumque, sed excellentissimam, quam *hyperduliam* vocant propter excellētissimam eius sanctitatem (& sicut hanc prope summam Scotistæ vocant, quia absolutè summam humanitati Christi Domini attribuunt, ita & hyperduliam prope summam debitam Virgini fatentur) ita Scotus in 3. dist. 9. q. vnicâ, §. *quantùm ad istum articulum*, vers. *alia dua*, infra litteram G. S. Thomas 3. p. q. 25. art. 5. sequunturque vtriusque discipuli. sed agimus in præsenti de adoratione debita sanctissimæ Virgini propter dignitatem Matris Christi.

5. Prima sententia docet, quòd ei debeatur adoratio latriæ. ita tenent Recentiores aliqui, & probant primò, quia quamuis dignitas Matris Dei sit creata, dicit tamen ordinem ad Christum, in quo est dignitas increata: secundò, quia Mater Regis eàdem virtute obseruantiæ, & eàdem adoratione adoratur, quâ adoratur Rex, sed beatissima Virgo propter dignitatem maternitatis consecuta est dignitatem Reginæ hominum, & Angelorum, iuxta illud Ecclesiæ, *Aue Regina cælorum, aue Domina Angelorum*, &c. ergo eàdem adoratione latriæ, quâ Christus *Rex regum, & Dominus dominantium*, debet adorari.

6. Secunda sententia tenet tantùm esse adorandam adoratione duliæ. ita Suarez vbi suprà sect. 2. Lorca loco citato, Vasquez disp. 100. Raguza disp. 44. Gaspar Hurtado diff. 10. est autem inter hos dissidium an dulia propter maternitatis titulum debita debeat esse maior, quàm illa, quæ debita est propter sanctitatem? affirmat Raguza propter maximam huius dignitatis excellentiam. negat Hurtado cum aliis, propterea quòd D. Augustinus tract. 10. in Ioannem dixerit, quòd *beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quàm carnem Christi.* quod deduxit ex illo Lucæ 11. *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Augustinum imitati sunt Iustinus q. 136. ad Orthodoxos, & Cyprianus sermone de Passione Domini.

Id autem, in quo Auctores isti conueniunt, probant primò, quia relatio maternitatis Dei, etsi habeat pro termino aliquid increatum, est tamen in se aliquid creatum, & finitum, sed adoratio latriæ respicit per se perfectionem increatam, & infinitam in se; ergo nequit Virgo Maria, in quantum ornata est relatione maternitatis Dei, venerari adoratione latriæ. Secundò, quia aliàs sequeretur quòd etiam Sancti forent adorandi adoratione latriæ, quia in quantum sunt amici Dei, dicunt relationem ad ipsum, & vt sic venerantur, sed hoc est falsum, vt patet; ergo propterea quòd beatissima Virgo dicat relationem maternitatis ad Deum, non est illi debita talis adoratio. 7.

Inquirunt deinde Auctores huius sententiæ, quâ adoratione sit adoranda B. Virgo ob contactum, quo Christum tetigit gestando in vtero, lactando, &c. Et respondent esse adorandam adoratione latriæ multo potiori ratione, quàm crux, claui, spinæ & lancea, quæ propter talem contactum hac adoratione adorantur. Disputant tamen an hoc tantùm sit verum loquendo metaphysicè, & merè speculatiuè; an autem congruat ipsam propter hoc practicè & in vsu adorare adoratione latriæ? Et respondent solùm esse verum speculatiuè loquendo, quia absque irreuerentia & incongruentia nequit adorari latriâ in vsu & in praxi, propterea quòd Virgo habet in se proprias excellentias propriæ sanctitatis & maternitatis propter se adorabiles, quod magis decens est ipsi, quàm adorari ob alienas, sicut adoratur lignum crucis, &c. 8.

Sed vt nostram proferamus sententiam, in memoriam reuocanda sunt ea, quæ diximus disp. 9. q. 6. vbi loquendo de maternitate Virginis diximus, quòd potest sumi dupliciter: primò, prout est quædam relatio ad Christum vt primò productum terminata, quâ ratione sumitur scholastico modo. Secundò, 9.

cundò, sumi potest pro omni eo quod præstitit vt mater. hæc numero mulier, quia scilicet non solùm genuit Christum, sed etiam perfecit omnia munia & obsequia matris, nam ad esse matrem scholastico modo loquendo sufficeret, quòd per generationem daret Christo primum esse, quo accepto statim poterat extrahi à Deo, & non portari per nouem menses in vtero, tradi alicui nutrici, & non lactari à Virgine, &c. perficere ergo beatissimam Virginem Mariam his omnibus primam Christi generationem, est quoddam genus maternitatis, quod etiam maternitas communiter appellatur. Differt autem prima maternitas ab hac posteriori, quòd prima tantùm respicit Christum vt terminum relationis maternitatis, quæ habet pro conditione *genuisse*, & est relatio spectans ad secundum genus relatiuorum ex his quæ numerauit Aristoteles in prædicamento relationis: secunda verò vltra hoc addit relationem continentis ad contentum, & perficientis ad perfectum. quod totum duplici exemplo declaro. primum accipio ex rebus materialibus, nam alio modo attenditur arbor, quæ primò produxit fructum à se iam extractum, ac attenditur cum fructu pendendi. secundum accipio ex spiritualibus, quia alio modo auscultatur Ecclesia, seu templum habens sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & alio modo hæremus, quæ illud habuit aliquādo, propterea quòd fuerit celebratum sacrificium Missæ, in vno enim casu non attenditur relatio continentis ad contentum, sicut in alio; sic ergo contingit in hoc duplici genere maternitatis Christi.

10. His ergo suppositis in concordiam reuoco quæ Auctores vtriusque sententiæ docent. Et sic dico primò, Si maternitas Christi accipiatur prout accipitur scholastico modo, scilicet pro relatione producentis, quæ fundatur super *genuisse*, & terminatur ad Christum vt primò productum, non est adoranda adoratione latriæ. Et hoc probant argumenta adducta pro secunda sententia: nam Christus non attenditur, nisi vt merus terminus extrinsecus illius relationis. Si autem quæras, quâ adoratione debeat adorari? Respondeo, quòd sicut maternitatis Dei titulus singularis est excellentia in nulla alia creatura inuenta, ita singulari debet adoratione adorari, distincta à reliquis, quam ego *latrhyperdulam* appellarem, quia ex hyperdulia habet excellentiam maximam; & ex latria, quòd per se respiciat Deum pro termino. Neque obstant quæ ex Euangelio, & ex Augustino adducuntur, quia ibi loquitur Christus (loquendo cum muliere laudante suam matrem, & in hoc prædicando turbis, quod ipsis addiscere oportebat) de beatitudine meritoria, quæ ad vitam æternam conducit, ad quam magis conducit, concipere fidem viuam Christi (vt explicuit Augustinus) quàm carnem Christi, hæc enim conceptio posset stare cum peccato, nisi priuilegiis præcaueretur, non autem illa: vnde meritò dixit Christus, *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Dico secundò: Si maternitas accipiatur secundo modo, prout scilicet etiam includit relationem continentis ad contentum, debetur Virgini propter ipsam adoratio latriæ. hanc conclusionem nequibunt negare, qui propter solum contactum ad Christum illam Virgini concedunt. Eam autem probo primò, quia humanitas Christi ideò propter vnionem hypostaticam est adorabilis adoratione latriæ, quia in se verè & realiter continet diuinum Verbum, cui talis debetur adoratio: sed si beatissima Virgo attendatur vt mater hoc secundo modo, habet continentiam realem diuini Verbi, & verè & realiter ipsum gestat, & augescit in vtero, & lactat vberibus, &c. ergo propter hanc maternitatem (quæ vulgò sic appellatur) ei debetur adoratio latriæ. Et confirmatur, quia cruci quatenus ab ea Christus pendet, debetur hæc adoratio; ergo & Virgini prædicto modo acceptæ. 11.

Secundò probatur eisdem exemplis suprà adductis, quia excellentiori æstimatione antefertur arbor cum fructu pendenti, quàm ipsa, à qua fructus fuit præcisus, & similiter maiori veneratione venerari debet Ecclesia, quæ sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nobilitatur præsentiâ, quàm illa, quæ ipsum aliquando habuit, & totum hoc non aliâ ratione, quàm ratione conti- 12.

nentiæ,

nentiæ, fructus, & Sacramenti, sed quæ pulcherrima vitis cum racemo pendenti comparari queit cum beatissima Virgine cum puerulo suo pendenti ab vberibus? quæ honorabilior Ecclesia cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nobilitata anteponi debet Mariæ prægnanti? cùm ergo hæc secunda Virginis maternitas hanc ei tribuat continentiam, similiter tribuere debet & honorem, at supra adorationem maiorem, quàm hyperduliæ, debitam propter maternitatem priorem scholastico modo acceptam, non est alia, quàm adoratio latriæ, præcipuè si in excellentia, propter quam fit adoratio, inuoluatur Creator, vt contingit in præsenti; ergo propter hoc secundum genus maternitatis debetur Virgini Mariæ adoratio latriæ.

13. Ad argumenta primæ sententiæ, quatenus oppugnant primam conclusionem, respondeo. Et ad primum dico, quòd non sufficit relatio ad aliquid increatum, si ipsum increatum non intrat tamquam contentum in ratione motiua adorationis, & ideò licèt terminus maternitatis Virginis sit Deus, cùm tamen in relatione maternitatis Dei scholastico modo acceptæ non intret in recto, & vt quid contentum, sed tantùm in obliquo non est ratio adorationis latriæ, sed sola ratio adorationis est ipsa formalis relatio maternitatis.

14. Ad secundum respondetur, quòd in humanis dignitas Regis, & dignitas Reginæ sunt eiusdem ordinis, & nihil per se respiciunt increatum, & consequenter adoratio regalis est participabilis à Regina, sed aliquali minori adoratione; tamen in nostro casu excellentia diuinitatis comparata cum dignitate maternitatis non sunt eiusdem ordinis, quia vna formaliter est creata, alia formaliter increata, & sic adorationes secutæ sunt diuersæ rationis; licèt autem sint diuersæ rationis, sed hoc sufficit, vt meritò adoretur vt Regina hominum & Angelorum, ni velis quòd hanc appellationem completè habeat Virgo per maternitatem secundo modo dictam, & propter eam habeat adorationem latriæ, quæ debita est summo Regi Christo.

15. Argumenta secundæ sententiæ solùm militant contra primum genus maternitatis, quia contra secundum non impugnant continentiam, quam supra priorem relationem imponimus, neque præcisè ratione contactus concedimus adorationem latriæ, vt ipsi faciunt, sed etiam ratione prædictæ continentiæ. Et si obiicias, quòd continentia hæc tantùm habet pro termino Christum, scilicet relatio maternitatis; ergo sicut hæc non præstat adorationem latriæ, ita neque relatio continentiæ. Respondeo dispparem esse rationem inter has relationes, nam maternitas, cùm sit relatio fundata in causa efficienti, & terminata ad effectum productum, hoc ipso refert causam ad effectum tamquam ad aliquid extra se, nam per hoc distinguitur causa efficiens à materiali & formali, quòd istæ remanent intra effectum, secùs illa; relatio verò continentiæ licèt respiciat terminum sicut ceteræ relationes, tamen denotat ipsum esse intra continentem vt continentem, & sic nequit continens secundùm hanc rationem adorari, quia adoretur contentum.

Si autem quæras, An Virgo debeat 16.
in praxi & vsu adorari hac adoratione latriæ, supposito quòd in se habet propter propriam excellentiam adorationem propriam? an autem id dicat indecentiam? Dico quòd numquam venit in mentem existimare quòd beatissima Virgo dedignaretur haberi vt perfectissima Dei mater; imò potiùs Lucæ 1. ait de se, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est*, &c. Neque incongruum iudicaui Reginam adorari adoratione regali, si capax est illius, vt contingit in præsenti vt probauimus. præterquam quòd sicut adoratio latriæ, quam humanitas Christi propter vnionem ad Verbum diuinum exigit, non tollit adorationem summæ hyperduliæ debitam ipsi humanitati præcisè sumptæ, aut è contrà, vt suprà diximus quęstione 4. ita neque adoratio latriæ debita Virgini propter munus maternitatis secundo modo acceptum auferet adorationem hyperduliæ propè summæ debitam Virgini propter propriam ipsius gratiam propè summam, neque auferet adorationem lathryperduliæ debitam

debitam propter maternitatem primo modo acceptam, aut è contrà, quidquid fit de adoratione latriæ ratione contactus.

PARS SECVNDA.

Quomodo adorandum sit nomen IESVS?

17. Nomen hoc siue scriptum, siue prolatum esse adorandum, propter excellentiam Christi, quem significat, priùs prędicarunt, & posteà acerrimè propugnarunt noster S. Bernardinus de Sena, & B. Ioannes de Capistrano coram Martino V. anno Domini 1425. vt latè refertur in nostris Chronicis 3. p. lib. 1. cap. 45. & 46. in cuius veritatis confirmationem exiit statim ab ipso decretum, vt processione solemni manifestaretur, & præceptum vt populis prædicaretur, deindeque solidissimis aliis fundamentis veritas hęc stabilita est, quare solùm quærimus quomodo sit adorandum?

18. Scotus lib. 2. de Iustitia & iure q. 4. art. 2. & Corduba lib. 1. q. 5. dub. 4. art. 2. ad primam cõfirmationem septimi argumenti docent non esse adorandum adoratione propriâ, & quæ ad ipsum nomen terminetur, sed solùm dici posse adorari abusiuè, quatenus scilicet excitat in nobis memoriam Christi, quem significat, & sic eo audito statim adoratur, non nomen, sed Christus. Fundamentum est, quia eodem modo debet adorari nomen alicuius, ac imago illius, sed imago tantùm potest adorari abusiuè; ergo.

19. Dicendum tamen nobis est cum communi sententia, quòd nomen IESVS (& idem est de aliis sacris nominibus) siue scriptum, siue prolatum, est per se adorandum, eodem prorsus modo, quo adorari potest imago: vnde si hæc queit adorari non solùm cum prototypo, sed etiam propter se, quia per se refertur ad prototypum (de qua difficultate agemus Parte 4.) ita nomen hoc poterit adorari non solùm cum Christo Domino, quem significat, & quem omnes Catholici adorant adoratione latriæ, sed etiam propter Christum, quem significat, & sic aliquâ adoratione equali vel minori secundùm diuersas sententias, hanc conclusionem docuit D. Thomas opusc. 60. art. 6.

Hæc conclusio probatur primò ex illo Pauli ad Philip. 2. *In nomine* IESV *omne genu flectatur*, &c. Præterea D. Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 36. habet hæc verba, *Nomen* IESV *per vniuersum mundum glorificatur in Ecclesia.* si ergo ipsum nomen glorificatur, & ad ipsum prolatum fit genuflexio, ergo non abusiuè, sed propriè & verè adoratur. patet consequentia, nam quod abusiuè adoratur non glorificatur, sed quod glorificatur est illud solùm quod significatur, non ipsum nomen significans. 20.

Secundò probatur, nam in 7. Synodo Liber Euangeliorum adorandus dicitur, non aliâ ratione, nisi quia in eo sunt scripta sacra nomina; ergo nomini IESV scripto debita est adoratio: sed non minùs est debita prolato, nam vt dicitur in 8. Synodo can. 3. *quæ in syllabis sermo, & Scriptura prædicat, & commendat.* Tertiò probatur ratione, quia illud per se & propriè adoratur, & non abusiuè, quod per se repræsentat illud quod debet adorari, sed nomen IESV siue scriptum siue prolatum repræsentat propter suam significationem Saluatorem Christum, qui debet adorari, imò & adoratione latriæ, vt suprà ostendimus; ergo, &c. Maior est ex professo probanda inferiùs Parte quartâ, dùm agamus de adoratione debita imagini Christi Domini. 21.

Et si inquiras, quænam adoratio debita sit nomini IESV? an latriæ? an alia? Respondeo, quòd sicut cùm imago adoratur cum prototypo, eadem est adoratio quæ datur imagini, ac ea quæ datur prototypo, imò tunc vnica, & eadem numero est adoratio, quæ prototypum respicit tamquam formam, seu tamquam rationem formalem adorandi, & imaginem respicit tamquam materiam, seu tamquam terminum, præcisè in ratione termini; ita cùm nomen IESV adoratur simul & vnicâ adoratione cum prototypo, tunc adoratur adoratione latriæ, sicut ipse prototypus. Difficultas autem est, An quando imago adoratur, vt imago est, & propter habitudinem, quam dicit ad prototypum in ratione repræsenta- 22.

sentationis, seu significationis illius, debeatur illi aliqua adoratio, & qualis sit? à qua difficultate modò supersedeo, quia commodius disputabitur ibi: sed quod dicendum fuerit de imagine, idipsum reputa verum: de nomine IESV interim dico, quòd ad minus aliqua virtutis obseruantiæ debetur adoratio.

PARS TERTIA.

An crux Christi Domini debeat adorari?

23. CIrca crucis Christi adorationem non solùm errarunt hæretici, qui debitam negant imaginibus, & Sanctorum reliquiis adorationem, sed Armenij, qui crucem rem immundam, & indignam adoratione putabant, nisi priùs mundaretur, & speciali ceremoniâ cultui dedicaretur diuino, & ideò crucem priùs lababant, & posteà sanguine sacrificij vngebant, & clauum in ea figebant, & posteà alterum ab altero lignum separabant, & his peractis eam adorabant, teste Eugenio in Monopolia tit. 20. cap. 14.

24. Sed quàm superstitiosa sint omnia ista, satis manifestè apparet, nam crux vt repræsentat nobis Christum in ea extensum, non quid immundum, sed quid sacrum est, neque ad istam repræsentationem, propter quam debita est adoratio, necessaria est aliqua ablutio, aut vnctio, aut clauifixio, neque separatio vnius ligni ab alio; imò eo ipso quòd vnum lignum ab alio separetur, non manet in eo ratio imaginis & repræsentationis Christi Domini in ea extensi.

25. Hæretici ergo, qui cruci negant deberi adorationem, probant primò, quia fuit Christo instrumentum doloris, & mortis, ergo à Christianis non debet haberi in honorem. patet consequentia, quia Filius non honorat patibulum, in quo Pater suspensus obiit. Secundò, quia si crux est adoranda, quia fuit figura crucis Christi, in qua fuit mortuus, ergo etiam omnes lanceæ adorandæ sunt, quia latus Christi fuit apertum lanceâ. Tertiò, si ipsa Christi crux, & alia instrumenta passionis ipsius sunt adoranda, quia Christum tetigerunt; ergo etiam labia Iudæ sunt adoranda, quia Christum osculata sunt: sed hæc omnia incongruentiam præ se ferunt; ergo, &c.

26. Sed pro dicendis nota, quòd duobus modis potest considerari crux Christi. primò, in quantum nobis repræsentat Christum crucifixum, quod quidem reperitur in quacumque mundi cruce ad hunc finem instituta, quod notanter dixi propter latronum cruces ad dexteram, & ad sinistram Christi crucifixorum, quæ prout ipsorum sunt, non sunt institutæ ad repræsentandam crucem Christi, & sic in montibus Caluariis positæ non debent vt crux Christi in medio posita adorari. Secùdò, in quantum crux Christi habuit contactum ad corpus ipsius, & eius pretiosissimo sanguine fuit aspersa, quâ ratione in sola illa cruce Christi Domini hoc fuit repertum, cuius reliquiæ seu particulæ communiter *lignum crucis* appellantur.

27. Quo supposito dico primò tamquam de fide certum, quòd quæcumq; crux ex quacumque materia fabricata, si consideretur vt repræsentat Christum Dominum crucifixum, est adoranda: ita de cruce, quæ figura est crucis, in qua Christus pependit, definitum est in 7. Synodo, actione 7. quod tradunt plurimi Ecclesiæ Patres, quos latè referunt Vasquez disp. 111. & Raguza disp. 54. Et ratione probatur, quia crux in hac acceptione nihil est aliud, quàm quædam imago Christi crucifixi: sed imago adorari debet, si prototypus debeat adorari. ergo cùm Christus Dominus meritò debeat adorari, ita & quælibet crux ad hoc instituta ex quacumque sit fabricata materia, debet adorari. Quòd si quælibet hoc modo accepta crux debet adorari eâ adoratione quâ adoratur imago, quantò magis hoc erit verum de ipsa cruce in qua Christus pependit?

28. Dico secundò: Crux Christi, & quælibet eius particula (quæ lignum crucis nominatur) propter contactum, quem habuit ad corpus Christi Domini, & propter eius pretiosissimi sanguinis aspersionem non quælibet, sed solùm illa est adoranda, in qua ipsemet Christus pependit. patet, quia illa sola habuit hunc contactum, & sic adoranda venit

venit speciali adoratione contactui debita, & quasi ipsius reliquia Christi, quem tetigit, & consequenter eâ adoratione quâ adoratur Christus, quia reliquia eâ adoratione quâ adoratur ipse Sanctus debet adorari. Reliquiæ autem Sanctorum adorandæ sunt, vt constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & est veritas definita in Concilio Romano à Felice I. epistolâ 2. decretali, & in Lateranẽsi sub Innocẽtio III. & in Tridentino sess. 25. in 2. decreto fidei. quod latè tradunt & probant Recentiores, & nos omittimus in præsenti, quia directè non spectat ad materiam de Incarnatione, si enim quæ indirectè pertinent ex professo disputaremus, vniuersa Theologia discutienda & examinanda veniret.

29. Ad hæreticorum argumenta respondetur. Ad primum dicimus, quòd in cruce Christus accepit vt mortis & infernarum potestatum victor trophęum redemptionis æternæ, & sic meritò debet à Christianis venerari, quia fuit instrumẽtum mortis gloriosissimæ pro remedio generis humani: quando autem Pater obiit gloriosè pro Rege, vel pro patria, tunc Filius honorat patibulum Patris, & quodlibet aliud instrumentum, imò solet pro stemmate totius familiæ haberi. Ad secundum respondeo nullum esse inconueniens omnes lanceas adorare, dummodo repræsentent lanceam quâ Christus fuit vulneratus, quia tamen hæc repræsentatio rarò contingit, ideò non est communiter adoranda, nisi tunc solùm quando talis exercetur repræsentatio. Ad tertium communiter respondetur, nihil obstare labia Iudæ adorare, si fieret sincerâ fide, & rectâ intentione ob excellentiam Christi, quem tetigerunt (licèt sacrilegè & nefandè) quando hoc fieri posset sine scandalo: tamen si quis hoc publicè faceret, posset quis facilè existimare, ipsi Iudæ aliquam adorationem ob eius excellentiam aliquam adhiberi, & meritò maximum scandalum oriretur.

30. Neque audiendi sunt hæretici in eo quod aiunt superstitiosum nimis esse vti signo crucis in aliquibus actionibus & benedictionibus Ecclesiæ, execrantur enim maximè huius modi vsum, & dicunt esse proprium artis magicæ vti huius modi characteribus ad aliquos effectus præstandos, cùm respectu ipsorum non possit esse virtus, & efficacia. Sed vt benè vidit P. Lorca in præsenti, ingens blasphemia est, eodem pacto philosophari de sacratissimo crucis signo, ac de magicis characteribus, cùm potiùs hoc signum (teste Athanasio libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento) sit efficacissimum contra omnes magicas incantationes remedium.

Est autem fide sanctum, ex perpetuo vsu, & antiqua Ecclesiæ traditione, esse vtilissimum, atque sanctissimum vti hoc signo crucis in omnibus actionibus, in quibus ipso vtitur Ecclesia. Primò enim eo vtitur ad sanctificationem & consecrationem alicuius rei, & hic vsus est antiquissimus, nã propterea adhibetur in omni actione sacramentali, vt testificatur D. Dionysius cap. 4. 5. & 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & D. Chrysostomus homil. 55. in Matthæum. est autem sic facere conuenientissimum, nam cùm sanctificatio, & consecratio cuiuscumque rei consistat in dedicatione & ordine ad Christum Dominum, & proueniat ex meritis passionis eius, adhibendo signum crucis in sanctificatione & consecratione alicuius rei profitemur efficaciam passionis Christi, quasi petentes vt per virtutem illius res illa sanctificetur, & per signum crucis impressum dedicatur Christo, & sic consecratur, nam consuetum est imprimere his, quæ dedicantur ad obsequium alicuius signum ipsius, vt per hoc illius propria censeantur. 31.

Adhibetur similiter signum crucis ab Ecclesia, vel à fidelibus in remedium, & in Christianorum munimen, tum contra pericula corporalia, tum contra tentationes spirituales, tum ad effugandos dæmones, tum denique ad prosperum rerum euentum, quas exordimur. ita communiter docent Ecclesiæ Patres, Tertullianus de corona militis, Cyprianus lib. 4. epist. 6. Origenes homiliâ 6. in Exodum, Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 4. Ambrosius serm. 43. & alij. & hic vsus etiam est conuenientissimus, nam signum crucis habet efficaciam ad ista, vt docent Patres citati, & probat experientia 32.

tia

tia in innumeris euentibus, etiam miraculosis, quibus historiæ plenæ sunt, & nos quotidie in exorcismis & aliis experimur.

33. Est tamen circa hoc aduertendum, quòd signum crucis non præstat effectus istos ex opere operato, quia non est sacrificium aut Sacramentum, sed tantùm ex opere operantis, in quantum scilicet est quædam fidei protestatio, & quædam ad Deum deprecatio per merita passionis Christi Domini, quæ per signum crucis significantur, & propterea non sequuntur semper & infallibiliter, sed regulariter, licèt de expulsione dæmonis aliqui putauerint esse crucis effectum ex opere operato, propterea quòd aliquando infidelibus, quibus non potuit prodesse opus operantis, profuit ad expellendos dæmones signum crucis, vt de Iuliano Apostata referunt Nazianzenus orat. 3. contra ipsum, & Nicephorus lib. 10. cap. 8. hoc tamen tantùm probat quòd adhibere signum crucis sit efficacius, quàm aliud opus bonum.

34. Ex his patet quàm longè sint à signo crucis magici characteres, quandoquidem in his nulla reperitur virtus, & magia vtitur illis ad dæmonum inuocationem; at verò signum crucis habet virtutem ex passione Christi, & Christi miles vtitur illo ad dæmones profligandos, & ad alios bonos effectus (quos recensuimus ex doctrina Patrum, & ex experientia fidelium) consequendos. quapropter non solùm blasphemi, sed miserrimi etiam sunt hæretici, qui non vtuntur vtendis, præcipuè signo crucis ita proficuo.

35. De clauis, spinis, spongiâ, lanceâ quâ Christus vulneratus est, communis docet sententia, quòd propter cōtactum, quem habuerunt ad Christum, sunt veneratione & adoratione digna tamquam ipsius Christi reliquiæ, & sic debent adorari adoratione latriæ.

PARS QVARTA.

Vtrùm imago Christi debeat adorari, & quâ adoratione?

36. SVppono ex materia de adoratione inter hæreticos Ichonomacos, qui imaginum vsum auferunt, & illicitum esse censent, aliquos omnino execrari imagines, & omnino confringendas, & omni ex parte auferendas esse docere, vt Iudæos, & Mahumetanos; alios verò, vt Caluinistas domi, aut alibi ipsas permittere, eas tamen in templis non collocare, sed magna inde cum iniuria repellere; alios, vt Lutheranos, intra templa etiam illas collocare, sed ad ornatum tantùm, nullamque ipsis adhibere venerationem; denique tempore 7. Synodi generalis fuisse alios, qui non solùm ad ornatum vbique eas retinendas iudicarunt, sed etiam ad excitandam in fidelibus memoriam prototypi, seu exemplaris, vt coram eis ipsum solum prototypum venerarentur, illis tamen nullum signum honoris, aut submissionis, neque osculo, neque inclinatione corporis, neque alio modo exhiberent, id enim idolatriam esse dicebant.

Sed omnino certò, & tamquam de fide tenendum est, imagines Christi Domini (& idem est de imaginibus beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum) esse adorandas. hoc enim definitum est in pluribus Cōciliis in 6. Synodo generali can. 82. in Concilio Romano sub Gregorio III. in quo ferè mille Episcopi sunt congregati (vt auctor est Sigisbertus in suo Chronico, anno 733.) & in alio Concilio Romano sub Stephano III. vt narrat ipse Sigisbertus anno 763. Paulus Emilius lib. 2. de gestis Francorum, & Blandus æneade 2. lib. 1. eiusque sæpenumerò mentionem facit Adrianus I. in scripto, quod fuit de imaginibus; & post hæc Concilia in Niceno 2. actione 7. in definitione fidei, quod 7. Synodus appellatur, fuitque Concilium generale post annum Domini 788. & habuit Legatos summi Pontificis Adriani Primi, & trium Patriarcharum Alexandriæ, Anthiochiæ, & Ierosolymitani, & ipsum Patriarcham Constantinopolitanum, vt constat ex subscriptionibus confessionis fidei, fuitque approbatum à prædicto Adriano Primo, & posteà à Leone Tertio, & in eo consensit Imperator Constantinus Tertius. & demum definita est hæc veritas in Concilio Tridentino sessione 25. in Decreto de reliquiis & veneratione Sāctorum, paucis quidem verbis, sed disertis & fœcūdis. 37.

38. Longum esset recensere Patrum Ecclesiæ auctoritates, quibus veritas ista comprobatur, si quis autem illas sigillatim videre desiderat. legat D. Damascenum orat. 1. & 2. & 3. de imaginibus, vbi plures congerit, & 7. Synodum suprà citatam, quæ in 6. primis actionibus refert ferè omnium Patrum, qui ipsam præcesserunt auctoritates, quas omnium plausu lectas & auditas approbauit. Difficilius autem foret recensere quot miracula Deus per imagines fuerit operatus, facilè tamen est colligere hunc imaginum cultum Deo placitum esse, non enim Deus suis diuinis operibus, & beneficiis singularibus, quæ cultoribus imaginum contulit, rem turpem, aut superstitiosam approbasset. Neque horum miraculorum veritas potest nisi valdè imprudenter denegari, cùm à grauissimis Auctoribus & Historiographis referantur, vt videre est in 7. Synodo actione 4. & 5. Damasceno locis suprà citatis, Athanasio lib. 1. de Passione imaginum, Euagrio lib. 4. Historiæ cap. 26. & aliis.

39. Quare circa primam quæstionis Partem dico primò: Imago Christi Domini debet adorari. hæc conclusio est de fide, vt patet ex dictis. Et probatur ratione, nam honor imaginis in prototypum redundat, vt in 7. Synodo sæpè dicitur ex Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 18. & ex Ambrosio serm. 10. in psalmum 118. & videtur principium per se lumine naturali notum ad honorem alicuius personæ pertinere, vt non solùm in se, sed etiam in imagine honoretur, cùm imago participet ipsum in esse repræsentatiuo: vnde colligunt sæpè Ecclesiæ Patres hominem hoc ipso, quòd est creatus ad imaginem Dei, esse honore dignum, vt videre est apud Cyrillum Ierosolymitanum catechesi 12. & Augustinum epistolâ 103. hinc etiam antiqua consuetudo obtinuit, vt imagines Imperatorum honorificè tractarentur, & ex eodem principio prouenit, vt contumelia, vel iniuria illata imagini ad personam repræsentatam pertinere videatur. Nota enim est historia Theodosij de vindicta, quam in Antiochenos exercuit propter deiectam, & contumeliosè tractatam Imperatricis statuam, vt est apud Ambrosium oratione de morte Theodosij, & Chrysostomum homil. 2. & 3. ad populum Antiochenum, & apud Nicephorum lib. 13. Historiæ cap. 43. sed Christus Dominus adorari debet. ergo & imago Christi debet adorari, quandoquidem eius adoratio in ipsum Christum redundat.

Est ergo difficultas inter Catholicos Scholasticos controuersa, quâ adoratione debeat adorari? quæ difficultas duplicem habet sensum: primum, An debeat adorari adoratione propria & vera ad imaginem terminata? an autem impropria, & tantùm abusiua? Secundum, An debeat adorari adoratione prototypi? an autem sufficiat alia minori, in quantum imago est præcisa, non inuoluendo in recto ipsum prototypum? 40.

Circa primum Durandus in 3. dist. 9. q. 2. Holcot in lib. Sapientiæ lect. 157. Picus Mirandulanus in Apologia pro imaginibus q. 3. Castro verbo *imago*, & Corduba dub. 4. q. 5. dicunt, quòd etsi adorentur imagines, sed non per se, & *vt quod*, id est, ita vt ad ipsas adoratio terminetur, sed *vt quo*, per accidens, & abusiuè, nimirum quia ad præsentiam imaginum fit rememoratio exemplarium, & tunc exemplaria adorantur in præsentia imaginum, ac si præsentia realiter essent. Et probant primò ex septima Synodo actione 2. vbi in Epistola Adriani Papæ ad Imperatorem ponuntur hæc verba, *Non ipsum lignum adoratur, sed quod in ligno contemplari datur, & ita per recordationem adoratio exhibetur.* Secundò probant ex Patribus, & pro pluribus, quos adducunt, sufficiat auctoritas Basilij sæpè repetita in 7. Synodo generali, *Honor imaginum dirigitur ad prototypum*; & D. Gregorij lib. 7. epistolâ 13. vbi loquens de veneratione Sanctorum sic ait, *Non quasi ante Diuinitatem ante illas* (scilicet imagines) *prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem recordamur.* Tertiò probant ratione, quia totum quod est in imagine vel est materia ex qua fit, scilicet lignum, colores, &c. vel est forma, scilicet figura, seu relatio similitudinis ad prototypum, sed nihil horum potest esse terminus, seu obiectum adorationis, cùm inanimata sint, & homo non possit se submittere inanimatis, quia non est inferior illis; ergo imago Christi Domini 41.

Domini (& idem est de aliis Sanctorum imaginibus) non est per se & *vt quod* adoranda, ita vt per se terminet adorationem, sed tantùm *vt quo* per accidens & abusiuè.

42. Dico secundò: Imago Christi Domini non solùm *vt quo* per accidens & abusiuè potest adorari, sed etiam *vt quod*, & per se licet non adoratione absoluta, sed respectiua ad prototypum, ita quòd non solùm prototypum, sed etiam ipsa imago sit res adorata, seu terminus adorationis. ita Gabriel in 3. dist. 9. & super Canonem lectione 49. Paludanus in 3. dist. 9. quæst. 1. art. 3. Maior eâdem distinctione & quæstione, & apud Recentiores est ita certa, vt oppositam Durandi & aliorum non dubitent appellare periculosam in fide, & proximam errori; imò Medina super articulum 3. quæstionis 25. D. Thomæ refert quòd Victoria ipsam hæreticam appellasset: sed ab hac censura excusantur à Vasquez disput. 106. & à Raguza disp. 50. & à Gasp. Hurtado disp. 20. difficult. 19. & ab aliis.

43. Notanter autem diximus in conclusione, quòd imago Christi non solùm *vt quo* per accidens & abusiuè potest adorari, quia existimamus quòd aliquando sic adoretur, vt patet quando ipsi sacrificamus, ipsam oramus, & ab ea expectamus aliquod beneficium, quæ tamen nullo pacto terminari possunt per se & *vt quod* ad ipsam imaginem, vt docet Concilium Tridentinum vbi suprà, & patet ex vsu Ecclesiæ & Sanctorum, nam feriâ 6. Parasceue adorat imaginem crucis adorando Christum in ea, ac si Christus præsens esset, canit enim *Agios otheos*, &c. quæ sunt laudes propriæ Christi. & D. Hieronymus Epistolâ ad Eusebium laudat in Paula, quòd prosternata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adoraret; nec inconueniens est, quòd præsente imagine adoretur Christus, quem repræsentat, non adoratâ imagine; ergo nec est inconueniens, quòd imago abusiuè adoretur, quod in idem redit.

44. Quòd autem ipsa imago propriè, & per se, & *vt quod* adorari debeat, probatur primò ex definitionibus Conciliorum suprà adductis, & ex auctoritatibus Patrum, quas retulimus, nam contra hæreticos Iconomachos affirmant simpliciter & absolutè imagines esse adorandas, & sub anathemate hoc definitur in 7. Synodo generali, actione 7. sed si imago non per se & *vt quod*, sed tantùm impropriè & abusiuè foret adoranda, potiùs esset simpliciter & absolutè ipsi neganda adoratio, nam impropria & abusiua adoratio reuerà non est adoratio. Et confirmatur, quia hoc ipsum videntur asseruisse hæretici Iconomachi, qui ad excitandam memoriam prototypi imaginis admittebant, non autem ad earum adorationem, quos Epiphanius (vt refertur in 7. Synodo actione 6.) appellat semiprobos & falsoveros, quia non omnino imagines sicut alij respuebant, in quo probum quod & verum dicebant, quia tamen venerationem & adorationem negabant, falsum quid & improbum affirmabant, sed in idem redit quod defendunt Auctores contrariæ sententiæ. ergo cùm contra prædictos hæreticos sit definitum in hac Synodo, dicendum necessariò est, quòd propriè, & per se, *vt quod*, & non abusiuè imago Christi debeat adorari, ita vt ipsa imago sit terminus adorationis.

Secundò probatur, quia in 7. Synodo actione 3. non solùm dicitur adorari exemplar in imagine, sed etiam adorari imaginem propter exemplar, in quo dicendi modo satis significatur imaginem esse rem adoratam propter exemplar, tamquam propter rationem adorandi. Item in eadem 7. Synodo sæpiùs repetitur, imagines esse adorandas, non tamen adoratione latriæ, & est sermo non tantùm de imaginibus Sanctorum, sed etiam de cruce, & de imagine Christi; ergo ipsa imago est quæ adoratur, & terminat adorationem, quia si solùm exemplar adoraretur in præsentia imaginis, deberet adorari adoratione latriæ, quæ Christo debetur. 45.

Tertiò probatur ratione declarando rem ipsam, quia vel imago verè & reipsâ est obiectum adorationis (saltem materiale) vel totale, vel partiale (de quo posteà) vel nullo modo est obiectum; si primum dicas, ergo imago non solùm *vt quo* per accidens & abusiuè adoratur, sed etiam *vt quod*, & per se saltem vt obiectum materiale, siue totale, 46.

tale, siue partiale; si secundum dicas, ergo imago neque abusiuè adoratur, quia quod nullo modo adoratur, neque abusiuè potest adorari, nam denominatio adorationis solùm potest cadere super obiectum terminans aliquo modo adorationem. Et confirmatur, quia imago solùm facit in Aduersariorum sententia recordari prototypum, & hic solus attenditur posteà in adoratione, sed in his actionibus imago nihil habet adorationis; ergo si secundùm ea, quæ definita sunt à Conciliis, imago est adoranda, non solùm abusiuè, sed verè & propriè & vt obiectum *quod* potest adorari, licèt ratio propter quam adoratur sit prototypus.

47. Ad argumenta opposita respondetur. Et ad primum, & secundum dicimus, verba illa Adriani & Basilij non significare, solùm exemplar, & non imaginem adorari, sed potiùs exemplar in imagine, vel cum imagine adorari, quia scilicet eadem adoratio, quæ terminatur ad imaginem, simul etiam terminatur ad prototypum: cetetæ autem auctoritates, quæ sonant imaginem non adorari, sed exemplaria, exponendæ, & intelligendæ sunt, quòd imagines non adorentur propter se adoratione absolutâ, sed propter exemplaria, & adoratione relatiuâ, sicut qui sumit potionem amaram propter sanitatem, dicitur non velle talem potionem, non quia non velit, sed quia quod principaliter vult, est sanitas, in ordine, ad quam sumit talem potionem. Ad tertium respondetur tantùm probare, imagines non posse adorari adoratione absolutâ, quia cùm sint res inanimatæ, non possunt habere excellentiam, cui homo se submittat: non tamen probat, quòd non possit adorari adoratione relatiuâ, ratione cuius propter prototypum, cuius est imago, & sic aliquid eius, potest adorari, & homo se illi propter excellentiam prototypi submittere, nam excellentia prototypi, scilicet Christi, hoc exposcit, quod non solùm sibi, sed etiam suæ imagini, quia est aliquid eius, se homo submittat.

48. Circa secundum, quod in controuersiam vertit difficultas, & quod difficilius est in hac quæstione, Suppono in primis contra Vasquez lib. 2. de Adoratione disp. 8. & super 3. partem to. 1. disp. 108. quòd ex duobus, ex quibus conflatur, & componitur adoratio imaginis Christi, videlicet ex nota exteriori submissionis, qualis est genuflexio, osculatio, &c. & ex affectu interiori, quo quis ex apprehensione excellentiæ illius quem adorat, vult exhibere exteriorem illam notam, vtrumque hoc debet versari circa imaginem, non autem signum externum circa imaginem, & affectus internus circa solum prototypum (vt vult Vasquez) sed potiùs vtrumque circa vtrumque, aliàs esset quasi fictitia & irrisoria adoratio, vt latè & optimè probant Suarez disp. 54. sect. 3. conclusione 3. & Lorca disp. 94. memb. 1. num. 2.

Hoc supposito triplex est in hac re sententia. Prima asserit in adoratione imaginum terminum per se & *vt quod* prædictæ adorationis non posse esse solam imaginem, sed quasi conflatum & compositum ex imagine & prototypo, ac per consequens imaginem adorari non posse, nisi eàdem adoratione in specie & numero, quâ adoratur prototypon, & sic imaginem Christi adorandam esse latriâ, quâ adoratur ipse Christus: quæ sententia est valdè recepta apud Scholasticos, eamque defendunt noster Alexãder Alensis q. 30. memb. 3. art. 3. §. 15. noster D. Bonauentura in 3. dist. 9. art. 1. noster Ricardus ibidem art. 2. quæst. 2. & 3. Albertus art. 4. Paludanus, Maior, Almainus & Carthusianus q. 1. Marsilius q. 8. art. 2. dub. 2. conclus. 3. estque expressa D. Thomæ 3. p. q. 25. art. 3. 4. & 5. quem ex discipulis cum Caietano plures alij, quos refert, & sequitur Vasquez super 3. partem disputatione 118. cap. 3. 49.

Secunda sententia defendit in adoratione imaginum terminum per se & *vt quod* adorationis non esse prototypum simul cum imagine, sed solam & præcisam imaginem, prototypum autem seu eius excellentiam solùm esse rationem formalem extrinsecam prædictæ adorationis, & consequenter esse diuersam in specie & numero adorationem imaginis ab adoratione prototypi. ita docent Ayala lib. 3. de Traditionibus 3. parte, cap. *quali honore imagines venerandæ sunt*. Caterinus opusc. de Adoratione, conclus. 6. Gabriel in 3. dist. 9. 50.

dist.9.q.vnicâ.Bellarm.lib.de imaginib. cap.20. Corduba lib.1.q.5. dub.4. Suarez disp.54. & Lorca disp.94. memb.3.

51\. Tertia sententia litem istam distinctione dirimit; nam dupliciter, inquit, loqui possumus de adoratione imaginum: primò, de adoratione, quæ in re tribui potest imaginibus,& vt sic vtraq; adoratione potest imago adorari, scilicet & simul cum prototypo, & consequenter eadem specie & numero adoratione, & separata à prototypo, ita vt adoratio *vt quod* solùm ad imaginem terminetur,ad prototypum verò solùm *vt quo*, & vt ad rationem formalem extrinsecam terminādi. Secundò, de adoratione, quæ per se primò cōpetit imaginibus,& vt sic tota ratio adorandi est respectiua in ordine ad prototypum, & queit vt sic adorari, licèt non adoretur prototypus,sicut potest credi articulus fidei, licèt eodem actu non credatur diuina auctoritas,vel diuinum testimonium propter quod creditur. ita docent Recentiores aliqui.

52\. Cum quibus dico tertiò: Imago Christi Domini potest & simul cū prototypo adorari eadem adoratione latriæ,qua prototypus in se adorabilis est, & potest per se *vt quod* adorari, nō adorato prototypo in recto, sed nō excluso in obliquo, inferiori tamen adoratione, quam *honorariam* cum 7. Synodo generali appellamus: itaq; sicut Parte primâ huius Quæstionis loquendo de maternitate Virginis duplicē maternitatem, vnam vulgariter dictam,quæ præter relationem ad Christum vt genitum dicebat aliam continentiæ ad ipsum vt contentum, & ratione huius diximus Virginem debere adorari adoratione latriæ propter Christum inclusum in recto; & aliam,quæ solùm dicit habitudinem ad Christum vt primò productum, & fundatur super *genuisse*, quæ habitudo dicitur maternitas scholastico modo, & ratione huius debere Virginem adorari adoratione minori vel duliæ,vel hyperduliæ secundùm diuersas sententias, vel latrhyperduliæ secundùm meam opinionem ratione talis relationis,non adorato ipso Christo in recto, non tamen excluso in obliquo. ita in præsenti philosophamur de imagine Christi Domini (& idem est iudicium ferendum de reliquis imaginibus) nam possumus illam concipere non solùm vt repræsentat Christum, sed etiam vt continet illum, & ex vtroq; conflatur & componitur vnum, etiamsi sit vnum per accidens,& vt sic imago debet adorari adoratione latriæ; & possumus illam concipere tantùm vt imago est, & secundùm habitudinem repræsentationis,quam dicit ad exemplar,& sic debet adorari adoratione minori: tamen sicut nullus adoraret Deiparā propter scholasticam maternitatem,nisi priùs Deum saltem virtualiter adoraret; ita nullus imaginem propter præcisam rationem imaginis adoraret, nisi priùs implicitè, aut virtualiter prototypū adorauisset.

53\. Hanc cōclusionem probo sic primò, quia ex Conciliis & Patribus Ecclesiæ habemus duo circa imaginū adorationem: primum, quòd imaginem debemus adorare, quia in ea non adoramus aliud nisi exemplar: secundum, quòd adoratio imagini debita non sit ea, quæ prototypo & exemplari debetur,sed vt in concordiam reuocentur ista duo, solùm veniunt intelligenda in sensu, quo nostram explicuimus conclusionem, scilicet quòd in priori asserto loquantur de adoratione imaginis cum prototypo, intrante prototypo in recto, & tamquam causa formali & motiua adorationis vnius, & propterea dici non adorari aliud nisi exemplar, quia tota ratio formalis adorationis est ipsum exemplar; & in posteriori loquantur de adoratione imaginis præcisæ à prototypo in recto, sed non excluso in obliquo,quia in quocumque alio sensu non benè in concordiam reuocantur; ergo, &c. Maior probatur per partes.

54\. Primū ergo, quòd scilicet imaginem debemus adorare,quia in ea non adoramus aliud nisi exemplar, iam patet ex testimoniis adductis pro sententia Durandi, quæ solùm habent verum in hoc sensu,vt explicuimus in solutione argumentorum: sed iterùm probantur ex Concilio Trid. sess.25. in decreto *de sacris imaginibus*, vbi sic ait: *Imagines porrò in templis præsertim habēdas, & retinendas, eisq; debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in eis diuinitas,vel virtus,propter quam sint colēda,sed quoniam honos,qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines,quas osculamur,& coram* quibus

quibus caput aperimus, & procũbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur. & clariùs hoc videtur haberi in 7. Synodo generali actione 4. vbi relatis illis verbis Athanasij, *qui adorat imaginem, in ea Regem adorat*, subdit hæc verba Ioannes Orientis Legatus: *Itaque ostendit venerabilis Pater* (scilicet Athanasius) *non esse duas adorationes, sed vnam imaginis & exemplaris.* cum quo omnes Cõcilij Patres consenserunt.

55. Ex Patribus autem possent plura adduci testimonia, quæ referunt suprà citati Auctores: sed præsertim adduco verba Nicephori Constantinopolitani in Dialogo, cuius titulus est, *Orthodoxus*, vbi sic habet: *Quare cùm quærit hæreticus, vbi scriptum sit de adorãda Christi imagine, respondendum est, ibi scriptum esse, vbi scriptum est, adorandum esse Christum, siquidem inseparabilis est à prototypo effigies;* & infrà dicit, quòd imago *habet communicationem nominis, & honoris, atque adorationis cum prototypo.* Deinde adduco Theophanum Episcopũ Hizæ apud Turrianum lib. 3. de charactericis dogmatibus, vbi ductâ similitudine de effigie, quæ apparet in speculo, dicit, quòd sicut illa non potest ornari, nisi ornetur prototypon; ita neq; adorari imago, nisi simul adoretur exemplar, quod repræsentat: ergo ex Conciliis & Patribus habemus, quòd imaginem debemus adorare, quia in ea non adoramus aliud, nisi exemplar: quod in sensu à nobis exposito venit intelligendum.

56. Secundum verò, scilicet quòd adoratio imagini debita non sit ea, quæ debetur prototypo, patet ex 7. Synodo act. 7. vbi postquam definiuit imagines esse adorandas, & ad modum crucis dedicandas & colẽdas esse in templis, subdit hæc verba, *quòd scilicet per imaginum pictarum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem veniant, illisq́; salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non secũdùm fidem nostram verã latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ, & viuificantis crucis, & sanctis Euangeliis, & reliquiis sacris oblatione suffitium & luminarium reuerẽter accendimus.* & clarioribus verbis idipsum habet actione 6. nam in quadã breui demonstratione imaginum ponit hæc verba, *Quapropter non indignas habemus eas* (scilicet imagines) *honore, salutatione, & veneratione, debitamq́; adorationem illis dare debemus: siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idẽ profectò erit, modò sciamus excludi latriam: hæc enim est alia à simplici adoratione.* ecce qualiter distinguit Concilium latriam à simplici adoratione, quam *honorariam* appellauit in priori testimonio.

57. Deinde pro Patribus sufficiat referre Epiphanium Diaconum relatum ab eadem 7. Synodo actione 6. vbi nomine totius Synodi ait, *quòd si in recordationem, & memoriam, ita quod singulari quadam affectione in ipsa prototypa referantur* (scilicet Catholici) *salutauerint, & honorificè adorauerint imagines, non tamen ob id illis latriam exhibuerunt, aut diuinam venerationem adscripserũt, absit hæc calumniatio.* ergo ex Conciliis & Patribus adoratio imagini debita, non est ea, quæ deberur prototypo, & tamen est aliqua, quam *honorariam* vocant, imò & adorationem sub nomine adorationis. Vnde Tarasius in eadem Synodo actione 4. dicit, tamquam hypocritas redarguendos esse, qui imagines se venerari confitentur, adorationem autem recusant. ergo vt componamus hæc dicta cum eis, quæ solis exemplaribus tribuunt adorationem, debemus necessariò adhærere, quòd & imago potest adorari simul cum prototypo, & quòd ipsa per se possit adorari diuersa adoratione ab adoratione prototypi, licèt non excluso illo in obliquo.

Secundò sic probo, quia nec repugnat, nec illicitum est, quòd imago adoretur simul cum prototypo, & quòd adoretur diuersâ adoratione ab adoratione prototypi; ergo, &c. Antecedens quantùm ad primum patet, quia per imaginem recordatur intellectus prototypi; ergo ex vtroque potest facere coniunctum, quòd adoret, ita vt forma quæ mouet ad adorationem sit prototypus, qui simul adoretur cum ipsa imagine; nam, vt ait Aristoteles lib. de memoria & reminiscentia cap. 2. *idem est motus in imaginem, & in rem cuius est imago.* quod scilicet verum est, quando prototypus comparatur cum imagine in ordine ad adorationem, tamquam forma extrinseca nobilitans extrinsecè imaginem in ordine ad cultum. 58.

Et cõfirmatur, quia hic modus adorandi aliqua duo per modum vnius possibilis est, & consentaneus rationi, vt patet in adoratione Christi, quâ adoratur coniunctum ex humanitate, & diuino Verbo; & in adoratione Sãctorum, quâ adoratur coniunctum ex anima & corpore; & in adoratione Regis, quâ adoratur coniunctum ex Rege & purpura; & in adoratione Prælati, vel Pontificis, in quo prælatura, vel dignitas pontificia, licèt ipsi sit extrinseca, simul adoratur cum persona. ergo nec repugnat, nec est illicitum, quòd imago adoretur simul cum prototypo.

59. Idem antecedens quantùm ad secundum probatur pluribus exemplis, nam B. Virgo Maria adorabilis est propter maternitatem terminatam ad Deum, non adorato Deo, illo eodem actu, quo adoratur Virgo sãctissima, dilectio proximi est diuersa à dilectione Dei, licèt oriatur ab illa. Deinde medium eligitur à volũtate propter bonitatem relatam ad finem, seu propter vtilitatem diuerso actu, ac intenditur ipse finis. Pretereà articulus reuelatus creditur propter diuinam auctoritatem, quę eodem actu non creditur. Vlteriùs conclusio licèt assentiatur propter præmissas, tamen diuerso actu ac assentiantur præmissæ. Et denique licèt arbor frugifera æstimetur cum fructu pendenti propter ipsum, tamen etiam diuersâ æstimatione æstimatur sine tali fructu, propter relatam bonitatem, quam habet in ordine ad ipsum fructificandum. ergo similiter licèt imago sit adorabilis simul cum prototypo, tamen adorari potest diuersâ adoratione separatâ ab illo, propter habitudinem, seu repræsentationem, quam habet ad prototypum sumptum in obliquo, & tãquam terminum relationis, & adorationis, respectu illius actus. Et cõfirmatur, quia ex adoratione prototypi potest voluntas deuenire in adorationem imaginis, quia aliquid illius est, repræsentat enim ipsũ, & loco ipsius substituitur, sed tunc in hoc secundo actu, quod per se, directè, & *vt quod* adoratur, est imago vt talis; ergo non repugnat adorari imaginem diuersâ adoratione ab adoratione prototypi.

60. Quòd autem hoc non sit illicitum, sic probo, quia non est malum ex obiecto, neque ex circumstantia; ergo. quod non ex obiecto probatur, nam imago, in quantum est aliquid prototypi, habet bonitatem non solùm physicam, sed etiam moralem in ordine ad prototypum dignum adoratione, quâ ratione non solùm honestè amamus Petrum, v. g. quia proximus est, sed etiam quia similis sit Ioanni amico nostro, & vxor non solùm diligit filium aliquem, quia filius eius sit, sed etiam quia simillimus sit marito, quem diligit; ergo adoratio imaginis, quâ imago est, habet honestatem ex obiecto. Et confirmatur primò, quia si propter aliquid esset illicitum ex obiecto, maximè quia redolet idolatriam, sed hoc est falsum, tum quia imago nõ est idolum, vt latè traditur etiam ab Auctoribus cõtrariæ sententiæ, tum quia reu ereri purpuram Regis, quia illius est, non est idolatria, sed quid honestè debitum maiestati regiæ. videantur plura alia, quæ adducta sunt in principio huius Partis pro prima conclusione. Et cõfirmatur secundò, quia aliis inhonestum esset in absentia imaginis se commendare alicui determinatæ, v. g. Virgini de Athoëpa Matriti, Virgini Sacrarij Toleti, &c. consequens autem esse falsum satis ostendunt tot ac tanta miracula, quæ Deus eum sic implorantibus auxilium operatur. Sequela probatur, quia tunc obiectum, quod primò & per se terminat orationem implorantis eius auxilium, non est prototypus, sed imago; eo enim ipso, quòd implorans hanc determinat in particulari, & fortè quia magis miraculosa est, quàm alia, non respicit directè prototypum, sed imaginem. ergo hæc adoratio imaginis, vt imaginis non est inhonesta, & illicita ex obiecto.

Deinde non est illicita ex circumstantia, quia nullum est præceptum, vel negatiuum de eo, quòd non adoretur imago præcisè sumpta; vel affirmatiuum de eo, quòd eodem actu adoretur simul cum prototypo; neque adoratio imaginis deuiat à fine honorandi prototypum, sed potiùs cadit in gloriam & reuerentiam ipsius; deinde neque de *vbi*, nec de *quando*, aut *quibus auxiliis*, vel ceteris circumstantiis habetur aliqua indecentia, vel inhonestas. ergo adoratio imaginis *vt quod*, & ratione sui non est illicita ex circumstantia. 61.

62. Tertiò sic probo, quia in imagine est diuersa excellentia ab excellentia prototypi, licèt dependens, & dicens habitudinem ad illam; ergo non solùm est adorabilis imago cum prototypo, sed etiam non incluso illo formaliter, & in recto. consequentia patet, quia diuersitas adorationis prouenit ex diuersitate excellentiarum. Antecedens probatur, nam excellentia in prototypo est verè & realiter, in imagine verò solùm habitudine quâdam, & in esse (vt aiunt) ideali & repræsentatiuo. Et confirmatur, quia non aliâ ratione Concilia & Patres tribuunt maiorem adorationem prototypo, & minorem imagini, nisi quia licèt sit eadem excellentia prototypi & imaginis, tamen quia propriè & formaliter est in prototypo, & in imagine tantùm repræsentatiuè, quantò hoc deficit ab illo, tantò deficit à perfectione adorationis sibi debitæ: vnde meritò quando in materia de scientia Dei locuti fuimus de creaturis possibilibus, & cum Scoto diximus constitui per quoddam esse diminutum derelictum ex actu intellectus diuini quasi vnientis prædicata creaturæ inter se prout ex prædicatis diuinis veniebant cognoscenda, aut ex diuina essentia eorum eminenter repræsentatiua (cùm enim Deus sit agens creaturarum per intellectum & voluntatem, incipit primò agere per intellectum creaturam possibilem, est enim hæc ens secundarium, & sic nō supponitur vt obiectum intellectus diuini, sed potiùs est terminus cognitionis fabricatiuæ (vt ita dicam) ipsius, & quasi posteà ipsam vt existentem agit per voluntatem vt volitiuam in esse existentiæ volito, & vt potentiam executiuam in esse reali, & extra causas) diximus talem creaturam possibilem esse eamdem cum actuali, non formaliter & propriè, sed imitatiuè, idealiter, & per æquiualentiam, sicut de imagine dicitur quòd sit ipsum exemplar, & prototypus, licèt ab eo sit diuersa.

63. Ex his patet, has adorationes esse diuersæ speciei, & non solùm materialiter diuersas, quia ex diuersis licèt subordinatis excellentiis oriuntur, possunt tamen oriri ab eodem habitu, quia contingere potest, quòd obiectum formale, quod est adæquatum respectu actus, sit inadæquatum respectu habitus. Et ratio à priori est, quia quando duo obiecta formalia sunt subordinata, & vnum respicitur propter habitudinem ad alterum (vt contingit in præsenti) semper pertinent ad eumdem habitum, & virtutem: vnde communiter docent Auctores, eamdem specificam virtutem, quæ inclinat ad intendendum aliquem finem honestum, inclinare etiam ad eligendum media honesta, quibus est consequendus finis, non obstante, quòd intentio, & electio specie differant, & ab eadem virtute charitatis Theologiæ prouenit & dilectio, quâ diligimus Deum propter se, & proximum propter Deum: vnde ab eodem habitu religionis proueniet & adoratio latriæ, quâ adoratur imago Christiana prototypo, & adoratio honoraria, quâ adoratur ipsa imago propter habitudinem, quam habet ad prototypum, quidquid sit An hæc adoratio possit prouenire extrinsecè, aut imperatiuâ latriâ.

Argumenta sententiarum, quas suprà retuli, ex intento non adduxi, quia præcipua sunt ea, quæ fecimus pro nostra conclusione 4. & licèt aliqua probent quòd imagines non sunt adorandæ nisi propter prototypum, & aliqua quòd sint adorandæ diuersâ adoratione ab adoratione prototypi, tamen inter se non opponuntur contradictoriè, sed potiùs optimè in concordiam reuocantur, quia priora loquuntur de adoratione imaginum, vel quatenus in recto inuoluunt prototypum, vel quatenus illum concernunt in obliquo, nam eo ipso, quòd excellentia, propter quam imagines adorantur, sit habitudinalis, & analoga ad ipsum prototypum, tota adoratio imaginis in illum redundat, & sic prototypus est qui adoratur, siue adoretur cum imagine, siue adoretur in imagine, & posteriora loquuntur de adoratione ipsi imagini seorsim à prototypo debita, & ista non negant vel quòd prototypus non sit adorabilis cum imagine, vel in imagine, sed tantùm affirmant quòd in imagine sit adorandus minori adoratione, quàm in se, vel cum ipsa imagine: vnde semper est verum dictum Aristotelis, quòd *idem est motus in imaginem, & in rem cuius est imago*, quia si adoratio rei cuius est imago est eadem numero quando prototypus 64.

typus adoratur cum imagine, id est, quando ex imagine & exemplari fit & conflatur vnum compositum, ita quando adoratio rei cuius est imago adoratur diuersâ adoratione ab ea quâ adoratur in imagine, dicitur vna, vel virtualiter sicut dicitur vnus motus, qui fit in finem, & in media electa propter finem, vel æquiualenter, sicut dicitur vnus honor, qui fit Pontifici quando ipse honoratur propter honores qui recipiuntur à suo misso Legato, & quòd de hac vnitate æquiualentiæ seu analogiæ loquatur Ioannes Presbyter ex pôderatione verborum Basilij in 7. Synodo actione 4. infertur clarè, tum quia ipsa Synodus loquendo de vnitate vniuocationis distinxit inter adorationem imaginis & prototypi, tum quia non colligit hanc adorationem esse vnam, quia imago Regis, & ipse Rex sint eademmet res, sed quia regnum, potestas, & imperium, quæ est ratio formalis propter quam imago Regis adoratur, non est aliud à regno, potestate, & imperio, quod est in ipso Rege. Quando autem alij Patres negant absolutè fore dandam aliquam adorationem imaginibus, loquuntur de ipsis, si considerentur cum aliqua excellentia absoluta, sicut est ea quæ in prototypis reperitur, quia nulla datur excellentia absoluta in illis, propter quam sint capaces adorationis, sed tota capacitas illis prouenit ex habitudine, quam propter repræsentationem dicunt ad prototypum.

65. Ex his debetis deducere qualiter sint adorandæ reliquiæ Christi Domini, & Sanctorum, vt vestes, &c. (esse enim adorandas eorum reliquias definitum est in Conciliis suprà citatis) dicimus enim cum communi Recentiorum sententia, quòd sunt adorandæ ad modum quo adorantur imagines, quia in se sunt res inanimæ, nullam in seipsis habentes excellentiam absolutam, & sic ea, quam habent, est relatiua ad personam cuius sunt reliquiæ, & consequenter in nostra sententia, & possunt simul cum ipsa persona terminare adorationem, & possunt *vt quod* adorari separatæ à persona propter habitudinem, quam habent ad illam, & in priori adoratione adorabuntur eâdem adoratione quâ adoratur persona, & in posteriori inferiori adoratione, quam *honorariam* vocauimus cum Concilio.

QVÆSTIO VI.

De Adoratione Christi Domini in Eucharistia.

CHristus Dominus, qui in sanctissimo Eucharistiæ Sacramēto continetur, potest considerari & specificatiuè, & reduplicatiuè: primo modo non concipitur cum ordine & connexione ad species, sed tantùm concipitur in se, quia ipse in se est sub speciebus sacramentalibus, sicut ipse in se fuit in cruce, & modò est in cælo: secundo modo concipitur prout contentus sub speciebus panis & vini, & vt sic dicit ordinem & habitudinem ad illas: vnde Sacramentum Eucharistiæ vt tale essentialiter consistit in speciebus consecratis, & sic in recto dicit species ipsas & relationem signi continentiæ ad corpus vel sanguinem Christi Domini prout nutrimentaliter reficientis per modum cibi & potus: quæ relatio signi relicta est ex consecratione in speciebus, imò vt aliquando diximus in materia de Sacramentis in genere, etiam in vobis ibi habitualiter permanentibus, actualiter tamen transactis. 1.

2. His suppositis de fide est, quòd Christus Dominus, qui præsens realiter & substantialiter est in Sacramento Eucharistiæ (quâ ratione sumitur specificatiuè) debet adorari adoratione latriæ. ita est expresse definitum in Concilio Tridentino. vnde in sess. 13. cap. 5. sunt hæc verba, *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeat: neque enim ideò minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino, vt sumatur institutum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omnes Angeli, quem Magi procidentes adorauerunt, quem deniq. in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur*, &c. Ideoque sic statuit Concilium can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam*

externo adorandum, atque ideò festiuâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundùm laudabilem & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, vt adoretur populo proponendum, & eius adoratores esse idolatras, anathema sit.

3. Idem etiam venit dicendum de Christo Domino etiam prout reduplicatiuè concipitur sub Sacramento Eucharistiæ, quia licèt non omnia quæ sunt in Christo contineantur ex vi verborum, tamen verè & realiter continentur omnia illa sub speciebus consecratis, & sic Christus adoratur latriâ, species autem tunc coadorantur, sicut coadoratur purpura Regis quando adoratur Rex. Quare in hac Quæstione duplex potest examinari difficultas: Prima, qualiter adoretur Christus quādo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in quantum tale adoratur, id est, quando adorantur species in quantum includunt relationem signi efficaciter continentis corpus vel sanguinem Christi.

4. Aliqui eodem modo in præsenti philosophantur, sicut philosophantur de adoratione prototypi in imagine, vel cum imagine, & aiunt quòd sicut imago & potest adorari cum prototypo, & sine prototypo, & si primo modo adoretur, debet adorari adoratione debitâ prototypo; si verò posteriori modo, debet adorari adoratione inferiori: ita si Eucharistia adoretur simul cum Christo Domino in ea contento, debet adorari adoratione latriæ, quia hæc debetur Christo Domino; si autem adoretur non simul cum Christo Domino, sed prout sunt quædam species consecratæ, vt sic debet adorari adoratione inferiori, sicut est inferior adoratio, quâ adoratur imago, vel purpura Regis secundùm se. Sed contrà, quia, vt probauimus suprà quæstione antecedenti, parte primâ, loquentes de maternitate Virginis vulgariter dicta, res prout continens non potest non includere in recto excellentiam rei cōtentæ; ergo nullo modo potest adorari Sacramentum Eucharistiæ, sine eo quòd adoretur simul Christus Dominus, qui continetur in ipso. patet consequentia, quia relatio signi, quam intrinsecè includit hoc Sacramentum, est continentiæ illius, quod significatur.

Quare dicendum nobis est, quòd quomodolibet sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accipiatur, semper debet adorari adoratione latriæ. Fundamentum est, quia quomodolibet sumatur, semper debet includere in recto relationem continentiæ corporis Christi licèt abstrahentis à viuo & mortuo prout ex vi verborum significatur, tamen non abstrahentis ab vnito, & non vnito, quia semper corpus Christi etiam in triduo vnitum fuit diuinitati: vnde in verbis consecrationis non solùm dicitur, *hoc est corpus*, sed etiam *meum*, quapropter necessariò significatur per se vnio ad Verbum, cui debetur adoratio latriæ, eo enim ipso quòd persona Verbi loquebatur, & in propria persona loquens dixit quòd illud corpus erat suum, necessariò dicendum venit quòd loquebatur de corpore sibi vnito. 5.

Sed obiicies quòd ex Concilio Tridentino vbi suprà cap. 3. diuinitas est per concomitantiam, & non ex vi verborum in Sacramento Eucharistiæ; ergo Sacramentum hoc, in quantum essentialiter consistit in speciebus consecratis, non includit vnionem ad Verbum; ergo neque propter rationem suam essentialem petit adorari adoratione latriæ. Respondetur primò, quòd Concilium non ait quòd diuinitas sit per concomitantiam, sed quòd sit in hoc Sacramento *propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem*, forte tamen sic intellectum est ab Auctoribus, propterea quòd vnio cum anima non potest esse ex vi verborum, quandoquidem anima tantùm adest per concomitantiam vt ibidem docet Concilium, tamen licèt ex parte animæ non sit ex vi verborum, non repugnat quòd sit ex vi verborum ex parte corporis. Secundò respondetur, quòd etiamsi diuinitas sit per concomitantiam, quia non significatur ex vi verborum, non tamen Verbum diuinum in quantum terminat naturam humanam, sunt enim formalitates diuersæ, & potest vna per se significari, & non alia. Tertiò denique respondetur, quòd etiamsi tam diuinitas quàm Verbum non significentur ex vi verborum, tamen relatio continentiæ corporis 6.

poris vniti ad Verbum significatur; hoc autem ipso quòd talis continentia significetur, non potest excludi contentum, & consequenter non potest adorari sine contento, scilicet sine corpore Christi vnito ad Verbum, & sic necessariò est adorandum adoratione latriæ: vnde semper quando Concilium loquitur de adoratione debita Sacramento Eucharistiæ, ait adorandum fore adoratione latriæ.

7. Secunda difficultas est, An ex adoratione latriæ, quæ exhibetur Sacramento Eucharistiæ, necessariò inferatur præsentia realis corporis & sanguinis Christi sub his speciebus. Respondent aliqui, quòd non infertur, & rationem reddunt, quia etiamsi realiter non essent præsentia, sed solùm dicerentur contineri in illis tamquam in signo (vt tenet error hæreticorum, qui dicuntur Sacramentarij) & ad modum quo prototypon continetur in imagine possent adorari latriâ propter Christum à nostra imaginatione coniunctum cum ipso signo, seu cum ipsis speciebus ipsum significantibus.

8. Dicendum tamen nobis est ex adoratione latriæ, quæ sanctissimo Eucharistiæ Sacramento exhibetur, necessariò inferri realem præsentiam corporis & sanguinis Christi sub his speciebus. Fundamentum est, quia adoratio latriæ ideò adhibetur prædicto Sacramento, quia ipsum essentialiter constituitur per signum efficax realis continentiæ veri corporis, & sanguinis Christi, & hæc est ratio veri Sacramenti Eucharistiæ, & quæ mouet ad adorationem illi exhibendam; ergo ex tali adoratione latriæ verè infertur realis præsentia corporis & sanguinis Christi.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quòd cum quocumque signo, etiam phantastico, & in somnis fortè proposito potest quis coniungere significatum, & ipsum adorare iuxta dignitatem rei significatæ, & sic latria si signatum est Deus; tamen in præsenti loquimur de signo constituente verum Eucharistiæ Sacramentum, & cùm hoc includat intrinsecè realem continentiam rei significatæ, scilicet Christi, non potest non exigere realem præsentiam ipsius, & consequenter adorationem latriæ: quare à posteriori benè infertur, adoratur hoc Sacramentum latriâ; ergo Christus Dominus præsens est realiter, quia eo ipso quòd adoratur vt verum noui Testamenti Sacramētum, adorari debet vt signum, non quomodocumque, sed vt efficaciter significans, & hoc vt species continentes realiter præsentiam Christi Domini, cui laus & gloria in sæcula sæculorum. AMEN. 9.

Quidquid in tota hac materia Incarnationis Verbi diuini dixi, libentissimè, ex totoq; conatu, & affectu pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiicio.

FINIS.



DE

DE PRAESERVATIONE VIRGINIS MATRIS.

PROOEMIVM.

FAciamus (inquit Protoplastor Deus Genes. 1.) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; id est, ad imaginem similitudinis nostræ (vt transferunt alij ex Hebræo) sed in cuius similitudinis exemplar? Accipe Tertullianum lib. de Resurrectione carnis, in principio sic fantem: *Limus ille tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.* Ad similitudinem ergo Christi factus est homo, vt præsit piscibus maris, &c. quia non solùm in natura, sed in integritate, & originali iustitia similem fecit Deus: sed quem hominem rogo? Adamúmne tantum? Audi quid ad nostrum scopum adiungat sacer Textus: *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & feminam creauit eos.* Non enim solùm hominem ad imaginem Christi creauit Deus, sed & mulierem: quam, si non tantùm Euam, sed & beatissimam Virginem Mariam præcipuam viuentium matrem, volueris intelligere; annuit Anastasius Synaita lib. 6. Analogicarum quæstionum sub his verbis: *Quis mihi, dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus, audebit dicere, quòd ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ quoad carnem attinet, non sit ad imaginem & similitudinem eius, qui ex ipsa natus est? Quomodo enim est Mater eiusmodi Filij, non ferens integram, & illæsam fætus sui imaginem?* De hac igitur integritate, & Virginis illæsione, seu de hac puritate, & Mariæ innocentia nobis adest in præsentiarum licita disputatio (quidquid frustrà timeant aliqui piæ opinionis assertores apud Ferdinandum de Salazar lib. de Conceptione in Epistola ad Philippum III. §. 13. in medio, suppresso nomine relati) nam non in dedecus, sed in gloriam nobis est decertatio; quia tamen, *pro Maria dimicare, ac vincere* (verba sunt Ildephonsi lib.

lib. de Virginit. ac parturitione Mariæ) *opus est Spiritus sancti, & virtus Altissimi* Ipsâ intercedente, faxit ipse auxilium præstiturus & finem.

De hac materia disputant Scholastici cum Magistro in 3. dist. 13. vbi pientissimus & obsequentissimus Mariæ filius Ioannes Duns Scotus secunda Ecclesiæ aquila, alterius, Ioannis Apostoli sanctitudinem & viuacitatem, subtilitatem inquam imitatus, vidit signum magnum, mulierem scilicet amictam Sole inspexit, Virginem, plenitudinis gratiæ Christi (qui Sol iustitiæ seu sanctitatis est) vestitam, & consequenter à peccati originalis tenebris nudam: ibi omnes eius asseclæ, Abulensis paradoxâ 1. cap. 21. & in prologo Bibliæ cap. 6. & Exodi 34. q. 4 tractant D. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. Catherinus opusc. de Conceptione Virginis, ibidem Ferdin. de Salaz. suprà relatus, & plures alij, quos citant noster Corduba in Quæstionario q. 44. Suarez to. 2. in 3. p. q. 27. disp. 2. sect. 3. Valencia tom. 4. disp. 2. q 1. punct. 2. Philippus Faber lib. 3. dist. 3. disp. 10. Pytig. in 3. disp. 3. q. 1. Lezaña Carmel. in suo libello de Cõceptione, & Ægidius de la Præsentacion Augustinianus in egregio lib. de Præseruatione Virginis.

In hac materia sic me geram, eam enim diuidam in 4. disputationes, sub quibus examinabo quæstiones, quas si oportuerit (vt mihi mos est) diuidam in partes. In prima disputatione agam ex professo de peccato originali, in 2. de præseruatione Virginis ab illo, in 3. de præseruatione à debito, & tandem in 4. de statu circa definibilitatem opinionis piæ. Id autem præ oculis habendum pronuntio, quòd dum hanc materiam pertracto, eam pertractare intendo iuxta præscriptum Bullæ Sixti IV. & decretũ Cõcilij Trid. sess. 5. de peccato originali in fine, scilicet neutram opinionem damnãdo tamquam contra decreta fidei, sed solùm disputando quænam sit probabilior: & tãdem iuxta mãdatum Gregorij XV. editum anno 1622. quo cauet ne aliqui de opinione affirmatiua aliquo modo agant, seu tractent in publicis lectionibus, disputationibus, &c. quia non in suasionem & confirmationem, sed potiùs in dissuasionem & refutationem adducam.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA
DE
IVSTITIA ORIGINALI.

ORdo doctrinæ, imò & naturæ poposcit, quòd dum præseruationem Virginis à peccato originali intendimus examinare, quid sit ipsum, à quo facta fuerit præseruatio, examinemus· quare decreui prius hoc discutere, licèt plures hanc Disputationem supponant, vel se postmodum tractaturos promittant: de ea agunt Scholastici cum Magistro in 2. dist. 30 & 31. vbi Scotus & dist. 19. & 32. D. Thomas, & eius Expositores 1. 2. q. 81. Vasquez à disputatione 130. Lorca disp. 42. Azor à tom. 1. lib. 4. à cap. 25. & alij suprà citati: sed propter eamdem rationem ducti, est nobis inquirendum, primò quid fuerit iustitia originalis in Adamo.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid fuerit in Adamo iustitia originalis?

1. NVLLO aptiori medio potest explicari peccatum originale, quàm explicando priùs quid fuerit iustitia originalis, contra quam est tale peccatum. quare supponendum in primis venit in statu innocentiæ primos nostros parentes Adamum scilicet & Euam habuisse iustitiam originalem, imò & gratiam habitualem, vtrumque enim constat ex definitione Concilij Tridentini sess. 5. de peccato originali, vbi can. 2. & 3. definit, *primum hominem, iustitiam, & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, per peccatum amisisse*; nam nomine iustitiæ intelligitur originalis, & nomine sanctitatis gratia habitualis. & constat ex Scriptura; nam Ecclesiast. 7. dicitur, *Fecit Deus hominem rectum*; & capite 17. *Deus creauit hominem de terra, & secundum imaginem suam fecit illum, & secundùm se vestiuit eum virtute.* legatur circa hoc D. Aug. lib. de peccato originali contra Pelagium & Cælestium cap. 35. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 16. & hanc distinctionem tradunt Alexander 2. p. q. 90. num. 1. D. Bonauentura cum Magistro in 2. dist. 29. art. 2. q. 1. & 2. Ricardus art. 1. q. 1. & Gabriel dist. 30. quæst. 1. art. & conclus. 1.

Præterea habet hanc sententiam Scotus in 2. dist. 32. §. *ad argumentum 4. quæstionis* in fine, vbi ait quòd in statu innocentiæ iustitia originalis & gratia erant duo dona ordinata, & quòd gratia erat excellentius donum, quàm iustitia originalis, quia ordinabat sicut modò hominem supernaturaliter, & ad finem supernaturalem, secùs autem iustitia. quod etiam docuerat distinct. 29. §. *ad primum*, soluendo 4. argumentum; & dist. 30. §. *quantùm ad 4. articulum*, litt. F. vbi dicit quòd hæc duo dona se habent tamquam excedens & excessum. Hæc dixi vt appareat, quòd falsò Vasquez 1. 2. q. 88. disp. 132. num. 31. referat Scotum negare gratiam habitualem primis parentibus in statu innocentiæ. 2.

His ergo suppositis, contra hanc quæstionem prima sententia asserit, quòd iustitia originalis Adami fuerit ipsa gratia habitualis, ita quòd non fuerint duo habitus distincti, sed vnus & idem realiter. ita Vasquez vbi suprà num. 32. & cap. 8. num. 34. & Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 1. & alij. Est tamen inter eos hæc differentia, quòd Sotus putat, quòd illa gratia habitualis erat maioris dignitatis, & efficacitatis, quàm nostra, & quòd non solùm primos parentes gratos Deo faceret, sed etiam alias eorum facultates, vt obedirent ad nutum rationis, compesceret: Vasquez verò existimat nullo modo differre à nostra, sed tantùm esse 3.

auxilia specialis prouidentiæ Dei ipsi annexa, quibus ita hominem regebat, vt per omnia in facultatibus inferioribus nihil contra rationem sentiret.

4. Hæc sententia probatur primò, quia D. Dionysius multis in locis, sed præsertim lib. de Cælesti Hierarchia cap. 2. vbi agit de baptismo, dicit, effectum baptismi esse auferre ex anima statum dissimilitudinis Dei: sed vera similitudo Dei, ex eodem D. Dionysio ibidem in principio capitis, est ipsa gratia habitualis; ergo hæc erit originalis iustitia, per cuius priuationem dissimilitudo Dei, seu peccatum originale contrahitur.

5. Secundò, quia Concilium Arausicanum II. can. 2. & Tridentinum vbi suprà appellant peccatum originale mortem animæ; ergo ex eo, quia priuat vitâ animam: sed priuat iustitiâ originali; ergo hæc est vita animæ: sed vita animæ tantùm est gratia habitualis; ergo, &c.

6. Secunda sententia, & vera affirmat, quòd habitus gratiæ sanctificantis, & habitus iustitiæ originalis sunt habitus diuersi, & realiter distincti, ita vt non repugnaret ex natura rei dari priuationem vnius, absque eo quòd daretur priuatio alterius. ita expressè Scotus locis suprà citatis, & S. Thomas 1. p. q. 100. art. 1. ad 2. Inter eos tamen est differentia, An habitus iustitiæ originalis sit vnus, an autem sint plures? de qua differentia posteà dicam. Tenent etiam Gabriel in 2. dist. 30. q. 1. Maior q. 2. conclus. 1. Faber in 3. dist. 3. disp. 11. cap. 4. & 5. & alij relati à Vasquez vbi suprà: inter quos præcipuus est noster Corduba in suo Quæstionario q. 46.

7. Hanc sententiam probo primò, quia statum innocentiæ constituebat iustitia originalis vt talis; sed status dicit permanentiam, & petit aliquid habituale; ergo iustitia originalis, vt talis, est aliquis habitus permanens, & non auxilium transiens (vt volebat Vasquez) at non habitus gratiæ sanctificantis, quæ modò datur in baptizatis, quia isti non reducuntur ad statum innocentiæ; ergo alius; sed non alterius gratiæ habitualis firmioris (vt vult Scotus) tum quia hæc nequit dari in sensibus, sicut dabatur iustitia originalis partialis, vt infrà dicemus cum Scoto; tum quia sicut maior intentio habitualis gratiæ sanctificantis de facto non præstat maiorem firmitatem, qnia hoc est proprium habitus acquisiti, quo quis se dicat, & tradit Deo; ita maioritas perfectionis in illo habitu infuso non præstaret maiorem firmitatem: tum denique quia absque sufficienti fundamento fingitur ille nouus habitus; ergo habitus gratiæ habitualis, & habitus iustitiæ originalis sunt habitus diuersi, & realiter distincti.

Secundò probatur, qnia Adamus in illo statu operabatur secundùm suauem Dei prouidentiam: sed constituit potentias perfectas in actu primo, & in esse quieto per habitus requisitos ad operationes, & non per auxilia; ergo non per hæc, sed per illos operabatur in statu iustitiæ originalis: sed gratia habitualis hæc non poterat præstare, quia hæc vt plurimum solùm potest elicere actus charitatis, quia idem est cum habitu charitatis, non tamen actus fidei, spei, &c. quos tunc eliciebat delectabiliter, vt posteà dicemus; ergo concedendus alius, vel alij habitus, qui spectarent ad iustitiam originalem. 8.

Tertiò probatur ab inconuenienti, quia aliàs in baptizatis daretur essentialiter peccatum originale quãdo peccassent, quia tunc habent priuationem gratiæ habitualis sibi debitæ in Adamo, etiam coniunctam cum priuatione auxiliorum sibi etiam in Adamo debitorum: nam baptismus non tollit, quòd illa forma sit sibi debita in Adamo (licèt auferat quòd iustitia originalis sit deinceps sibi debita) sed potiùs formam debitam in Adamo recompensat, dando formam excellentiorem, quàm nos vocamus gratiam habitualem sanctificantem, quæ excellentior est iustitiâ originali; ergo debent necessariò differre. 9.

Neque satis est dicere, quòd non debetur vt coniuncta cum auxiliis; quia contrà est, quòd auxilia non sunt donum habituale, & consequenter in priuatione eorum nequit consistere peccatum originale, neque in collatione eorum iustitia originalis. Prætereà, quia etiam debetur in Adamo coniuncta cum auxiliis, licèt in propria persona sit indebita simul cum auxiliis ratione baptismi. 10.

Ad

11. Ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad primum dico, quòd dissimilitudo potest sumi pro carentia dissimilitudinis, & hæc dissimilitudo de facto sumitur pro gratia habituali, quæ nos Deo de facto reddit similes, & de possibili potest sumi pro iustitia originali, quæ sicut hominem rectificabat, ita ipsum reddebat Deo similem; baptismus ergo (vt benè docet Dionysius) præstat primam similitudinem non secundam.

12. Ad secundum respondetur, quòd peccatum originale ideò appellatur mors animæ, tum quia non tantùm inducit priuationem iustitiæ originalis, sed etiam affert priuationem gratiæ sanctificantis; tum etiam quia formaliter inducit pœnam damni, quæ priuat visione, & fruitione beatâ, & hæc sicut homines constituit beatos, ita constituit viuentes & in terra viuentium, scilicet in cælo.

13. Sed obiicies: Gratia habitualis collata per Sacramentum matrimonij cum debito auxiliorum congruentium pro illo statu, seu cum auxiliis pro matrimonio necessariis sufficit ad statum illum conseruandum, etiamsi sit status, & dicat permanentiam (vt communiter tenent Auctores in materia de Sacramento matrimonij, & idem dicunt de gratia sacramentali aliorum Sacramentorum, vt nos latè tradidimus in materia de Sacramentis in genere disputatione 3. à quęstione 5. & deinceps) ergo similiter gratia habitualis comunicta cum auxiliis congruentibus pro statu innocentiæ, etiamsi sit status, sufficiet, & non requiretur alia forma habitualis.

14. Hæc ratio aliquam apparentem probabilitatem præ se fert sententiæ Vasquez. Respondetur tamen primò, natam esse differentiam, quâ in perfectione differunt status innocentiæ, & status matrimonij: ratione exposcitur differentia in forma requisita pro vnoquoque; nam status matrimonij, cùm sit status in natura lapsa, pluribus est inuolutus imperfectionibus, vnde habet suam perfectionem mixtam cum imperfectionibus prouenietibus à peccato originali; tamen status innocentiæ, cùm sit status naturæ integræ, & à Deo rectificatæ, & hæc tamquam opus immediatè à manibus Dei procedens, oriatur vndequaque perfecta; non videtur ei sufficere aliqua forma citò transiens, & solùm in actuali operatione, vt est auxilium, sed requirit habere ex suo, & ex perfectione talis status formam, vel formas permanentes, & quasi connaturales, quibus delectabiliter operetur, & tam potentiæ, quàm sensus suauiter & delectabiliter subdantur dictamini rationis.

Deinde efficaciùs respondetur secundò, quòd status matrimonij non constituitur per se per talem gratiam cum auxiliis, sicut status innocentiæ constituitur per iustitiam originalem, 15.
nam perditâ gratiâ habituali cum debito auxiliorum pro statu matrimonij adhuc permanet talis status, perditâ tamen iustitiâ originali non perseuerat status innocentiæ, quia ipsa iustitia ipsum formaliter constituebat: vnde hæc non solùm materialiter, sed etiam formaliter debet esse habitualis, neque sufficit quòd concomitentur auxilia gratiam habitualem, sed requiritur præter ipsam gratiam, & præter ipsa auxilia aliqua forma habitualis perficiens in actu primo potentias & sensus, subdens delectabiliter, & suauiter subordinans rationem.

Stabilito ergo quòd iustitia originalis sit habitus distinctus ab habitu gratiæ habitualis, licèt vterque fuerit in Adamo, & vterque transfundi deberet, sunt examinandæ aliquæ appendices difficultates. Prima est, An habitus iustitiæ originalis sit vnus, vel multiplex? Prima sententia affirmat quòd sit vnus. ita D. Thomas vbi suprà, quem sequitur Caietanus 1. p. q. 95. art. 1. eamque videtur tenuisse Scotus vbi suprà dist. 32. *§. argumenta*, verſ. *ad* 3. Et probatur, quia frustrà fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora: sed posito dono habituali originalis iustitiæ in voluntate, quo ipsam rectificaret in ordine ad Deum, totus homo maneret rectificatus; ergo non est necesse ponere alia dona. 16.

Scotus autem noster dist. 29. *§. potest dici*, existimat & veriùs quòd habitus iustitiæ originalis prout distinctus à gratia habituali est multiplex, quia non tantùm est in voluntate, sed etiam in sensibus, imò & in intellectu; quod 17.

autem ait vbi suprà, quòd est vnus, & existens in voluntate, subintelligitur principaliter,& pro quo præcipuè supponit iustitia originalis in ratione iustitiæ, tum quia hæc in ratione talis rectificat voluntatem, in qua formalis iustitia residet, sicut & formale peccatum; tum quia hæc foret, quæ quasdam delectationes inordinatas appetitus præuenisset, quasdam imperasset, & quasdam diuertisset; & sic præstaret principaliores effectus iustitiæ originalis. & ita docent plures alij relati à Lorca, qui hanc sententiam tenet disputatione 43. de peccatis, sed immeritò adducit Scotum pro contraria sententia.

18. Probatur autem primò hæc sententia à Scoto, & simul explicatur natura iustitiæ originalis,quia de ratione iustitiæ originalis est facere perfectam tranquillitatem in anima, ita quòd natura inferior non inclinaretur contra iudicium superioris,aut si inclinaretur, quantùm est ex se,posset tamen à superiori regulari, & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris; ergo cùm hoc non habeant potentiæ hominis in pura natura, quia sensus corporis inclinantur propensione, & non impediti agunt vsque ad vltimum de potentia circa propria sua obiecta delectabilia, etiamsi sint inordinata, & contra iudicium rationis, & tam intellectus, quàm voluntas (quæ sunt potentiæ animæ) secundùm portionem inferiorem, & in quãtum habent vnionem,& colligantiam cum potentiis sensitiuis,etiam condelectantur illis,& habent naturalem propensionem, & inclinationem ad eadem obiecta delectabilia, debemus necessariò ponere in qualibet potentia tam sensitiua, quàm rationali aliquem habitum, medio quo delectabiliter, & sine tristitia operentur contra propria obiecta delectabilia inordinata, ita vt omnes pacificè & lætanter subdantur recto dictamini rationis.

19. Secundò probatur, quia licèt habitus iustitiæ originalis solùm existens in voluntate posset regulare alias potentias, & illas cohibere ne elicerent actus inordinatos, tamen non ita,vt non peccaret aliquando venialiter ex surreptione, quod aliqui negant illi statui, vel ad minus non ita, vt non tristarentur in tali cohibitione, & detentione, quia propensione naturali ferrentur,& quasi cæco impetu in propria delectabilia; ergo vt absque tristitia, & delectabiliter cohibeantur, debent poni in diuersis potentiis diuersi habitus, quibus totus homo delectabiliùs inhæreat fini vltimo, & omnibus ordinatis ad illum, quàm ab illo separaretur inhærendo alicui delectabili inordinato.

Tertiò probatur, quia secundùm Concilium Tridentinum sess. 5. de peccato originali, homo tam secundùm animam, quàm secundùm corpus per peccatum originale fuit mutatus in deterius; ergo ex eo, quia priuatus fuit iustitiâ originali existenti non solùm in anima, sed etiam in corpore. 20.

Sed dices: Visus potuit tunc videre turpe visibile, & auditus audire turpe audibile; ergo potuerunt tunc tristari, sicut potuerunt delectari de visibili, & audibili honesto. Respondet Scotus concedendo totum, tamen voluntas benè vsa fuisset his omnibus. Sed ex hoc putant aliqui Scotistæ, quòd in sensibus internis (in quantum sunt appetitiui) non erant aliqui habitus ex Scoto,sed immeritò, quia tales habitus in ipsis existentes non reddebant illos incapaces recipiendi quascumque species impressas etiam molestas venientes à quibuscumque obiectis, neque incapaces eliciendi sensationem cum ipsis, sed tantùm præstabant delectabilitatem, & saporem maiorem in subordinando se rationi rectæ, quàm in condelectando se obiectis delectabilibus inordinatis,quando scilicet ratio dictaret illa esse inordinata. 21.

Ad fundamentum primæ sententiæ respõdetur, quòd licèt verum sit quòd totus homo maneret regulariter rectificatus posito tantùm dono iustitiæ originalis in voluntate, tamen non absque tristitia portionis inferioris, & fortè non absque peccato veniali, ex surreptione, vt vult Scotus in 2. dist. 21. §. *dico ergo:* vnde non foret tranquillitas perfecta in homine,quam debemus concedere in illo statu, & sic non solùm in voluntate, sed etiam in appetitu sensitiuo est ponendus alius habitus,vt in actu primo perfectiùs operetur connaturaliter suas operationes; imò non solùm in appetitu sensitiuo communi, 22.

sed

ſed etiam in quolibet particulari. Nam vt cum Scoto in 3. diſt. 17. q. 1. §. *iſtam quæſtionem* litt. B communiter dicunt Scotiſtæ, & nos diximus 3. lib. de Anima diſp. 1. q. 1. tot ſunt appetitus ſenſitiui, quot ſunt ſenſus externi; & ſic in quolibet ex iſtis erat habitus partialiter pertinens ad iuſtitiam originalem. An autem tales habitus ſint virtutis, nihil refert ad propoſitum. videantur circa hoc Scotus in 3. diſt. 33. per totam, & Recentiores ad queſtionem 56. D Thomæ, Lorca diſp. 16. & Vaſquez diſp. 87.

23. Secunda difficultas eſt, An iuſtitia originalis prout à gratia habituali diſtincta ſit donum ſupernaturale, necne? Et non eſt dubium quòd ſit ſupernaturale, ſi ſupernaturale ſumatur pro eo quod gratioſum, & puræ naturæ indebitum, quia omnes hoc fatentur, nam homo non haberet illud donum in pura natura; ſed an ſit ſupernaturale quoad ſubſtantiam, vel quoad modum. Et prima ſententia ait, quòd non ſit ſupernaturalis prædicta iuſtitia. Ita Lorca vbi ſuprà, qui dicit eſſe communem ſententiam. Et probatur, quia iuſtitia originalis prout diſtincta à gratia habituali rectificabat hominem in ordine ad Deum vt finem naturalem: ergo ſecundùm ſubſtantiam erat naturalis, neque habebat modum aliquem ſupernaturalem.

24. Secunda ſententia dicit, quòd ſit ſupernaturalis tantùm in ordine ad efficiens: ex quo videtur deduci, quòd ſit tantùm ſupernaturalis quoad modum. Pro hac ſententia refertur à Vaſquez vbi ſuprà Scotus in 2. diſt. 19. §. *poteſt dici*, & §. *ad primum*, verſ. *ad quartum*. & tenent aliqui Scotiſtæ, quos vidi in manuſcriptis. Fundamentum eſt, quia iuſtitia originalis ſolùm cauſabatur à Deo immediatè; & ex alia parte diſtinguebatur à gratia habituali, quia gratia habitualis coniungebat hominem ad Deum, vt ad bonum ſupernaturale, & vt ſupernaturaliter attingendum per meritum (verba ſunt Scoti) & non iuſtitia originalis: ergo hæc tantùm erat ſupernaturalis quoad modum. Patet conſequentia, quia ſupernaturalitas tantùm ex parte efficientis eſt ſupernaturalitas tantùm quoad modum, vt patet in oculo reſtituto.

Dicendum tamen nobis eſt, quòd iuſtitia originalis etiam prout à gratia habituali diſtincta erat ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Hæc concluſio ſequitur neceſſariò ex his quæ cum Scoto pluribus in locis diximus in materia de fide diſp. 7. q. 2. p. 3. & q. 3. & in materia de charitate diſp. 1. quæſt. 3. vbi probauimus quòd ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam non ſumitur per ordinem ad Deum prout auctorem gratiæ, quia tam circa Deum vt auctorem naturæ, quàm vt auctorem gratiæ poſſunt dari actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam; & conſequenter non ſumitur per ordinem ad finem naturalem, vel ſupernaturalem, ſed ſumitur ex hoc quod forma ex natura ſua poſtulat produci ab aliquo agente prout non ſpectante ad ſeriem cauſarum vniuerſi, ſed ſecundùm actualem Dei prouidentiam: vnde cum Scoto diximus ibidem, quòd ſpecies abſtractiua clara myſterij Trinitatis erat ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, licèt non ſpectaret ad ordinem gratiæ & gloriæ, & conſequenter neque ad ordinem meriti: & in materia de Incarnatione diſp. 15. q. 3. diximus quòd ſpecies animæ Chriſti Domini erant per ſe infuſæ etiam circa obiecta naturalia vel materialia.

Ex his ergo probatur primò noſtra ſententia, quia illud eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod ex natura ſua poſtulat pro luci ab aliquo agête, ſecundùm actualē Dei ordinationem, & prouidentiam, non ſpectāte ad ſeriem cauſarum huius vniuerſi; ſed iuſtitia originalis etiam prout diſtincta à gratia habituali ſic ſe habebat, quia ſolus Deus immediatè illā poterat cauſare abſq; phyſica exigentia naturæ, ſicut & gratiam habitualem; imò æquè vtramq; creauit in Adamo, & crearet in poſteris: ergo neq; obſtat, quòd, ſi Adamus non peccaret, deberetur poſteris debito naturæ, quia hoc intelligi debet ratione ordinationis ſupernaturalis Dei coniunctæ cum transfuſione & propagatione naturę; tamen hoc non tollit quominùs ſicut ipſa gratia habitualis transfundenda eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ita & iuſtitia originalis; nam aliud eſt quòd debeatur naturæ, aliud quòd ipſum debitum ſit naturale, primum eſt verum, non ſecundum. 25. 26.

Secundò

27. Secundò probatur, quia iustitia originalis prout à gratia distincta erat donum gratuitum, quo delectabiliùs se habebat voluntas circa finem & persecutionem voluntatis Dei, & quo delectabiliùs se habebant sensus subordinàdo se recto dictamini rationis, quàm circa propria delectabilia inordinata; sed hoc donum sapientiæ, quod secundùm doctrinam Scoti in 3. distinct. 34. *§. his suppositis*, vers. *vniuersaliter enim*, post litt. O, non tam sumitur pro sapientia, quàm pro sapore, quo magis nobis sapit Deus, quàm ea quæ separant animam ab ipso: ergo est supernaturale quoad substantiam. Probo consequentiam, quia dona Spiritus sancti sunt per se infusa, & consequenter quoad substantiam supernaturalia.

28. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur concedendo quòd iustitia originalis non rectificabat in ordine ad Deum vt finem supernaturalem; sed non eâ ratione sumptum, quâ volunt aliqui Thomistæ, quasi sit in Deo aliquid intrinsecum hoc, quod est esse finem supernaturalem; sed eâ ratione, quâ diximus locis suprà citatis, scilicet extrinsecè ratione ordinationis diuinæ, quâ voluit Deus hominem habentem gratiam habitualem acceptare duplici acceptatione, primâ subiectum eius in ordine ad gloriam tamquam hæreditatem, secundâ opera ipsius in ordine ad eamdem gloriam tamquam ad coronam & præmium, & hoc non præstabat iustitia originalis prout à gratia habituali distincta, quia sicut hæc non constituebat filium, ita non constituebat hæredem, & sic in hoc sensu non rectificabat hominem in ordine ad Deum vt finem supernaturalem: ex hoc tamen sequitur quòd non sit supernaturalis quoad substantiam; nam hoc prouenit ex alio capite, scilicet ex eo quòd ex natura sua postulabat produci à Deo vt supernaturaliter agente.

29. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondeo quòd iustitia originalis non tantùm erat supernaturalis ex parte efficientis vt oculus restitutus, sed etiam ex parte sui, quia ex parte sui non habebat principium effectiuum in serie causarum vniuersi. vnde habebat se ad modum habituum per se infusorum. Scotus autem ibi tantùm loquitur de iustitia originali, sicut in 2. Sententiarum dist. 3. q. 2. loquitur de specie impressa quidditatiua mysterij Trinitatis infusa Angelis in statu viæ, de qua dicit quòd licèt non esset supernaturalis in ordine gratiæ & gloriæ, scilicet quia non habebat ius ad illam, sicut gratia habitualis, tamen ex natura sua postulabat produci à Deo vt agente supernaturali: eodem ergo modo loquitur, & debet intelligi Scotus in præsenti, scilicet quòd iustitia originalis prout à gratia habituali distincta non coniungebat hominem ad Deum supernaturaliter, & tamquam ad bonum supernaturale, scilicet in ordine gratiæ meriti & gloriæ, quod ab ipso appellatur coniungere supernaturaliter, & ad bonum supernaturale; non tamen negat quòd sit absolutè, & secundùm substantiam supernaturalis.

Tertia difficultas est, An præter dicta dona requisita fuerint aliqua auxilia internæ & externæ protectionis ad conseruandam perfectam tranquillitatem illius status absque difficultate & tristitia potentiarum? Et respondeo quòd sic sicut de facto requiruntur ad conseruandam gratiam, & amicitiam, nam quantùm ad necessitatem auxiliorum non videntur differre hi actus, & si Adamus & Eua non penderent ab auxiliis extrinsecis & intrinsecis diuinis, ita vt possent ipsis deficere, & de facto, efficacia defecissent, quando serpens eos tentauit, non peccare possent, neque peccassent. 30.

Quarta difficultas est, An iustitia originalis constituebat primos parentes, & eius posteros immortales? Circa quam conueniunt omnes, quòd non moreretur, ita expresè Scotus in 2. dist. 19. *§. concedo*, & dist. 29. *§. potest dici*, vers. *de alio effectu*, litt. C. Et probatur ex illo Genesis 3. *In quacumque hora comederitis, morte moriemini*: ergo si non comederent, & statum innocētiæ conseruarent, non morerentur; nam vita ipsorum (inquit Scotus) conseruaretur per multa adiutoria, per esum ligni vitæ, per custodiam Angelorum, per protectionem diuinam, per bonum regimen intrinsecum, & tandem per translationem eorum in cælum. 31.

Sed circa hoc est controuersia, An hæc immortalitas fuerit impotentia & 32.

& incapacitas moriendi, an autem carentia actus moriendi? D. Bonauentura in 2. dist. 19. art. 2 & 3. quæst. 1. & D. Thomas 1. p. q. 92. art. 1. tenent esse incapacitatem & impotentiam. Probat primò D. Bonauentura, quia in illo statu fuisset plenum dominium animæ super corpus, & vires inferiores obedirent animæ ad nutum; ergo non fieret resolutio in corpore. Probat secundò D. Thomas, quia daretur aliqua qualitas in corpore præseruans à corruptione, & hæc esset iustitia originalis.

33. Dicendum tamen est cum Scoto vbi suprà, quòd immortalitas illius status non fuerit impotentia ad mori, sed carentia actus moriendi. Et probatur primò ex D. Gregorio Nisseno lib. 1. Philosophiæ de Homine cap. 2. his verbis: *Melius igitur est hoc quod propositum est sentire, quòd mortalis quidem sit conditus: poterat tamen ex perfecto perfectior factus immortalis fieri; hoc est, potestate erat immortalis.*

34. Probatur secundò, quia per actionem & reactionem paulatim deperditur virtus agentis & resistentis, vt patet de aqua mixta vino, quæ toties potest infundi, quòd deficiat tandem virtus vini in conuertendo aquam in se: sed homo intrinsecè est compositus ex contrariis, quæ naturaliter haberent actionem, & reactionem, absque eo quòd aliqua qualitas extrinseca, ex his quæ ad iustitiam originalem pertinebant, hoc posset impedire: ergo tandem homo moreretur, nisi à Deo præueniendo mortem per suprà dicta adiutoria transferretur in Paradisum.

35. Tertiò probatur, quia iustitia originalis in tantum posset iuuare ad bonum regimen, in quantum iuuaret ad non peccandum; sed absque peccato potest homo naturaliter corrumpi per mixtionem contrariorum, ex quibus componitur: ergo iustitia originalis non redderet hominem incapacem mortis, sed tantùm esset in illo statu ei annexum hoc bonum non moriendi. Et per hoc patet ad vtrumque fundamentum primæ sententiæ, quia neque plenum dominium animæ in corpore, neque qualitas ex illis, aliqua extrinseca homini non intrinsecè immutato sufficeret ad auferendam intrinsecam necessitatem moriendi.

Quinta denique difficultas est, An iustitia originalis prout à gratia habituali distincta fecerit hominem Deo gratum? Affirmat meo videri Faber vbi suprà cap. 4. num. 16. in fine, licet concedat, quòd non ita coniungeret Deo sicut gratia. Fundamentum potest esse, quia erat quædam forma supernaturaliter rectificans hominem; ergo ipsum reddebat Deo gratum gratitudine supernaturali. 36.

Et posset confirmari, quia quòd gratia habitualis reddat hominem Deo gratum præter pulchritudinem physicam, quam confert, præstat ex speciali acceptatione Dei; sed hæc etiam posset superuenire iustitiæ originali ex speciali voluntate Dei: ergo, &c. 37.

Dicendum tamen censeo, quòd iustitia originalis prout à gratia habituali distincta non reddebat hominem Deo gratum gratitudine speciali, quæ daret ius in ordine ad gloriam per correspondentiam meriti in ordine ad præmium. ita expresè Scotus in 2. dist. 19. §. *ad primum*, vers. *ad quartum*. Et probo, quia homo in statu innocentiæ non solùm conditus fuit in iustitia originali, sed etiam in gratia habituali, quæ sicut modò habet, ita tunc habebat annexam specialem Dei acceptationem, quâ hominem habentem ipsam acceptat Deus ad gloriam tamquam hæreditatem, & meritum eius ad ipsam tamquam ad coronam; ergo frustrà erat hoc ipsum ponere etiam in iustitia originali sumpta pro dono à gratia habituali distincta, aliàs etiam posset poni de facto in quolibet habitu ex per se infusis. 38.

Ad fundamentum oppositum respondeo concedendo, quòd homo redditur Deo gratus quacumque forma physica naturaliter, si forma sit naturalis; & supernaturaliter, si sit supernaturalis; sed non gratitudine speciali, sed generali; specialis enim Dei acceptatio hominis ad gloriam tantùm est annexa gratiæ habituali, vt late traditur in materia de gratia, & nos diximus in materia de charitate disputatione 3. quæst. 4. & 5. Et per hoc patet ad confirmationem, quia 39.

quia licèt de potentia Dei etiam iustitia originalis posset sanctificare, non tamen de facto; nam hoc non habet aliqua forma physicè, & ex natura rei, sed moraliter, & ex acceptatione diuina satis congruenter apposita tali gratiæ, cùm hæc sit ipsa charitas habitualis, vt ibi diximus, quæ acceptatio absque fundamento Scripturæ & Patrum non debet multiplicari in pluribus formis; quapropter in materia de Incarnatione disp. 11. quæst. 2. negauimus cum Scoto, quòd vnio hypostatica prout à gratia habituali distincta iustificet, licèt id non repugnet ex Dei potentia.

QVÆSTIO II.

Vtrum ex natura rei, an autem ex Dei pacto iustitia originalis Adami posteris debita fuerit?

1. NOn agimus in hac Quæstione de debito incurrendi peccatum originale, quia de eo latè agemus inferius, sed agimus de debito habendi iustitiam originalem à posteris Adami: quam habituros fore, si Adamus non peccaret, constat ex Tridentino sessione 5. decreto de peccato originali canone 3. vbi dicitur Adamum non tantùm sibi, sed etiam nobis sanctitatem & iustitiam perdidisse. Quærimus ergo primò, An hoc ex natura rei haberent?

2. Et prima ratio dubitandi sumitur ex eo quòd ex natura rei parentes potestatem habent in filios, ita vt quamdiu paruuli sunt, non emancipati, tota eorum voluntas in parentum voluntate sita sit; taliter quòd Patres pro ipsis pacisci, & cōtractus celebrare possint, imò & posse reddere irrita & nulla eorum sponsiones & vota: ergo Adamus ex natura rei, eo ipso quòd omnium hominum est pater, poterat transferre, vel auferre iustitiam originalem.

3. Secundò, quia ex communi sententia Ecclesiæ sufficit voluntas parentum, vt infantibus sit voluntarius baptismus, & non aliâ ratione, nisi quia voluntas filij naturaliter censetur eadem cum voluntate patris: ergo sicut potest transfundere gratiam baptismalem, ita potuit naturaliter transfundere iustitiam originalem.

Dicendum tamen nobis est cum communi sententia quòd non ex natura rei, sed ex Dei pacto foret debita iustitia originalis posteris Adami, si Adamus de arbore prohibita non manducasset. ita Scotus citatus quæstione antecedenti, Vasquez 1. 2. disp. 132. cap. 9. Lorca in materia de peccatis disp. 44. Et probatur primò, quia si aliquo titulo naturali debita esset posteris Adami iustitia originalis, maximè titulo generationis, & paternitatis; sed hic titulus non sufficit, quia dato quòd illum posset habere in quantum pater respectu filiorum, qui nondum sunt exempti à patris potestate, non tamen in quantum auus respectu nepotis, & multò minùs in quantum proauus, vel atauus respectu pronepotis, &c. quia vt sic non valent ea quæ pater in quantum pater facit, sed sic compararetur respectu aliorum posterorum à filiis: ergo. 4.

Secundò, quia filius non est pars patris secundùm dona supernaturalia, sed tantùm secundùm naturalia: ergo dona supernaturalia non sunt debita filio ex vi generationis naturalis paternæ præcisè loquendo. Antecedens probatur, quia secundùm illa non dependet filius ab illo in genere causæ efficientis, sed in hoc tantum genere dependet à patre in quantum filius: ergò si ab illo dependebat, hoc erat ratione pacti, vel ordinationis diuinæ. 5.

Et confirmatur, quia aliàs filij haberent ius in ordine ad bona supernaturalia parentum, & sic gratia habitualis deberetur filiis genitis à patribus existentibus in gratia, quod est absurdum. 6.

Ad rationes dubitandi respondetur posse aliquo modo conducere titulum generationis naturalis, vt accedente Dei pacto, & ordinatione diuina debita fuisset posteris; imò & aliquo modo voluntaria iustitia originalis, & eius priuatio, & ita non physicè, & ex natura rei, sed moraliter, & ex Dei acceptatione, quia non excluso pacto, vel ordinatione Dei. 7.

Ex quo quærimus secundò, Vtrùm factum fuerit hoc pactum, quo scilicet ordinasset Deus Adamo (ordinationem enim eius, & legem, in præsenti voca- 8.

mus

mus pactum) vt iustitiam, & sanctitatem, quam ab ipso acceperat, sibi & posteris conseruaret, eamq; in ipsos transfunderet, si ab obedientia eius non recederet, manducando de fructu arboris scientiæ boni & mali? Circa quam difficultatem Sotus de Natura & gratia cap. 10. dicit hoc pactum esse fabulosum. Fundamentum est primò, quia non est Scripturæ testimonium ex quo probetur fuisse. Secundò, quia absque eo pacto transfunderetur peccatum originale in posteros, quia peccatum actuale Adami id inferebat.

9. Vera tamen & communis sententia docet interuenisse cum Adamo hoc pactum. videantur Vasquez & Lorca vbi suprà, Ferdinandus de Salazar tomo de Conceptione cap. 1. §. 7. num. 38. Et probatur primò testimoniis Scripturæ ab Augustino 17. de Ciuit. Dei cap. 27. ex illis verbis Genesis 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* quem locum sic explicat August. *Qui ex populo Iudaico circumcisione non adhibeat remedium peccato originali peribit, quia simul cum Adamo pactū meum irritum fecit.* Sed Vasquez paruipendet in præsenti Augustinum, vt acquiescat D. Thomæ neganti circumcisionem delere ex opere operato originale peccatum. Sed nos ingenuè oppositum tenemus cum Augustino & Scoto, vt traditur in materia de Sacramentis in genere.

10. Deinde Oseæ 6. dicitur: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* quæ verba intelligit ibidem Hieronymus, & Rupertus de prædicto pacto, de quo in præsenti agimus. Neque obstat, quòd Septuaginta sic legerint: *Ipsi autem sunt vt homo præteriens testamentum, ibi contempsit me.* quia per ly *homo* significatur Adamus, & per ly *testamentum* idem quòd pactum, vt explicant prædicti Patres. Nec modò curo, an simul cum pacto interuenerit præceptum, quia de hoc posteà; curo tamen quòd per verbum *pactum*, & *testamentum*, propriè magis intelligatur quod sonat, quàm præceptum, vt immeritò volunt alij cum Salazar vbi suprà num. 41.

11. Sed præcipuè probatur ex illo testimonio Genesis 2. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* vbi non solùm Dei præceptum, sed etiam pactum inuenitur: quandoquidem ordinauit Deus mortem pro trāsgressione, & vitam pro obseruatione, quod audiuit Adam, consensit, & saltem implicitè conuenit cum Deo, & omnes posteri eius cū eo virtualiter in ipso contenti, cum quibus etiam tunc Deus conuentionem fecit, vt patebit clariùs ex translatione Septuaginta, qui sic legunt, *In quocumque enim die comederitis ex eo, morte moriemini.* Nā licèt aliqui velint Deum sic locutum fuisse in plurali propter Adamum & Euam, sed in contrarium est: primò, quia Eua non erat tunc ædificata ex costa: secundò, quia Scholastici benè sentientes putant pactum non cum Eua, sed cum Adamo tātùm initum fuisse: tertiò, quia omnes posteri Adami moriuntur propter illam determinationem diuinam. ergo ly *comederitis* cum Adamo loquitur, & posteris eius. Quòd autem ly *moriemini* intelligatur non solùm de morte corporali, sed etiam de spirituali est cōmunis sententia cum Augustino lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 12. & indicat Paulus ad Rom. 5. illis verbis: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt.* quod exponit vno verbo Ecclesiast. cap. 14. dicens, *Testamentum mundi morte morietur, vel morieris*; ergo pactum cum toto mundo, id est, cum Adamo & posteris factum fuit à Deo, cùm Genes. 2. dixit, *In quacumq; die comederis, morte morieris.* sed idem currit de transfundenda iustitia originali, si non comedisset; ergo.

Secundò probatur ratione, quia in natura humana Adami nullum est fundamentum, quare ex natura rei transferret iustitiam in posteros, si non peccaret; neque quòd illam transfunderet, si peccaret: aliàs idipsum possent proximi parentes, & remoti circa filios suos, quod nullus audebit affirmare: ergo ad hoc vt transfunderetur, vel non transfunderetur iure hæreditario iustitia originalis in posteros necessaria fuit Dei ordinatio, & lex, quam pactum appellamus (quidquid sit an se habeat vt rigorose pactum, quod interuenit in contractibus humanis, 12.

in quibus requiritur consensus vtriusque partis, qui meo videri non defuit, nam explicitus fuit ex parte Dei, & saltem implicitus ex parte Adæ) ergo non ex natura rei, sed ex Dei pacto fuit debita posteris Adami iustitia originalis.

13. Ad primum primæ sententiæ iam patet non tantùm vnum, sed plura esse testimonia pro nostra sententia. Ad secundum respondetur nullum esse fundamentum ad asserendum quòd peccatum patris ex natura rei transfundatur ad posteros, cùm posset Deus ordinasse dare iustitiam, vel non dare illam posteris, siue Adamus peccasset, siue non peccasset, siue acceptam amisisset, siue non amisisset.

14. Quærimus deinde tertiò, An fuerit Adamo manifestum, quòd hoc pactum intelligeretur non solùm de sua propria persona, sed etiam de posteris eius? negant aliqui cum Soto, & refertur pro hac sententia Vasquez, sed excusatur à Salazar cap. 1. §. 7. num. 41. eum explicans, imò & tenens non fuisse hoc necessarium vt Adamo tamquam capiti peccatum originale fuerit voluntarium, quia qui delictum aliquod committit saltem implicitè, & in causa se submittit omnibus pœnis, & suppliciis ex dignitate peccati sibi correspondentibus; & sic eo ipso quòd Adamus peccauit, se voluntariè submisit, vt in pœnam eius ipse & posteri sui priuarentur iustitiâ originali. at voluntarium implicitè, & in causa satis est ad peccatum vt sit voluntarium. Fundamentum huius sententiæ est, quia hæc manifestatio non potest inferri ex aliquo testimonio Scripturæ; ergo.

15. Verior tamen sententia affirmat, Adamo fuisse manifestum hoc pactum, initumque fuisse non solùm pro se, sed etiam pro posteris eius. ita Salazar ibi suprà num 43. Et probatur, quia iustitia originalis fuit posteris Adami debita; sed hoc debitum non est naturale, sed morale, vt suprà probauimus; at non ex pacto, non manifesto Adæ, quia nullum pactum, & præceptum obligationem inducit, nisi cognitum: ergo non solùm fuit Adamo manifestum, quòd pactum diuinum obligabat ipsum ad conseruandam iustitiam pro se, sed etiam pro posteris eius: aliàs carentia iustitiæ non imputaretur ipsis tamquam carentia iustitiæ debitæ, sicut neque imputaretur Adamo si non haberet præceptum de illa conseruanda (siue hoc præceptum ortum fuerit ex virtute charitatis erga se & proximum, siue ex præcepto speciali diuino scilicet conseruandi pro se & posteris iustitiam originalem, distincto ab illo præcepto de non comedendo de arbore scientiæ boni & mali, sicut diuersis Auctoribus placet) stat ergo veritas nostræ sententiæ.

Dices ergo: Vt iustitia originalis dicatur debita posteris Adæ, sufficit ordinatio diuina, per quam decreuerat Deus apud se, Adamo perseuerante in bono, conferre filiis eius illam: ergo non erat necessaria cognitio pacti & præcepti. Respondeo primò cum Salazar num. 44. negando antecedens, quia illud decretum Dei erat anceps in vtramque partem scilicet conferendi, vel auferendi gratiam, prout Adamus se gereret, & consequenter sublato præcepto, quod habetur ex pacto, nullam esse obligationem, ratione cuius iustitia originalis dicatur debita filiis Adæ. 16.

Secundò respondeo negando similiter antecedens, ex eo quòd sicut decretum, quo Deus intra se decernit dare mihi gloriam, vel gratiam, non est sufficiens ad hoc, vt sit mihi debita debito iustitiæ, licèt sit sufficiens vt possim ego illam habere, & vt habeam de facto, ita decretum internum Dei dandi iustitiam originalem posteris Adami, ipso perseuerante in bono, esset ratio vt possent illam habere, imò vt haberent de facto, non tamen ipsis esset debita ex obligatione iustitiæ, si Adamus non tenetur ipsam conseruare pro se, & posteris eius. 17.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd ex locis suprà adductis patet manifestatio huius pacti; manifestatio autem huius præcepti, si hoc sit speciale, imbibitur etiam in illis: si autem sit charitatis ratio naturalis, ipsum manifestabat, quia naturaliter dictabat Adamo ipsum teneri ad conseruationem iustitiæ originalis, ne tantum malum quantum est priuatio eius inferret sibi & eius posteris. 18.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrùm ex peccato Adami deriuetur in posteros aliquod peccatum?

1. POstquam egimus de iustitia originali, & debito contrahendi illam, venit agendum de peccato originali, circa quod Pelagius monachus Palæstinus circa annum 415. docuit pueros nihil omnino ex peccato primi parentis contrahere, mortemque, ærumnas, & alios defectus, quos homines experiuntur, illis esse naturales, taliter quòd etiamsi Adam non peccasset, adhuc etiam ipsos haberent. ita refert Augustinus lib. de Hæresibus hæresi 88. Vt autem Pelagius satisfaceret auctoritatibus sacræ Scripturæ, quæ significant primum hominem induxisse peccatum in posteros, dixit hoc fuisse per imitationem, & non per veram transfusionem; sed quia Adam fuit inobediens, se præbuit exemplum inobedientiæ & peccati. Discipuli verò eius eisdem testimoniis conuicti dixerunt ideò posteros contraxisse peccatum, non quia verè ipsum contrahunt, sed quia contrahunt pœnas illius, nam illud punitur in omnibus. ita refert idem Augustinus lib. contra duas Epistolas Pelagij cap 2. & 4. quibus plures alij hæretici & Auctores consensêre, quos refert Lorca disp. 42. in principio.

2. Primò probant hæretici ex sacræ Scripturæ testimoniis; nam Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Et ad Rom. 4. *Vbi non est lex, neque præuaricatio.* non est autem in his, qui recenter nati sunt, quia non habent cognitionem illius. Vnde ibidem cap. 7. dicitur: *Peccatum non cognoui, nisi per legem.* Deinde ibidem cap. 5. dicitur: *Regnauit mors ab Adam, etiam in eos, qui non peccauerunt.* ergo in aliquibus est mors propter peccatum Adami, in quibus non fuit peccatum eius. Et denique 2. ad Corinth. dicitur: *Omnes nos oportet præsentari ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* ergo quod homo non gessit propriâ actione, non est ibi præsentandum. ergo non datur originale peccatum. Et confirmant pluribus Patrum testimoniis, de quibus videri possunt Recentiores.

3. Secundò probant rationibus: quarum prima est, quia videtur alienum à diuina Misericordia, tot hominum multitudinem, & præcipuè paruulorum, qui nullum propriâ voluntate admiserunt flagitium, condemnare propter vnius hominis peccatum. Secūda, quia peccatum Adami non fuit efficacius ad nocendum, quàm Christi iustitia ad saluandum, sed hæc nihil prodest non credentibus; ergo neque illud officit non consentientibus. Tertia, quia neque ratio culpæ, neque ratio voluntarij, neque traduci per posteros, potest reperiri in peccato originali paruulorum; ergo non deriuatur in ipsos.

4. Veritas tamen Catholica docet, propter peccatum Adami traduci in omnes homines aliquod peccatum vnicuique proprium, quod contrahunt cum natura ipsa per generationem & originem. Et probatur primò testimoniis sacræ Scripturæ; nam Iob 14. dicitur, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* scilicet mundus. vbi apertè dicitur, homines semine immundo concipi, & immunditiam contrahere; & loquitur de immunditia spirituali, quæ à solo Deo mundatur. Et confirmatur versione Septuaginta, qui sic habent: *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius vita est vnius diei super terram.* vbi clarè comprehenduntur paruuli.

5. Deinde in Psalmo 50. dicitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* vbi rigorosè defectus originalis appellatur peccatum, cùm appelletur iniquitas; & ibi propriam iniquitatem in conceptione contractam exponit, & non iniquitatem parentum, cùm conceptus fuerit Dauid ex honesto matrimonio: & vbi verbum Hebræum quod correspondet verbo *conceptus*, & quod correspondet verbo *concepit*, non significant actum generandi, sed formationem fœtus, quæ fit intra matris vterum, postquam iam generantium actio cessauit: & ideò notanter non dicitur, Et in peccatis concepit me pater meus, sed mater mea, quia loquitur de conceptione intra vterum maternum; & sic non potuit esse generationis peccatum.

6. Neque obstat quòd dicatur ecnceptus in iniquitatibus in numero plurali, nam frequenter Scriptura plurali pro singulari vtitur, præterquam quòd peccatum originale, etiamsi vnum sit, potest sic significari, quia est radix plurium peccatorum. Plura alia veteris Testamenti testimonia possunt videri apud Galatinum lib. 7. cap. 5. & alios, quos citat Lorca vbi suprà.

7. In nouo Testamento variis in locis hæc veritas traditur; nam Ioannis 2. dicitur, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, vbi in Græco ly *peccata* legitur in numero singulari, & cum articulo demonstratiuo, qui æquiualet nostro pronomini *illud*; quasi dicat, *Ecce qui tollit illud peccatum mundi.* quod non est aliud, nisi originale. Deinde ad Ephesios 2. dicitur: *Nos natura filij iræ, sicut ceteri;* id est, sicut reliqui omnes. sic enim legitur in omnibus Codicibus, & Patres Græci in eodem sensu accipiunt. Et 1. Corinth. 15. dicitur: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et 2. ad Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: & Christus pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* at non sunt omnes, pro quibus Christus fuit mortuus propter peccatum actuale mortale; ergo propter originale. nam si mortuus est pro omnibus, & non omnes habuêre peccatum actuale mortale, sequitur inde quòd habuerunt originale peccatum, propter quod mortui dicuntur; & sic vt omnes viuificaret, pro omnibus mortuus est Christus, non solùm pro mortuis in actuali peccato, sed etiam pro mortuis in originali.

8. Tandem hæc veritas potissimè asseritur à Paulo in Epistola ad Rom. cap. 5. in quo cùm præmisisset, Christum pro omnibus nobis, cùm essemus impij & peccatores, mortuum fuisse vt nos iustificaret, statim ingerit sermonem de peccato originali his verbis: *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt.* Et infrà: *Nam iudicium quidem ex vno* (scilicet delicto) *in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Et infrà: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* quid clariùs, si rectis oculis videatur? Sed leges apud Lorcam vbi suprà, aliquas hæreticorum futiles euasiones huius testimonij, & earum redargutiones. Lege similiter definitiones Pontificum, & plurium Conciliorum, præcipuè Tridentini sessione 5. in Decreto de Peccato originali, & plura Patrum testimonia, quæ impræsentiarum longum esset recensere. Præsertim cum illa non negent hæretici, imò Pelagius in quodam Concilio Palæstino retractauit suum errorem, licèt dolosè, & paleatis verbis.

Secundò probatur hæc veritas rationibus: quarum prima sumitur ex vniuersali redemptione Christi, qui pro omnibus mortuus est, etiamsi sint paruuli, vt patet ex locis adductis; ergo omnes etiam paruuli sunt rei peccati. Secunda sumitur ex baptismi necessitate, & effectu, qui est abluere, quia ex perpetua Ecclesiæ traditione docemur baptizare paruulos ante vsum rationis; nam Ioannis 3. dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed dicunt Pelagiani, baptismum aperire paruulis ianuam regni cælestis, & non tollere peccatum originale. Sed contrà, quia abluere est purificare: ergo ab aliqua macula, *quia nullus mundus à sorde, neque infans,* &c. & baptismo tribuitur lauare & mundare ad Titum c. 3. sicut Ioannis 3. tribuitur illi regenerare; & ad Ephes. 5. & Act. 22. abluere peccata, & ad Rom. 5. alia his similia: ergo non tantùm prouenit ex eo apertio ianuæ, sed etiam purificatio à culpa originali, &c. Tertia, quia mors est pœna peccati originalis, & omnes etiam paruuli moriuntur: ergo omnes etiam paruuli peccant peccato originali. 9.

Ad primum testimonium pro hæreticorum errore respondetur cum Augustino in Enchiridio cap. 33. ideò non portare filium iniquitatem patris, quia licèt illam contraxit, tamen Christus ab ea eum suâ redemptione liberat. quod in simili promittitur Ieremiæ 31. 10.

In

In diebus illis (ſcilicet tempore gratiæ) *non dicetur ampliùs, Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*, &c. *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iuda, & Iſrael fœdus nouum.* in quibus verbis ad litteram eſt ſermo de gratia & redemptione à peccato originali per Chriſtum.

11\. Ad ſecundum reſpondet Chryſoſtomus homiliâ 10. in Epiſtolam ad Romanos loqui de peccato actuali, quod propriè dicitur præuaricatio, quæ eſt actio, & quærit cognitionem legis. Secundò reſpondeo, quòd etiam in peccato originali eſt lex, & præceptum, quod cognitum fuit ab Adamo, vt in quæſtione antecedenti diximus, quando locuti ſumus de cognitione pacti.

12\. Ad tertium reſpondet Hieronymus dialog. 3. contra Pelagianos circa finem; non dixiſſe Paulum mortem regnaſſe in eos qui non peccauerunt, ſed in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, quod potius eſt pro nobis, quia ſi mors regnauit in eos qui non peccauerunt actualiter ſicut Adam, ergo ex eo quia peccauerunt originaliter, quia anteà dixerat mortem per peccatum in omnes homines tranſiſſe, aliàs eſſet in paucis verbis contradictio.

13\. Ad quartum reſpondetur communiter, primò quòd ſtrictè loquendo intelligatur de adultis, quia licèt paruuli ſint reſurrecturi, & aſſiſtere debeant ad iudicium; tamen non ſunt in illo præſentandi ante tribunal, vt referat vnuſquiſque, quia non habent actiones, quas in iudicio referant. Secundò, quòd ly, *prout geſſit in corpore*, ſumatur largè, ita vt ſe extendat ad id omne quod imputari poteſt; & vt ſic hoc teſtimonium non ſolùm poteſt comprehendere adultos, ſed etiam paruulos.

14\. Ad rationes oppoſitas reſpondetur. Ad primam, quòd tantùm ſit contra diuinam miſericordiam punire aliquem innocentem, quod Deus in præſenti non facit; quòd autem permiſerit peccatum originale, iuſtis de cauſis ſibi notis, & prudenti ratione fecit, & propter alia plura bona, quæ orta ſunt occaſione peccati originalis per manifeſtationem diuinorum attributorum.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd quemadmodum peccatum Adæ nocet non conſentientibus actu proprio, ita iuſtitia Chriſti poteſt prodeſſe non credentibus actu proprio, vt contingit pueris baptizatis.

Ad tertiam reſpondemus ex profeſſo quæſtionibus ſequentibus, quomodo ratio culpæ, & ratio voluntarij, & ratio traductionis in poſteros reperiatur in peccato originali. 15.

QVÆSTIO IV.

In quo ſita ſit eſſentia peccati originalis?

PRæcipuam de peccato originali controuerſiam continet Quæſtio præſens: circa quam plures fuerunt errores: Primus fuit Matth. Illirici diſcipuli Lutheri aſſerentis peccatum originale eſſe ipſam hominis ſubſtantiam quantùm ad corpus, & quantùm ad animam, quæ per peccatum primi parentis amiſit ſimilitudinem Dei, & facta, ſeu tranſlata eſt ad ſimilitudinem diaboli, & ſic eſſentialiter & ſubſtantialiter facta eſt peccatum. Sed contra hoc ingens figmentum Philoſophiæ & Theologiæ contrarium, in quibus nequit benè explicari hæc ſubſtantialis tranſmutatio, obſtat primò, quòd cum Manichæis admittit aliquas ſubſtantias eſſentialiter malas, à quibus Deum aſſignabant eſſentialiter malum. Secundò, quia aliàs per baptiſmum non tolleretur peccatum originale, ſed tegeretur, aut raderetur, quod eſt contra Tridentinum infrà referendum, niſi dicatur per baptiſmum fieri aliam ſubſtantialem metamorphoſim, quod eſt ridiculum. Tertiò, quia in 1. Ioan. 3. dicitur, *Omne peccatum eſt iniquitas*; & iniquitas græcè eſt idem ac deuiatio à regula: ergo nullum peccatum eſt ſubſtantia. videantur in Recentioribus huius erroris fundamenta, quæ, quia omnino friuola, non refero. 1.

Secundus fuit Lutheranorum in Apologia confeſſionis Auguſtanæ, Melanctonis in Apologia Wormatienſi, & Caluini lib. 2. Inſtitutionum cap. 1. aſſerentium conſiſtere in concupiſcentia, ſeu fomite ad malum nos inclinante. Et probant, quia Paulus ad Rom. 6. & 8. & ad Hebræos 11. concupiſcentiam

tiam appellat peccatum: quibus videtur fauere Augustinus lib. 1. de Nuptiis cap. 23. & 26. & Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis parte 7. cap. 26. & 28. Sed error iste damnatur in Tridentino sessione 5. decreto de peccato originali can. 5. dum damnatur qui dixerit per baptismum non tolli totum id, quod habet veram rationem peccati originalis, cùm post ipsum maneat concupiscentia, & fomes.

3. Et confirmatur, quia in pura natura haberemus eamdem inclinationem ad illa obiecta; ergo & concupiscentiam. A Paulo autem ideò concupiscentia appellatur peccatum, quia, vt ibidem Concilium docet, ad illud inclinat, & ab illo exit. Et idem habet Augustinus in illo capite 3. Hugo autem secutus est Augustinum asserentem consistere in concupiscentia pro materiali, & in reatu pro formali. de quo infrà.

4. Tertius fuit aliorum Lutheranorum, qui licèt fateantur errorem præcedentem, addunt tamen ad illum, peccatum originale non solùm esse concupiscentiam, sed etiam actuales motus inordinatos blasphemiæ, infidelitatis, sensualitatis, &c. qui numquam ab homine separantur. Et probant, quia vt sic sunt actus secundi. Sed contrà, quia secundùm fidem Catholicam peccatum originale est in paruulis ante natiuitatem, & vsum rationis; sed vt sic nullum habent motum inordinatum, vt constat ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuerint, neque aliquid boni aut mali egerint.* Et Deuteron. 1. *Filij tui, qui hodie ignorant differentiam boni & mali.* ergo. Et confirmatur, quia prædicti motus perseuerant post baptismum. Ad fundamentum respondeo ex dictis, quòd peccatum originale non consistit in actu secundo concupiscentiæ.

5. Deinde accedunt aliæ Catholicorum sententiæ prædictis erroribus valde affines: nam Holcot quæstione de imputabilitate peccati ad primū principale, Henricus quodlib. 2. quæst. 11. Gregorius in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. asserunt peccatum originale esse concupiscentiam, sed hanc non esse ipsas animæ potentias inordinatas, sed aliquam morbidam qualitatem ad malum inclinantem, quam ex alia simili qualitate in carne existente anima contrahit ex coniunctione & consortio illius, sicut lepram ex lepra, & vlcus ex vlcere. Quibus fauere videtur August. lib. 1. de Nuptiis cap. 25. & 31. vbi peccatum originale appellat morbidū effectum, & affectionem malæ qualitatis; & quòd *istam malam qualitatem non transfundit* (inquit) *propagatio, sed libido.* Et ex his putant prædicti Auctores quòd semen inficiatur ex libidine in actu generationis, & quòd ex hac confectione oriatur prædicta qualitas in anima. Et similiter videtur fauere Ambrosius in cap. 7. ad Rom. in illa verba: *Scio enim, quoniam in me non habitat*, &c. Fundamentum huius sententiæ est, quia ex peccato Adami originatur natura humana in posteris infecta, & in malum inclinata; ergo ex aliqua mala qualitate naturæ superaddita, ratione cuius sentitur alia lex in nostris membris, &c.

Sed hanc sententiam impugnant 6. Scotus in 2. dist. 32. à §. *contra istam viam*, vsque ad §. *contra quartum articulum*; S. Thomas q. 82. & reliqui Scholastici cum eis; imò Lorca disput. 43. de peccatis, §. *quarta sententia*, sentit parum ab hæresi prædictam sententiam differre. Et contra eam sic argumentor primò, quia ex peccato Adami non potuit physicè infici semen eius, aliàs ex nostris peccatis nostrū semen physicè inficeretur, sed hoc est falsum, quia nostris actionibus non producitur in semine qualitas perseuerans, sicut neq; in semine brutorum ex actionibus eorum; ergo frustrà fingitur talis morbida qualitas. Secundò, quia corpus nequit agere in spiritum actione materiali, nam effectus materialis non recipitur in anima, neque actione spirituali, quia corpus non habet virtutem ad illam; ergo non est intelligibilis modus productionis illius. Tertiò, quia vel producitur à corpore prædicta qualitas, & hoc non, vt patet ex dictis, vel à Deo, & hoc non, quia aliàs Deus per se & directè esset causa physica formalis peccati, cùm prædicta qualitas physica sit; ergo impossibilis est talis productio. Quartò, quia per baptismum aufertur in parentibus originale peccatum; ergo ista qualitas; ergo iam filius non nasceretur cum peccato originali, quandoquidem non est agens potens producere aliam similem qualitatem;

tatem; ergo peccatum originale non consistit in hac morbida qualitate.

7. Ad ea, quæ in oppositum adducuntur, respondetur, quòd verba Augustini & Ambrosij largè sunt intelligenda, nam quæcumque dispositio rei qualitas vocari solet, & quia natura humana in paruulis oritur destituta iustitia originali, dicitur nasci mala qualitate affecta, id est, malè disposita; & quòd hæc qualitas oriatur non ex propagatione, sed ex libidine, debet similiter explicari ex concupiscentia destituta iustitia originali, quæ libidinem refrænabat & gubernabat, sicut frænum refrænat equum, & clauus gubernat nauim.

8. Ad fundamentum dico, quòd infectio non est quid positiuum in humana natura, sed negatiuum, scilicet carentia perfectionis iustitiæ originalis, quæ coercebat inclinationem ad malum, quia natura integra mansit post originale peccatum, de cuius ratione est habere contrarietatem appetituum, & appetitus sensus cum appetitu rationali sequente dictamen honestum, nam prout feruntur in propria obiecta, non possunt non exire in pugnam, & aliquando contra rationem. vnde refutandus venit Corduba, qui lib. 1. q.45. contendit aliquam in nobis ex peccato originali permanere indispositionem positiuam præter naturalem, quia licèt ex Concilio Tridentino vbi suprà maneat homo per originale peccatum spoliatus in gratuitis, & vulneratus in naturalibus, & secundùm se totum mutatus in deterius, sed totum hoc debet intelligi consistere in sola spoliatione iustitiæ originalis nobis collatæ à Deo cum natura, quia exemplum de hoc infirmo, de quo communiter vtitur, non debet currere in omnibus.

9. Deinde Rosensis contra Lutherum art. 2. docet, peccatum originale pro materiali dicere concupiscentiam, pro formali verò reatum ad pœnam, in quod inclinat Durandus in 3. dist.30. q.3. & Maior dist.3. q.2. art. 1. quibus fauere videtur August. lib. 1. de Nuptiis cap.26. & sæpè alibi docens contra Pelagianos peccatum originale esse concupiscentiam non ratione sui, sed ratione reatus, quem habet adiunctum. Fundamentum est, quia vt sic aliquid assignatur pro materiali, & aliquid pro formali, quod tollitur per baptismum absolutè: ergo in eis consistit peccatum originale. Et confirmatur, quia peccatum actuale formaliter consistit in reatu: ergo similiter originale.

Modus iste communiter displicet Scholasticis, quia reatus vel est obligatio ad pœnam, & hæc non est formale peccati, quia oritur ex Deo legislatore, & puniente; vel est dignitas pœnæ, & hæc non est formale peccati si sumatur formaliter, quia oritur ex ipsa culpa, & si sumatur radicaliter, iam non est reatus, sed ipsa formalis ratio peccati, de qua inquirimus in quo consistit: vel denique est reatus culpæ, quo scilicet peccator formaliter ligatur & implicatur, & hoc non est asserere nisi quòd peccatum originale est quo quis ligatur & implicatur, seu quòd peccatum originale est culpa, sed in quo consistat talis culpa non dicitur. 10.

Augustinus autem pro Aduersariis relatus variè exponitur, vt videri potest apud Bellarminum lib. 5. de Amissione gratiæ cap. vlt. neque in præsenti circa eius mentem debemus multùm insistere, cùm ipse sæpè asserat, quòd præter hoc quod est certum, scilicet nos contrahere peccatum originale, ceteras quæstiones, quæ circa illud disputantur, sibi esse in dubium, & non satis percipere eas. ita habet lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 22. & in Epistola ad Hieronymum, & sermone 14. de Verbis Apostoli. explicarique potest loqui de reatu pro radicali, seu pro radice. 11.

Ad fundamentum respondetur, non satis esse assignare aliquid pro materiali, & aliquid pro formali, nisi illud sit in quo verè consistat peccatum originale. Ad confirmationem respondetur, quòd nisi benè explicetur, peccatum actuale pro formale non consistit; & quidquid sit de hoc diuersum, formaliter est peccatum originale à peccato actuali. 12.

Præterea Medina q. 82. art. 1. Sotus lib. 1. de Natura & gratia cap.9. & Corduba vbi suprà docent, quòd peccatum originale consistat in quadam conuersione habituali ad bonum cōmutabile, & auersione à Deo, & à rectitudine ra- 13.

tionis deriuata in nos ex peccato Adæ, sicut in simili contingit peccato actuali, à quo relinquitur habituale. Et probant primò, quia aliquid simile debet reperiri inter peccatum originis, & peccatum actionis; quia aliter videbimur fingere, & voluntariè loqui: sed originale non est simile peccato actuali; ergo habituali: sed hoc non est aliud, quàm habitualis auersio à Deo bono incommutabili, & conuersio ad creaturam bonum commutabile; ergo. Secundò, quia peccauimus in Adam, vt Paulus dicit vbi suprà quæstione antecedenti; ergo peccatum eius fuit omnium: sed non fuit omnium in quantum actuale; ergo in quantum habituale; ergo vt sic deriuatur in omnes.

14. Hanc sententiam multi (& meritò) impugnant Vasquez cap. 5. & Lorca in §. 7. sententia. Primò, quia talis habitualis conuersio, & auersio est quædam relatio, & oritur ex natura rei in subiecto in quo inest peccatum actuale: ergo tantum reperitur in voluntate Adami, & non in posteris eius. Secũdò, quia hac macula deletâ in Adamo per pœnitentiam non descenderet in filios.

15. Neque satis est dicere, quòd peccauit vt caput, & egit pœnitentiam vt persona priuata. quia contrà est, quòd si semel vtcumque deleta culpa perueniret ad filios, reuiuisceret absq; noua illius causa, quia absque nouo actu; quod est absurdum. Tertiò, quia voluntates nostræ non fuerunt in Adamo physicè; ergo neque ex physica actione peccauerunt, cùm ex natura rei repugnet quòd voluntas non existens consentiat, licèt verum sit quòd voluntas Adami moraliter cẽseatur nostra, quia fuit voluntas capitis, cuius actiones etiam censentur membrorum. Quartò, quia illa macula foret in voluntatibus filiorum, sicut fuit in voluntate Adami: & nihilominùs tamen præfati Auctores eam cum D. Thoma collocant in essentia animæ. Quintò, quia illa conuersio tantùm foret ad pomum vetitum, neque pueri possent excusari à pœna sensus, & ad eius retractationem esset requisita contritio, quandoquidem hæc omnia propria sunt peccati habitualis, & falsa de peccato originali. Sextò denique quia nequit percipi quomodo illa macula habitualis descendat in posteros, nisi per denominationem extrinsecam, quod nullus Catholicus debet admittere.

Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum, quòd in explicatione veræ sententiæ dicemus quid peccatum originale simile habeat cum peccato actionis, quòd non sit fictitium, neque voluntarium. Ad secundum respondetur nos peccauisse in Adamo vno modo quasi virtualiter, quia in virtute generatiua illius eramus, & vt sic non solùm peccauimus peccato habituali, sed etiam actuali, quia eramus ipse Adam; alio modo quasi formaliter, quia scilicet propter eius peccatum deriuatur in vnoquoque nostrum speciale, & vnicuiq; proprium peccatum, & vt sic peccatum Adami siue actuale, siue habituale fuit nostrum radicaliter, non formaliter, quod est de quo in præsenti inquirimus in quo consistat. 16.

Alij verò aiunt consistere in quadam priuatione non iustitiæ originalis, vel alicuius doni habitualis, sed cuiusdam subiectionis, & cõiunctionis cum Deo, in qua posteri Adami nascerentur, si cum iustitia originali nascerentur. tribuitur hæc sententia Cordubæ vbi suprà, & Granad. tit. 8. disp. 6. & aliis Recentioribus. & probatur, quia vt sic peccatum originale est priuatio rectitudinis actualis (& non tantùm habitualis) debitæ in esse naturæ. Hanc sententiam meritò impugnant Lorca §. 7. & Vasquez cap. 3. quia vel subiectio ista, quam habituri erant posteri Adami, proueniret à iustitia originali in genere causæ formalis, vel in genere causæ efficientis: si primum, ergo est eadem cum priuatione iustitiæ originalis, sicut priuatio albi est priuatio albedinis, & sic non dissentit à nobis secundùm ea quæ dicemus infrà: si secundum, erit vel peccatum actuale omissionis, scilicet non obediẽtiæ; aut commissionis, scilicet inobedientiæ erga Deum; & sic coincidit cum sententia præcedenti iam refutata; neque reperiri potest in paruulo, in quo nequit reperiri peccatum actuale. 17.

Ad fundamentum oppositum respondetur non solùm probare esse priuationem rectitudinis debitæ naturæ, sed debitæ actui, vel nihil dicere nouum. 18.

Ceterùm

19. Ceterùm Albertus Pigius in Controuersia de peccato originali, Catherinus ibidem, & Salmeron in cap. 5. ad Rom. disp. 45. & 46. docent peccatum originale in paruulis nihil aliud esse, quàm peccatum primi parentis, denominans eius filios peccatores. & probant, quia ex Paulo ad Rom. 5. *vnius delicto peccatores constituti sunt multi.* & loquendo de Adamo ait, *In quo omnes peccauerunt.* ergo denominatione illius peccati minores Adami dicuntur peccatores. Neque in contrarium est, quòd non haberet vnusquisq; proprium peccatum, ex eo quòd peccatum Adami esset vnum. quia contrà est, quòd omnes accipiunt suam denominationem ab vno illo peccato, sicut multi dicuntur visi, licet sit vna omnium visio.

20. Modus iste dicendi à me non benè percipitur, tum quia peccatum primi parentis non est, nec fuit post retractationem ab Adamo factam: ergo iam non denominat, quia sicut nullus ab actu alieno bono potest denominari bonus, ita neque ab actu alieno malo potest denominari malus. Tum quia *per peccatum Adami intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors*, vt inquit Paulus: ergo sicut mors non intrat per denominationem extrinsecam, ita neque peccatum. Tum quia non contraherent in se formaliter maculam peccati originalis, non indigerent ablutione, & mundatione baptismi: ergo *quare* quod Paulus in verbis adductis ait, solùm significat, quòd occasio, quare homines cõstituantur peccatores, scilicet per proprium vniuscuiusq; peccatum, fuit delictum Adami, in quo omnes peccauerũt occasionaliter, non formaliter, non imitatione, sed propagatione, vt Tridentinum docet; & sic peccatum Adami non potest esse solùm sicut visio respectu multitudinis hominum visæ, qui licèt dicantur plures visi, non tamen plures visiones.

21. Tandem Ægidius de Præsentatione tractatu de pura Virginis conceptione lib. 2. q. 1. art. 5. licet cum communi sententia §. sequenti explicanda dicat peccatum originale esse priuationem iustitiæ debitæ, addit tamen eam non sufficere, sed includere etiam formaliter actionem, scilicet transgressionem Adami, non quatenùs ipsius actio est, sed vt est nostra, ita vt illa numero actio fuerit etiam nostra, ac nobis cum illo simul elicita non personaliter, sed originaliter, quatenùs vt caput nostrum ex pacto Dei erat nos omnes; & omnes nos eramus ipse. Quem dicendi modum tribuit pluribus Auctoribus, quos liberat Salazar in defensione pro conceptione Virginis, dicens solis Auctoribus antecedentis sententiæ refutate esse adscribendum.

Probat Ægidius suam sententiam primò ex Augustino, qui pluribus in locis ait omnes in Adamo peccasse, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccauit, & omnes esse vnum, & illum esse omnes nos: cuius doctrinæ acquiescunt plures Ecclesiæ Patres asserentes omnes in Adamo gustasse cibum vetitum, irritum fecisse diuinum pactum, defecisse, deliquisse, & peccasse: ergo omnes nos quando originaliter peccamus, illudmet peccatum commisimus. Secundò, quia aliter nequit saluari, qualiter nostrum peccatum originale sit voluntarium & liberum. Tertiò, quia hoc modo philosophandi dabitur aliquid in Virgine Maria (licèt in ea non detur priuatio iustitiæ originalis) à quo redimatur per Christum, quandoquidem ex meritis eius peccatum Adami fuit destructum, etiam vt fuit eius. 22.

Certè Auctor iste ex sententia Pelagiana & Catholica mixturam & compositionem intelligibilem. Et insuper minùs laudabiliter loquitur de conceptione beatæ Virginis, siquidem principaliorem partum peccati originalis, scilicet actionem Adami, ponit in Virgine, vt ratione illius Christus sit eius redemptor subleuatiuus. Et tandem loquitur inconsequenter, & suimet oblitus, cùm lib. 4. quæstione 9. art. 1. §. 2. admittat respectu Virginis redemptionem præseruatiuam, nisi fortè loquatur respectu alterius partis peccati originalis, scilicet carentiæ iustitiæ originalis; & consequenter faciet compositionem cuiusdam redemptionis constantis ex præseruatiua & subleuatiua. 23.

Eius tamen sententia faciliter impugnatur, quantùm ad id, in quo dissidet à communi, quia vel nos homines pecca- 24.

(a) Castillo de Preseru. V. Matris.

peccauimus formaliter per illam Adami actionem, quando Adamus illam elicuit; vel quando nos concipimur in vtero materno: non primum, quia tunc non eramus formaliter, sed tantùm virtualiter; sed qui non est formaliter, non potest elicere & operari actiones formaliter, imò neque de potentia Dei absoluta potest hoc efficere: ergo, &c. Non secundum, quia tunc non operatur illam Adamus, quia non est, neque tunc nos sumus capaces eliciendi aliquam actionem voluntatis; ergo numquam. Prætereà Pelagius etiam concessit quòd omnes peccauimus in Adamo, & quòd nos punimur propter illius peccatum per priuationem iustitiæ originalis, per ærumnas, per mortem, &c. Cùm ergo hic Auctor non admittat in vnoquoque nostrum aliquod peccatum originale adæquatè proprium præter ipsummet Adami peccatum, licèt ex alia parte dicat quòd carentia iustitiæ originalis sit pars peccati originalis, solùm differt in modo dicendi à Pelagio, vt aliqualiter ad sententiam Catholicam accedat.

25. Denique quia eâdem ratione, quâ cum Adamo peccaremus actualiter, quia omnes nos eramus ipse; similiter peccaremus in ipso habitualiter, quia omnes nos tunc eramus ipse: sed hoc negat hic Auctor lib. 2. de Conceptione q. 3. §. 6. & q. 29. ergo inconsequenter vel falsò loquitur. Et confirmatur, quia ex Cōcilio Tridentino sessione 5. de peccato originali can. 3. peccatum originale sicut in capite est vnum, ita in membris est multiplex, & vnicuique personæ proprium; ergo in nobis ipsis contrahimus formaliter non solùm rationem maculæ, sed etiam rationem adæquatam peccati originalis; ergo non est necesse, quòd peccemus in Adam formaliter.

26. Ad primum pro eius sententia respondetur, Augustinum, & reliquos Patres intelligendos fore loqui causaliter, non formaliter, vt optimè omnium explicuit D. Anselmus lib. de Cōceptu virginali cap. 7. his verbis: *In Adam omnes peccauimus quando ille peccauit, non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus; & tunc facta est illi necessitas, vt cùm essemus peccaremus, quia per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Et ad hunc modum intelligitur id, quod dixit Paulus, scilicet quòd *Leui in lumbis patris sui Abrahæ soluit decimas Melchisedech*, scilicet quia quando foret, illas erat soluturus.

Et confirmatur hæc solutio ex contrapositione Pauli de obedientia Christi, quâ iusti constituuntur multi, cum inobedientia Adami, quâ constituuntur peccatores, quia per illam non constituuntur si sumatur formaliter, vt docet Cōcilium Tridentinum sessione 6. de iustificatione, sed si sumatur causaliter; ergo similiter. Ad secundum dicemus ex professo inferiùs. 27.

Ad tertium dicitur, quòd Virgo beatissima nihil habuit peccati originalis à quo subleuatiuè redimeretur, sed ab omni præseruatiuè fuit redempta. 28.

PARS PRIMA.

Vera & communis sententia proponitur, & probatur.

Postquam proposuimus tam hæreticorum, quàm Catholicorum varios philosophandi modos, & eorum refutationes circa id, in quo formaliter consistit peccatum originale; dicendum venit à nobis cum communi sententia, quòd situm sit in priuatione iustitiæ originalis naturæ humanæ debitæ. ita Doctor subtilis in 2. dist. 32. *§. quoad primum.* D. Thomas 1. 2. q. 82. art. 8. & omnes Theologi tam antiqui, quàm recentiores præter suprà citatos. Et probatur primò, quia illi conueniunt quæ peccato originali essentialiter conuenire possunt, vt patebit ex solutione argumentorum; ergo. 29.

Secundò probatur, quia ex Concilio Tridentino vbi suprà, & Arausicano II. can. 2. peccatum originale appellatur mors animæ; sed priuatio iustitiæ est mors animæ, quia iustitia originalis prout includebat essentialiter gratiam habitualem iustificantem (vt patet ex dictis quæst. 1.) erat vita animæ: ergo. Et confirmatur, quia ibidem dicunt, Adamum sibi, & nobis amisisse iustitiam, & sanctitatem; ergo sentiunt idem esse nos contrahere peccatum originale, seu iniustitiam originalem, ac amittere iustitiam.

Tertiò

31. Tertiò probatur ex Patribus: citantur à Recentioribus Dionysius & Ambrosius: sed omnium clarissimè & doctissimè tenuit hanc sententiam Anselmus lib. de Conceptu virginali cap. 26. dum ait: *Hoc peccatum quod originale dico, nihil aliud intelligere queo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam suprà posui factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem.*

32. Præterea probatur ratione, quia ex Anselmo peccatum vt sic est formaliter iniustitia; ergo tale peccatum, talis iniustitia: & consequenter peccatum originale erit iniustitia originalis, id est carentia priuatiua iustitiæ, seu rectitudinis originalis debitæ ex origine.

33. Confirmatur primò, quia ad rationem peccati requiritur, & sufficit quòd sit voluntarium & dissonum naturæ rationali; at priuatio iustitiæ originalis (de qua latè egimus q. 1.) est etiam posteris Adami voluntaria, vt latè probabimus Parte sequenti; & insuper est dissona, seu mala naturæ rationali, cùm ab ipsa auferat formam illam iustificantem: ergo.

34. Confirmatur secundò, quia ex eo peccatum actuale est moraliter malum naturæ rationali, quia est priuatio rectitudinis debitæ in esse actui; sed etiam priuatio iustitiæ originalis debitæ in esse naturæ, est mala moraliter ipsi naturæ: ergo in ea consistit peccatum originale, quòd est malum naturæ.

35. Confirmatur tertiò, quia tantùm traducuntur hæc tria per peccatum Adami, scilicet priuatio iustitiæ, concupiscentia, & defectus corporalis, sed hic est pœna, concupiscentia verò nequit esse peccatum, quia pertinet ad naturæ integritatem. Restat ergo quòd peccatum originale, quod per originem traducitur, sit priuatio iustitiæ originalis. Quod vtique ex refutatione aliarum sententiarum confirmatur quartò.

36. Ex dictis in Quæstione prima debetis intelligere primò, in cuius doni priuatione consistat peccatum originale, quia non tantùm consistit in priuatione illius doni, quod rectificabat voluntatem, & in ea inhærebat, sed etiam in priuatione omnium donorum collectiuè, quæ in omnibus tam rationalibus, quàm sensitiuis potentiis existebant, eo modo, quo carentia rectitudinis in peccato actuali non solùm solet esse vna, sed multiplex, scilicet ex obiecto, & circumstantiis, & eo modo, quo carentia salutis corporalis est priuatio compositionis plurium humorum: & ratio est clara, quia quodcumque illorum rectificabat naturam, & quodcumque erat per originem traducendum, si Adam non peccasset. Neque in cõtrarium debet adduci Scotus dist. 32. *§. ad argumẽta secundæ quæstionis,* vers. *ad tertium argumentum,* quia tantùm loquitur de eo dono in quo principaliter consistebat iustitia originalis sub ratione talis, quod erat in voluntate, non tamen de omni dono, quod ad eam iustitiam originalem absolutè & simpliciter pertinebat, vt deduci potest ex his quæ dixerat dist. 29. *§. potest dici,* versiculo *quod si dicatur* sub littera 13. lege quæ diximus quæstione 1. huius Disputationis.

37. Secundò debetis intelligere, quòd non solùm peccatum originale in priuatione iustitiæ originalis prout à gratia habituali distinctæ, sed etiam in priuatione ipsius gratiæ habitualis: itaque vtriusque priuationem debemus intelligere per priuationem iustitiæ originalis, quia vtraque æqualiter erat traducenda in posteros si Adam non peccasset, & vtraque erat debita ex pacto Dei, & colligitur ex Concilio Tridentino vbi suprà asserente Adamum per peccatum amisisse nobis iustitiam & sanctitatem; ergo non solùm iustitiam & sanctitatem, sed etiam gratiam habitualem. Neque oppositum colligitur ex Scoto *§. ad argumenta secundæ quæstionis,* vt vult Lorca; sed hoc potiùs, etsi obscurè, colligitur ex ipso Scoto d. 32. *§. ad argumentum quartæ quæstionis,* vbi huius rei rationem reddit, quia in statu innocentiæ hæc dona erant subordinata; nam primi parentes non haberent perfectum statu innocentiæ, si haberent iustitiam originalem sine gratia habituali; nam sicut illa rectificabat hominem secundùm portionem inferiorem, ita hæc secundùm portionem superiorem; & insuper præstabat ius in ordine ad gloriam tamquam hæreditatem sine merito, & cum illo tamquam ad coronam: vnde licèt de possibili iustitia originalis potuisset esse sine gratia,

tia, non tamen fuit de facto sine illa; & sic priuatio iustitiæ debitæ naturæ includebat priuationem gratiæ habitualis non essentialiter, & ex natura rei, sed moraliter, & ex actuali ordinatione diuina ad illum statum pertinente.

38. Tertiò debet intelligi, quòd ei priuationi originalis iustitiæ exactè competant, quæ de peccato originali docet Catholica fides; nam primò constituit etiam paruulos peccatores, & fœdatos verâ maculâ, tamquam verâ malitiâ morali habituali. Secundò, est auersio à Deo, quatenus est priuatio vnionis cum ipso, quam originalis præstabat iustitia. Tertiò, est proprium vnicuiq; posterorum intrinsecè in singulis existens, eo modo, quo cæcitas, & reliquæ priuationes possunt inesse. Quartò, reddit eos Deo odibiles & inimicos, & reddit Deum illis offensum, & consequenter dignos pœnâ æternâ damni.

PARS SECVNDA,

In qua fit satis obiectionibus contra nostram & communem sententiam.

39. COntrà argumentor primò, quia defectus iustitiæ originalis in homine non est priuatio, sed negatio, quandoquidem si homo constitueretur in pura natura haberet eamdem nuditatem, & carentiam iustitiæ: ergo peccatum originale non consistit in tali carentia. Respondetur negando antecedens, quia licèt in pura natura esset negatio, sed non in statu naturæ lapsæ, in quo propterea quòd erat debita iustitia originalis primo parenti, & eius posteris, carentia eius in hoc statu est priuatio, quia est carentia formæ debitæ licèt non ex natura rei, sed ex diuina institutione.

40. Contrà argumentor secundò, quia etiamsi sit priuatio originalis iustitiæ, tamen hæc est pœna peccati Adami: ergo non est formaliter culpa in posteris, alias sicut Deus est auctor pœnæ, ita posset esse auctor culpæ. Hoc argumentum malè torsit Sotum, Medinam, & Cordubam, ita vt in diuersas quas suprà retulimus sententias diffluerent. Respondetur tamen quòd non omnis pœnæ Deus est auctor, quia circa eam aliquando se habet permissiuè, qualiter sæpè Deus vnum peccatum punit alio, & non conferendo gratiam efficacem & infallibilem ad non patrandum ipsum permittit illud: sic ergo se habet Deus in præsenti. Nam Deus (inquit Scotus dist. 32. *§. ad argumenta quæstionum*, vers. *ad tertium*) est causa negatiua, scilicet non conferens iustitiam originalem, & Adam peccans fuit quasi demeritoria, quia Deus (vt etiam inquit Scotus *§. quantùm ad secundum*) antecedenter, & quantùm est ex se dat paruulis iustitiam originalem, & non dat consequenter, id est, in executione, propter peccatum Adæ, qualiter actui peccaminoso Deus quantùm est ex se aliàs daret rectitudinem, sed non dat illam in re, & tamen illi non imputatur, quia homo deficienter concurrit. ita respondet Lorca. vnde non mirum, quòd priuatio iustitiæ originalis in posteris sit pœna respectu Adami, & sit formaliter culpa respectu posterorum.

Deinde referenda, imò & approbanda venit solutio Vasquez asserentis priuationem iustitiæ originalis dupliciter sumi. Primò pro carentia gratiæ subiicientis vires interiores rationi, & pro carentia ipsius subiectionis. Secundò prout vtraque hæc carentia habet respectum voluntarij ex Adamo: primo modo est pœna positiuè volita, & inflicta à Deo: secundo modo est culpa, & procedit à nobis, sed non debet intelligi quòd sit pœna peccati originalis existentis in paruulo, sed peccati Adami; neque similiter debet intelligi, quòd Deus non concurrat ad rationem voluntarij, sed quòd non concurrat ad illam, in quantum voluntas creata operatur vt deficiens, vt in simili contingit in peccato actuali. 41.

Sed obiicitur contra primam Scoti solutionem, quòd peccatum Adami nunc non exstat: ergo peccatum originale nunc non habet causam demeritoriam: ergo non est, quia effectus in actu requirit causam in actu. Respondet Scotus vbi suprà litterâ Y, quòd sicut meritum cùm transit in se, manet in acceptatione diuina, & in scientia Dei, ita demeritum: & ita sicut illud quasi præsens conducit ad præmium, ita hoc ad pœnam. Notare tamen debetis non esse rigorosè intelligendum, quòd Adam fuerit causa demeritoria, quia neque 42.

neque merito suo merebatur nobis iustitiam originalem, neque demerito carentiam illius, vt similiter obseruauimus in materia de Incarnatione disp. 2. q. 4. sed intelligendum est lato modo, pro quanto eius meritum, vel demeritum fuit conditio per se requisita ad transfundendum iustitiam originalem, aut priuationem illius.

43. Contrà argumentor tertiò, quia vt priuatio sit mala moraliter debet dicere habitudinem ad peccatum Adami vel non retractatum, vel non remissum; sed vtrumque habet peccatum Adami, quia & iam est retractatum per pœnitentiam ab ipso, & iam remissum à Deo: ergo. Antecedens patet, quia peccatum originale parvulorum assimilatur peccato habituali adultorum orto ex actuali, & illud constituitur in esse mali moralis per prædictam habitudinem, vt communiter traditur in materia de peccato actuali. Respondetur quòd licèt peccatum habituale id requirat, non tamen peccatum originale, quia ad hoc sufficit quòd dicat habitudinem ad peccatum Adami præteritum in se, & vt tale præsens in cognitione diuina, & in hoc assimilatur, & non ampliùs.

44. Contrà argumentor quartò: ergo in humanis contrahi potest peccatum originale. Patet consequentia, nam si Rex conferat donum alicui subdito pro se, & pro posteris eius, & ille propter crimen læsæ maiestatis illud amittat, priuatio illius doni erit in posteris peccatum originale. Respondetur negando consequentiam, quia talis doni in posteris non erit carentia alicuius rectitudinis consonæ naturæ rationali, & sic non erit culpa moralis, sed quidam defectus ciuilis aut politicus, quia donum, quod ex se rectificat naturam rationalem, quâ talem solùm per diuinam institutionem, potest alteri communicari, aut ab eo auferri.

45. Contrà argumentor quintò, quia peccatum est contra legem: sed originalis carentia iustitiæ non est contra legem; ergo non est peccatum. Respondetur primò cum aliquibus Auctoribus quòd peccatum originale distinguitur in hoc à peccato actuali, quod illud non est contra legem, benè tamen istud. Secundò, quòd in Adamo datum fuit præceptum vel speciale de conseruanda iustitia pro se, & posteris eius, vel generale, scilicet charitatis, quâ Adam tenebatur non inferre ita grande nocumentum talis priuationis sibi & posteris eius, vt latè diximus suprà quæstione 2.

Contrà argumentor sextò: ergo omnis, qui actualiter peccat, contrahit originale peccatum quantùm ad præcipuam eius partem, quia contrahit priuationem gratiæ habitualis. Respondetur primò, quòd peccatum actuale non est priuatio gratiæ si sumatur essentialiter, sed est priuatio rectitudinis debitæ in esse actui, vt latè traditur à Scotistis in materia de peccato actuali. Secundò, quòd etiamsi esset priuatio gratiæ, non tamen potest dici peccatum originale, quia non est defectus per originem traductus, sed propriâ voluntate contractus. 46.

Contrà denique argumentor septimò: Si priuatio iustitiæ originalis est peccatum originale, ergo secundùm Scotum non deletur per baptismum peccatum originale, quia non restituitur iustitia originalis, sed tantùm gratia habitualis. Respondetur negando consequentiam, quia per baptismum priuatio iustitiæ originalis transfertur in negationem. Et ratio est clara, nam iustitia originalis est debita ratione institutionis diuinæ, sed hæc solùm durat vsquedum homo est filius Adæ, & cessat quando transfertur ad esse membrum Christi per baptismum, per quem non vult prædictam iustitiam complere; ergo. Ita respondet Scotus cum communi sententia *l. quantùm ad quartum articulum*, & *l. ad argumenta secundæ quæstionis*, vers. *ad tertium*, vbi ait quòd tollitur in baptismo debitum habendi iustitiam oirginalem, & commutatur in debitum habendi solam gratiam, per quam formaliter secundùm aliquam partem peccatum originale, & secundùm aliam tollitur, cùm priuatio formæ debitæ vertitur in negationem formæ indebitæ. 47.

Ex dictis debetis inferre, quòd peccatum originale in vnoquoque ex posteris Adæ est proprium, & in ipso existens, & est vnicum, licèt ex pluribus priuationibus integratum; & est æquale in omnibus, cùm singulos priuet vnicâ inte- 48.

integritate naturæ: quæ quidem æqualis debet esse in omnibus, quandoquidem aliud non constat, sicut in simili dicitur de effectu baptismi, & priuatio ex forma opposita mensuratur; & sicut gratia, & iustitia originalis est in vnoquoque propria, ita & priuatio eius. Ex quo similiter infertur, quòd pœna damni similiter est æqualis in decedentibus absque baptismo cum solo originali, quia æqualitas pœnæ mensuratur ex qualitate culpæ.

PARS TERTIA.

Vtrùm originale peccatum sit sufficienter voluntarium, & qualiter per originem traducatur?

49. PRo primo huius Partis, ratio dubitandi sumitur ex eo quòd id, quod alienâ voluntate fit, non est mihi voluntarium, nisi propriâ voluntate ei commiserim; sed paruuli nihil commiserunt voluntati Adami circa conseruationem iustitiæ originalis: ergo licèt amissio illius fuerit voluntaria Adamo, saltem indirectè, non ideò erit paruulis Adami voluntaria; sed in ea consistit peccatum originale: ergo hoc non est sufficienter voluntarium.

50. Ad hoc argumentum aliqui Recentiores vt respondeant, aiunt ex Dei institutione, postquam humanæ naturæ caput effectus est Adam, omnium filiorum voluntates in vnam Adami voluntatem delatas fuisse, eo iure, vt quidquid ille vellet, idipsum omnes alij velle putarentur; quod declarant exemplo populi communi consensu eligentis aliquem in Principem, ex qua electione populi voluntaria prouenit, vt eius aut mandatum dicatur non solùm fieri ab ipso Principe, sed etiam censeatur ipsi populo voluntarium: sic ergo posteris Adami est voluntaria transgressio precepti facta ab Adamo.

51. Et confirmant, quia si omnino posteri Adami per impossibile adessent celebrationi pacti initi cum Adamo, cùm ipse non solùm haberet iustitiam originalem, sed insuper esset suæ posteritatis eximius amator, & plura haberet à Deo exhibita auxilia ad prædictam iustitiam conseruandam, libenter acquiescerent quoad omnes pacti conditiones, ita vt omnes vellent à parente omnium causam tractari, & huic fortunæ se committere; & consequenter ex vna Adami voluntate licebit omnium posterorum voluntates interpretari: ergo carentia iustitiæ originalis est in ipso interpretatiuè voluntaria.

Sed meritò hæc doctrina repellitur à Recentioribus, tum quia voluntas posterorum pro tunc non existebat, vt deferri possent ad vnam voluntatem Adami; neque, si existerent, possent absque ipsorum expresso consensu: vnde exemplum de præcepto Principis voluntario populo non valet, quia sicut eius electio fuit populo voluntaria, ita & effectus per se secutus ad talem electionem. Tum quia si hæc doctrina esset vera, immeritò Augustinus sæpè insimularet erroris Semipelagianos, qui asserebant ideò paruulos ante baptismum rapi, quia si insuper viuerent, committerent multa peccata, quæ Deus prænouit scientiâ conditionali, quia in horum sententia etiam in his paruulis esset locus interpretationi, & qualis foret eorum voluntas necessariò prænouit Deus. Cùm ergo hoc falsum sit, & sæpè à Conciliis damnatum (vt traditur in materia de gratia) non minùs falsa erit similis doctrina Recentiorum circa interpretationem voluntatis posterorum Adami. Tum denique quia sicut filij magis siderent suam iustitiam parenti Adamo, tamen nepotes, & reliqui inferiores non ita acquiescerent pacto, ac acquiesceret si fieret cum proximo & immediato parente: ergo etiamsi prædictam doctrinam admitteremus, non licebit ex ea coniecturare interpretatiuè voluntarium in omnibus posteris Adami. 52.

Deinde alij aiunt esse interpretatiuè volũtarium propter potestatem quam parentes habent erga filios paruulos, ita vt pro ipsis pacisci, & contractus celebrare possint, & eorum vota irrita reddere: vnde ex communi vsu Ecclesiæ constat, vt sufficiat voluntas parentum ad hoc, vt infantibus baptismus sit voluntarius; quare accedente Dei pacto, quo Adamus constitutus fuit omnium morale caput ad transferendum iustitiam, aut priuationem eius, vtriusque transfusio interpretari debet voluntaria in posteris sicut in Adamo, 53.

quia

quia pro tunc pacisci non poterant filij, cùm non existerent.

54. Sed propter hoc aliquibus displicet hæc doctrina, quia si pro tūc non erant filij, quomodo pro eis pacisci poterat Adamus? sed hoc nihil vrget, quia Deus in celebratione pacti significauit Adamum habiturum filios, quandoquidem pro se, & pro illis de conseruanda iustitia pactum celebrabat.

55. Alij denique distinguunt duplex genus voluntarij, aliud personale, & hoc est proprium peccati actionis; aliud naturæ, & hoc est proprium peccati originalis, quia scilicet contrahitur ex alio per originem, sicut & ipsa carentia iustitiæ: & hoc (inquiunt) sufficit, quia cùm ratio voluntarij non sit genus respectu bonitatis, aut malitiæ moralis, sed tantùm sit fundamentum ipsius, sicut sunt duo genera peccatorum, scilicet actionis, & originis, ita ad ipsa sufficiunt pro fundamento duo genera voluntarij. Cùm ergo Adamo commissa fuerit tota natura, sufficit vt illi fuerit voluntaria amissio iustitiæ originalis, vt omni illi sit voluntaria non voluntate personæ, sed naturæ.

56. Hic modus philosophandi differt à præcedenti in quantum non recurrit ad voluntarium personale interpretatiuum sicut ille, sed constituit voluntarium verum & reale non personæ, sed naturæ. Habet tamen hanc difficultatem, quia peccatum originale non solùm est naturæ, sed personæ, nam adest vnicuique proprium. Sed ad hanc respondetur, quòd sit proprium secundùm carentiam iustitiæ, quia vnusquisque habet suam; & non secundùm rationem voluntarij, quia hæc communis est omnibus: possumus tamen ponere in vnoquoque aliquem respectum terminatum ad voluntarium Adami, & cōsequenter asserere, quòd in vnoquoque est sua ratio voluntarij, sicut in peccato habituali derelinquitur respectus ad actionem transactam voluntariam.

57. In hac re dicendum nobis est, quòd peccatum originale sit voluntarium hoc duplici modo, vel interpretatiuè propter patriam potestatem adiuncto Dei pacto, vel realiter & verè non ratione personæ; sed ratione naturæ & originis. Vtrumque autem sustineri potest secundùm doctrinam Scoti in 2. dist. 32. q. *ad argumenta*, litt. G. vbi loquens de hoc puncto habet hæc verba: *Secundo modo dico, quòd peccatum non oportet esse voluntarium ipsi habenti, sed ei, vel alij, scilicet à quo contrahitur istud peccatum; & vtrumque sufficit.* At secundùm prædictos duos modos peccatum originale dicitur voluntarium paruulo ratione voluntatis alterius, scilicet Adami. quod voluntarium satis esse ad originale peccatum docet Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus apud Aug. cap. 22. Et probatur, quia secundùm Tridentinum in Decreto de Peccato originali can. 5. definitur, *per baptismum tolli in pueris totum id, quod veram & propriam habet rationem peccati*. sed vna ex rationibus est quòd sit voluntarium, & in paruulis hæc non potest dari per propriam & realem eorum actionem: ergo vel per interpretationem ex patria voluntate, vel per volūtarium naturæ.

Castillo de Præseru. V. Matris.

Ex his venit explicandum, quare 58.
Adam peccando potuit inficere naturam; resipiscens tamen, & agens pœnitentiam, non potuit illam reparare? Ratio est, quia quando peccauit egit vt caput; pœnituit tamen non vt caput, sed vt persona priuata, quia non est institutus caput ad effectum pœnitendi; nec conuenienter fuit vt institueretur propter plures congruentias, quas tradidimus in materia de Incarnatione Verbi disp. 1. q. 7. & 8. & disp. 4. q. 1. Verum est autem, quòd posset Deus ipsum constituere caput per pœnitentiam (si velis) non tamquam per satisfactionem condignam, sed tāquam per conditionem, qua positâ Deus iterùm promitteret pro posteris iustitiam, sicut primò fuit eorum caput morale; scilicet non per actionem conseruandi iustitiam tamquam per meritum, sed tāquam per conditionem, sine quâ non, vt suprà Parte antecedenti diximus.

Pro secundo huius Partis ratio dubi- 59.
tandi sumitur ex eo quòd generatio fit virtute seminis, semen autem non potest agere in animam producendo in ipsam peccatum originale, sicut neque iustitiam originalem, quæ solùm erat producibilis à Deo: ergo peccatum originale non traducitur per originem.

Ad hanc rationem dubitandi vt re- 60.
spondeant, aliqui dixerunt animas rationales esse ex traductione seminis, &

produci à virtute ipsius: sed assertio ista est hæretica, damnata in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione 18. Deinde dixerunt alij, quòd hoc peccatum fit à Deo, sicut alia omnia creata, sed quâ ratione hoc est hæreticum, & damnatum in Trident. sess. 6. can. 6. ita & illud. Tandem dixerunt alij, quòd ex feruore libidinis producatur in semine qualitas morbida, &c. sed hoc iam refutauimus in hac quæstione, dum in principio falsos philosophandi modos circa essentiam hujus peccati retulimus.

61. Respondeo ergo cum communi & vera sententia, quòd peccatum originale traducitur per originem, non physicâ aliquâ qualitate, quâ virtute seminis & generationis producatur, sed indirectè resultantiâ, quatenùs naturali generatione producitur homo, qui sit filius Adæ, & membrum eius, ex quo habetur vt nascatur priuatus iustitiâ originali, nam ex quo primus parens pro se, & pro posteris iustitiam amisit, eo ipso quo quis generatur filius Adæ, & de stirpe eius contrahit hanc priuationem, quapropter in primo instanti conceptionis, quo scilicet vnitur anima corpori in vtero materno, tunc contrahitur peccatum originale, quia tunc iam homo concipitur formaliter vt filius Adæ, & vt membrum hujus capitis.

62. Sed obiicies: Si peccatum originale traducitur per originem saltem indirectè; ergo parentes, qui generant, semper peccant, cùm sint causa peccati originalis in filio. Respondetur negando consequentiam, quia hoc peccatum indirectè ex generatione resultat, & parentes generando potiùs non impediunt, quàm causent illud, quia non fit actione efficaci, & in illud per se ordinata, sed resultat ex generatione, quam resultantiam non tenentur impedire, maximè cum dispendio totius naturæ, cuius propagatio cessaret, si generatio esset illicita.

63. Ex his debetis inferre primò, quare iuxta illud Iob 14. *Quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine?* Ecclesiæ Patres, & Auctores vocent semen immundum? Respondeo enim hoc non dici ex eo quòd semen ex libidine habeat aliquam qualitatem morbidam & immundam, sed ex eo quòd medio ipso fit generatio, & mediâ generatione homo nascitur filius Adæ, & consequenter immundus ratione peccati originalis.

Secundò debetis inferre, quòd peccatum originale non habet causam naturalem, sed moralem, licèt non causetur sine causa naturali, nam ex peccato Adami resultat, & per eius propagationem causatur. Ex quo infertur tertiò, quòd non tam à proximis parentibus, quàm ab ipso Adamo oritur peccatum originale, quia propter eius peccatum fuit introductum, & in omnes homines pertransiit. 64.

PARS QVARTA.

Vtrùm peccatum originale sit verè & propriè peccatum?

DVrandus in 2. dist. 30. q. 1. quem sequuntur Ricardus art. 2. & Catherinus opusculo de peccato originali cap. 6. quamuis in paruulo non baptizato admittat defectum iustitiæ, quem peccatum originale appellat, docet tamen eum defectum non habere propriam & veram rationem peccati & culpæ: & probari videtur primò ex Concilio Arausicano II. can. 2. & Trident. sess. 5. citatâ, vbi peccatum originale non dicitur absolutè peccatum, sed cum addito, scilicet quòd est mors animæ; mors autem animæ potiùs est effectus peccati, quàm peccatum. Secùdò, propter hunc defectum non sumus reprehensione digni, quia nobis à natura inest; & quæ sic insunt, non sunt digna reprehēsione, vt ait Arist. 3. Ethic. cap. 5. vt si quis nasceretur equus. Et confirmatur, quia nullus dicitur peccare in eo quod vitare non potest, vt ait August. Tertiò, de libero arbitrio cap. 18. sed sic se habet peccatum originale: ergo non habet veram & propriam rationem peccati. 65.

Dicendum tamen nobis est, quòd peccatum originale sit verè & propriè peccatum morale, seu culpa. ita Scotus dist. 32. per totam, cum quo eius discipuli, & ex aliis Vasquez disp. 131. Valencia disp. 6. q. 11. puncto 1. Montesinos disp. 11. q. 4. & cōmuniter Recentiores, qui ægrè ferunt modum dicendi Durandi, & eum acriter reprehendunt. 66.

Probatur

Probatur ergo primò ex Concilio Arausicano, quod vbi suprà habet hæc verba: *Si quis dixerit soli Adæ prævaricationem suam, non & eius propagini asserit nocuisse; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod est mors animæ per vnum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit.* ecce qualiter distinguit Concilium pœnam à peccato, & de hoc asserit transire per omne genus humanum: ergo in quantum peccatum transit.

67\. Et confirmatur ex Tridentino vbi suprà, vbi ait per baptismum tolli non tantùm reatum peccati, sed etiam totum id, quod veram & propriam habet rationem peccati. Tertiò probatur ratione, quia ad veram rationem peccati moralis tantùm requiritur quòd sit priuatio voluntaria iustitiæ debitæ, sed totum hoc habet peccatum originale, vt suprà probauimus; ergo.

68\. Ad primum primæ sententiæ respondeo, quòd illud additum vtriusque Concilij, scilicet mors animæ, non est restringens, sed potiùs est declaratiuum essentiæ peccati originalis; imò per illud distinguitur peccatum à pœna peccati, quæ est mors corporis. Ad secundum respondeo cōcedendo, quòd non sumus digni reprehensione personali, & quæ habeat rationem pœnæ sensus, quamuis efficiamur damnabiles pœnâ damni, sicut cæcus excluditur ab aliqua dignitate propter cæcitatem. & hoc voluit Aristoteles, quia loquitur de exprobratione, quæ fit vituperium, & opponitur laudi. Ad confirmationem iam diximus, qualiter peccatum originale fuerit voluntarium: vnde verum est, quòd non dicitur peccare, qui vitare non potest peccatum; dicitur tamen contrahere peccatum, sicut contrahitur macula habitualis ex peccato actuali.

69\. Sed inquires, Vtrùm peccatum originale & actuale conueniant vniuocè in ratione peccati? Negat Capreolus in 2. dist. 30. q. 1. art. 3. & docet tantùm æquiuocè conuenire, quia nomen est commune, & ratio significata diuersa. Ricardus ibidem quæstione 2. docet analogicè conuenire, quia peccatum per prius dicitur de actuali, & per attributionem ad ipsum de originali.

Dicendum tamen nobis est, quòd conueniant vniuocè. Et probatur, quia conueniunt in ratione generica disconuenientiæ ad naturam rationalem, licèt posteà diuidatur hæc ratio per disconuenientiam priuationis rectitudinis actus, & est peccatum actuale commissionis vel priuationis actus debiti, & est peccatum omissionis vel priuationis rectitudinis originalis debitæ naturæ, & est peccatum originale. 70. Ratio enim generica disconuenientiæ ad naturam rationalem est essentia malitiæ moralis, sicut bonitatis moralis est conuenientia ad naturam rationalem. Ex hoc quod patet ad fundamentum Capreoli, & ad fundamentum Ricardi, dicimus aliquādo vniuocata participare nomen ex alio, & dicere attributionem ad ipsum, quare hoc non est mirum in peccato originali.

QVÆSTIO V.

Vtrùm peccatum originale tantùm traducatur ex Adamo, an etiam ex Eua, & ex quo peccato?

SVppono ex communi Theologorum sententia ex Adamo traduci peccatum originale, vt expressit Anselmus lib. de Cōceptu virginali cap. 5. & docent communiter Ecclesiæ Patres, & constat ex illo Pauli 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, &c. & ex Trident. can. 2. & 4. vbi definitur ex Adamo traduci peccatum originale, & ipsum nobis iustitiam & sanctitatem amisisse. vnde infertur, quòd ex vi præsentis decreti, etiamsi Eua peccaret, dummodo non peccaret Adam, non transfunderetur hoc peccatum. 1.

Hoc supposito, quod circa Partem primā huius Quæstionis quęrimus est, An etiam Eua simul cum Adamo fuerit causa partialis trāsfusionis peccati originalis in posteros, ita vt neuter solus sufficeret? Affirmant aliqui Recētiores. 2. Et probant primò ex illo Ecclesiast. 25. *A muliere initium peccati, & per eam omnes moriuntur.* Secundò probatur, quia si propter aliquam rationem ex solo Adamo contrahitur peccatum originale,

nale, maximè quia Paulus vbi suprà dixit, *Sicut in Adam omnes moriuntur*, &c. sed nomine *Adam* potest etiam intelligi Eua, tum quia in lingua Hebræa est nomen commune masculo & feminæ, sicut in lingua Latina nomen *homo*; tum quia Genes. 5. dicitur, *Masculum & feminam creauit eos, & vocauit nomen eorum Adam*. ergo.

3. Communis tamen & vera sententia docet, à solo Adamo, & nullatenus ab Eua traductum fuisse in posteros peccatum originale: vnde ipsâ solâ peccante non traduceretur. ita expresſè Scotus in 2. dist. 21. quæst. 2. §. *de tertio* litt. G. S. Thomas, & eius Interpretes q. 81. art. 5. Vasquez disp. 133. cap. 3. Lorca q. 81. in expositione ad articulum 5. Gaspar Hurtado disp. 6. de peccato originali diff. 2. Et probatur primò, quia ad Rom. 5. & 1. ad Cor. 15. dicitur, *per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per vnius inobedientiam omnes constitui peccatores*. quæ verba nequeunt referri nisi ad solum virum, quia tam in Textu Græco, quàm Latino lex *vnum*, & lex *vnius* sunt generis masculini. Et hanc sententiam expresſerunt omnes Patres, præcipuè Beda, vt videri potest apud Vasquez num. 9. sed excipe commentarios Hieron. & Ambros. quorum auctoritas non est firma vt aduertit Lorca vbi suprà, quia respersi sunt erroribus Pelagianis.

4. Et confirmatur primò, quia vbi suprà dicitur à Paulo, quòd *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; & quòd *sicut vnius delicto peccatores constituti sunt multi, ita vnius iustitia* (scilicet Christi Iesu) *multi constituuntur iusti*. sed hæc contrapositio est vnius hominis ad vnum hominem, sumpto homine pro solo viro. ergo. Confirmatur secundò, quî aliàs delictum non appellaretur vnum, si non solùm Adam, sed etiam Eua esset causa, quia in vnoquoque ipsorum fuit numero distinctum peccatum.

5. Secundò probatur ratione (& omissa illa S. Thomæ vbi suprà, quòd mulier tantùm se habet passiuè in generatione prolis, quæ nullius est roboris, quia etiam vt sic posset esse causa moralis peccati originalis, præterquam quòd hoc esse falsum, & mulierem concurrere similiter actiuè tradit Scotus in 3. dist. 4. §. *sed contrà*, cum Galeno, & communi medicorum placito, quem sequuntur Conimbricenses 1. de generatione cap. 4. q. 28. art. 2. & Hurtado disp. 2. de generatione sect. 5. & 6. & plures alij) quia pactum Dei, ex quo transfusio peccati dependet, tantùm fuit cum Adamo, cui fuit commissa conseruatio pro se, & posteris iustitiæ. ergo. Neque deest congruentia, quia decens erat, vt non essent duo capita, sed vir fuisset morale caput.

Ad primum oppositæ sententiæ respondeo, tantùm significari in illo testimonio, Euam fuisse occasionem peccati originalis, & mortis omnium, non propagatione, sed inductione, & suasione, quâ induxit Adamum ad peccandum. 6.

Ad secundum concedo nomen *Adam* esse commune duorum, tamen in dictis testimoniis tantùm significat virum, aut pro eo tantùm supponit. Ex his debetis inferre, quòd Euâ peccante, dummodo Adam non peccaret, non foret in posteris peccatum originale; & similiter, quòd Adamo peccante, etiamsi Eua non peccaret, nihilominùs foret in posteris peccatum originale, quia soli Adamo commissa fuit sanctitas, & iustitia pro posteris. 7.

Sed inquires, An si Adam peccaret, & non Eua, amitteret Eua suam iustitiam originalem, quam habebat inhærentem in se, vel è contrà? Et respondeo quòd non, quia iustitia vnius non dependebat in conseruari ab alio, sed à Deo, & à seipso. 8.

His non obstantibus non apparet mihi improbabilis prima sententia, cui, præter Anselmum eam docentem, multùm videntur fauere ea, quæ in Genesi dicuntur, & præceptum de non comedendo de arbore scientiæ boni & mali, & comminatio mortis & pœnæ peccati originalis ex æquo comprehenderunt vtrumque: neq; testimonia Pauli vrgent, quia cùm principaliter & completiuè peccans fuerit Adam, & non Eua, de ipso loquitur præcipuè, & ipsi præcipuè destruenti per peccatum totam posteritatem contraponit Christum eam reparantem per suam passionem, & mortem; vel quia tradita fuit Adæ iustitia originalis tamquam digniori, 9.

gniori, & circumspectiori, & fortiori (verba sunt Scoti vbi suprà, quibus potest explicari pro hac sententia) ita quòd si eam perderet pro se, & pro tota sua posteritate perderet: non sic autem tradita fuit mulieri, id est, non tamquam digniori, fortiori, &c. & ideò loquitur Paulus de merito Christi per contrapositionem ad peccatum Adami, & non ad peccatum Euæ, quia licèt hæc fuisset causa partialis, sed non dignior, circumspectior, & fortior.

10. Sed inquires primò, Si Adam non peccaret, & aliquis filius eius peccaret, v. g. Cain, an successores istius filij peccantis contraherent ex ipso originale peccatum? Respondent communiter Recentiores quòd non, quia non constat aliis parentibus, præter primum, cõmissam fuisse sanctitatem, & iustitiam pro se, & suis posteris.

11. Nihilominùs tamen respondet Scotus in 2. dist. 31. q. 1. §. *ad argumenta tertiæ quæstionis*, quòd contraherent ex ipso peccatum originale. ita etiam docet Driedo lib. 2. de Redemptione, & Conradus q. 81. art. 2. Fundamentum est, quia licèt Deus tantùm locutus fuerit cum primis nostris parentibus, quia tunc non existebant filij eorum, tamen si existerent, non dubium quin tenerentur non comedere de ligno parentibus prohibito, quia & quod parentibus prohibebatur, & filiis existimabatur prohibitum. Prætereà, quia si omnes peccauimus in Adamo, ergo omnes tenebamur in Adamo, præcepto quo ipse tenebatur; ergo extitissemus, & in nobis ipsis teneremur; ergo sicut illud in Adamo fuit pro se, & pro tota posteritate, ita in quolibet filio eius esset pro se, & pro omni eius posteritate. & hanc sententiam tenuit Augustinus in Enchirid. cap. 46.

12. Et per hoc patet ad fundamentum, quia commissio conseruandi iustitiam fuit communis omni parenti, sicut & præceptum de non comedendo de arbore scientiæ boni & mali; neque hoc damnatur in Propositione 56. Michaëlis Baij, vbi sic habetur, *Omne scelus eius est conditionis, vt suum auctorem, & omnes eius posteros eo modo inficere posit, quo infecit prima transgressio.* vbi tantùm condemnatur quòd idipsum dicatur de omni peccato, quod dicitur de peccato originali quantùm ad transfusionem.

Dicit tamen quidam Scotista in manuscriptis, conando adducere Scotum pro Aduersariis, quòd Scotus vbi suprà, dissertis verbis, tenet oppositum: nam respondendo ad secundum argumentum, hæc habet, *Quicumque accepisset iustitiam originalem pro se, & pro posteris, v. g. Cain esset debitor pro illis*, &c. & concludit, *Nunc autem* (id est de facto) *nullus accepit eam nisi Adam, & ideò à nullo alio parente proximo contrahimus originale*. ecce qualiter Scotus ait, quòd de facto nullus accipit iustitiam originalem pro se, & posteris, nisi solus Adam. Sed licèt non displiceat ingeniosa solutio, tamen meo videri est euasio, quia argumentum ad quod respondet Scotus loquebatur de facto, cui in eodem sensu satisfecit Scotus absque mentione noui pacti celebrandi cum Cain, vel cum alio filio, & sic communiter exponitur ab omnibus; neque est necesse retorquere sensum verborum, maximè cùm contineant satis probabilem: quod autem ait, de facto nullus accepit iustitiam pro se, & posteris, nisi Adam, ex eo dicit, quia propter peccatum eius non fuit in posteros deriuata (& hoc est de fide, & non aliud, vt vult Lorca super articulum secundum) non autem ex eo quòd si deriuaretur iustitia originalis, non descenderet cum eodem debito conseruandi eam pro se, & posteris eius. 13.

Inquires secundò, An si Adam peccaret postquam filios aliquos in sanctitate & iustitia genuisset, auferretur ab ipsis prædicta sanctitas & iustitia? Respondet Catherinus opusculo de peccato originali cap. vltimo, & Salmeron ad Rom. 5. c. 46. argumento 10. quòd auferretur. Fundamentum est, quia sanctitas filiorum dependebat ex pacto à conseruatione iustitiæ in Adamo. Sed veriùs respondent Suarez disp. 9. sect. 4. Lorca suprà q. 81. art. 3. Granad. disp. 4. quòd non auferretur ab eis. Et probatur, quia in his, quæ supernaturalia sunt, non possumus loqui absque fundamento reuelationis; sed nullo fundamento constat, conseruationem sanctitatis semel collatæ paruulo commissam fuisse primo parenti: ergo. 14.

15. Et confirmatur, quia aliàs non solùm filius spoliaretur gratiâ, & iustitiâ ei collatâ in conceptione, sed etiam augmento illius, quod propriis actibus acquisierat, quia destructo fundamento destruitur & augmentum, quod super ipsum consurgit, preterquam quòd priuationi gratiæ debitæ, quæ est mala moraliter, deberetur homini expulsio cuiuscumque gratiæ habitualis, & consequenter peccatum parentis cederet in destructionem totius gratiæ, quæ esset in filiis, quod est absurdum.

16. Ad fundamentum oppositum respondetur, illud esse verum de filiis nondum natis, non de his qui iam nati erant, & sanctitatem acceperant.

17. Inquires tertiò, An Adam amitteret iustitiam posteris, qui ex parentibus in ea nati orirentur? Et respondeo cum communi sententia quòd sic, quia Adam fuit caput morale omnium, vt patet ex dictis.

18. Et si obiicias id, quod in quæsito primo diximus cum Scoto, scilicet quòd filius Adæ, qui peccaret, amitteret pro se, & pro posteris eius iustitiam originalem. Respondeo id dixisse in suppositione, quòd Adamus non peccaret, à quo omnes dependent; tamen si ipse peccaret, omnes nondum nati peccassent, quia sicut bonum est ex integra causa, ita malum ex quocumque defectu; & sic sufficeret, quòd peccaret Adam, etiamsi non peccaret proximus parens ad hoc, vt filij contraherent peccatum originale, non autem ad contrahendam iustitiam, ad quam vterque deberet non peccare.

19. Circa secundam Partem huius Quæstionis, scilicet ex quo peccato Adami traducatur in posteros peccatum originale, conueniunt Theologi traduci ex peccato intemperantiæ & inobedientiæ comestionis fructus arboris scientiæ boni & mali. quod constat ex Paulo ad Rom. 5. & ex Tridentino vbi suprà can. 1. & 2. & colligitur ex Genesi cap. 2. & 3. vbi Dominus minatus est mortem Adamo ob comestionem illam, & dixit: *Quis indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti.* De qua comestione optimè Scotus in 2. dist. 21. quæst. 2. §. *hic sunt*, ait non esse prohibitam, quia malam, sed è contrà, ideò fuisse malam, quia prohibitam.

20. Addit Vasquez disp. 77. cap. 4. 3. p. & cum eo Gaspar Hurtado disp. 7. de peccato originali diff. 10. Adamum etiam peccasse peccato infidelitatis, quia non obstante Deo dicente, *In quacumque die comederis, morte morieris.* ille credidit Euæ deceptæ per serpentem aientem, *Nequaquam morieris.* Sed in contrarium potest opponi August. vbi suprà, dicens peccauisse ex amore inordinato mulieris: *Noluit* (inquit August.) *contristare eam, quam credebat sine suo solatio contabescere, & à se alienatam omnino interire*, &c. ergo non peccauit infidelitate, quia ad amorem inordinatum erga vxorem non requiritur. Sed benè obseruant Auctores, quòd hæc peccata non reputantur distincta à peccato comestionis, quia fuerunt causa ipsius, & à dæmone ad id intenta.

21. Quod ergo quæritur circa hanc difficultatem est, An ex vi præsentis decreti, seu ordinationis Dei, si Adam non peccaret peccato dictæ comestionis, sed alio peccato mortali, ab ipso distincto transfunderet in posteros peccatum originale? Tenent partem affirmatiuam Azor lib. 4. cap. 30. q. 2. & Zumel q. 81. art. 1. disp. 1. & probant ex eo quòd per tale peccatum amitteret sibi iustitiam & sanctitatem; ergo semel constitutus caput morale suorum posterorum, etiam posteris amitteret illam; ergo transfunderet peccatum.

22. Sed pars negatiua est verior, eam tenet Suarez disp. 9. sect. 3. num. 7. Lorca q. 81. art. 2. Hurtado vbi suprà. Et probatur: quia in his, quæ à diuina reuelatione dependent, non est philosophandum nisi iuxta eam, sed secundùm Scripturam & Tridentinum de facto tantùm fuit Deus comminatus mortem (scilicet quæ propter peccatum originale infligitur) si comederet de ligno scientiæ boni & mali, & eam comestionem illis prohibuit: ergo de facto secundùm præsentem Dei ordinationem peccatum originale tantùm contrahitur propter transgressionem talis præcepti.

23. Ad fundamentum oppositum respondetur, quòd licèt quocumque peccato mortali amitteret sibi iustitiam

tiam & sanctitatem, sed non posteris, nisi per comestionem prohibitam, quia dependenter ab ea fuit de facto, & ex vi præsentis decreti constitutus caput morale posterorum.

24. Sed inquires primò, An si Adam haberet actum efficacem voluntatis comedendi de illo ligno, & consequenter peccaret mortaliter, & sibi amitteret iustitiam & sanctitatem, sed non comederet in re, & in executione? an etiam tunc amitteret iustitiam posteris? Affirmant Suarez vbi suprà, & Moncesinos disp. 11. q. 5. quia peccauit contra præceptum sibi impositum: sed negat & meliùs Gaspar Hurtado loco citato. Fundamentum est, quia non constat ex Scriptura Adamo fuisse pro posteris commissam sanctitatem, nisi sub conditione non comedendi, ac proinde solo peccato completo & consummato comedendi de ligno illo transfunderet peccatum originale, & non sufficeret peccatum inchoatum contra prædictum præceptum: & per hoc patet ad fundamentum oppositum.

25. Inquires secundò, An si Deus de possibili cōmendaret Adamo gratiam, & iustitiam transfundendam posteris sub conditione, si non peccaret venialiter, vel si non faceret aliquod opus indifferens; tunc si peccaret venialiter, vel faceret illud opus indifferens, substractio gratiæ & iustitiæ in posteris esset peccatum originale & graue, licèt hæc non sequeretur tamquam condigna poena illius peccati, vel operis? Respondet Vasquez disp. 214. cap. 10. num. 78. quòd non, quia non sequeretur ex peccato mortali Adami. Sed meritò partem affirmatiuā tenet Hurtado diff. 8. quia peccatum originale non est tale, quia primus parens peccauit, sed ideò quia ex opere ipsius siue peccaminoso, siue non mediā propagatione sequitur in posteris carentia iustitiæ originalis, & sanctitatis sibi debitæ ex ordinatione diuina: imò hæc esset grauis, quia esset carentia amicitiæ Dei, & non solùm iustitiæ originalis (vt aliquis Scotista in manuscriptis vult) sed etiam gratiæ habitualis, quam diximus quæstione 1. de facto pertinere ad perfectum statum innocentiæ; licèt verum sit (inquit Hurtado) quòd non dicerentur posteri peccasse in Adamo, si ipse eliceret opus indifferens: & per hoc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ.

26. Hic solet disputari de obiecto remoto peccati originalis. De hoc conueniunt omnes esse omnem creaturam rationalem, iuxta illud, *Omnes in Adam peccauerunt*, &c. excepto Christo, qui Deus est, & homo; & secundùm probabiliorem sententiam, exceptâ B. Virgine Mariâ, de cuius præseruatione ab originali intendimus in præsentiarum ex animo agere.

27. Similiter disputatur de subiecto proximo, quod Doctores variè assignant, vnusquisque iuxta principia sua. Dicendum tamen nobis est iuxta nostra, quæ tradidimus quæstione 1. quòd sicut iustitia originalis non solùm residebat in voluntate, sed etiam in intellectu, & in sensibus, & viribus inferioribus, ita & priuatio eius, quæ est peccatum originale, quod fit vnitate integritatis ex omnibus priuationibus habituum, qui in nobis extituri erant; quod etiam similiter contingit in peccato actuali constanti ex interiori, & exteriori priuatione rectitudinis debitæ.

QVÆSTIO VI.

An detur debitum contrahendi peccatum originale, & quod, & quotuplex sit?

1. NOtanter quærimus in titulo quæstionis, An detur debitum incurrendi peccatum originale? quia non loquimur de debito habendi iustitiam originalem; hoc enim dari omnes fatentur; & patet ex dictis q. 4. §. 1. vbi probauimus, quòd peccatum originale sit priuatio iustitiæ debitæ: vnde Scotus in 3. dist. 3. q. 1. §. *si autem*, habet hæc verba; *Quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ originalis, & ex demerito Adæ caret eâ.* Difficultas ergo procedit de debito incurrendi peccatum originale.

2. Circa quam prima sententia negat dari in posteris Adæ hoc debitum. ita tenet Ægidius de Præsentatione lib. 4. q. 4. art. 5. Et probatur, quia quilibet homo contrahens actu ipsum peccatum originale persoluit debitum carendi

rendi iustitiâ originali, sed nō debitum contractum, in ipso homine, aliàs pro eodem instati esset debitor, & non esset debitor, quod implicat; ergo non contrahit in se debitū incurrendi peccatum originale, sed tantùm hoc debitum fuit in Adamo postquam ipse peccauit.

3. Et confirmatur à simili, quia si quis talem satisfactionem exhibeat pro culpa, quòd non solùm satisfaciat pro culpa, sed etiam pro pœna, non relinquitur posteà alicuius rei debitor; sed qui contrahit peccatum originale, eo ipso soluit debitum Adami, scilicet vt nos peccatum originale propter ipsius peccatum incurreremus: ergo non contrahitur à nobis ipsis aliquod debitum incurrendi peccatum originale.

4. Communis tamen & vera sententia affirmat dari in posteris Adami debitum incurrendi peccatum originale. ita docent Caietanus tractatu de Conceptu virginali cap. 2. Bellarminus libro 4. de Amissione gratiæ, & statu peccati §. 10. Vasquez 3. p. disp. 116. cap. 5. Corduba lib. 1. q. 44. conclus. 5. Valencia in 3. p. disp. 3. sect. 4. & alij. Et probatur primò ex Anselmo lib. 10. de Conceptione & peccato originali cap. 7. vbi habet hæc verba: *In Adamo omnes peccauimus, non quia tunc peccauimus, sed quia de illo futuri eramus; & tunc facta est illa necessitas, vt cùm essemus peccaremus.* ecce qualiter adstruit debitum sub nomine *necessitatis*. Et cap. 10. admittit sub nomine *debiti* his verbis: *Atque omnes, qui naturâ operante, quam acceperat* (scilicet Adam) *propagantur, eius adstricti debito nascuntur.* Et cap. 22. admittit debitum sub nomine *egestatis*, & August. in Epistola 23. ad Bonifacium sub nomine *reatus*.

5. Secundò probatur ratione, quia ex illo decreto, seu ex illa lege, qua Deus statuit, quòd in quacumque hora homo comederet de ligno sibi prohibito, morte moreretur, intelligitur quòd moreretur non solùm secundùm vitam corporis, sed etiam secundùm vitam spiritualem animæ: ergo factâ comestione prohibitâ, inducta est in homine obligatio, & necessitas contrahendi mortem spiritualem, seu peccatum originale: ergo datur in posteris Adami, post eius transgressionem, hoc debitum, seu hæc necessitas, aut obligatio incurrendi peccatum originale.

Tertiò probatur, quia Adamus post transgressionem præcepti dignus factus est, vt tam ipse, quàm posteri eius priuarentur iustitiâ originali; sed hæc dignitas in filiis non est aliud, quàm debitum incurrendi peccatum originale, seu obligatio, & necessitas incurrendi illud: ergo. 6.

Et confirmatur primò à contrario, quia si Adamus non peccaret, eius posteri contraherent debitum habendi iustitiam originalem; ergo quia peccauit contraxerunt debitum carendi iustitiâ debitâ: sed hoc est debitum contrahendi peccatum originale; ergo. 7.

Et confirmatur secundò à simili, quia lege humanâ cautum est, quòd proditor ciuitatis priuetur honoribus, & rebus familiaribus, &c. pro se, & posteris eius: vnde si aliquis homo crimen committat proditionis, statim ipse, & filij eius necessitatem & debitum cōtrahunt orbari bonis, honoribus, &c. Sed eodem modo se habuit primus parens propter legem latam à Deo, factâ transgressione: ergo & filij eius in contractione orbandi iustitiâ originali. 8.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, quòd hoc debitum non se habet per modum debiti recompensabilis per solutionem, seu satisfactionem, v. g. pecuniarum, de quo verum est, quòd persoluatur ipsâ solutione, sed habet se per modum debiti moralis contrahendi inhonorem, vel contrahendi priuationem gratiæ, quod posterius perseuerat cum ipsa contractione inhonoris, vel gratiæ, vt patet in exemplo adhibito de proditore, & patet in homine eliciente actum priuatum rectitudine sibi debitâ, seu peccante, qui statim contrahit debitum priuandi gratiâ; & hoc perseuerat cum ipso inhonore, & cum ipsa actuali priuatione gratiæ, quia semper est verum; quòd debet sic priuari, etiam quando actualiter est sic priuatus: & per hoc similiter patet ad cōfirmationem, quæ loquitur de debito in ordine ad satisfactionem & recompensationem. 9.

Circa secundum, quod inquiritur, scilicet quòd sit hoc debitum, communiter Auctores suprà citati docent, quòd sit necessitas, seu obligatio contrahendi 10.

trahendi peccatum originale: sed si velis scire cuius sit speciei in iure, nota quòd in iure ciuili lib. 3. Institutionum tit. 14. *§. de obligationibus*, Iurisperiti distinguunt triplex obligationum genus, nam aliud est quod ex lege nascitur, & dicitur *ciuile*; aliud, quod ex contractu fluit, & dicitur *naturale*; aliud denique, quod ex facto redundat, nimirum ex delicto, aut quasi delicto, & dicitur *prætorium* legite Petrum Gregorium Syntagmatis iuris vniuersi libro 21. cap. 3.

11. Quo supposito dicendum nobis est, quòd hoc debitum potest simul dici ciuile, naturale, & prætorium. ita docet Salazar tom. de Concept. Virg. cap. 15. num. 5. Et probatur, quia hoc debitum pendet ex lege à Deo lata; ergo censetur ciuile. Præterea, quia fluit ex pacto inito à Deo cum Adamo; ergo est naturalis. Tandem redundat ex delicto eiusdem Adami; ergo existimatur prætorium: ergo si debitum hoc diffinire velis per terminos iuris, sic debes proferre; *Est vinculum ciuile, naturale, & prætorium, quo omnes Adæ posteri obstringuntur carere iustitiâ originali sibi debitâ.*

12. Ex quo debetis primò deducere, quòd debitum hoc non est destinatio aliqua diuinæ voluntatis ad contrahendum origininale. ita docet Vasquez 1. 2. disp. 116. cap. 5. Et probatur, quia licèt Deo non repugnet destinare aliquem ad pœnas, repugnat tamen destinare ad peccatum, quale est originale. Præterea, quia non solùm ex lege à Deo lata contrahitur hoc debitum, sed etiam ex peccato primi parentis.

13. Secundò debetis deducere, quòd hoc debitum non sit sola aptitudo contrahendi peccatum originale (vt quidam satis insultè dixerunt) quia aliàs etiam homo non procedens ex Adam haberet hoc debitum.

14. Tertiò deniq; debetis inferre, quòd eo ipso quòd hoc debitum est quædam obligatio, vt vult Ægidius vbi suprà art. 3. *§. 9.* debet esse relatio, vt vult Vasquez vbi suprà, quia obligatio relatio quædam est ad id, ad quod est obligatio, quidquid immeritò Ægidius impugnet.

Quod ergo maiorem ingerit difficultatem in hac Quæstione, est explicare id, quod tertiò inquiritur in ea, scilicet quotuplex sit hoc debitum, quia licèt Auctores præfati in locis citatis expresè asserant quòd sit duplex, scilicet debitum proximum, & debitum remotum, seu debitum simpliciter, & debitum secundùm quid, tamen difficile est explicare quale sit.

15. Prima ergo sententia sic explicat, scilicet quòd debitum simpliciter & absolutum dicatur illud, quod filius Adami contrahit ex eo quòd inclusus fuit in lege, quam Deus pepigit cum Adamo, quòd si comedisset de ligno prohibito, contraheret priuationem iustitiæ originalis; vnde comedente Adamo, peccauit cum illo in illo, & contraxit debitum simpliciter & absolutum peccandi originaliter in propria persona. Debitum verò secundùm quid dicitur illud, quod quis habet ex eo quòd est creatura rationalis ab Adamo descendens, capaxque vt includatur à lege præfata, quod genus debiti admittunt Auctores infrà referendi in Virgine, appellantque debitum debiti, quia Virgo beata debebat includi in debito simpliciter & absoluto ratione debiti secũdùm quid, si à Deo non excluderentur ab illo. ita docent Catherinus in primo tractatu de Conceptione Virginis 1. p. cap. 1. *§. quarto igitur loco asserimus*, pag. 10. & *§. sed existunt nonnulli*, pag. 14. & in secundo tractatu lib. 2. cap. 3. pag. 21. & Franciscus Turrianus in Epistola de peccato originali fol. 43. pag. 1. & in hac sententia conceditur, Virginem cum Adamo comedisse de ligno vetito; non tamen peccasse adhuc in Adamo, neque contraxisse debitum proximum simpliciter & absolutum peccandi in se, quia non continebatur, neque includebatur in lege prohibente comestionem.

16. Secunda sententia sic explicat hæc duo debita, scilicet quòd debitum remotum sit illud, quod quis habet in primo parente, in cuius lumbis continebatur; proximum verò sit illud, quod quis contrahit non in propria persona in instanti primo, in quo verificatur quòd est filius Adam, sed in ipso Adamo post legem à Deo latam. ita tenet Ægidius de Præsentatione lib. 2. q. 4. art. 4. *§. 3.* ita quòd sicut in huius Auctoris sententia, quam supra retulimus quæstione 4. omnes pec-

peccauimus in Adam quasi actualiter per eamdem actionem, quâ ipse peccauit; ita omnes in ipso, & cum ipso contraximus debitum remotum peccandi per eamdem obligationem, per quam ex vi legis ipse tenebatur peccare, si comederet; & contraximus debitum proximum comedendo, quia proximum non contrahimus in nobis ipsis, vt docet ipse Ægidius.

17. Tertia sententia explicat debitum remotum esse, quod quis habet in semine virili, tunc cum primo semen viri in feminæ vterum defluit, tunc enim incipit esse necessitas remota, vt ille, qui ex tali semine posteà animatus fuerit, peccatum contrahat; proximum verò debitum esse, quod incipit esse in ipso instanti animationis, & ab ipso existentiæ exordio. ita docent aliqui suppresso nomine relati apud Salazar cap. 2. §. 10. num. 61.

18. Quarta sententia dicit, quòd debitum remotum est illud, quod omnes contraxerunt in Adamo tamquam in capite; proximum verò sit illa necessitas, quam ex comestione peccaminosa Adami contraxerunt in seipsis habendi peccatum originale: quid autem intelligatur per hoc, quòd Adamus fuerit caput, diuersi diuerso modo explicant; nam aliqui intelligunt esse caput naturale per hoc, quòd Deus decreuit omnes homines per propagationem deriuari ab illo, cùm possent non ab illo propagari: eo quo habent, quòd contineantur ex natura rei in eius voluntate, quâ ratione parentes pro filiis pacisci, & contractus celebrare possunt. Alij verò intelligunt esse caput morale per hoc, quòd Deus omnes obligauit voluntati Adami quantùm ad transfusionem originalis iustitiæ, & priuationem illius.

19. Quinta sententia explicat debitum remotum per hoc, quòd sit quasi obligatio actiua, quâ Adamus ex violatione sua filios suos ad originaliter peccandum obstrinxit; nam eo ipso quòd peccauit, contraxit debitum, seu dignitatem, vt filij eius orbati gratiâ nascerentur. Debitum verò proximum sit quasi obligatio passiua, quæ in filiis reperitur ab exordio suæ conditionis contrahendi, scilicet in se, peccatum originale; nam ex debito actiuo parentis oritur in illis necessitas contrahendi peccatum originale, quæ meritò vocatur debitum passiuum. ita Salazar capite 1. ante num. 63.

Sed pro explicatione nostræ sententiæ noto primò, quòd diuersitas ista explicationis duplicis debiti orta est ex eo quòd aliqui nolunt beatissimam Virginem peccauisse in Adamo, & consequenter vt aliquod debitum adstruant in ea ratione, cuius fuerit à Christo præseruatiuè redempta, assignarunt debitum remotum ante peccatum Adami in quolibet ex posteris eius, vt eam non solùm doceant præseruatam à peccato originali in propria persona contrahendo, & insuper à debito proximo, cui immediatè succedit peccatum originale, sed etiam à peccato contracto in Adamo. Alij verò ex eo, quòd nihili faciunt, quòd peccauerit in Adamo, incipiunt adstruere debitum non solùm proximum, sed etiam remotum post ipsius Adami transgressionem. 20.

Nota secundò, quòd debitum proximum, quod filius Adæ habet in propria persona, debet appellari debitum exercitum, seu in actu exercito, quia verè supponit subiectum realiter & formaliter existens, quòd verè & formaliter denominari possit debitor: at verò debitum remotum siue sit ante peccatum Adami, siue post illud, debet appellari debitum signatum, seu in actu signato, quia cùm existentia formalis cuiuslibet personæ non sit ante eius productionem compositi constantis ex corpore & anima rationali, hinc est quòd persona non possit ante eam in exercitio denominari formaliter debitrix, sed tantùm in actu signato, quia debitum remotum, quomodocumque dicatur, semper concipitur in persona secundùm esse virtuale, quod in causis habet, & ante formalem actualitatem & existentiam filij Adæ. 21.

His suppositis dico primò: Debitum proximum, seu exercitum est necessitas contrahendi peccatum originale in propria persona existente, quam quis habet in primo generationis instanti, quando verificari potest, hic homo est per naturalem propagationem filius Adæ, & membrum huius capitis. 22.

In

In hac conclusione conueniunt omnes Auctores suprà relati, excepto Ægidio, & eam docet Scotus in 3. dist. 3. q. 1. §. si autem, vers. sed si alicui, & vers. per istud patet, vbi adstruit in propria persona necessitatem contrahendi peccatum originale ab Adamo, si Deus non præueniat, & præseruet ab illo. Hæc conclusio ex se patet, quia in illo primo instanti aliquâ prioritate naturæ ante contractionem peccati originalis verificatur de qualibet persona non præseruata, quòd est debitrix, & habet necessitatem carendi iustitiâ originali, propterea quòd descendit ex Adamo per naturalem propagationem, qui legem Dei violauit: & insuper huic debito statim succedit peccatum originale in ipsa persona; sed hoc censeri debet debitum proximum, & exercitum, vt vox ipsa sonat, & communiter accipitur, & nos suprà probauimus. ergo.

23. Dico secundò: Probabile est, quòd debitum remotum & in actu signato fuerit ante peccatum actuale Adami. ita tenent plures Auctores ex suprà relatis. Et probatur, quia eo ipso quòd concipiamus, omnes homines esse à Deo decretos quantùm ad existentiam dependẽter à seminali & naturali propagatione ex Adamo, antequam legem ipsi intimasset, & pactum cum ipso pepigisset; concipimus ipsos aliqualiter obnoxios, & subiectos, vt possint comprehendi in ea lege, & in eo pacto subsequẽti, in quo voluit efficaciter Deus decernere Adamum vt caput morale ipsorum, præcipuè si ante talem legem præcessit in eo voluntas inefficax comprehẽdi omnes in tali lege, nullo dempto, sicut vult inefficaciter omnes homines saluos fieri: imò & comprehenderentur, si Deus non exciperet aliquem, quia verba legis iam in re promulgatæ sunt vniuersalia; nam eo ipso quòd cum Adamo loquens Deus dixit, *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*, loquitur cum omni natura humana naturaliter propagata: sed ad debitum remotum sufficit aliqua obnoxietas, licèt nimis distans: ergo probabile est, quòd debitum remotum concipi, & dari possit in posteris Adæ, antequam Adamus peccasset.

24. Et prætereà, quia in lege præfata fuerunt partes, vna fauorabilis, scilicet contrahendi iustitiam ex Adamo, si ipse non peccasset; & alia odiosa, scilicet non contrahendi talem iustitiam, si ipse peccasset: sed potuerunt filij Adæ comprehendi in vna parte fauorabili, & eo ipso esse obnoxij, vt comprehenderentur in alia odiosa, sicut de facto fuerunt comprehensi (fortè exceptâ B. Virgine) ergo sufficienter potest intelligi in posteris Adæ aliquod debitum remotum ante violationem legis Adami.

Hanc conclusionem ita probaui, vt non admittam probabiles aliorum, quæ communes sunt Angelis, & creaturis rationalibus, solùm quæ respiciunt posteros Adami in quantum sunt capaces rationis, quibus Deus potuit imponere leges, quibus manerent obligati, & hanc eorum capacitatem vocant debitum remotum, sed minùs benè, quia debitum remotum debet sumi in ordine ad debitum proximum, & illud debet signare id, quod in hoc est exercendum: vnde non debet sumi per ordinem ad præcisam hanc capacitatem, nisi etiam dicat aliqualem habitudinem ad decretum procedendi ex Adamo, & ad decretum quo Adam constitutus fuit omnium hominum caput morale; neque debitum in præsenti sumitur pro aliqua obligatione ex præcepto, sed pro necessitate contrahendi peccatum originale non propinqua ad ipsum, sed remota, & distanti. 25.

Dico tertiò: Probabilius est, quòd debitum remotum sit in posteris Adami post peccatum actuale ipsius. Hæc conclusio communior est apud Auctores 2. 3. 4. & 5. sententiæ suprà relatos. Et probatur, quia si Adamus non peccasset, non adimpleretur cõditio requisita vt consurgeret in posteris eius necessitas contrahendi peccatum originale: ergo quodcumque debitum etiam remotum contrahendi illud fuit post peccatum Adami. Et confirmatur, quia debitum etiam remotum contrahendi iustitiam originalem supponebat in posteris, quòd eorum parens Adam non peccasset: ergo & necessitas contrahendi carentiam eius supponebat, quòd peccasset. patet consequentia, quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. 26.

27. Ex ista conclusione debetis deducere, quòd ex peccato Adami orta est in eo quædam indignitas communicandi posteris naturam ornatam gratiâ & iustitiâ; seu, vt meliùs dicam, orta est quędam moralis necessitas communicandi posteris modo naturali propagatis suam naturam humanam priuatam iustitiâ originali, seu fœdatam originali peccato, quam necessitatem aliqui appellant actiuam, sicut eam, quæ in nobis recipitur passiuam: & propterea actiuam appellant debitum remotum, quia antequam accedat ad nos præfuit in Adamo, & in reliquis nostris parentibus proximioribus; nam sicut titulo propagationis ab Adamo haberemus ius ad gratiam, & ad iustitiam originalem, si ipse non peccaret; ita eodem titulo habemus ius (liceat ita loqui) ad priuationem eius, quia peccauit.

28. Quia tamen argumenta huius conclusionis magis suadent ipsam, ideò probabiliorem appellaui illam; sed quia nulla siue huius, siue alterius conclusionis illas efficaciter conuincunt, sed tantùm suadent, & non persuadent, ideò has conclusiones tantùm intra latitudinem probabilitatis relinquo: neque opus est satisfacere vniuscuiusque argumentis cùm non probent, sed dicendi modum approbent.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm peccato originali debeatur sola pœna damni, an etiam pœna sensus, & quæ?

1. SVppono cum communi Catholicorum sententia, quòd peccato originali debeatur aliqua pœna; ideò enim dicimur ad Ephes. 2. *Nos natura filij iræ*; cùm enim ira Dei in S. Scriptura significet iustitiam vindicatiuam, idem est, quòd simus filij iræ, ac quòd simus obiectũ iustitiæ vindicatiuæ, sicut quando filij puniuntur à patre propter peccatum, quod commiserunt: & quia hoc propagatur in nobis per naturam, ideò dicimur natura filij iræ. Quæstio ergo præsens præcipuè inquirit, quæ pœna sit peccato originali debita pro alia vita?

2. Et dicendum primò nobis est, quòd peccato originali debetur pœna damni, quæ consistit in carentia visionis, & fruitionis beatæ. Hæc conclusio est de fide, eam enim definit Innocentius I. in Epistola ad Cõcilium Mileuitanum: & est cõmunis sententia Patrum, quam docuit August. lib. de Origine animæ. Et probatur primò ex illa generali sententia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum*. Et ad Rom. 5. *Iudicium ex vno omnes in condemnationem*. Et Apocal. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima* (id est in iustificatione) *in his mors secunda* (id est ęterna damnatio) *non habet potestatem*. Et Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in ipso non pereat*. Constat autem, quòd decedentes sine baptismo neque habent partem in resurrectione prima, neque credunt actu, aut habitu.

Secundò probatur ratione, quia gratia habitualis confert animæ ius ad vitam æternam; sed qui habet peccatum originale, non habet gratiam habitualem: ergo neque ius ad vitam æternam, neque ipsam vitam. 3.

Fuit tamen circa hoc error cuiusdam Vincentij (contra quem disputat August. vbi suprà) asserentis peccatum originale non excludere à regno cælorum, sed pueros cum ipso decedentes fore beatos: quem sequuntur aliqui ex hæreticis nostri temporis, vt refert Bellarminus lib. 6. de Statu peccati cap. 1. sed diuerso fundamento, eo scilicet, quia Christus omnes siue baptizatos, siue non baptizatos redemit. Et probari videtur primò, quia pœna damni est omnium maxima (hoc est fundamentum Vincentij) vnde Chrysostomus hom. 24. in Matth. & hom. 47. ad populum ait, *mille gehennas non posse illi comparari*; sed pœna peccato originali est omnium mitissima, vt docet Aug. in Enchiridione cap. 93. & in aliis locis: ergo. Secundò, quia leuior pœna debetur peccato originali, quàm veniali commisso ex imperfecta deliberatione, sed huic etiam circa grauissimam materiam, v. g. circa infidelitatem, vel odium Dei non debetur pœna damni; ergo neque illi, cùm sit multò minùs voluntarium. 4.

Sed hæc omnia nihil obstant nostræ conclusioni; non fundamentum hæreticorum 5.

ticorum tecentiorum, quia licèt Christus pro omnibus quantùm ad sufficientiam satisfecerit, sed non quantùm ad efficientiam, nisi pro baptizatis. Non fundamentum Vincentij. Ad primum enim argumentum respondeo concedendo, quòd sit maior pœna ea, quæ est damni, quàm ea, quæ est sensus, vtpote quia priuat maiori bono; est tamen mitissima, vt dicit Augustinus, quia scilicet minùs cruciat, sicut non multùm cruciat viatores non videre Deum.

6. Ad secundum respondetur eodem modo, quia maior pœna simpliciter (quæ scilicet sumitur per ordinem ad bonum, quo priuat) debetur peccato originali, quàm veniali, non autem secundùm quid, id est in quantum cruciat, quia vt sic maior debetur veniali, nam hoc personaliter est aliquo modo liberum.

7. Maior est difficultas, An etiam patiantur pueri decedentes cum originali pœnam sensus? Tenent affirmatiuam Driedo lib. 1. de Gratia tract. 3. cap. 2. p. 5. & Greg. Ariminens. in 2. dist. 30. q. 3. qui sustinent torqueri etiam pœnâ ignis; quod etiam expresserunt Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, & lib. 1. contra Iulianum cap. 8. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 27. & 44. & etiam significat Gregor. lib. 9. Moral. cap. 12. Et probatur primò ex Scriptura: nam cùm Matth. 25. describitur Iudicium, vniuersitas hominum distribuitur in duas classes, vna est à dextris, quibus dicitur, *Percipite regnum*; & alia à sinistris, quibus dicitur, *Ite in ignem æternum*. Item Apocal. 20. dicitur: *Omnis, qui non est inuentus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis*. Et Matth. 3. vniuersitas hominum distinguitur in paleas, & triticum; & cap. 13. in pisces bonos, & malos; & vtrobique paleæ, & mali condemnantur, vt comburantur igne inextinguibili; sed decedentes in hac vita cum peccato originali non connumerantur cum bonis: ergo.

8. Secundò probatur, quia paruuli habebunt corpora passibilia, non enim habebunt gloriosa; ergo poterunt pati ab igne sibi præsente: deinde poterunt pati pœnâ interiori, scilicet famis & sitis, & sic pœnâ sensus.

9. Tertiò probatur, quia fomes in eis non erit extinctus; ergo poterunt habere concupiscentias inordinatas; ergo si sibi substrahantur obiecta delectabilia, poterunt tristari, & ita pati pœnâ interiori.

Quartò, quia paruuli habebunt vsum rationis, & cognoscent naturam suam; ergo poterunt cognoscere se esse ordinatos ad vitam æternam; ergo & poterunt illam appetere, quia quilibet habens ordinatum appetitum illam appetit secundùm Augustinum lib. 13. de Trinitate cap. 5. ergo & poterunt tristari ex certitudine carentiæ illius. 10.

Quintò, quia existens in puris naturalibus haberet pœnam damni; ergo qui peccatum originale habet, maiorem pœnam debet habere: sed hæc nequit esse alia, nisi pœna sensus; ergo paruuli cum peccato originali decedentes habent pœnam sensus. 11.

Dicendum secundò nobis est, quòd peccato originali non debeatur pœna sensus. Hanc sententiam omnes Scholastici in vniuersum docent cum Magistro in 3. dist. 33. vbi Scotus §. *hic videtur* à litt. A. & contraria sententia communi scholæ consensu reiicitur. Docet S. Thomas q. 5. de malo art. 3. Sotus lib. 1. de Natura & gratia cap. 14. Lorca disp. 45. memb. 4. Vasquez disput. 134. & omnes Recentiores. Et probatur primò, quia hoc videtur definitum apud Innocentium III. cap. *Maiores de baptismo*, dum ait, *Pœnam peccati actualis esse cruciatum gehennæ, originalis verò priuationem visionis*. In quo sensu sunt intelligenda, quæ asserit Concilium Florent. in litteris vnionis, scilicet, *Eos, qui cum mortali vel originali ex hac vita decesserunt, mox in infernum descendere, ibi tamen pœnis disparibus puniri*. 12.

Secundò probatur quibusdam sanctorum Patrum testimoniis, in quibus reperitur hæc assertio, scilicet, *Decedentibus cum solo originali debetur aliquod medium inter supplicium & præmium*. ita habet Nazianzenus oratione in sanctum lauatrum, Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. & Ambrosius in cap. 5. ad Roman. sed non potest intelligi aliquod medium inter supplicium & præmium, si paruuli habeant pœnam sensus, quæ propriè appellatur supplicium; ergo quia eam non habent, neque similiter habent visionem 13.

Dei, in qua consistit præmium, dicuntur habere aliquod medium.

14. Et confirmatur, quia ex doctrina Patrum reatus peccati originalis non tam est dignitas pœnæ, quàm indignitas donorum.

15. Tertiò probatur ex illo Apocal. 18. *Quantum glorificauit se in delicijs, tantum date illi tormentorum & luctus*; ergo tormenta & luctus correspondent delicijs: sed pueri prædicti nullas habuerunt delicias; ergo neque debent puniri pœnâ sensus.

16. Et confirmatur, quia neque debent puniri tristitiâ: nam secundùm Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 15. *Est de his, quæ nobis inuitis accidunt*; ergo pueri essent inuiti in statu suo, & vellent oppositum, & consequenter possent murmurare contra dispositionem diuinam, & habere inordinatam dispositionem voluntatis, quod videtur absurdum: nam secundùm Ecclesiasten cap. 11. *Vbicumque ceciderit lignum, ibi erit*; sed ista ligna puerorum ceciderunt absque deordinatione propriæ voluntatis; ergo non est rationabile, hanc illis in suo statu tribuere; ergo neque tribuere tristitiam interiorem. Præterea si tristarentur de amissione beatitudinis, haberent desperationem de ea, & consequenter haberent pœnam grauissimam inter omnes pœnas damnatorum, scilicet tristitiam ex desperatione prouenientem, quia tristitia maior simpliciter pœna est, quàm pœna doloris sensitiui; nam secundùm eam patitur voluntas, & consequenter homo, in quantum homo; & ita simpliciter magis patitur, si tristatur, quàm si doleat. ita arguit Scotus vbi suprà.

17. Ad argumenta respondetur: & in primis ad locutiones oppositas Patrum, quibus prima sententia suadetur, respondet Scotus vbi suprà §. *ad primum argumentum* cum D. Bonauent. in 2. dist. 30. art. 3. q. 1. soluendo primum principale, quem sequuntur Recentiores suprà citati, Patres excessiuè fuisse locutos: cuius ratio est, quia secundùm Philosophum 2. Ethic. via deueniendi ad medium in moribus est aliqualiter procedere vltra medium versus extremum: ita Sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes frequenter sunt excessiuè locuti, quasi volentes declinare ad aliud extremum, sicut Augus. contra Arrium videtur quasi declinare ad Sabellium, & contra Pelagium ad Arrium, & è contrà. Deinde respondetur secundò fuisse locutos de supplicio æterno ignis in sensu diuiso, id est, quòd pueri patiantur de illo æterno supplicio ignis aliquid, scilicet æternum supplicium, verùm non ignis, sed carentiæ visionis.

Ad primum argumentum desumptum ex Scriptura sacra respondetur, in illis locutionibus agi de iudicio hominum adultorum; imò in primo agitur de iudicio Christianorum propter opera misericordiæ; & in vltimo agitur de his, quæ sunt in Ecclesia, quæ sagenæ nomine significatur: quale autem sit futurum iudicium circa alios homines, sumitur ex aliis locis; nam de infidelibus dicitur Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*. Et de pueris propter peccatum originale dicitur ad Rom. 5. *Iudicium ex vno omnes in condemnationem*. Deinde respõdetur, quòd mitti in ignem æternum, vel in gehennam ignis dicitur, propter locum ad quem pueri mittuntur, quia mittuntur in infernum, qui est locus ignis, licèt pueri in illo habeant aliquem sinum diuersum, qui vocatur Limbus, in quo non datur ignis, sicut aliquis viuit in carcere, etiam si non patiatur, sicut qui sunt incarcerati. 18.

Ad secundum respondetur, quòd corpora paruulorum sunt impassibilia, sed non dote impassibilitatis sicut corpora Beatorum, sed propter specialem Dei prouidentiam, quam etiam seruat circa condemnatos, ne consumantur: propter quam prouidentiam specialem etiam non habent tristitiam (quidquid alij velint, vide Gasp. Hurt. disp. 7. de peccato originali diff. 16.) quia tenetur Deus causas illius præuenire propter rationes, quas suprà adduximus ex Scoto. 19.

Ad tertium & quartum respondetur, quòd licèt habeant vsum rationis, imò & possint acquirere plus scientiæ naturalis, quàm habeat quilibet Philosophus naturalis, vt concedit Scotus §. *& si quæratur*, tamen non habebunt scientiam supernaturalem, quæ per se requiritur ad sperandum beatitudinem in particulari, vel ad tristandum 20.

de

de amissione illius; & si fortè aliquam illius habent notitiam, hæc non illos molestat, sicut neque molestat viatores non videre actualiter Deum: vel si velis quòd aliqualiter molestat, tamen alia illos lætificant à proportione, vt impediatur actio molestiæ, aut eius vis remittatur; & sic neque fomes, neque propria inclinatio naturæ aliquid obstant propter hanc specialem Dei prouidentiam.

21. Ad quintum respondetur, quòd licèt existens in puris naturalibus esset priuatus visione Dei sicut existens cum originali, tamen hæc carentia in illo non subit rationem pœnæ sicut in hoc: sicut enim si homo ignobilis assumeretur à Rege ad magnam dignitatem, si posteà propter commissum aliquod peccatum illa priuaretur, esset illi pœna quòd ad propriam reuocaretur ignobilitatem; ita contingit homini dignificato iustitiâ originali, & posteà orbato illâ propter peccatum.

22. Sed obiicies illud Exodi 2. *Ego sum Dominus visitans iniquitatem patrum in filios*; & illud Ioan. 7. *Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* ergo filij non solùm propter peccatum parentum sunt digni pœnâ damni, sed etiam pœnâ sensus. Respondetur distinguendo de pœna huius vitæ, vel de pœna alterius; primam concedo, quòd Deus infligat filiis pro peccatis parentum, quia breuis & temporalis est, & non solùm habet rationem pœnæ respectu parentum, quorum filij sunt quasi partes, & sic horum castigatio est illorum punitio, sed etiam habent rationem medicinæ tum respectu ipsorum filiorum, tum respectu omnium hominum, in quorum exemplar, ne peccent in aliis similibus, prædicti filij sic propter parentum peccata castigati proponuntur. Secundam verò nego, quia est æterna, neque potest esse medicina, quandoquidem iam homines sunt in statu neque merendi, neque demerendi.

23. Dices: Ergo iudex humanus poterit in filiis punire peccata parentum. Respondet Lyra in cap. 24. Deuteronom. affirmatiuè. Et probat, quia filij Achan occisi fuerunt à Iosue ob furtum à patre commissum. Respōdetur cum Hurtado vbi suprà quòd non: nam ideò dicitur Deuteronom. 24. *Non occidentur patres pro filiis, aut filij pro patribus*, &c. filij autem Achan, si occisi fuerunt (quod negant aliqui Hebræi) fuit ex commissione diuina, quia Deus cùm sit dominus omnium id potest facere; quod cùm iudici humano deficiat, non potest.

Circa pœnas autem, quæ in hac vita peccato originali correspondent, dicendum est tertiò cum communi sententia ad duplex genus reduci: primum est rebellio portionis inferioris contra superiorem: secundum est mors corporalis. Ad primum reducuntur propensio potentiarum hominis in malum, & difficultas circa bonum, quæ sub nomine fomitis & concupiscentiæ significantur. Ad secundum spectant ærumnæ, ægritudines, incommoda, molestiæ, quæ interiùs & exteriùs hominem vexant, omnes enim sunt corruptiones quædam, & mortis initia; quare qui Genes. 2. comminatus est mortem, posteà capite 3. indixit parentibus non mortem istam, sed aliarum ærumnarum cumulum. 24.

Primum genus probatur ex illo Genes. 3. vbi statim ac peccauerunt primi parentes dicitur: *Aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt se esse nudos*, &c. in quibus verbis considerant plures Ecclesiæ Patres, quos allegant Vasquez & Lorca vbi suprà, primos parentes tunc expertos esse inordinatos concupiscentiæ motus, & passos fuisse erubescentiam. Et confirmatur ex illo Psalmi 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* ergo ex peccato originali non solùm prout in Adamo, sed etiam prout in nobis, qui idipsum experimur, ortum fuit primum pœnarum genus. 25.

Secundum genus probatur ex illo Genes. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris.* quod licèt possit intelligi de morte animæ, tamen etiam debere intelligi de morte corporis constat ex illo Pauli ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*; & cap. 6. *Stipendia peccati mors.* ergo necessitas moriendi orta fuit tum in Adamo, tum in posteris propter peccatum originale. Vtrumque autem genus pœnarum infligitur 26.

à

à Deo non directè, sed indirectè, quia per ablationem impedientis scilicet iustitiæ originalis resultant.

27. Sed obiicies: Per gratiam Christi in baptismo remittitur peccatum originale, & tamen ista non auferuntur: ergo non sunt pœnæ illius, quia ablato peccato auferuntur pœnæ. Respondetur quòd post baptismum non sunt pœnæ, sicut ipsa absentia iustitiæ originalis non est culpa, sed diuinâ dispositione relictæ sunt in exercitium & augmentum meriti ad custodiam humilitatis, & propter alias vtilitates, quæ percipi possunt ex ipsis, & sic non pœnæ, sed pœnalitates debent appellari: confertur tamen per baptismum gratia ad resistendum concupiscentiæ, & fomiti; & in vitam futuram reseruatur liberatio ab infirmitatibus incommodis, & ærumnis, & à morte, quando scilicet nouissima destruetur mors, & in vitam resurgemus incorrupti.

DISPVTATIO II.

DE IMMVNITATE BB. VIRGINIS MARIÆ A PECCATO ORIGINALI.

Scopus nostræ intentionis, & nostræ materiei accessit. Postquam igitur ex professo & ad amussim disputauimus & absoluimus quidquid ad Tractatum pertinet de peccato originali, & circa ipsum nihil intactum relinquimus, accedit iam Disputatio celebris circa præseruationem sanctissimæ ac beatissimæ Virginis Mariæ, Dominæ nostræ, & veræ Dei Genitricis, vniuersique orbis Reginæ, & omnium cælestium spirituum Imperatricis. De qua Disputatione agit omnium Theologorum princeps Scotus in 3. dist 13. vbi cum aliquali formidine tradidit opinionem piam, sed clariùs & sine formidine tradidit dist 18. q. vnicâ, *§. hoc viso*, vers. *est ibi*.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm beatissima Virgo Maria fuerit concepta sine peccato originali?

1. NOTANTER quærimus in titulo vtrùm concepta fuerit, quia quòd fuerit nata sine peccato originali fatetur omnes Theologi cum Ecclesia Catholica, natiuitatem eius tamquam sanctam celebranti. Conceptio autem stat dupliciter; nam alia est, quâ mulier dicitur ex viro concipere, & hæc contingit tunc, quando per coniunctionem carnalem vtriusq; recipiuntur & miscentur semina in matrice: & alia conceptio est, quando post vltimam corporis organizationem creatur anima à Deo, & vnitur corpori. In præsenti ergo Quæstione non agimus de conceptione priori, quia in illa non habet esse & existere formaliter beatissima Virgo, sed tantùm in virtute: sed agimus de conceptione secunda, in qua verificatur, quòd sit formaliter filia Adæ; quam conceptionem alij appellant natiuitatem in vtero ad distinctionem natiuitatis ex vtero, quæ est post nouem menses.

Antequam ergo ad duas præcipuas in hac Quæstione sententias accedamus, reiicienda venit sententia Henrici de Gandauo lib. 15. q. 13. asserentis, quòd in eodem primo instanti, in quo Virgo fuit formaliter concepta, fuit in peccato, 2.

peccato, & in gratia, ita vt in primo signo naturæ fuerit in peccato originali, & in posteriori in gratia sanctificante, & mundante. Hæc tamen opinio est improbabilis, quia peccatum originale, & gratia priuatiuè opponuntur, nam vt latè probauimus disputatione anteced. quæstione 4. parte 1. peccatum originale est priuatio iustitiæ debitæ, hæc autem non solùm erat iustitia originalis, sed etiam gratia habitualis vt ibidem probauimus, sed præcipuè quæstione 1. pro eodem autem temporis instanti non possunt esse simul priuatiuè opposita, sicut neque contradictoriè opposita verificari: neque sufficit naturæ prioritas, quandoquidem illa tantùm est præcisiua; & consequenter posterioritas naturæ nequit esse negatiua, scilicet quia nequit ea dici, quòd illud quod erat priùs natura iam non sit, nam transitus à positiuo in negatiuum est mutatio, quæ consumit instans temporis.

3. Hac ergo relictâ sententiâ veniunt aliæ duæ ex diametro oppositæ examinandæ, quod præstabimus per diuersas partes, ne multiplicitas dicendorum confusas pariat tenebras, breuitati tamen consulemus, licet nullum intactum lapidem relinquamus ex his, quæ expediunt tractari, quia quæ longiorem petunt sermonem, & sunt iam typis mandata cum remissionibus ad loca, in quibus possunt videri trademus.

PARS PRIMA.

Proponitur sententia affirmans quòd fuerit concepta cum peccato originali.

4. PRima igitur in hac re sententia affirmat quòd beatissima Virgo fuerit in peccato originali concepta in primo conceptionis instanti, & quòd paulò pòst fuerit sanctificata. Hanc sententiam ex Scholasticis tenet diuus Thomas 3. parte, quæstione 27. atticulo 1. & 2. in corpore, & ad 2. & in 2. dist. 31. quæstione 1. articulo 2. & in 3. dist. 3. quæstione 1. articulo 1. quæstiunculâ 1. & 2. & in 4. dist. 43. art. 4. quæstiunculâ 1. ad 3. & quodlib. 6. art. 7. & in opusculo 2. capite 2:4. & referri solet in Psal. 45. cum eoque conueniunt Thomisticæ doctrinæ veri Professores, exceptis paucis, inter quos est doctissimus P. Ioannes à S. Thoma, vespertinæ cathedræ Complutensis pro familia Dominicana moderator, in suis Discursibus super 1. partem S. Thomæ tom. 1. disput. 2. pro defensione doctrinæ ipsius art. 2. qui licèt non neget hanc tenuisse sententiam D. Thomam, tamen oppositam non omnino negasse (debitâ discipuli pietate) intentat ostendere. Et ex aliis pro hac sententia refert vsque viginti sex Auctores Ægidius de Præsentatione tomo de Conceptione lib. 3. quæstione 4. articulo 4. §. 1. versiculo *cùm tamen*, numero 14. & expressiùs quæstione 1. articulo vnico, §. 1. inter quos præcipui sunt Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 4. & 5. & diuus Bonauentura ibidem art. 1. quæst. 1. Sed inter Thomistas latissimè vsque ad nauseam hanc propugnat sententiam quidam Vincentius Bandellus de Castro nouo in libro quem ex professo scripsit contra Virginis Conceptionem.

Et vt nullos sententiæ patronos omittamus, illa maximè placuit quibusdam nostri temporis hæreticis Matthiæ Illirico Thilemano, Heshusio, & Martino Kemnitio, insuper & Caluino. Additque Ægidius vbi suprà numero 4. esse communem nostri temporis hæreticorum sententiam, quam pluribus confirmant, & probant ipsius assertores Catholici, sed argumenta omnia breuitatis causâ ad quatuor capita reducemus. 5.

In primo capite sumitur fundamentum ex locutionibus sacræ Scripturæ, quæ generales sunt, & nullam personam excipiunt, & consequenter neque excipi fas est, sine Patrum, aut Ecclesiæ traditione, quæ in præsenti non adest, vergi gratiâ ad Rom. 3. *Omnes in Adam peccauerunt, & egent gratiâ Dei*; & c. 5. *In omnes homines* 6.

mors pertransiit (scilicet propter peccatum Adami) *in quo omnes peccauerunt*. Et ad Ephes. 2. *Eramus omnes natura filij iræ*. Et 2. ad Corinth. 5. *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, &c.

7. In secundo capite sumitur fundamentum ex Conciliis, & Pontificum decretis; nam cap. 2. Concilij Mileuitani confirmatum ab Innocentio I. dicitur de fide esse, quòd omnes descendentes ab Adam per seminalem propagationem contrahunt maculam originalis peccati, ratione cuius omnes indigent baptismo in remissionem peccatorum. Hoc etiam decreuit ipse Innocentius, & Zosimus Papa in suis Epistolis ad Episcopos Africanos, & habentur in 1. tomo Conciliorum. Idemque habetur de consecratione dist. 4. cap. *firmissimè*, vbi habentur illa verba August. de fide ad Petrum c. 16. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum.*

8. Et confirmatur, quia Pius V. abstulit officium proprium conceptionis, quia in eo dicebatur immaculata, & præseruata B. Virgo; ergo.

9. In tertio capite sumitur fundamentum ex auctoritate Patrum (plures commemorat Bandellus) & vsque ad quadraginta refert Capreolus in 3. Sent. dist. 3. q. 1. Sed Caietanus videns non esse ad rem, omnes illos referre, reduxit ad quindecim, qui omnes ad tres classes reducendi veniunt. In prima adducuntur illi, qui generaliter loquentes de omnium conceptione in peccato originali, non excipiunt aliquando Virginem beatissimam, sed in vniuersum omnes Adami filios comprehendunt: hi sunt D. Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Nazianzenus, Basilius, & Hieronymus. In secunda adducuntur, qui in speciali loquentes de Virgine, licèt non dicant Virginem Mariam expresse contraxisse peccatum originale, hoc tamen videntur insinuare dum dicunt tum quòd ab illo fuit purgata, tum quòd fuit in vtero sanctificata, tum quòd indiguit Christo redemptore, tum denique quòd eius conceptio fuit diuersa à conceptione Christi, propterea quòd ipsa conceperit Christum sine peccato: hi sunt Damascenus, Leo, Gregorius Magnus, Beda, Ambrosius, Maximus, Remigius, & Augustinus. In tertia adducuntur, qui expresse asserunt Virginem conceptam fuisse in peccato originali: hi sunt Anselmus, Eusebius Emissenus, Bernardus, Antonius de Padua, Bernardinus Senensis, Vincentius, & Antoninus.

In quarto capite sumitur quartum fundamentum ex rationibus: quarum prima est, quia aliàs ipsa non indiguisset Christo vt redemptore, neque vt apertore ianuæ cæli, quæ propter originale peccatum clausa fuit: quæ omnia derogant dignitati Filij; & ipsum deprimimus, dum eius beatissimam Matrem extollere intendimus. 10.

Et confirmatur, quia omnes illi, pro quibus mortuus est Christus, mortui sunt, iuxta illud suprà adductum Pauli ad Corinth. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Sed virgo mortua est, & non propter peccatum actuale, quia de fide est illud non habuisse, neque mortale, neque veniale; ergo propter originale. 11.

Secunda, quia Virgo contraxit effectus peccati originalis, & pœnas debitas illi, scilicet fomitem, ærumnas temporales, mortem corporalem, & exclusionem à Paradiso: vnde si mortua fuisset ante mortem Christi, descendisset ad Limbum; ergo contraxit peccatum originale. Patet consequentia, quia aliàs Deus esset iniustus, si illi non incurrenti peccatum pœnis ipsius puniret. 12.

Et confirmatur primò, quia in primo conceptionis instanti fuit filia Adam, antequam haberet gratiam habitualem; ergo fuit cum peccato originali, quandoquidem pro illo priori tenebatur ex generatione naturali ad habendam iustitiam, & non habuit. 13.

Et confirmatur secundò, quia non habuit iustitiam originalem; ergo habuit priuationem formæ debitæ; ergo peccatum originale, quod in ea consistit. 14.

Tertia, quia Christus fuit prædestinatus 15.

natus in remedium peccati originalis, quo tota natura humana erat corrupta; ergo priùs præuidit Deus totam naturam infectam, quàm Christum prædestinauerit: tunc sic, vel in illo priori vidit Virginem cum peccato originali, & sic habeo intentum, vel sine illo, sed præseruatam; ergo fuit præseruata, & non per Christum, quod est falsum, quia Christus est caput morale totius curiæ cælestis. Quod argumentum fieri potest, etiamsi Christus prædestinatus fuerit quoad substantiam, antequam Deus præuideret peccatum originale, quia ad minus prædestinatus fuit quantùm ad modum, scilicet vt veniret passibilis per passionem mortis & crucis post ipsum peccatum originale: vnde sequitur quòd beata Virgo non fuerit præseruata ex morte Christi præuisa, & consequènter non debere dici illud, quod continetur in oratione pro conceptione Virginis: *Vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti*, &c.

16. Quarta denique, quia beata Virgo peccauit in Adamo; ergo & peccauit in se. patet consequentia, quia quando Deus pepigit pactum cum Adamo de transfundenda iustitia, si non comederet de ligno prohibito, & de non transfundenda, si comederet, vel inclusit Virginem in illo, vel non, si inclusit cùm hoc fuerit determinatum à Deo quodam decreto efficaci, debuit adimpleri; ergo & habuit in se peccatum originale, quia comedit: si non inclusit, ergo neque peccauit in Adamo, quod est contra fidem, neque iustitiam originalem haberet ex illo si Adamus non comedisset, neque debitum proximum, aut remotum peccandi originaliter contraxisset, quod totum est absurdum.

PARS SECVNDA.

Proponitur sententia vera negans, asseriturq́, quòd concepta fuerit sine originali peccato.

17. Firmiter, & constantissimè dicendum nobis est, quòd beatissima semperque Virgo Maria immunis concepta fuerit, & pro primo conceptionis instanti præseruata extiterit à peccato originali. Huius sententiæ præcipuus propugnator fuit subtilissimus Doctorum Ioannes noster Duns Scotus in 3. dist. 3. q. 1. & in reportatis ibidem, & dist. 18. §. *hoc viso*, vers. *est ibi*. De quo Pelbaltus lib. 2. Stellarij 1. p. art. 3. refert à facultate theologica Parisiensi accersitum & appellatum fuisse, vt suæ sententiæ coram sapientissimis Doctoribus illius Vniuersitatis celeberrimæ rationem redderet; cumque ducenta argumenta illi obiecta fuissent, omnia memoriâ tenuisse, ac singulis tantâ verborum & sententiarum vbertate satisfecisse, vt omnes in suam sententiam facilè traxerit, & victor ab omnibus proclamatus, exinde victoris nomen tulerit.

Vnde tantum robur accepit opinio pia, vt breuissimo temporis interuallo exiret edictum à theologica Parisiensi facultate, ne opposita opinio in scholis relegi posset, vt refert Bachon in 3. d. 3. q. 4. art. 3. & subinde paucorum annorum interstitio fuit ab eadem facultate demãdatum, vt nullus lauream Doctoris inde capesceret, qui immaculatam Virginis conceptionem à se acerrimè defendendam iureiurando non promisisset: quod similiter decursu temporis iam fecère præcipuæ Hispaniæ Vniuersitates, sed singularem & eximiam deuotionem ingerentibus verbis (ex maiori parte delibatis à Concilio Basiliensi) hoc præstat nostra Vniuersitas Complutensis, quæ legi possunt apud Ferdinandum de Salazar tom. de Conceptione c. 8. §. 3. num. 24. apud quem vide cap. 24. §. 15. quàm propria sit Scoti & Franciscanæ familiæ acerrima defensio huius sententiæ. 18.

Ex Auctoribus sententiæ contrariæ hanc sententiam tenuerunt D. Thom. in 1. d. 44. q. 1. art. 3. ad 3. & in Codicibus antiquis eam habet in expositione salutationis angelicæ, quæ habetur opusculo 4. vt affirmat Catherinus tractatu de Conceptione cap. 6. pag. 61. §. 5: non mouemur. Similiter Albertus Magnus in lib. de Laudib. Virginis Deiparæ c. 27. pag. 108. Pro ea similiter stat D. Bonau. tom. 3. Sermonum serm. 2. de B. Maria pag. 389. col. 2. Et quamuis Angelus de Rocha ad marginem negat sermonem esse D. Bonau. tamen inter illius Sermones absque nota refertur. 19.

20. Ex schola Thomistarum plerique probarunt, simpliciter eam probat Ioannes Viguerius in suis Institutionibus Theologicis cap. 18. §.5. vers. 2. Hugo Cardinalis ad psalm.45. Leonardus de Vtino in suo Sanctorali, Ioannes Thaulerus, Guillelmus Pipinus, Vincentius Iustinianus, & alij, quos refert cum aliis pluribus, tum ex Dominicana familia, tum ex nostra Seraphica, tum ex tota Ecclesia, imò ex hæresi, Ægidius de Præsentatione lib. 3. de Præseruatione Virginis q. 1. art. vnico, §.2. Imò his nostris temporibus ita communis est hæc sententia, quòd exceptâ Dominicanâ familiâ, & non omni, nullus sit, qui nomine gaudeat Christiano, qui ei non adhæreat: quare superfluum erit referre Auctores pro ea, satis erit videre relatos apud præfatum Ægidium, & apud omnes Scotistas, qui de hac materia disputant.

21. Accedat tamen adhæc nequaquam nouum ac recens esse hanc ex professo & ex animo defendere immunitatem lectores Theologiæ huius sacratæ Domus sanctæ Mariæ de Iesus Complutensis, nam vt videri potest apud ipsum Salazar cap. 8. §.3. num. 26. & capite 41. num. 6. doctissimus F. Ludouicus de Carauajal, cuius in Tridentino Concilio spectata fuit auctoritas, declamationem quamdam pro pura Virginis conceptione in lucem edidit, & cùm habuisset ita acerrimos Censores, vt 15. illius propositiones erroris notâ suggillauerint, illam ad duas totius orbis grauissimas Academias, Parisiensem scilicet, & Complutensem detulit, quarum censurâ grauissimè approbatam typis mandauit, & in calce operis censuras adiecit. In sequenti autem Disputatione referam doctissimum Patrem F. Antonium de Velasco magistrum meum, & doctissimum Patrem F. Ioannem de Soria ingenuos huius piæ sententiæ assertores & propugnatores; quare ego (licèt indignus) cùm obedientia successorem delegit, in animum induxi pro hac semper stare defensione, & scriptis licèt breuibus hanc propugnare veritatem: quod præstare intendo per eadem quatuor Capita, quibus opposita sententia ab eius Sectatoribus probatur.

CAPVT PRIMVM.

Ex testimoniis S. Scripturæ suadetur præfata veritas.

22. Notanter diximus in titulo, *suadetur*, quia nullum inuenio in Scriptura testimonium ita expressum, vt ipsam nostram sententiam demonstret, aliàs non tantùm esset probabilior, sed esset de fide, & contraria omnino falsa; licèt autem nullum sit expressum testimonium, tamen aliqua sunt ita ponderatione digna, & ab Ecclesia, & communi omnium Patrum consensu ita Virgini congruenter applicata, vt tacitò & implicitè hanc B. Virginis Mariæ exprimant dignitatem.

23. Sic ergo formo argumentum ex Scriptura: Ex vna parte locutiones generales Scripturæ loquentes tum de peccato actuali, tum de peccato originali non comprehendunt B. Virginem, vt de peccato actuali definit Concilium Tridentinum sessione 6. can. 23. & de peccato originali sessione 5. decreto de peccato originali in fine, vbi decernit *non esse suæ intentionis in hoc decreto* (vbi propter generales Scripturæ locutiones docet omnem hominem contrahere peccatum originale in se, & consequenter ad eius expiationem indigere baptismo) *comprehendere beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse constitutiones Felicis recordationis Sixti Papæ IV.* &c. quibus prædictus Pontifex damnat eos, qui notant censurâ, asserentes opinionem piam; ergo ex eo, quia neque Concilium, neque Pontifex censuit esse contra Scripturam. Et ex alia parte plura suppetunt loca, quæ secundùm Ecclesiam & Patres vel in sensu figuratiuo, vel in mystico, vel probabiliter in litterali stant pro conceptionis puritate sine peccato originali; ergo suasionem recipit prædicta sententia ex Scriptura sacra.

24. Cùm autem sint penè innumera loca, quæ tam ex veteri, quàm ex nouo Testamento adducuntur ad confirmandam immaculatam Virginis conceptionem, non est mentis meæ omnia, neque plura his ascribere; nam quæ adducuntur ex primæ mulieris conditione,

tione, quæ typum gessit Mariæ, videri latè possunt apud Salazar cap. 19. in quo videri potest cap. 16. applicatio illius testimonij Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te*; & cap. 19. & 31. illius Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina ad me aurem tuam*, &c. *adiuuabit eam Deus manè diluculo*; & cap. 25. illius Sap. 5. *Speculum sine macula Dei maiestatis*; & ibidem illius Cant. 6. *Vna est columba mea, vna est perfecta mea* (hebraïcè) *immaculata mea*, &c. Similiter quòd Paradisus, quem fons ascendens de terra irrigabat, sit Typus Virginis, Arca similiter Testamenti fabricata ex materia spinosa, sed alba, & sine spinis, Tronus Salomonis ex ebore, vestitoq; auro fuluo nimis, de quo dicitur, *Non esse factum tale opus in vniuersis regnis*. 3. Reg. 10. Virga Iesse, &c. Quæ omnia videri possunt apud Salazar à cap. 8. & cum aliis apud Ægidium de Præsentatione lib. 3. q. 5. art. 5. §. 3. Ex his autem satis suadetur nostra sententia, adiunctis præcipuè testimoniis Patrum, quæ pro ea explicarunt ista omnia.

25. Adducimus ergo primò illud Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum*, &c. quod non solùm intelligitur de vero serpente, & de quacumque muliere, vt tenent Ephraem, Barcephus, Iosephus, Didimus, & plures alij, sed nomine serpentis intelligitur etiam diabolus, vt docet August. 2. de Genesi. contra Manichæos cap. 17. & 18. & 11. de Genesi ad litteram cap. 36. Gregor. Chrysost. Theodoret. Beda, &c. & nomine mulieris beatissima Virgo Maria, vt similiter docent idem Beda, Bern. Abulens. Lyra cum aliis: quos omnes concordat Benedictus Pereirus lib. 6. in Genes. q. 4. à pag. 11. & deinceps, ita vt maledictio serpentis secundùm historicum sensum ad verum serpentem pertineat, secundùm autem mysticum ad dæmonem referatur. Vnde sic argumentor: Beata Virgo contriuit caput diaboli, sed non caput physicum, ergo mysticum: sed mysticum est, vel eius potestas in omnes homines, quam præcipuè habet propter peccatum originale; vel ipsum peccatum originale, cùm ab eo tamquam à capite, & prima origine incepit diabolus erigere caput supra naturam humanam: ergo non habuit originale; nam si haberet, non contereret caput eius.

Adducimus secundò illud Iob 13. *Expectet lucem, & non videat neque ortum surgentis auroræ*. vbi Iob secundùm sententiam D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 2. ad 2. agit de nocte originalis peccati, & dicitur, *Expectet lucem, id est Christum, & non videat* (*quia nihil inquinatum incurrit, vt dicitur Sap. 7.*) *neque ortum surgentis auroræ, id est B. Mariæ Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis*. Sed eâdem ratione quâ potest intelligi de ortu ex vtero, potest similiter intelligi de ortu in vtero; imò congruentiùs de hoc, quia lux auroræ consurgit inuoluta tenebris, ita B. Virgo inter tenebras propagationis communis, ex qua alij omnes habent peccatum originale, ipsa consurgit vt aurora; ergo, &c. 26.

Adducimus tertiò illud Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, &c. quod ab vniuersali Ecclesia Virgini accommodatur, & de ipsa explicatur à Patribus: de quo eleganter differit Salazar cap. 2. & 37. in fine: ergo Dominus eam possedit in initio viarum suarum (siue viarum nomine intelligas creaturas, siue opera redemptionis) *antequam quidquam faceret à principio*: ergo non fuit in peccato originali: aliàs sub possessione Domini, & dæmonis simul esset, quod de facto repugnat. Et meritò notant aliqui Ecclesiæ Patres, quòd non dicitur, Deus possedit me, sed Dominus, vt significetur, Deum vsum fuisse supremo dominio circa prærogatiuas illius, iuxta illud, quod ipsa beatissima Virgo canit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*. Neque enim esset magnum ipsam liberare in vtero materno à peccato originali iam contracto; nam hoc non esset speciale, quandoquidem hoc Deus fecit cum Ieremia, & cum beato Ioanne Baptista. 27.

Adducimus quartò illud Baruch 5. vbi nomine Ierusalem loquitur cum Virgine, & ait: *Circumdabit te Deus diploida iustitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni: Deus enim ostendit splendorem suum in te, omni, qui sub cælo est: nominabitur enim nomen tuum à Deo in sempiternum pax iustitiæ, & honor pietatis*. vbi Propheta promittēs ciuitati Ierusalem libertatem post Babylonicam captiui- 28.

 tatem,

tatem, dixit prædicta verba; sed vera nostra libertas incipit à beatissima Virgine, vt Patres Ecclesiæ conclamant: ergo de ipsa prædicta verba sunt intelligenda, in quibus iustitia originalis eo modo quo illam debuit habere describitur; nam *diplos* significat vestimentum consutum ex duplici tela, vna interiori, & alia exteriori; & cùm hæc fuerit iustitiæ, significatur iustitia originalis, quæ constabat ex gratia interiùs sanctificante, & iustitia originali sensus externos rectificante, & ad rationem subordinante; quapropter hoc priuilegium Virgini concessum dicitur mitra honoris æterni, quia Deus voluit claritatem excellentiæ illius omnibus notam facere; & placuit, quòd vocaretur pax iustitiæ; eius enim sanctitas, & iustificatio numquam fuit in bello cum originali peccato, vt ipsum ab anima expelleret; & meritò vocatur honor pietatis, quia hic honor ab opinione pia incipit manifestari, & à pietate opinantium.

29. Adducimus quintò illud Psal. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commouebitur; adiuuabit eam Deus, manè diluculo.* sed beatissima Virgo fuit Dei tabernaculum: ergo illam sanctificauit, non quomodocumque, sed manè diluculo, id est, in principio sui esse; & ita firmiter, & perseueranter, vt ab ea non separetur, neque commoueatur.

30. Et confirmatur primò ex illo Psalmi 120. (quod etiam interpretatur à Patribus de Virgine) *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, &c. ergo non solùm exitum, id est, mortem Virginis Deus custodiuit ab omni malo, sed etiam introitum eius in mundum; ergo suam conceptionem.

31. Et confirmatur secundò ex Psal. 86. vbi fundamenta Virginis commendantur in hunc modum: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, superexcedunt mötes Angelorum, Patriarcharum, &c. *Diligit Dominus portas Sion*, &c. quia diligit conceptionem per quam intrauit in mundum, & natiuitatem per quam exiuit ex vtero. *Gloriosa dicta sunt de te*, &c. *Numquid Sion dicet homo? & homo natus est in ea; & ipse fundauit eam Altissimus.* Si ergo ipse Altissimus (qui & homo) fundauit, quomodo non sunt dicenda de ea gloriosa? quomodo enim non est dicendum in gratia fuisse conceptam? quandoquidem & hoc dicitur de Angelis, quorum existit Regina.

Missa facio alia testimonia, quibus comparatur luci, & præfertur soli, Psal. 88. *Thronus eius sicut sol.* Apocal. 12. *Mulier amicta sole.* Sap. 7. *Est enim speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior.* Quæ videri possunt apud Auctores præfatos. 32.

Adducimus sextò illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* ergo sicut lilium ex eadem terra inter spinas ortum sine spina nascitur maximâ pulchritudine, & fragrantiâ, ita beatissima Virgo Maria orta inter filias Adæ vitio originali infectas nullo inficitur vitio originali. Vbi notatu dignum censui duplex mysterium in duplici rubo ex communi Patrum sententia beatissimæ Virginis Mariæ significatiuo: primum in rubo Moysis, quod ardebat, & non comburebatur, vt maternitas Mariæ simul cum virginitate coniuncta significaretur. Secundum in rubo beatissimi Patris nostri Francisci, in quo ipse sese volutauit, vt spinis eius laceraretur, quæ in flores conuersæ significarunt in suo ordine spinas peccati originalis destruendas in beatæ Virginis conceptione, & in flores gratiæ & iustitiæ conuertendas fore. 33.

Adducimùs septimò ex nouo Testamento salutationem angelicam Luc. 1. *Aue gratiâ plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* vbi eius gratiæ plenitudo commendatur, & à Patribus asseritur esse super omnem creaturam; ergo non solùm fuit in intentione plena, sed etiam in extensione; ergo per omnem eius vitam, nullo excluso instanti; ergo & in primo habuit gratiam. Vnde Athanasius in Epistola ad Epithetum pag. 659. ait: *Nec enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora etiam conceptus sui hoc illi datum fuisse.* Similiter commendatur, quòd Dominus sit cum ea, quod dicit quamdam permanentiam perpetuam, & sine intermissione, vt ponderant Ecclesiæ Patres. Et tandem quòd in mulieribus 34.

lieribus sit benedicta. Sed inquiro ad quid hæc particula ita specialiter posita, si cum reliquis mulieribus maledictionem recepit? Hæc verba me maximè vrgent in fauorem huius sententiæ. Vnde Hieronymus ait: *Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Quare meritò Ecclesia petit ab illo, quòd propter hoc *Aue* mutetur in nobis nomen Euæ ibi: *Sumens illud Aue Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Eua nomen.* Quasi diceret: Quia per hoc *Aue* significatum est tibi, quòd nihil peccati originalis habueris ex Eua, muta in nobis id, quod propter originale peccatum habemus ex Eua. Lege Salazar cap. 39.

35. Adducimus denique octauò illud, quod subsequitur ibidem: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum*; id est, gratiosa apud Deum extitisti. Sed de qua gratia veniat intelligendum, audi Andream Episcopum Ierosolymitanum in hæc verba sic exponentem: *Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat.* Insuper sapientissimus Idiota sic fatur: *Inuenisti Maria gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originali labe præseruatio, angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei conceptio.* Ergo iuxta horum Ecclesiæ Patrum expositionem beatissima Virgo Maria inuenit gratiam, & per eam fuit ab originali peccato præseruata.

36. Et confirmatur ex illo ad Rom. 5. *Regnauit mors ab Adam etiam in eos, qui non peccauerunt.* Quod testimonium si non solùm loquatur de his qui non peccauerunt actualiter, sed etiam originaliter, quod videtur verosimilius, quia mors regnat ab Adam propter peccatum originale, cùm loquatur in numero plurali, non solùm excipit Christum, sed etiam eius dignissimam Matrem, quia de reliquis non potest intelligi. Sufficiant pro nunc ista.

CAPVT II.

Ex Conciliis, ex Pontificum decretis, & ex reuelationibus veritas ista comprobatur.

37. Præsens veritas non adhuc est omnibus tradita ab Ecclesia vt de fide, quare eam in præsenti solùm intendimus suadere quòd sit de mente Ecclesiæ: & in primis in 6. Synodo Constantinopolit. actione 11. sub Agathone Papa in Epist. Sophronij Patriarchæ habita tom. 3. Conciliorum Sophronius in sua Catholica confessione dicit expresse, *Mariam fuisse liberam ab omni contagione peccati.* Ibi autem loqui de præseruatione ab originali notatur in margine his verbis: *Nota de puritate conceptionis B. Mariæ.*

Deinde extat decretum Concilij Basiliensis in huius rei confirmationem, cuius Romæ perseuerat bulla plumbata, & authentica, numquam reuocata: quod quidem decretum, licèt non habeat vim definitionis, quia iam acta illius Concilij non fuerunt à Sede Apostolica confirmata, non tamen parum roboris habet ad hanc nostram sententiam confirmandam, cùm in illo Concilio interfuerint innumeri Episcopi, & Doctores grauissimi, qui huic sententiæ vnanimi consensu subscripsêre sessione 36. his verbis: *Gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præueniente, & operante diuini nominis gratiâ singulari, numquam actualiter subiacuisse originali peccato.* Vide nostrum Bartholomæum Guerrero in expositione huius controuersiæ fol. 5. Salaz. cap. 32. argumento 12. fol. 437. & Balthasarem Porreno in suo libello de pura Virginis conceptione nostro idiomate composito cap. 2. 38.

Præterea in Concilio Ierosolymitano celebrato ab Apostolis anno salutis 44. inueniuntur sequentia verba (secundùm quod est inuentum in monte Granatensi) *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta in instanti suæ conceptionis fuit ab originali peccato præseruata, & ab omni culpa immunis: & qui ita non senserit, salutem non consequetur æternam.* Ita referunt Sanchez, Luzero in suis Discursibus Theologicis in defensionem immaculatæ Conceptionis in principio secundi discursus, & Ioannes Baptista de Lezana Carmelita in suo Apologetico pro immaculata Conceptione. 39.

Accedit quòd plura epitheta, quæ Virgini traduntur à diuersis Conciliis, solùm quadrare videntur præseruationi Virginis à peccato originali, nam eam appellant immaculatam ab exordio 40.

dio suæ creationis. ita sextum Concilium generale actione 2. Et in tertio generali in Epistola ad Bulgariæ Principem, & in vndecimo Toletano in Professione fidei, & tandem cum his in Tridentino sessione 5. in Decreto de peccato originali appellatur immaculata his verbis: *Declarat tamen hac ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem*, &c. Ab aliis non solùm dicitur immaculata, sed simul irreprehensibilis. ita habetur in Concilio septimo generali actione 3. A Concilio verò Francfordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ vocatur immaculata, prorsusque pura; & deinde Christum factum fuisse hominem de meliori terra, etiam animata, & immaculata, quàm Adam, tunc autem terra nondum fuerat maledicta à Deo propter originale peccatum: ergo ex mente Conciliorum beatissima Virgo illud non contraxit. Hæc ex Conciliis.

41. Ex Pontificibus plura refert Ægidius de conceptione q. 6. art. 3. §. 1. Salazar cap. 32. in suis Sæculis, præcipuè à sæculo 14. sed præcipuè Porreno vbi suprà cap. 3. sed ne plura communia, & quasi identica referamus, specialiora dicemus. In primis Innocentius III. serm. 2. de Assumptione ait, quòd in Virgine fuit non solùm sopitus stimulus carnis, sed prorsus extinctus. Bonifacius IX. in Constitutione prima ait, quòd Virgo sit conseruata à Deo flos sanctitatis. D. Gregor. lib. 1. Reg. cap. 1. dicit, quòd fuit mons super omnes montes Sanctorum, & Angelorum, &c.

42. Efficaciùs autem probatur ex tribus extrauagantibus Sixti IV. quorum prima fuit anno 1466. secunda anno 1482. quæ incipit, *Graue nimis*, &c. tertia anno 1483. quæ est secunda de reliquiis & veneratione Sanctorum intercommunes, vbi dignum & debitum reputat, vt vniuersi fideles de mira Virginis Conceptione Deo agant gratias, & ad hoc plurimis indulgentiis eos inuitat, decernitque à tota Ecclesia fieri festiuitatem ipsius, & quòd de ea fieret octaua solemnis, ita vt festiuitates Sanctorum, quæ in illa occurrunt, post ipsam celebrentur; & quod Dominica transferatur, si venerit eius festum in Dominica; & quòd eius officium compilatum per F. Bernardinum de Bustis celebrari possit. ita Ægidius vbi suprà num. 2. Porreno ait quòd promulgauit officium compilatum per magistrum Leonardum de Nogarolis clericum Veronensem: præterea Romæ in Ecclesia sancti Petri capellam ædificauit, vt in ea immaculata Conceptio quotannis celebraretur: prohibetque ne hæc sententia damnetur vt hæretica, aut alia censura inuratur: ergo, &c.

Post Sixtum IV. statim successit Innocentius VIII. & hic dedit principium Ordini monialium beatissimæ Conceptionis, acquiescens petitioni dominæ Beatricis de Sylua eius fundatricis, & ad instantiam reginæ catholicæ Elisabeth cōcessit anno 1489. continuationem prædicti Ordinis: de quo vide nostrum Petrum de Salazar in Chronica huius nostræ prouinciæ Castellæ, & Porrenum vbi suprà. Post hunc successit Alexander VI. Hispanus, qui eumdem similiter Ordinem approbauit, & plures Confraternitates purissimæ Conceptionis instituit. 43.

Deinde successit Pius III. qui solùm sedit dies 26. & sic nihil fecit sicut fecerunt reliqui successores pro hac parte. Post Pium III. secutus est Iulius II. qui confirmauit prædictum Ordinem in honorem immaculatæ Conceptionis beatæ Virginis Mariæ. Vnde cap. 1. dicitur: *Eiusdem Genitricis Dei immaculatam Conceptionem venerantes*. Et cap. 2. sic profiteatur monialis: *Ego Soror N. ob amorem, & seruitium Dominæ nostræ, & immaculatæ Conceptionis Genitricis voueo*, &c. Et cap. 3. dicitur: *Pallium sit hyacinthini coloris propter mysticam significationem, quòd scilicet gloriosa Virginis anima à creatione sua tota sancta fuit, cælestis, & singularis Regis æterni thalamus*. Et cap. 4. commendat, & tradit nostræ seraphicæ religioni curam harum monialium: *Propterea quòd Fratres huius Ordinis indefesso studio, & vigilantiâ puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis semper defensores extitērūt*. Imò & plures indulgentias concessit illis, qui in regno Castellæ imaginem conceptionis, quam præfatæ moniales portant, secum portarent. 44.

Deinde successit Leo X. qui portationi prędictæ imaginis easdem indulgentias 45.

gentias concessit, & fratribus nostri Ordinis, qui Missam eiusdem Conceptionis aut deuotè celebrauerint, aut audierint, plenariam largitus est indulgentiam, vt habetur in Compendio mendicantium, verbo *indulgentia plenaria*, §. 17. & 18. Posteà electus fuit Adrianus VI. & posteà Pius IV. sub quibus institutæ sunt plures Confraternitates: & sub Pio V. consummatum est Concilium Tridentinum, de quo iam suprà diximus Deinde reliqui Pontifices cum præcedentibus in fauorem eius consensère.

46. Deinde Paulus V. in quadam Bulla exhibita anno 1617. sic decreuit: *In generali congregatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vniuersalis Inquisitionis coram sanctissimo Paulo V. constitutum est, vt in posterum nullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis actibus publicis asserere quòd beata Virgo fuerit concepta in peccato originali, donec articulus ille a Sede Apostolica fuerit definitus.*

Et tandem Gregor. XV. anno 1622. die 2. Iunij in quadam Bulla expressè prohibet hæc omnia in priuatis locutionibus, & scriptis; & concludit his verbis: *Neque de opinione affirmatiua* (scilicet quòd fuerit cum peccato originali concepta) *aliquo modo agant, seu tractent.* & præcepit quòd festum Conceptionis celebretur non sub nomine sanctificationis, sed sub nomine præseruationis. videatur Portel in Dubiis regularibus verbo, *Conceptio Deipara* num. 9. & Hieron. Rodriguez verbo *Conceptio* num. 2. & 3. Ergo nostra sententia est de mente Pontificum.

47. Et confirmatur, quia est de mente Ecclesiæ, vt conferat veritatem huius sententiæ cum veritate quã desiderat saluationem suorum fidelium in illa oratione huius festi: *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus vt sicut ex morte Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.* vbi ponderatã ly *sicut*, & ly *ita*, facilè constat Ecclesiæ mens, & certitudo pro hac parte.

48. Ex reuelationibus autem eadem veritas comprobatur, nam exstant plures, quidquid temerariè, & quasi impiè dicat Caietanus, de quo videatur Ægi. *Castillo de Præseru. V. Matris.* dins q. 6. art. 4. §. 1. & 2. nam primò reuelata fuit hæc veritas 400. abhinc annis sanctæ Angelæ filiæ regis Bohemiæ, vt refert Martinus Delrio in suis Disquisitionibus magicis lib. 4. cap. 1. q. 3. sect. 4. Secundò fuit reuelata Guillelmo duci Normannorum: quam reuelationem cum aliis duabus refert Marsilius in 3. q. 20. art. 1. §. *quà potestate.* Præterea reuelata fuit sanctæ Elisabeth reginæ Vngariæ: quod refert Peluartus in suo Stellario lib. 4. p. 1. art. 3.

Inter reliquas reuelationes, præcipua est ea, quæ facta fuit S. Brigittæ, 49.
quia eius reuelationes examinatæ sunt anno 1377. ex commissione Papæ Gregorij XI & approbatæ sunt; & iterùm duabus ab inde annis ex mandato Papæ Vrbani VI. sunt similiter examinatæ, & approbatæ; & tertiò ex commissione Concilij Basiliensis pro tunc legitimi, quia sub obediẽtia Eugenij IV. iterùm examinatæ & approbatæ sunt anno 1435. Huic ergo sanctæ priùs canonizatæ tempore schismatis à Bonifacio IX. & post schisma ad auferendos scrupulos iterùm canonizata à Martino V. facta fuit hæc reuelatio ab ipsa Virgine his verbis: *Veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali.* ita traditur in suis Reuelationibus cap. 49. & 55. & lib. 1. cap. 9. dixit quòd in instanti, quo Deus suam animam creauit, & corpori infundit, fecit eam sanctam. & lib. 5. circa finem dixit Christus Dominus ad Brigittam: *Mater mea nata est ex peccatoribus, sed fuit sine peccato concepta.* Et lib. 6. cap. 11. dixit Angelus ad eam, *Iustum fore, quòd omnes celebrassent Conceptionis festum Reginæ Angelorum.* Ergo, &c.

Plura tamen sunt miracula, quæ veritatem istam confirmant: de quibus 50.
videantur Auctores suprà relati, ne prolixiores simus, quàm par sit. Illud tamen obseruandum venit, quòd istæ reuelationes & miracula non sunt paruipendenda; quia, vt inquit D. Gregorius homil. 26. in Ezechielem, *Spiritus sanctus paulatim suam Ecclesiam docet.* & hæc modò tota conspirat in hanc veritatem.

CAPVT III.

Ex Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus veritas huius sententiæ ostenditur.

51. INfinitum transnatare pelagus inciperemus, si omnes Ecclesiæ Patres, & Doctores, qui pro ea stant, adduceremus: quorum auctoritates ad tres classes pertinent, nam quædam sunt generales, & absolutè docent beatissimam Virginem Mariam fuisse immunem ab omni culpa; aliæ speciales, & implicitè docent esse immaculatam, incontaminatam, puriorem Angelis, talemque, quòd nequeat sub Deo maior intelligi; & aliæ denique explicitæ, & expressæ, quia specialissimæ docent eam conceptam fuisse sine peccato originali: de quibus latè agit Ægidius de Præsentatione tom. de Conceptione lib. 3. quæst. 4. ab art. 1. & deinceps Guerrero in suo Tractatu fol. 6. Faber, & Pytigianus, & Hugo Cabellus post 3. sent. Ferdinandus de Salazar à cap. 42. refert & examinat eorum verba per 16. sæcula à natiuitate Christi vsque modò, quorum quodlibet centum continet annos, vt verum sit illud dictum à Virgine: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Imò & quòd in Synagoga inter Rabinos fuerit recepta sententia, quòd Mater Messiæ fuerit ab originali culpa pura, testatur Galatinus lib. 7. contra Iudæos.

52. Cùm autem non possimus non aliqua adducere testimonia, nam Iob 18. dicitur: *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam: hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt; ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Ideò breuitati (vt iustum est, quandoquidem sunt hæc omnia typis mandata) consulentes, tantùm adducemus aliqua ex specialioribus.

53. Sanctus Andreas Apostolus refertur ab Abdia Babylonico lib. 4. suæ Historiæ dixisse proconsuli Egeæ: *Sicut de immaculata terra, & numquam maledicta factus fuerat primus Adam, ita ex semper immaculata Virgine formatus fuit secundus Adam.* Similiaque verba referuntur ex sancto Patre nostro Dominico Ordinis Prædicatorum fundatore lib. de Corpore Christi. Vide Canisium lib. de Deipara cap. 7. & Thesaurum Catholicum Coloniæ editum anno 1599.

His possunt adiungi Apostolorum testimonia sanctorum Andreæ, Thomæ, Matthæi, & Matthiæ, quæ ex reuelatione sancti Gabrielis scribuntur à nostro sancto Amadæo in libro qui intitulatur Apocalypsis noua, & habetur in Bibliotheca Regia sancti Laurentij del Escurial: quorum Apostolorum verba refert suprà citatus Ægidius lib. 2. q. 4. art. 7. §. 4. num. 62. vbi videri possunt. Hi enim omnes præseruatam aiunt Virginem à peccato originali. 54.

Sanctus Cecilius martyr, & Apostolorum discipulus hanc veritatem scripsit anno Domini 50. dicens: *Illa virgo, illa sancta, illa electa à primario, originarioq; præseruata fuit, & ab omni culpa libera.* & deinde maledictionem imprecatur illis, qui oppositum docuerint: liber, in quo hoc continetur testimonium, inuentus est cum sanctis reliquiis, & laminis in monte sancto Granatensi: quorum fidem præstat Concilium prouinciale, & auctoritas doctissimorum virorum: vnde neque dubitari potest de testimonio Thesiphontis eiusdem anni in lib. de dono gloriæ Granatæ inuento, in quo testatur Angelum ab beatam Virginem non fuisse dicturum, *Aue gratia plena, si originale peccatum contraxisset.* 55.

Sedulius Poëta Christianus, qui floruit anno 430. in lib. 2. Operis paschalis (habetur tom. 8. Bibliothecæ Patrum) ita canit de Virgine: 56.

Velut spinis mollis rosa surgit, acutis
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore;
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Sanctus Ildephonsus, qui floruit anno sexcentesimo sexagesimo, in lib. contra eos qui disputant de virginitate & parturitione Mariæ, qui habetur tom. 9. Biblioth. Patrum, & à nostro Francisco Feuardentio 57.

de

de nouo inuentus est, & nunc primùm in lucem editus paginâ 681. litterâ C. inter alia verba in gloriam Virginis habet hæc: *Neque contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Quòd autem hæc verba intelligantur dicta de conceptione, & non de natiuitate, optimè probat Ægidius vbi suprà à numero 10. vsq; ad 14. Et idem Sanctus in libro de Partu, & purificatione serm. 12. ait: *In qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis viguit.*

58. Idiota (qui viguit anno 800.) sanctissimus, & eruditissimus, & meritò inter sanctos Patres relatus, qui proprio nomine suppresso humilitatis gratiâ Idiota vocari voluit in libro de Contemplatione Virginis cap. 2. ita ait: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, neque vnquam fuit.* Et cap. 6. inquit: *Inuenisti Virgo Maria gratiam cælestem, quia fuisti ab originali labe præseruata.*

59. Fulbertus Episcopus Carnotensis (qui floruit anno 1000.) fuitque vir suo tempore omnium doctissimus, in salutationem angelicam ita scribit: *Electa insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.*

60. Petrus Damianus (qui floruit anno 1060.) in Sermone de Assumptione Virginis ita scribit: *Caro Virginis Mariæ ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Deinde ait, *Virginem esse auroram, quam nox tenebrarum originalis peccati non vidit.* De quo Iob 3.

61. D. Anselmus anno 1080. ad illa verba 2. ad Corinth 5. *Ergo omnes mortui sunt.* ita scribit: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, demptâ Matre Dei, siue originalibus, siue voluntate additis.* Insuperque apertissima sunt verba eius, quæ referuntur in Breuiario Romano de Camera impresso Venetiis anno 1550. quæ talia sunt: *Angelos aliis peccantibus à peccato seruauit* (scilicet Deus) *& feminam Matrem suam futuram ob aliorum peccatorum exortem seruare non potuit? in æternitate consilij sui fixum statuit, eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angelis datam in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum? Existimet hoc qui vult; argumentis suis probet qui vult; ego donec ostendat Deus aliud dignius excellentiæ Dominæ nostræ, quæ dixi dico.* Refertur etiam Anselmus in aliis locis, quos vidi apud Ægidium, num. 18.

Castillo de Præseru. V. Matris.

D. Athanasius anno 340. in Epistola ad Epithectum posita apud eumdem in Euangelio de sanctissima Deipara paginâ 669. litt. E. ita inquit: *Maria si gratiâ plena, dicitur, quòd in illa Virgine totius gratiæ thesaurus reconderetur; quæ idcircò gratiâ plena denominata est, eò quòd adimpletione Spiritus sācti omnibus gratiis abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur; quam virtutem per omnia tempora, etiam conceptus sui, habuisse confido; neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.* 62.

Augustinus denique ita fuit pro veritate ista, vt D. Bernardum ad eam traheret. Augustinus ergo lib. de Natura & gratia cap. 36 ita respondet Pelagio obiicienti plurimos Sanctos fuisse, inter quos numerat beatam Virginem, qui numquam peccauerunt: *Exceptâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: vnde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum: hac igitur Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cùm hic viuerent,* &c. Vnde D. Bernardus tam sermone 15. de Cœna Domini post principium, quàm sermone 4. super *Salue Regina* propter hanc auctoritatem, D. Augustini expressè docet Virginem fuisse liberam ab omni originali peccato, neque illud contraxisse. 63.

Et confirmatur ex illa expositione Augustini epist. 3. ad Volusianum, vbi explicans illud Angeli in annuntiatione, *Dominus tecum*, ait Augustinus nomine ipsius Angeli *plus quàm mecum*, id est plus quàm cum ipso Angelo, sed cum Angelo fuit ab instanti sui esse; ergo. Vide alia testimonia Augustini apud Ægidium à §. 4. 64.

65. Vnde non obstat quod obiiciunt Aduersarij, scilicet, Augustinum solùm loqui de peccatis actualibus, quia contrà est, tum quia secundùm D. Bernardum etiam loquitur de originali, tum quia eius verba etiam de hoc debent intelligi, nam disputatio contra Pelagianos non tantùm erat de peccatis actualibus, sed etiam de originalibus, quandoquidem omnes infantes non habent actualia, & sic non tantùm exciperetur beata Virgo vt excipitur ab Augustino. Prætereà si non vult habere de peccatis quæstionem propter honorem Domini, propter eumdem non debebat de originali an habuerit, sed supponere quòd non habuerit, quia magis derogat quàm veniale, quod supponit non habuisse. Denique quia si ei plus omnibus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum, vt posset concipere eum, quem constat nullum habuisse peccatum; ergo habuit gratiam ad vincendum peccatum deriuandum ex parte Adami, vt posset concipere Christum, quem constat non habuisse peccatum adhuc originale.

66. Sufficiant testimonia adducta prædictorum Patrum, ne plus iusto protrahamur, quia ita sunt plura, quæ non vtcumque, sed expressis verbis hanc veritatem confirmant, quòd laboriosum valdè, & nimis prolixum esset ea omnia recensere: vnde satis sit dixisse Auctores in quibus conspici possunt, qui de hoc mysterio lato calamo scripserunt.

CAPVT IV.

Ex congruentiis moralibus, scholasticisq; rationibus eadem veritas ostenditur.

67. EX Augustini doctrina lib. 3. de libero arbitrio: *Quidquid tibi verâ ratione sciendum occurrerit, scias Deum fecisse bonorum omnium conditorem.* Quare varias licebit in præsenti congerere rationes ab ipso lumine petitas, vt veritas nostræ stabiliatur sententiæ. Quare Scotus eam probat primò ex excellentia in quantum redemptoris, quia cùm *Dei perfecta sint opera*, Deut. 32. debemus censere Christum Dominum fuisse perfectissimum redemptorem: sed perfectissima redemptio sumitur ex triplici capite, primò scilicet respectu Dei, cui reconciliat; secundò respectu mali, à quo liberat; tertiò per comparationem ad obligationem personæ, quam liberat: ergo si beatissima Virgo habuit Christum perfectissimum redemptorem, debuit habere secundùm hos tres respectus. Christus ergo est perfectissimus redẽptor, quia aliquem Deo perfectissimè reconciliat, quod præstat præseruando, & non subleuando à miseria peccati, tum quia ita docuit August. super cap. 7. Lucæ, qui ibidem, & Psal. 85. cum D. Dionysio de diuinis nominibus docet dari non tantùm redemptionem subleuatiuam, sed etiam præseruatiuam: quod etiam est manifestum ex eo quòd sæpissimè Deus suo efficaci auxilio præseruat à peccato actuali: tum quia maius est beneficium præuenire aliquem, ne cadat in lutum, aut sterquilinium, quàm ipsum iam immunditiâ inuolutum subleuare, & lauare: tum denique quia ex suo genere maius donum est innocentiæ, quàm pœnitentiæ; ergo perfectiùs reconciliat Deo præseruando. Et respectu secundi est similiter perfectissimus redemptor, qui non solùm liberat ab omni pœna, sed etiam ab omni redimit culpa, quod Christus præstat perfectissimè, quando non solùm aufert omne peccatum actualè, sed etiam originale, & liberat à pœnis, quæ ab ipsis oriuntur. Tertiò respectu personæ reconciliatæ, quæ magis obligata manet, si à maiori malo, & perfectiori modo redemptionis redimatur: ergo per comparationem ad hæc tria Christus fuit perfectissimus redemptor Matris: ergo ab excellentia Christi vt redemptoris beata Virgo præseruata fuit à peccato originali. patet consequentia, quia in nullo subiecto aptiùs quàm in Matre potuit hæc perfectio exerceri. Et cõfirmatur hęc ratio, quia ad perfectionem redemptoris expectat aliquos homines præseruare ab omnibus peccatis actualibus, vt præseruat Deus infãtes baptizatos, qui ante vsum rationis decedunt è vita; & alios pręseruare à solis mortalibus, vt plures adultos, & Sanctos præseruat Deus, qui mortaliter non peccauerunt; & alios

à

à venialibus, vt infantes, & beatam Virginem secūdùm definitionem Concilij Tridentini sessione 6. can. 26 & Ioannem Baptistam vt multis placet; ergo quia copiosa est apud Deum redemptio Christi, debuit etiam aliquam creaturam à peccato originali præseruare, sed non Angelum, quia Angelus nequit habere peccatum originale; ergo hominem: sed inter homines nullus habuit maiorem dignitatem, cui debita foret maior puritas, quàm beatissima Virgo propter maternitatem; ergo. Vnde D. Bernardinus Senens. serm. 51. scilicet feriæ 2. post Dominicam oliuarum ait, quòd *Christus plus pro redimenda Virgine venit, quam pro omni alia creatura.*

68. Secundò probatur, quia si propter aliquas rationes Virgo contraheret peccatum, maximè propter illas vniuersales Scripturæ locutiones: *Omnes in Adam peccauerunt: Omnes sumus filij iræ.* Sed istæ non obstant beatæ Virgini, tum quia Deus vt supremus legislator potest efficere quod faciunt alij legislatores, quod est liberare aliquem post legem promulgatam ab executione illius legis, & non quia hoc fecerit Deus propter ignorantiam congruentiarum ad præseruandam Virginem à lege, quando illam constituit, sed potiùs ex eo quòd ex matura & perfecta scientia distulerit, vt posteà vteretur illam excipiendo supremâ suâ potestate, & excellētiori dominio, quàm habent Principes creati legislatores. Tum quia Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Graue nimis*, decreuit non esse inurendam censurâ tamquam contra Scripturam, & Concilium Tridentinum sessione 5. decreto de peccato originali, postquam can. 2. decreuisset præuaricationem Adæ, non tantùm sibi soli, sed etiam propagini nocuisse, & sanctitatem, & iustitiam, quam accepit, amisisse. & hoc colligit ex generali locutione Scripturæ. Posteà in fine canonis 5. habet hæc verba: *Declarat tamen hæc sancta Synodus non esse sua intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.* Ergo propter has Scripturæ locutiones vniuersales Maria mater Dei non est fœdanda originali culpâ.

69. Et confirmatur, quia in aliis locutionibus generalibus Scripturæ excipitur beatissima Virgo; ergo & in hac, quia non est minor ratio vnius, quàm alterius. Antecedens patet; nam secundùm Scripturam, *Non est homo qui non peccet, & in multis offendimus omnes.* & tamen à Concilio Tridentino sessione 6. can. 23. excipitur beatissima Virgo; ibi enim docet caruisse omni peccato, etiam veniali. Et ex Apostolo ad Ephes. 2. *Omnes nascimur filij iræ.* & tamen celebratur ab vniuersali Ecclesia natiuitas beatissimæ Virginis, quia non est nata filia iræ. Testimonium autem hoc potiùs intelligitur de natiuitate in vtero, quàm de natiuitate ex vtero. Quare ex eo quòd celebretur natiuitas Virginis, potiùs insinuatur puritas conceptionis. Et Genes. 3. dicitur de muliere: *In dolore paries filios tuos.* & tamen Maria sine dolore peperit Filium suum. Et ibidem dicitur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* & tamen beata Virgo post tres dies resurrexit, & assumpta est in cælum. Ergo locutiones generales Scripturæ inficientes naturam humanam, beatam Virginem non comprehendunt.

70. Neque hoc nouum est in Virgine, quia D. Thomas 2. 2. quæst. 175. artic. 3. concedit Moysem & Paulum in hac vita vidisse diuinam essentiam, & tamen de opposito est lex communis Exod. 32. *Non videbit me homo, & viuet*; & Ioan. 4. *Deum nemo vidit vnquam.* & non aliâ ratione docuit, nisi quia ita docuit August. ergo eodem modo est excipienda beata Virgo in nostra quæstione, quia ita docuit D. Augustinus.

71. Tertiò probatur, quia vel Deus non potuit Virginem liberare à peccato originali, & hoc nefas est dictu; vel potuit, sed non voluit, & hoc dicere non videtur rationi congruum, quia *qui non venit soluere legem, sed adimplere*, Matth. 5. attenderet ad illud præceptum Decalogi, *Honora parentem*; ergo dicendum est quod & potuit, & voluit.

72. Et confirmatur primò, quia non sic facere cederet in dedecus & ignominiam filij; quia vt dicitur Ecclesiastici 3.

Non glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria eius confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore. Vnde Cyrillus contra Nestorium, & D. Hieronymus ad Eustochium aiunt: *Nulli dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ non posit argui de peccato.* Et D. Thomas 3.p. q.27. art.4. ideò probat Virginem non habuisse peccatum veniale, quia redundaret in ignominiam Filij, vtpote quæ habitura erat singularem affinitatem cum ipso, commercium haberet cum dæmone, quod magis vrget in originali, quia tunc sub diaboli esset potestate, quod pias aures offendit.

73. Et confirmatur secundò, quia qui in peccato concipitur, verè est à Deo maledictus: sed non decebat Matrem à Filio maledici, iuxta illud Matth. 7. *Qui maledixerit patri suo, & matre, morte morietur.* ergo.

74. Neque obstat, si dicas, quòd tunc, quando concepta fuit, non erat mater Dei: sed contrà, quia hoc falsum est in plurium sententia asserentium quòd ex fine maternitatis, & vt esset mater Dei electa, & prædestinata fuerit ad esse, & ad existere in rerum natura, & in omnium sententia cùm electa fuerit ab æterno ad munus maternitatis, etiamsi ab æterno ante electionem ad hoc munus præcesserit iam determinata ad existere naturale, tamen in tempore quando per conceptionem extitit in rerum natura iam erat mater Dei secundùm electionem & dignitatem, cui omnis puritas congruebat, & exigentia erat, vt postea in tempore opportuno in executione generaret illa, quæ digna erat mater Dei. *In talibus enim* (inquit August. epist. 3. ad Volusianum) *tota ratio facti est omnipotentia facientis.*

75. Quartò probatur, quia peccatum originale est gabella, seu tributum quod exigitur in descendentibus ab Adamo; sed secundùm Christum Dominum Matth. 17. tributum non exigitur à filiis propriis, sed ab alienis: ergo multò minùs exigitur à Virgine, tum quia respectu Patris æterni est præcipua inter adoptiuos filia, respectu Filij est mater, & sponsa dilecta respectu Spiritus sancti.

76. Et confirmatur, quia in ea non exigitur tributum effectus peccati originalis, nam aliqui culpam includunt, alij ad illam inclinant, vel indecentiam aliquam ex illa contractam continent; alij denique sunt merè pœnales absque vlla indecentia: sed primi, & secundi non fuerunt in beata Virgine, quia non fuit actuale peccatum, neque fuit fomes peccati, neque fuerunt motus inordinati concupiscentiæ, licèt fuerint tertij, scilicet mors, & aliæ pœnalitates, quæ ad conseruandam, & meritum eius augendum permanserunt in ea; & isti non vt pœnæ (quæ correspondet culpæ) sed vt pœnalitates, quæ absq; correspondentia ad culpam inueniuntur, & fuerunt in Christo Domino omnino innocenti: ergo, &c.

Quintò denique probatur, quia vniuersalis Ecclesia celebrat festum Conceptionis non sub nomine sanctificationis, sed sub nomine præseruationis, vt iam tradidimus ex decretis, & præcipuè Gregor. XV. ergo concepta fuit sine originali peccato. Patet consequentia, quia si immunda fuisset, & cum peccato originali non potuisset ab Ecclesia celebrari: quæ est ratio, propter quam D. Bern. in Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses (si fortè illius de quo videatur Oyeda in sua informatione pro puritate Virginis fundamento 1. cap. 14. §. 2. & 3. & Ægidius de Præsentatione lib. de Præseruatione Virginis q. 4. art. 2. §. 2. à numero 150. & Salazar cap. 35. §. 6. à numero 43.) illos reprehendit quòd celebrassent Conceptionis festum, & non tantùm sanctificationis absque Pontificis & Ecclesiæ auctoritate; sed jam hęc vrget, & præcipit hoc festum celebrari: ergo hoc argumentum ita vrget, vt propter ipsum asserant non pauci Auctores Ecclesiam iam canonizasse nostram sententiam, sed de hoc inferiùs interim videatur Ægidius quęstione 6. per totam. 77.

Et confirmatur, quia ideò sancta tenetur natiuitas beatæ Mariæ Virginis, & Ioannis Baptistæ, quia eorum natiuitates ab Ecclesia celebrantur; ergo similiter & conceptio Virginis propter eamdem rationem, imò aliqualiter vrgentiùs probari sanctitatem Virginis in conceptione quàm in natiuitate probat Salazar cap. 33. num. 12. proptereà quòd illa fuit in instanti: hæc verò 78.

verò cùm consistat in motu, & consequenter commensuretur tempore, quod diuidi potest in diuersa instantia, inde fieri potuit vt in instanti vno esset peccatum, & non in alio, quod nequit fieri in conceptione instantanea. videatur ibi. Ex quo capite vsque ad 36. inclusiuè latè probat immunitatem Virginis ex annua celebratione huius festi, & ex antiquitate illius, quam fuisse in Hispania, & à tempore Apostolorum probat cap. 35. §. 2. & §. 7. num. 14. quòd fuerit ab anno 655. vsque ad 800. antequam Græci ac Latini hoc festum celebrarent.

79. Omitto plura alia argumenta petita tum ex iure canonico, & ciuili, vbi pluribus iuribus cauetur, quòd mater, regina, sponsa, filia non comprehenduntur legibus vniuersalibus. videatur Salazar cap. 30. & 31. Tum ex munditia Virginis ab actualibus peccatis: videatur cap. 25. Tum ex perpetua virginitate Deiparæ, quæ transfertur ex corporali ad spiritualem ab Ecclesiæ Patribus. Quod argumentum mihi est vrgentissimum, quia si beata Virgo fuit beatior mente concipiendo Christum, quàm ventre; ita beatiorem debemus ipsam prædicare propter virginitatem ab omni prorsus peccato, quàm propter corporis integritatem, quæ illi comparata non est magni momenti. legatur cap. 27. Tum ex Mariæ regno, & ex eo quòd Angelorum sit Regina, cap. 32.

PARS TERTIA.

Respondetur ad argumenta in oppositum pro contraria sententia.

80. AD primum argumentum desumptum ex primo capite, scilicet ex locutionibus generalibus Scripturæ respondetur quòd beatissima Virgo Maria excipitur ab illis, sicut exceptam fuisse in aliis locutionibus generalibus iam probauimus cap. 4. antecedenti in 2. probatione. Vnde Augustinus serm. 3. de Virginis assumptione ait: *Non immeritò Maria excipitur à quibusdam generalibus vera existimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Itaque propter maternitatis dignitatem, quæ singularissima est, non comprehenditur sub locutionibus generalibus odiosis; qualiter regina Esther non fuit comprehensa sub locutione generali: *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Vide quæ diximus circa reuelationes vniuersales confusas in materia de fide disp. 2. q. 3. p. 2. quia reuelatio confusa vniuersalis, quæ actiuè sumpta, non omnes comprehendit; sumpta passiuè, videtur nullum excludere, & è cotrà.

Est autem circa hoc difficultas, An non comprehensio Virginis sit exceptio eius à lege communi, & consequenter hæc specialis prærogatiua sit ipsi priuilegium, id est priuatio legis, quæ aliàs ipsam obligaret? An autem sit mera non inclusio, quia scilicet lex, etiamsi generalissima sit, non loquitur cum ipsa? Ex cuius difficultatis solutione pendet alia, scilicet, An locutiones vniuersales circa traditionem peccati originalis sint accipiendæ tamquam vniuersales vniuersalitate logica, quæ nullum hominem excludit, seu quæ nullum filium Adami excipit; vel tāquam vniuersales vniuersalitate morali, aut legali, quæ aliquam patiuntur exceptionem? 81.

Hanc difficultatem non vidi apud aliquem Auctorem sub his terminis discussam, quibus meo videri tota res clarissimè exprimitur, & Mariana dignitas altiùs commendatur; tamen ex his, quæ Auctores asserunt, eam enucleabimus. Prima ergo sententia sit eorum qui asserunt beatam Virginem comprehensam fuisse in lege vniuersali quantùm ad contractionem debiti, & non quantùm ad contractionem peccati originalis, non quia non contraheret de lege lata, sed quia in re non contraxit, propterea quòd fuit speciali gratia habituali præuenta, & priuilegio singulari præseruata, & Auctores huius sententiæ (quos referemus dum agemus de debito) consequenter debent asserere circa primam difficultatem, quòd beata Virgo fuit excepta à locutionibus generalibus propter speciale priuilegium; & proinde circa secundam, quòd locutiones Scripturæ & Patrum sint vniuersales vniuersalitate morali, vt docent plures apud Salazar cap. 1. §. 5. num. 26. aut vniuersalitate iuridica & legali, & cum 82.

aliis

aliis docet Ægidius quæstione 5. articulo 2. §. 2.

83. Secunda sententia sit eorum, qui asserunt beatam Virginem non fuisse comprehensam in lege communi saltem quantùm ad partem eius odiosam (quidquid sit an fuerit comprehensa quantùm ad partem legis fauorabilem) propterea quòd lex non loquitur cum Matre Legislatoris, cum Sponsa, cum Filia, aut cum Regina, secundùm plura iuris canonici, & ciuilis iura; vel non loquitur nisi cum filiis Adæ à Deo in esse existentiæ præuisis, quando decreuit legem peccati in Adamo promulgare, non autem cum nondum pro tunc præuisis, vt in sententia Salazar fuit beata Virgo, quia non præexistebat præuisa in massa corruptionis; vel non loquitur cum implicitè exceptis, seu non inclusis, vt in sententia huiùs Auctoris cap. 23. §. 3. à numero 16. excepta fuit beata Virgo implicitè, quoties Christus explicitè fuit exceptus. legatur etiam cap. 41. ex quo fit quòd eius non comprehensio in lege vniuersali non fuerit exclusio à lege, sed non inclusio in lege; & consequenter quòd locutiones vniuersales possunt vniuersalitate logicâ accipi, nullum hominem excludendo, ex his qui includi possunt: Virgo enim includi non poterat secundùm Dei ordinatissimam prouidentiam, & iustitiam. legatur etiam cap. 7. num. 9. vbi probat quòd Regina non includitur in lege Principis ratione coniugij, & applicat beatissimæ Virgini.

84. Quid autem nobis sit circa hoc dicendum, differimus vsque ad Disputationem sequentem, vbi examinabimus an beata Virgo contraxerit debitum incurrendi peccatum originale, interim sufficiat respondisse ad locutiones Scripturæ vniuersales, scilicet fore sumendas vel generalitate morali, vel legali, & iuridica, quia quæ sic vniuersalia sunt aliquam patiuntur exceptionem, vbi hoc recta exigit ratio; & Scriptura communiter loquitur more humano, & hoc secundùm priorem sententiam; vel fore sumendas generalitate logica, à qua Virgo non fuit exclusa, quia non fuerat inclusa, & hoc secundùm sententiam posteriorem. Vnde numquam fuit beata Virgo comprehensa in illis locutionibus: *Omnes in Adam peccauerunt: Eramus omnes natura filij iræ*, &c. Præcipuè cùm Scriptura sacra hoc satis insinuet in aliis testimoniis, vt probauimus cap. 1. partis antecedentis.

Ad illam locutionem: *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Respondetur secundùm primam sententiam, quòd ly *, omnes mortui sunt,* intelligitur de morte contracta in Adamo, in quo omnes peccauerunt, non de morte contracta in ipsa Virgine, licèt eam mortem peccati deberet proximè contrahere in se, si in se non præueniretur gratiâ habituali in illo primo instanti. Et secundùm sententiam secundam respondetur, quòd intelligitur, *ergo omnes mortui sunt.* saltem remotè, quia nisi Deus eligeret Virginem ad maternitatem, contraheret & originale peccatum, & obligationem ex lege communi. 85.

Nisi aliter respondeamus dicentes (& fortè meliùs) quòd illa consequentia Pauli loquitur in eis, pro quibus non præseruatiuè, sed subleuatiuè mortuus est Christus; quia optimè valet, Si Christus pro omnibus mortuus est eos à morte peccati subleuando, ergo omnes mortui sunt, scilicet in reipsa propter contractionem peccati originalis: non tamen loquitur in ea consequentia de eis pro quibus mortuus est præseruatiuè, vt fuit B. Virgo, & sumus similiter nos, qui sæpè ex meritis Christi passibilis præseruamur, & liberamur à pluribus peccatis actualibus, quæ committeremus si Deus non præueniret suo auxilio efficaci, quo conseruamur in vita gratiæ. 86.

Ad secundum argumentum desumptum ex secundo capite, scilicet ex Conciliis, & Pontificum Decretis respondetur, quòd etiam si generaliter loquantur de omnibus, sumenda sunt sicut diximus debere sumi Scripturæ locutiones; & hoc iam clariùs constat postquam Cõcilium Tridentinum expressè asserit non esse suæ intentionis includere Virginem beatissimam in Decreto de Peccato originali, quo reliquos homines comprehendit, prætérquam quòd plura alia ex Conciliis, & Põtificum Decretis adduximus cap. 2. partis antecedentis in fauorem huius nostræ 87.

nostræ sententiæ. Neque propter hoc excluditur necessitas baptismi, eius effectus præter apertionem ianuæ cælestis est mundare, & remittere peccatum in subiecto, in quo inuenit illud contractum; vel dare de se formam remissiuam, & mundatiuam in subiecto, in quo non inuenit illud contractum; quare optimè potuit recipi à B. Virgine (quæ illum recepit, vt docet Euthymius Ioan. 3. & tenet communis sententia Theologorum: vide Pytigianum in 3. dist. 13. q. 2. art. 4.) sicut communiter dicitur de Sacramento pœnitentiæ, quod absoluit peccatum non remissum, vel confert gratiam de se illius remissiuam in subiecto, in quo peccatum est remissum.

88. Ad confirmationem respondetur quòd Pius V. non abstulit Officium Conceptionis, proptereà quòd diceret Virginem immaculatam & præseruatam, sed commutauit in Officium Natiuitatis B. Virginis, mutato nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis: imò potiùs hoc est argumentum pro nobis, quia sicut festum Natiuitatis celebratur propter sanctitatem illius, idipsum dicendum est de Conceptione, quandoquidem ipsummet Officium celebratur pro illa; præterquàm quòd Officium Conceptionis, quod recitatur à nostra religione Fratrum Minorum, in quo beatissima Virgo dicitur omnino immaculata, & ab omni labe præseruata, concessum fuit recitari à Pio V. sicut anteà recitabatur, & recitatur modò.

89. Ad tertium argumentum desumptum ex tertio capite, scilicet ex auctoritate Patrum, respondetur, quòd illi priores, qui generaliter loquentes non excipiunt Virginem à contractione peccati originalis, explicandi sunt, sicut explicantur locutiones Scripturæ, & Conciliorum generales: Patres verò secundæ classis, qui aiunt Virginem fuisse purgatam, mundatam, redemptam, &c. explicandi, & intelligendi sunt, quòd loquantur vel de conceptione seminis in vtero materno, quam significant præuentam, & purgatam, & purificatam fuisse à Deo, vt conciperet taliter pura mater, quòd ex ipsa diuinum Verbum carnem sumere posset; vel de conceptione animæ, quam significant præuentam, purgatam, redemptam, &c. non sublenatiuè, sed præseruatiuè.

90. Tandem Patres tertiæ classis aliqui non exactè, neque fideliter referunt vt videri potest apud Scotistas: alij verò latè explicantur ab Ægidio quæst. 4. ab art. 2. & deinceps, qui §. 2. num 14. tantùm refert quatuor testimonia aliorum Patrum pro sententia opposita (qui similiter explicari possunt sicut & alij) à Pytigiano dist. 3. q. 1. art. 5. à Philippo Fabro lib. 3. dist. 3. quæst. 1. disp. 10. cap. 3. explicandi autem sunt non quia verè contraxerit B. Virgo peccatum originale, sed quia videatur contraxisse si attendatur à nobis ex aliqua parte, scilicet quantùm est ex propria conditione naturæ, & ex vi propriæ generationis, & supposità Dei lege: non autem Filius eius, qui ex natura rei illud non contraxit, tum quia non tàtùm erat homo, sed homo Deus; tum quia non descendebat ex commixtione seminis viri & mulieris, aut ex concubitu vtriusque; & sic non indiguit speciali gratià, sicut beatissima Virgo. Secundò explicatur quòd contraxerit peccatum in se, sed non realiter & verè, sed quasi denominatiuè ex peccato Adami, ita quòd dicatur contraxisse peccatum, quia peccauit in Adamo, id est, quando Virgo Maria extitit in primo conceptionis instanti denominata est peccauisse, sed non in se, sed in Adamo; sed in hoc sensu denominationem suscepit in se, sed non peccatum: propter quam denominationem (quæ verè non est peccatum originale, vt probauimus disp. 1. q. 4.) dicitur Virgo peccauisse originaliter, & quòd eius caro fuerit peccatrix, &c. sed non verè sicut reliqui posteri Adami, qui vltra denominationem hanc contrahunt priuationem iustitiæ debitæ, in qua peccatum originale formaliter consistit; & in hoc etiam differt à Christo, qui neque hanc denominationem suscepit. Tertiò, quòd contraxerit peccatum attenta vt filia Adami de eius carne, & per naturalem generationem propagata; non autem attenta vt Mater Christi futuri, & per eius specialissimam gratiam præuenta, & ad esse omnium creaturarum Regina

gina præelecta à prædestinatione diuina. Quartò denique quòd contraxerit Virgo peccatum secundùm opinionem, quæ tunc vrgebat; non autem secundùm rei veritatem tunc occultam, aut non nimis propalatam.

91. Hæc diximus vt Patrum locutiones conciliaremus, quia cùm ipsimet Patres vel aliter senserint iuxta testimonia suprà à nobis adducta cap. 3. vel dubitatiuè loquantur sensui Ecclesiæ se submittendo, & futuræ determinationi ipsius, vt fecit D. Bernard. in illa Epistola ad Lugdunenses; vel solùm loquantur de Virgine per contrapositionem ad Christum Dominum; & ideò appellent eius carnem sine peccato, sed de peccatrice carne susceptam: quæ omnia solùm in eo sensu veniunt accipienda, quo aliquam distinctionem ponamus inter Christum Dominum, & eius Matrem in ordine ad peccatum, & in ordine ad sanctitatem: quæ distinctio satis innotescit in eo, quòd peccatum recedit à Christo ratione propriæ naturæ, secùs autem à Virgine; & sanctitas debetur Christo ratione hypostaticæ vnionis, secùs autem Virgini, cui non est debita, sed datur ex gratia, licèt fundata in maxima congruentia: ideò sufficiat suprà ab Aduersariis adductos Patres aliquo modo ex prædictis explicasse.

92. Quòd si nimiùm insistas contrariam sententiam aliquos expressè tenuisse, dico sufficere plures alios tenuisse nostram; & quòd illi si aduersè adhæserunt, fuit ex eo quia non satis viderunt Ecclesiæ consensum, cuius auctoritas, teste D. Thomâ 2. 2. quæst. 10. art. 12. præferenda est cuiuscumque sancti Doctoris auctoritati, etiam Hieronymi & Augustini.

93. Ad quartum argumentum desumptum ex quarto capite, scilicet ex rationibus respondetur; & ad primam nego quòd beata Virgo non indiguerit Christo vt redemptore, & ianuæ cælestis apertore, quia ipso indiguit vt redemptore præseruatiuè, & vt præseruatiuè apertore, quod non solùm non deprimit excellentiam filij, sed maximè eum extollit vt latè suprà cap. 4. probauimus, An autem Christus Dominus fuerit eius præseruatiuus redemptor per merita ipsius quoad substantiam, an per merita quoad modum, an per vtraque merita? infrà respondendo ad tertiam rationem attingemus, & commodiùs disputabimus, dum disputatione sequenti agemus de præseruatione à debito.

Ad confirmationem ex illis verbis Pauli, *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. iam fecimus satis, dum soluimus generales locutiones Scripturæ. 94.

Ad secundam respondetur, quòd omnes effectus peccati originalis sunt pœnæ ipsius in quantum dicunt habitudinem ad ipsum, si enim homo primus non infregisset diuinum præceptum non haberentur à nobis, essent tamen in pura natura in qua non esset peccatum originale, sicut neque originalis iustitia, & tunc non censerentur pœnæ, quia non haberent habitudinem ad culpam, sed dicerentur pœnalitates naturæ, quæ non repugnant etiam cum summa sanctitate, qualiter fames, ærumnæ, mors inuentæ sunt in Christo Domino. Dico igitur quòd in beata Virgine non fuit fomes peccati, vt in sequenti quæstione probabo; reliquæ autem ærumnæ, & mors inuentæ fuerunt non vt pœnæ, sed vt pœnalitates, quæ deseruire possunt ad meritum. 95.

Neque similiter Virgo contraxit exclusionem à Paradiso; quid autem accideret, si mortua fuisset ante mortem Christi, non est multùm curàdum, quandoquidem ex speciali Dei prouidentia hoc non fuit de facto: & verosimilius est, quòd non ingrederetur statim post mortem Paradisum, quia prima ingressio illius fuit debita Christo, quia primus omnium hominum prædestinatus, quia caput morale etiam ipsius Virginis, &c. Neque mirum est quòd descendisset ad Limbum, quandoquidem ibi detinebantur plures etiam post exhibitam satisfactionem suorum peccatorum exspectantes beatam spem; & aduentum magni Dei. Neque propter hoc Deus esset iniustus, quia iustitia, quâ hominibus debetur gloria, dependet ex diuina acceptatione, quæ illos non acceptauit ad ingressum Christi Domini in cœlum: 96.

neque

neque enim voluit Deus apertionem ianuæ cęlestis propter passionem Christi præuisam, sed propter ipsam in re exhibitam. ita Scotus.

97. Ad primam confirmationem respondetur; quòd beatissima Virgo fuit in illo primo instanti filia Adam quantùm ad generationem naturalem prouenientem ex illo, non autem quantùm ad propagationem peccati in illam, & quantùm ad esse membrum morale huius capitis, quia vel lex non inclusit illam; vel si inclusit, fuit præseruata quantùm ad peccati originalis contractionem per infusionem iustitiæ, & gratiæ habitualis, quæ præoccupauit peccatum.

98. Ad secundam confirmationem dicemus quæstione sequenti an B. Virgo habuerit ab illo primo instanti iustitiam originalem; dato tamen quòd illam non habuerit non sequitur; ergo habuit priuationem formæ debitæ, quia vt optimè inquit Scotus potuit habere gratiam habitualem, quam quis alius recipit per baptismum, quæ destruit peccatum originale, quia sanctificat animam, & facit iustitiam originalem indebitam, & consequenter non sequitur quòd habuerit peccatum originale.

99. Ad tertiam respõdeo, quòd si Christus fuit prædestinatus ante originale peccatum, vt docet Scotus, iam præcedit Christus cum meritis quoad substantiam, vt in intentione præseruet Virginem à peccato originali; & post præuisum peccatum originale etiam præcedit cum meritis quoad modum, vt preseruet illam in executione: si verò Christus fuit prędestinatus post originale peccatum, vt docet D. Thomas, tunc vel fuit prædestinatus post originale peccatum tantùm præuisum in Adamo, & nondum contractum in posteris eius, vt plures ex Thomistis philosophantur, & tunc iam præsupponitur Christus cum meritis etiam quoad modum, vt præseruet ab actuali contractione peccati beatissimam Virginem; vel fuit prædestinatus post originale peccatum non tantùm præuisum in Adamo, sed etiam in posteris eius, vt plures alij docent, & tunc possumus dicere cum Salazar cap. 24. §. 6. 7. & 8. quòd B. Virgo nondum erat à Deo decreta ad esse existentiæ, & consequenter neque erat computata inter reliquos, qui iam erant in massa Adami corrupta, propter quorum salutem decretus erat Christus passibilis; & sic cùm post hæc fuit à Deo decreta ad esse existentiæ in ordine ad Dei maternitatem dignè habendam, fuit dècreta existere à primo instanti cum gratia habituali ex meritis mortis Christi, licèt per generationem naturalem communem quantùm ad hoc cum reliquis filiis Adami; quare in omnium sententia optimè potest ab Ecclesia dici, quòd ex morte Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruauerit.

Ad quartam, & vltimam respondetur, quòd quidquid sit an beata Virgo peccauerit in Adamo, circa quod agemus disputatione sequenti, tamen pro nunc dato quòd in Adamo peccauerit, nego tamen quòd peccauerit in seipsa; & ad probationem consequentiæ dico diuersam esse volitionem diuinam positiuam, quâ Deus decreuit Virginem comprehendi lege de non transfundenda iustitia à voluntate permissiua de ipsa actuali non transfusione, quia ratione prioris tantùm inducitur in Virginem debitum habendi peccatum originale; ratione verò posterioris inducitur ipsa actualis priuatio iustitiæ, quæ est originale peccatum. Benè ergo potuit Deus ipsam comprehendere in prima volitione, volendo tenere lege Adami; & non propterea censetur comprehẽsa in posteriori; potuit enim optimè Deus non permittere ipsam actualiter cadere, præueniendo ipsam per infusionem gratiæ aliàs necessariò casuram; sicut sæpè in actionibus contingit in nobis, quando Deus ex vna parte vult efficaciter nos tentari, & sub lege tentationis comprehendi; & ex alia parte præuenit suo auxilio efficaci ne cadamus, quî nisi ipse succurreret caderemus; & similiter contingit, quando Deus suis præceptis Decalogi omnes homines comprehendit, & obligat; & nihilominùs in aliquo casu dispensat cum aliquibus, quia sibi semper remanet suprema potestas Legislatoris: & sic dispensauit cum Propheta, vt assumeret mulierem fornicationum; & cum Hebræis, vt non redderent vasa petita ab Ægyptiis. 100.

101. Sed obiicies pro Aduersariis, quòd anima Virginis pro primo conceptionis instanti naturæ non fuit iusta; ergo fuit iniusta, quia non esse iustam, & esse iniustam æquiualent. Respondeo quòd pro tunc neque fuit iusta, neque iniusta, neque vnum, neque aliud, quia sicut abstrahentium non est mendacium, ita neque est affirmare, neque negare, quia tantùm in illo primo instanti naturæ (quod quasi diuidit instans temporis) concipitur beatissima Virgo secundùm esse existentiæ, neq; concipitur filia moralis Adam, neque non filia, neque iusta, neque non iusta, sed tantùm abstrahens.

102. Has & similes alias obiectiones poteris subtilissimè solutas inuenire apud Scotum, & eius discipulos, quia pro nunc satis est præcipuas & principaliores attigisse, & adæquatè satisfecisse. & hæc de hac Quæstione ad honorem beatissimæ Virginis Mariæ, cui gloria cum Filio.

QVÆSTIO II.

Vtrùm beatissima Virgo Maria concepta fuerit in iustitia originali?

1. POstquam in Quæstione antecedenti probauimus beatam Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, quærimus deinde in præsenti an concepta fuerit cum iustitia originali? Pro cuius difficultatis explicatione nota cum nostro Corduba in suo Quæstionario q. 46. quòd aliud est iustitia originalis, & eius effectus; & aliud, status iustitiæ originalis, seu innocentiæ; nam status ille importabat quatuor genera bonorum, quæ omnia non conferebat sola iustitia originalis; nam hæc ideò talis erat & dicebatur, non quia omnia extrinseca & intrinseca componebat, & ad quamdam æqualitatem (quæ ex Arist. 5. Ethicor. iustitia, nuncupatur) reducebat & proportionabat per quatuor statim referenda bona, quæ constituebant illum statum, sed quia homines intrinsecè rectificabat, & iustas eius operationes cum magna tranquillitate reddebat, & prorsus alienas ab omni obliquitate peccati per aliquod, vel aliqua dona intrinseca, & in ipso homine existentia.

Status ergo innocentiæ constabat quatuor bonis, quæ ad illum statum homini conueniebant. Primum erat rectificatio animæ ad Deum, quæ duplex erat iuxta dicta à nobis disp. 1. q. 1. alia supernaturalis in ordine gratiæ & gloriæ, quæ scilicet habebatur per habitus per se infusos fidei, spei, & charitatis, & aliorum donorum, quæ iustificationem consequuntur, quæ hominem rectificabat circa Deum, & dabat illi sicut modò ius ad vitam æternam; & alia etiam supernaturalis (apud Cordubam autem & alios naturalis) sed non in ordine gratiæ, sed extra illum (sicut in sententia Scoti dicitur supernaturalis species abstractiua mysterij Trinitatis) quæ scilicet hominem rectificabat applicando potentias animæ operibus iustis & exhibendis secundùm rectum rationis dictamen, siue hoc fieret per vnum habitum existentem in voluntate, siue per tres in tribus potentiis existentes. 2

Secundum erat rectificatio portionis inferioris, scilicet potentiæ æstimatiuæ, & totius appetitus sensitiui tam cōmunis, quàm particularis, quia tota hæc portio inferior hilariter subordinabatur portioni superiori nihil appetendo contra illam, præcipuè quando iam rationis aduertentia adesset: vnde naturalis carnis inclinatio, & rebellio nullo modo repugnaret rectæ electioni voluntatis, neque esset fomes peccati, id est concupiscentia effrænata, aut deordinata contra regulam rationis, sed maximâ tranquillitate, & absque tristitia hæc portio conformaretur illi, siue hoc fieret per iustitiam originalem tantùm existentem in anima, siue etiam per diuersos habitus dispersos in diuersis potentiis sensitiuis iuxta ea quæ diximus secundùm diuersas opiniones in illa Quæstione prima. 3

Tertium erat rectificatio corporis ad animam, id est, rectitudo potentiarum executiuarum, quæ consistit in sanitate, & robore corporali, quibus potentiæ corporis executrices, videlicet ambulatiua loco motiua, nutritiua, generatiua, expulsiua, &c. obedierunt animæ (eo modo, quo de ipsis verificari 4

cari possit obedientia) seu voluntatis rectæ in exequendo sine vlla grauedine, lassitudine, aut impedimento proueniente ab aliqua infirmitate, seu fragilitate corporali, qualis nunc in nobis est.

5. Quartum bonum erat immortalitas, & dominium quoddam hominis super omnia inferiora, iuxta illud, *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*; & iuxta illud, *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*; & præcipuè iuxta illud, *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*, &c. Hæc autem immortalitas non fuit per aliquam intrinsecam impotētiam moriendi, sed per carentiam actus moriendi, vt probauimus in illa q. 2. quæ proueniret tum ex esu ligni vitæ; nam ideò lignum vitæ dictum est, quia à Deo habebat virtutem quasi medicinalem curatiuam, & præseruatiuam ad restaurandum, quod erat resolutum à calore naturali: tum ex bona temperie aëris paradisi: tum per custodiam Angelorum, & per alia plura, quæ refert Scotus in 2. dist. 29. *§. potest dici*, litt. C. tum denique quia antequam homo senio cōfectus moreretur, Deus illum transferret ad gloriam. Hoc verò dominium partim oriebatur ex rationalitate hominis, quâ omnia bruta subiecit, quod & modò habemus; & partim ex speciali protectione, & manutenentia Dei, quâ faceret omnia hominibus submitti, quod modò non habemus, licèt aliquando fuerit alicui Sancto concessum, vt beato P. N. Francisco.

6. Cum suprà dictis concordant communiter Doctores. ita Scholastici, inter quos Scotus, & Gabriel in 2. d. 19. & 29. & 30. D. Thomas 1. 2. q. 82. & 109. art. 2. & 1. p. q. 95. & 97. ibi Caietanus, Vasquez 1. 2. disp. 132. c. 7. Becanus de Statu innocentiæ cap. 7. q. 2. num. 7. Angelus in Morali cap. vltimo, vbi dicunt omnia quatuor suprà dicta adfuisse homini in statu iustitiæ originalis, seu innocentiæ, quod etiam docet Abulens. Genes. cap. 3. quest. 7. & cap. 13. q. 168. & 171. & 172. quos ferè omnes refert & sequitur noster Corduba vbi suprà: & ratio hoc suadet, quia secundùm Scripturæ testimonia, quæ de statu illo felicissimo innocentiæ loquuntur iuxta expositionem Ecclesiæ Patrum, hæc quatuor bona reperiebantur in illo: ergò si perseuerarct, eisdem perseueraret.

His ergo suppositis prima sententia docet, quòd B. Virgo Maria non fuerit concepta in iustitia originali: hanc sententiam communiter docent Auctores, non solùm ex Dominicana familia, sed etiam ex nostra, & ex reliquis, qui docent B. Virginem conceptam fuisse sine peccato originali: Pro hac sententia refertur Scotus in 3. dist. 3. quest. 1: *§. ad quæstionem igitur*, vers. *primum declaro*; & *§. si autem*, vers. *si arguas*, vbi videtur insinuare in B. Virgine non fuisse iustitiam originalem, sed gratiam habitualem illi æquiualentem, imò & superantem: immeritò tamen refertur in his locis, quia in illis tantùm intendit liberare Virginem à peccato originali, etiamsi hoc tantùm sit per gratiam habitualem, quæ sufficit si detur in primo instanti ad probandum, quod intendit: de nostra autem quæstione nihil disputat, & eodem modo se gerit Philippus Faber disp. 10. cap. 3. respondendo ad 5. sed eam expresè tenet Pytigianus in 3. dist. 3. q. 1. art. 12. in fine, Corduba & Becanus vbi suprà, Vasquez in 3. p. tom. 2. disp. 119. cap. 2. num. 16. & alij: sed diuersi diuerso modo probant hanc sententiam. 7.

Et primò probari videtur ab Abulens. Genes. 3. q. 7. quia tota connexio suprà dictorum quatuor bonorum vocatur iustitia originalis, sumptâ denominatione ab effectu; quia cùm iustitia dicat æqualitatem quamdam secundùm rem, aut secundùm proportionem ex Arist. 5. Ethic. & secundum illa quatuor bona erat quædam æqualitas, seu rectitudo scilicet animæ ad Deum, appetitus, & æstimatiuæ ad rationem, & voluntatem rectam sanitatis, & roboris corporalis ad potentias executiuas obedientiæ rerum exteriorum, & virtutis innatæ in arbore vitæ ad illam conseruandam, sequitur quòd omnia illa quatuor iustitiam originalem constituerent; sed hæc omnia non habuit B. Virgo, vt per se patet, quia ad minus deficiebat illi quartum, & vltimum bonum immortalitatis; ergo non habuit iustitiam originalem. 8.

9. Sed hanc rationem communiter & meritò impugnant Auctores, quia accipit iustitiam originalem in nimis lata acceptione, scilicet pro omni dono pertinente ad illum statum pacificum conseruandum, neque distinguit iustitiam originalem à statu innocentiæ, qui licèt principaliter illam includeret, sed plura alia non comprehendebat: quod præterquam quòd est communis sententia Theologorum sic probo, quia iustitia originalis tantùm erat illa in cuius priuatione consistit peccatum originale; sed hoc non consistit formaliter in carentia immortalitatis corporalis, quia hæc inflicta est à Deo in pœnam peccati originalis, iuxta illud: *Puluis es, & in puluerem reuerteris?* Neque consistit in carentia dominij, quia hæc similiter data est in pœnam peccati, iuxta illud: *De sudore vultus tui vesceris pane tuo*, &c. *Terra spinas & tribulos germinabit tibi*, &c. Neque consistit in carentia habitationis paradisi, & esus arboris vitæ, quia similiter data est in pœnam peccati Adami, iuxta illud: *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis*, &c. *& collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ergo in his omnibus bonis completè & adæquatè sumptis non consistit iustitia originalis: ergo non propterea quòd illis omnibus adæquatè carebat B. Virgo non fuit in illa concepta.

10. Secundò probatur à Corduba, Vasquez & Becano, quia iustitia originalis constabat tribus prioribus bonis, & beatissima Virgo caruit bono tertio, nam non habebat rectitudinem corporis, quâ constabant potentiæ executrices, defatigabatur enim, sitiebat, esuriebat, &c. contraxitque infirmitatem, quâ fuit mortua; quapropter iustitia originalis etiam non fuit in Christo, iuxta illud Matthæi 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Prætereà neque habuit B. Virgo perfectam rectitudinem primam vel secundam in ordine ad seipsam quoad iudicium rationis vel sensus, quia habuit in intellectu, & in æstimatiua errorem, vel deceptionem aliquam in vigilia, vt patet Lucæ 2. quando perdidit Christum existimando illum esse in comitatu virorum; imò & somniabat aliquando falsa secundùm Gersonem alphabeto 15. litt. S.

Sed hæc ratio meo videri nulla est, 11. quia quantùm ad primum sic probo, nam rectitudo corporis existens in potentiis executiuis partim oriebatur ex duplici priori rectitudine, & partim ex vltima & quarta: sed beata Virgo habuit duas priores rectitudines (vt fatentur Aduersarij) & vltima non pertinet formaliter ad iustitiam originalem, sed tantùm ad statum innocentiæ (vt etiam ipsi fatentur) ergo hæc ratio non obstat, vt negetur illi iustitia originalis. Maiorem probo, quia integra sanitas, & robur corporale conseruabatur per bonum regimen spirituale, quod præstabant virtutes infusæ in iustificatione, quæ dabat primam rectitudinem supernaturalem, & per hilarem subordinationem, quam habebat portio inferior ad superiorem propter habitus in ea existentes; & per præcautionem occasionum, quæ nocere possent saluti tam corporali, quàm spirituali, quam præbebant iustitia originalis existens in voluntate, & alia auxilia diuinæ protectionis, quæ fuissent illi annexa, quod totum præstabat secunda rectitudo: & tandem conseruatio naturæ specialiter & præcipuè pendebat à quarto bono, scilicet ab esu ligni vitæ, cuius fructus repararet id, quod paulatinâ actione, & reactione naturali (ex qua infirmitates ab intrinseco oriuntur) minueretur, & debilitaretur, vt docet ipse Corduba cum Scoto: ergo sanitas, & robur corporale, quod constituit tertiam rectitudinem, partim ex prima & secunda, & partim ex quarta oriretur: ergo si beata Virgo non defatigaretur, sitiret, esuriret, infirmaretur, &c. cōtra primam, & secundam rectitudinem, sed tantùm ex defectu quarti boni, seu quartæ rectitudinis, quod omnes tenentur concedere, præcipuè ex Aduersariis. Hæc nihil illi obstabant, vt haberet licèt non statum, formam tamen iustitiæ originalis.

Et confirmatur, quia deficiente esu 12. ligni vitæ necessariò deficeret in primis nostris parentibus, & eius posteritati robur corporale, & sanitas perfecta corporis, & consequenter adesset infir-

infirmitas; ergo carentia huius tertij boni, seu rectitudinis principaliter oritur ex defectu quarti boni, quod non spectabat formaliter ad iustitiam originalem vt iam probauimus, & sic non mirum quòd non fuisset in Christo, etiamsi in eo admittamus iustitiam originalem vt admittimus; ergo propter defectum tertij boni, in quantum oritur ex defectu quarti, non debemus denegare Christo, neque Virgini iustitiam originalem.

13. Quantùm ad secundum sic probo, quia si Adam secederet ab Eua, & abiret ad aliquam partem paradisi, poterat Eua falli existimando, vel suspicando ipsum ad aliam partem; ergo error iste, seu deceptio non erat contra iustitiam originalem. Præterquam quòd illa Virginis cogitatio non fuit absolutum iudicium, & falsum, sed potiùs prudens suspicatio, & attenta coniecturalis cognitio; ergo propterea quòd beata Virgo Maria existimaret Filium esse in comitatu virorum, non est illi neganda iustitia originalis. Præterea etiamsi demus quòd vnusquisque posterorum in statu innocentiæ haberet scientiam abstractiuam omnium, tamen hæc non pertinebat ad iustitiam originalem, sed ad statum; ergo ex defectu huius nihil concluditur contra nos. Quòd autem B. Virgo somniaret aliqua falsa negatur, & optimè ab Alberto Magno; & si non negetur, nihil interest, quia somnium falsum oritur solùm ex occursu diuersarum specierum in organo sensitiuo, quod etiam contingere posset in statu innocentiæ; & si non contingeret, non esset propterea quòd contradiceret iustitiæ originali, quæ solùm rectificat in ordine ad Deum præstans perfectam tranquillitatem excludentem non absolutè omnem, sed grandem tristitiam, & molestiam, sed propterea quòd contradiceret illi statui congruentibus Dei auxiliis præuento.

14. Tertiò probatur à Pytigiano primò, quia B. Virgo fuit mortalis: sed hæc ratio non vrget, quia immortalitas non pertinebat ad iustitiam originalem, sed ad statum ipsius, seu innocentiæ.

15. Secundò probatur ab illo, quia si B. Virgo esset nuda, verecundaretur, & erubesceret: sed erubescentia non componitur cum iustitia originali, iuxta illud: *Quis indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti.* Et iuxta illud: *Erat autem vterque nudus, & non erubescebat.* Et infrà: *Et comedit, deditq; viro suo, qui & comedit, & aperti sunt oculi amborum.* Ergo.

Sed hoc argumentum nullum est, tum quia non constat quòd B. Virgo erubesceret in secreto; tum quia si erubesceret in publico, sicut Christus erubuit paratus ad flagella, & ad crucem, hoc non esset propter se, sed propter alios videntes habentes fomitem peccati originalis: deniq; quia erubescentia, quam habuerunt primi parentes, non fuit propterea quòd vidissent se nudos, quia etiam hoc videbant quando erant innocentes, sed propterea quòd ablatâ iustitiâ originali statim senserunt motus inordinatos concupiscentiæ, de quibus erubuerunt, vt docent communiter Ecclesiæ Patres, qui sic explicant adducta testimonia Scripturæ, & videri possunt apud Glossam & Lyram super 2. & 3. Genes. & apud Recentiores in præsenti: hanc autem erubescentiam B. Virgo non haberet, sicut neque motum inordinatum concupiscentiæ; & sic non haberet erubescentiam propriam peccati originalis, sicut neque illam habuit Christus Dominus. 16.

Secunda tamen & meo videri vera sententia affirmat, quòd B. Virgo concepta fuerit in iustitia originali. Hanc sententiam expressè tenet Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 9. §. *non est sanè* in fine. Dionysius Carthusianus lib. de Præconio, & dignitate Mariæ. Faber Stapulensis super ad Rom. 5. Bandalus in suo Tractatu de Conceptione (licèt hic Auctor non dicat quòd concepta fuerit, sed quòd fuerit sanctificata in iustitia originali) Noster Bustis in suo Mariali 1. p. serm. 5. fol. 21. Salazar cap. 39. §. 5. num 23. & alibi sæpè huic sententiæ videtur inclinari, sed præcipuè legatur cap. 9. num. 5. Imò secundùm explicationem statim ponendam, & suprà probatam nostræ sententiæ, Vasquez, Corduba, & alij sunt pro nostra sententia, quam tenent alij Recentiores, quos suppresso nomine citant tam Corduba, quàm Vasquez 17.

quez vbi suprà, & in prædicta iustitia conceptum fuisse Christum Dominum à fortiori docent prædicti Auctores, & expressè Armachanus, & Vincentius de Castro nouo in Tractatu de Conceptione.

18. Sed nota, quòd iustitia originalis, quam B. Virgo habuit in suo primo conceptionis instanti, non ideò est taliter dicenda, quia habuerit gratiam, & sanctitatem in sua prima origine, seu generatione; & ratione talis gratiæ, & sanctitatis quis dicitur, & est iustus; & ideò dicatur iustitia originalis, quia est iustitia collata sibi in prima origine: quâ ratione videtur dixisse Anselmus lib. de Conceptu virginali cap. 20. (iuxta expositionem Vasquez) Christum iustitiam originalem habuisse, sed quia habuit Virgo beata eam iustitiam, quam habuêre Adamus & Eua in statu iustitiæ originalis.

19. Nota secundò neque ideò vocandam esse iustitiam originalem, quia Virgini traducatur per originem, sicut traducenda foret si Adamus non peccasset, quia cùm Adamus peccauerit non fuit Virgini collata dependenter ab Adamo vt generante, sed potiùs à Christo Domino gratificatore & redemptore.

20. His suppositis probatur primò hæc sententia ex Scriptura, & priùs ex illo testimonio Baruch 5. quod adduximus quæstione antecedenti cap. 1. *Circumdabit te Deus diploide iustitiæ, & imponet mitram capiti tuo honoris æterni: Deus enim ostendit splendorem suum in te, qui sub cælo est: nominabitur enim nomen tuum à Deo in sempiternum pax iustitiæ.* In quibus verbis non solùm significatur gratia præseruatiua habitualis, sed etiam iustitia originalis; nam, vt ibi diximus, *diplos* significat vestem ex duplici tela compositam, interiori scilicet, & exteriori: & consequenter cùm vestis ista sit iustitiæ, non solùm significat gratiam habitualem, internas animæ potentias componentem, sed etiam iustitiam originalem, quæ præcipuè componebat & decorabat externas.

21. Præterea probatur ex illo Lucæ 2. vbi B. Virgo dicitur *gratiâ plena*, & *benedicta inter mulieres*; sed non stat plenitudo gratiæ cum carentia gratiæ iustitiæ originalis, quæ fuit in Adamo, & Eua. Neque stat permanens quædam benedictio, à qua Eua cecidit peccando; & maledicta fuit, si non habeat Maria iustitiam originalem, quam habuerunt Adamus & Eua, quando permanebant in statu benedictionis, iuxta illud Genes. 1. *Masculum & feminam creauit eos, benedixitq; illis Deus*, &c. ergo illam habuit. Vnde meritò Ecclesia canit: *Nec primam similem visa est, neque habere sequentem.* ergo ita excessit in gratia, & in benedictionibus ipsam etiam Euam, vt illa ei non fuerit similis. Sed encomium istud non diceretur de Virgine, si non habuisset iustitiam originalem, quia posset Eua dicere quòd potiùs ipsa nec primam visa est, neque habere sequentem, quandoquidem neque Virgo beata habuit non solùm gratiam, sed etiam iustitiam originalem, sicut ipsa habuit; ergo vt hæc prærogatiua verè dicatur de Virgine, dicendum est ipsam habuisse iustitiam originalem.

Et similiter probari potest ex illo: 22. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ:* sed lilium non solùm caret spinis, quod est carere peccato originali, sed etiam habet natiuam puritatem, candorem, odorem, integritatem, &c. primæ suæ creationis; ergo hanc habuit B. Virgo non minùs, sed multò magis, quàm Eua in sua prima conditione.

Et confirmatur, quia propter hanc 23. plenitudinem gratiæ Mariæ omnes Ecclesiæ Patres eam præferunt in gratia & iustitia omnibus spiritibus cælestibus: sed, vt optimè docet Scotus in 2. dist. 32. q. 1. §. *ad argumenta secundæ quæstionis*, vers. *& ad aliud*, in Angelo collocanda est iustitia originalis, si Angelus est capax illius: ergo cùm capacitas hæc non possit aliquomodo denegari beatissimæ Virgini, neque similiter poterit denegari iustitia originalis, cùm hæc conducat ad maiorem puritatem, sicut & ad maiorem rectificationem; & puritas Virginis talis sit, *quâ maior sub Deo nequeat intelligi.* Intelligitur autem maior in Eua, & in Angelo, si beatissima Christi Mater non habuisset cum gratia habituali iustitiam originalem. Vnde meritò Vasquez suprà ait in ipsa fuisse omnes habitus, quibus iustitia originalis in Adamo complebatur,

batur, & habuisse peculiarem diuinæ prouidentiæ protectionem, quæ spectant ad fomitis extinctionem, licèt non concedat statum iustitiæ, & consequenter neque simpliciter iustitiam originalem; in quo vltimo fallitur.

24. Secundò probatur ex Patribus, & inter omnes expresse hanc sententiam tenuit (ipso etiam Vasquez consentiente) Cardinalis Cusanus lib. 8. Exercitationum cap. 8. & sermone *sicut lilium inter spinas*, vbi hæc habet verba: *Ipsa sola* (scilicet Maria) *post Adæ lapsum non indiga, sed plena originali iustitiâ, vt Eua, & multò magis.* itaque ait solam inter mortales Mariam (excepto Christo) reperiri, quæ non solùm originali peccato vacaret, sed etiam originalem iustitiam obtineret, vt eo dignior esset, ex qua æternus Dei Filius naturâ humanâ indueretur.

25. Deinde Andreas Episcopus Ierosolymitanus super illa verba, *Inuenisti gratiam apud Deum.* ait: *Ne timeas Maria, nacta es gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat.* Sed Eua perdidit iustitiam originalem; ergo illam nacta est Maria, quia aliàs si tantùm loqueretur de gratia habituali plurimæ sunt personæ, quæ hanc gratiam inuenerunt, & nactæ sunt.

26. Præterea D. Gregorius Thaumaturgus sermone in Euangelium Virginis ait: *Hæc sola Virgo sancta corpore & spiritu fuit.* in quo modo dicendi conuenit Gregorius cum pluribus Ecclesiæ patribus. Vnde Epiphanius in Oratione de Laudibus Virginis ait: *Solo Deo excepto cunctis superior existis, naturâ formosior es ipsis Cherubim & Seraphim, & omni exercitui angelico.* Sed superioritas naturæ, & sanctitas corporis non potest intelligi sola virginitas, quia hæc non solùm fuit reperta in Virgine; neque aliqua alia forma præter iustitiam originalem potest propriè dici sanctitas corporis ad distinctionem sanctitatis animæ, quia hæc rectificabat corpus; & in priuatione huius sanctitatis corporalis partim consistit peccatum originale, vt cum *Castillo de Praeseru. V. Matris.* Scoto probauimus in disp. 1. quæst. 2. & superioritas naturæ respectu Angelorum nequit intelligi ratione naturæ humanæ, cùm hæc sit *paulò minùs ab Angelis*, sed tantùm venit intelligenda iustitia natiua, quæ est iustitia originalis. Dicendum ergo est, quòd beatissima Virgo Maria illam habuit.

Accedat doctissimus Idiota lib. Contemplationem de Virgine, vbi ait: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & maculâ peccati siue mortalis, siue originalis non est in te, neque vnquam fuit, neque erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cælestium donorum.* vbi pondera tum quòd dicatur *pulchra non in parte, sed in toto;* ergo totum, quod contulit pulchritudinem Euæ, habuit Maria, & sic iustitiam originalem: tum quòd dicatur adesse illi omnem gratiam, nulla exclusa; etiam naturalium bonorum, id est, non exclusa gratia bonorum, quæ simul dicuntur gratia, quia non debita, & naturalia, quia data sunt ad perfectionem & conseruationem naturæ, quales fuerunt omnes habitus ad iustitiam originalem spectantes. Prætereà cap. 4. sic habet: *Sed per te, ô superbenedicta Maria, vita angelica reducitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur, Ipsa conteret caput tuum.* Nota illud, *innocentia reparatur;* sed hæc reparatio nequit congruenter intelligi nisi per infusionem iustitiæ originalis, quæ primos nostros parentes formaliter constituebat innocentes, & per quam ex diametraliter opposito conteritur diaboli caput intendentis à muliere abolere iustitiam originalem, quæ erat adornata; ergo. 27.

Secundò probatur nostra sententia rationibus. Primò, quia id, quod conducit ad maiorem excellentiam Reparatoris, & Christi redemptoris, debemus concedere, saltem in illa persona, cui congruum sit, fateri hoc: sed ad maiorem eius excellentiam redemptionis spectat reparare omnem gratiam, quam 28.

Eua perdiderat; imò & maiorem suis meritis acquirere: & ad hanc gratiam spectat non solùm gratia habitualis, sed etiam iustitia originalis, quia vtramque perdidit Eua per peccatum: ergo cùm Christus fuerit perfectissimus redemptor, ad excellentiam suæ redemptionis spectabat saltem in aliqua persona hanc totam gratiam perditam reparare, sed non in alia congruentiùs, quàm in Virgine matre, imò & omnium spiritualiter viuentium matre, vt videri potest apud Salazar fol. 150. ante numerum 7. quandoquidem neque in alia muliere fuit iustitia originalis, quàm in vnica Eua matre omnium temporaliter viuentium: ergo eam debemus admittere in Virgine in primo conceptionis instanti, sicut in Eua admittimus in primo creationis suæ momento.

29. Et confirmatur ex plurium Patrum locutionibus asserentibus Euam fuisse ædificatam in similitudinem Mariæ, sed illa fuit cum iustitia originali ædificata; ergo & beatissima Virgo Maria. videatur circa hoc Salazar cap. 9. per totum.

30. Secunda, quia impeccabilitas venialis inseparabilis est ab innocentia, & originali iustitia secundùm doctrinam Thomistarum, quam assumunt ex D. Thoma 1.2. quæst. 89. art. 3. vbi ait quòd primi parentes in statu innocentiæ non potuerunt peccare venialiter priusquam mortaliter, sed beata Virgo habuit impeccabilitatem venialem per totam vitam, vt definit Concilium Tridentinum sessione 6. de iustificatione canone 23. ergo inseparabilis fuit hæc impeccabilitas in Virgine à iustitia originali. patet consequentia, quia inseparabilitas est relatio huius extremi ad illud extremum, cum quo semper est coniunctum; sed vnum extremum est non peccare venialiter, & aliud habere iustitiam originalem; ergo non peccare venialiter in eorum Auctorum sententia non debuit separari in Virgine à iustitia originali.

31. Nec sufficit respondere, quòd impeccabilitatem venialem habuit beata Virgo ex priuilegio; iustitia verò originalis habebatur à natura: quia contrà est, nam impeccabilitas venialis in Thomistarum sententia oritur vel tamquam propria passio, vel tamquam accidens inseparabile à iustitia originali; ergo si habeatur ex priuilegio, etiam debet oriri ab illa. Præterea, quia etiamsi iustitia originalis haberetur à posteris Adami per propagationem naturalem (& in hoc sensu à natura) si Adamus non peccasset, tamen benè potest à Deo conferri de potentia sua ex aliquo priuilegio; ergo sicut inseparabilitas peccandi venialiter oritur ex natura à iustitia originali, ex natura ita impeccabilitas venialis ex priuilegio oritur, & est necessariò coniuncta cum iustitia originali ex priuilegio.

Neque similiter sufficit dicere, quòd impeccabilitas venialis Virginis fuit ex speciali manutenentia Dei, & proueniebat ex auxiliis internæ & externæ protectionis; impeccabilitas verò iustitiæ originalis proueniebat ex habitibus infusis, qui iustitiam originalem constituebant, & hominem in statu innocentiæ rectificabant: Quia contrà est primò, quia iam sequitur quòd non sint inseparabiles impeccabilitas venialis, & iustitia originalis, quandoquidem potest vna dari sine alia, quod est contra eorum sententiam. Secundò, quia magis durauit impeccabilitas venialis in Virgine, quàm in Eua, quia in hac fuit perbreue tempus, & in beata Virgine Maria per totam vitam; ergo debuit prouenire à principiis non minùs permanentibus, quàm in Eua; ergo & ab habitibus sicut in Eua. Tertiò, quia etiam in Eua proueniebat ab auxiliis tum externæ protectionis, tum internæ, quæ cùm in horum Auctorum sententia sint qualitates inhærentes, siue fluidæ essent, sed semper sibi succedentes, siue essent permanentes; & consequenter habitus (quæ differentia tantùm est materialis & accidentaria) quocumque modo accipiantur, semper impeccabilitas venialis in Virgine foret inseparabilis à iustitia originali. 32.

Neque

33. Neque denique satis est, si respondeas hoc argumentum probare, quòd beata Virgo habuit statum innocentiæ, quia Thomistæ aiunt quòd impeccabilitas venialis inseparabilis fuit à statu iustitiæ originalis: quia contrà est, quòd talis impeccabilitas non proueniebat ex omnibus quatuor bonis, quæ componebant per se illum statum, sed tantùm proueniebat ex illis, quæ rectificabant potentias in ordine ad quamlibet actionem moralem, & consequenter tantùm proueniebat ex iustitia originali, quæ rectitudinem physicam & moralem causabat in vnaquaque persona: & hoc existimo velle Thomistas, quando aiunt hanc impeccabilitatem esse inseparabilem à statu iustitiæ originalis. Hæc diximus ex sententia Thomistarum, quia in sententia Scoti non est verum quòd primi parentes in statu innocentiæ habuissent impeccabilitatem venialem.

34. Tertia ratione probatur, quia in beata Virgine prorsus fuit ablatus & extinctus fomes peccati, vt cum pluribus Auctoribus docet Salazar cap. 32. §. 3. num. 34. & latiùs Ægidius de Præsentatione lib. 4. quæst. 2. & portio inferior fuit conformis omnino superiori; & superior omnino rectificata in ordine ad Deum, vt communis Scholasticorum, & Ecclesiæ Patrum sententia docet: ergo vt rectitudo hæc tam corporalis, quam spiritualis esset connaturaliter in beata Virgine, debemus in ipsa collocare habitus à quibus actus connaturaliter elicerentur sicut eliciebantur à primis nostris parentibus in statu innocentiæ, & non solùm excellentem quamdam contemplationem, vt aliqui ponunt; videatur Vasquez vbi suprà; ergo & iustitiam originalem, quia hæc non differt ab illis habitibus sic rectificantibus; vel si iustitiam originalem constituas in specialibus auxiliis simul cum gratia habituali (vt constituit Vasquez) vel in aliqua excellentiori gratia habituali (vt docuit Sotus) eadem similiter propter eamdem rationem debemus in Virgine collocare.

35. Quartò probatur, quia sicut negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis: sed ideò negamus in posteris Adami effectus iustitiæ originalis, quia ipsam iustitiam negamus in illis propter peccatum originale: ergo ideò debemus in Virgine affirmare iustitiam originalem, quia in ipsa affirmamus fuisse iustitiæ originalis effectus (non dico quia in ipsa non fuit peccatum originale, quia hoc argumentum nullum esset, vt suprà vidimus quæstione antecedenti, sed quia in ipsa fuerunt effectus iustitiæ originalis.) nam in ipsa admittimus frænum portionis superioris & inferioris, carentiam fomitis & multitudinis conceptuum, & carentiam grauedinis gestationis prolis in vtero, dolorum partus, secundarum fæcium & sordium partus: quæ omnia Virgo sanctissima minimè perpessa est, vt latè & eruditè probat Salazar per totum caput 28.

Et confirmatur, quia ideò hæ pœnæ perseuerant in baptizatis, licèt non perseueret peccatum originale; quia non habent iustitiam originalem, nam si illam habuissent, ista non haberent mulieres, vt docent plures, sed illa non habuit B. Virgo Maria; ergo ideò fuit, quia habuit iustitiam originalem. 36.

Quinta denique fit ratio, quia præterea habuit non solùm gratiam habitualem, auxilia internæ & externæ protectionis, virtutes theologales & morales infusas, sed etiam iustitiam originalem, quia cùm esset nobilis eius natura, & cùm esset opus à manu Dei fabricatum (propter quas rationes etiam dicitur natura angelica creata in iustitia originali) debuit fieri rectum; & cùm daretur in sociam, & adiutorium viri similiter perfecti, debuit etiam esse perfecta; sed non minùs beata Virgo fuit opus nobile à manu Dei specialiter fabricatum, vt conclamant Patres: ergo debuit fieri rectum, & similiter data est in sociam, & adiutorium, tùm D. Iosephi, quem Euangelium vocat iustum; tum Christi Domini, qui est Sanctus Sanctorum: ergo debuit esse perfecta non minori, sed potiùs maiori perfectione, quàm Eua: ergo & fuit concepta cum iustitia originali. 37.

38. Et confirmatur, quia mulier associata viro, ambulans cum illo, comedens cum illo, conuersans cum illo, &c. & semper purissima, honestissima, integerrima Virgo, impollutaque ab omni labe peccati tam mortalis, quàm venialis, vt digna mater Dei existeret debuit habere, & illi debemus tribuere omnem gratiam, quam ad omnes hos effectus habendos cognouimus tribuisse aliquando Deum omni creaturæ, nisi aliàs obstat manifesta repugnantia, vt expresse docet Bernardus in Epistola 174. sed hæc nulla apparet; & ad illos cognoscimus tribuisse non solùm gratiam habitualem, auxilia, virtutes, &c. sed etiam iustitiam originalem; ergo hanc non debemus illi denegare: vnde ingenuè ego eam illi concedo ab instanti suæ conceptionis, dum Ecclesia aliter non sentiat.

39. Argumenta autem, quæ fieri possunt in contrarium, vel probant, quòd habuerit peccatum originale, quæ iam soluimus quæstione antecedenti; vel tantùm sunt ea, quæ fundant primam huius quæstionis sententiam, quam statim postquam adduximus impugnauimus; vel confundunt, aut non satis distinguunt iustitiam originalem, & statum innocentiæ, quod suprà distinximus, & distinctionem efficaciter satis probauimus: vel denique quæstionem hanc reducunt ad solas voces, & faciunt de solo nomine, quod non debet admitti cùm sit de re, & de re magni momenti; quare in fine illius nihil occurrit de nouo satisfaciendum.

Plura possunt in præsenti disputari 40. quibus supersedeo, quia non spectant per se ad præseruationem B. Virginis à peccato originali, sed potiùs ad sanctificationem ipsius, de qua agunt Scholastici in 3. dist. 3. & Thomistæ super 2. partem quęst. 27. D. Thomæ. An autem fuerit in primo conceptionis instanti confirmata in gratia, vide apud Salazar cap. 32. §. 2. & 3. An autem concepta fuerit in gloria, id est, an in primo suæ conceptionis instanti Deum clarè viderit vide ibidem §. 4. licèt enim conclusiones affirmatiuæ harum quęstionum, & probationes earum confirment immunitatem beatæ Virginis à peccato originali, tamen non est in præsenti congruum in his immorari, etsi probabiles sint, cùm aliæ plures & certiores suppętant rationes, quas iam adduximus, præsertim cùm excellentiæ istæ non sint connexæ cum iustitia originali, neque carentia peccati originalis cum illis; quare ab earum disputatione abstineo, sicut etiam abstineo ab illa quæstione An hæc iustitia originalis collata beatæ Virgini foret in posteros transfundenda si haberet filios ex naturali concubitu, & an transfunderet carentia peccati originalis, legatur Ægidius lib. 4. quæstione 2. articulo 11. & hæc de quæstione.



DISPV-

DISPVTATIO III.

DE

PRÆSERVATIONE

B. MARIÆ VIRGINIS

A DEBITO INCVRRRENDI

PECCATVM ORIGINALE.

ANtequam accedamus ad disputationem circa diffinibilitatem opinionis piæ, oportet disputare circa præseruationem à debito, quia quò magis constat Virginis præseruatio, videlicet non solùm ab executione legis, sed etiam ab ipsa lege, eò magis constat immunitas beatissimæ Virginis à peccato originali, & consequenter eò magis patet aditus ad diffinibilitatem sententiæ nostræ, quæ prædictam immunitatem: de præseruatione à debito aliqua tangit Scotus, de quibus infrà.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm beatissima Virgo Maria extiterit præseruata à debito incurrendi peccatum originale?

1. PRIMA in hac re sententia simpliciter & absolutè negat beatæ Virgini omne debitum ad contrahendum originale peccatum. Pro hac sententia sic absolutè prolata refertur Valencia tom. 2. disput. 6. quæst. 11. p. 2. §. *quare ad primam respondeo.* Vasquez 2. tom. ad 3. partem disput. 115. cap. 3. Azor tom. 1. Institutionum moralium lib. 4. cap. 34. q. 3. Henriquez tom. 1. Summæ, lib. 3. de Confirmatione, & Extrema-vnctione cap. 1. num. 3. litt. L. Basilius Legionensis in lib. variarum disputationum repetitione 3. paginâ 546. columnâ 2. Angles in 2. disput. 31. de traductione peccati originalis. Turrianus in Epistola de peccato originali. Stephanus Mendez lib. 3. de Dignitate Virginis sanctissimæ cap. 34. §. 2. Denique Catherinus in Tractatu de Conceptione Virginis. Hos hucusque refert Auctores Ægidius quæst. 4. art. 2. §. 2. relatos in quadam huius controuersiæ ad ipsum missâ relatione: sed §. 4. probat hos omnes Auctores hanc sententiam non tenuisse.

2. Salazar tamen cap. 41. canone 1. non solùm ex præfatis Auctoribus refert aliquos postquam vidit refutationem Ægidij, sed etiam refert Salmeronem in manuscriptis in Epist. ad Roman. disp. 49. Iodocum Clictoueum lib. de Puritate Conceptionis cap. 8. & 9. Ioannem Suarez in Concionibus in Apocalypsim concione 23. Ioaisam in Tractatu de Pura Conceptione punct. 3. Cosmam Magalianum in 1. ad Timoth. cap. 2. sectione 3. Barradium tom. 1. lib. 6. cap. 3. Ioannem Carthagenam in Homiliis Catholicis: qui tres vltimi eam asserunt probabilem: nostrum Cornelium Musum Episcopum Visontinum in Epist. ad Rom. in illa verba, *In quo omnes peccauerunt*, Galatinum lib. 7. de Arcanis. Ludouicum de Carauajal in declamatione facta in Concilio Trident. cap. 23. quod caput ad hunc modum scripsit, *Quòd lex vniuersalis peccati originalis non sit in beatissimam Virginem lata.*

3. Sed quod caput est: Hanc sententiam ab omni erroris suspicione liberauit

rauit censura supremi Senatus sanctæ Inquisitionis; nam cùm ad sanctissimum illud tribunal aliqui Theologi (scilicet P. N. Frater Ioannes de Soria Lector, & Frater Franciscus Fresno eius discipulus, & condiscipulus meus) delati & accersiti fuissent, eò quòd debitum etiam originalis culpæ in Virgine abnegassent, & tandem in Adamo non peccasse dicerent (quo in tempore eamdem sententiam, me respondente Compluti, sustentabat doctissimus Pater Frater Antonius de Velasco) re examinatâ, & perpensâ, auditis qualificatoribus, aliisque sapientissimis viris, præcipuè ex celebri Vniuersitate Complutensi, tandem statutum est, eos, qui præfatum dogma protulerunt, nihil demereri; atque adeò indultum, vt Fratres Minores Toleti suas de hac re publicè theses defenderent, quas auctoritas illius Senatus priùs inhibuerat, vt constat ex locupletissimo testimonio Ferdinandi de Villegas eiusdem tribunalis à secretis Notarij, dato Matriti 22. die Ianuarij anno 1616. quod refert Salazar cap. 8. §. 3. in principio, vbi latè refutat Ægidium intendentem qualificationem Inquisitionis non debere intelligi de omni debito, præcipuè de contracto in Adamo, sed debito Virginis in ipsa contracto.

4. Hæc sententia probatur primò ex Scriptura applicata ab Ecclesia in nostro Officio Conceptionis beatæ Virgini: *Ego sum frater tuus* (inquit rex Assuerus reginæ Esther cap. 3.) *noli timere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* sed hanc legem in sensu figuratiuo acceptam intelligit Ecclesia de lege transfundenda peccatum originale. Ibidem sub his verbis in Responsorio 7. *Omnes moriemini, quia in Adam peccauistis: Quid habes Esther eleuata in populis? Ego sum frater tuus, noli timere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* ergo lex de transfundendo peccato originali non fuit constituta pro Virgine, sicut pro ceteris. At eo ipso quòd non comprehendatur sub lege, sequitur quòd neque habuerit debitum in se contractum, neque contractum in Adamo peccandi originaliter, quia totum hoc dependet ab inclusione legis: ergo nullum habuit debitum peccandi originaliter.

5. Secundò probatur ex Concilio Tridentino in Decreto de peccato originali, vbi postquam non solùm egisset de contractione peccati originalis, sed etiam de necessitate contrahendi illud, iuxta illa verba, *Si quis asserit Adamum acceptam à Deo sanctitatem, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse, anathema sit*; & hoc probasset ex illis Scripturæ locutionibus, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, &c. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, &c. quibus probatur necessitas, seu debitum in posteris Adami contrahendi peccatum originale; statim in fine illius decreti ait non esse suæ intentionis comprehendere beatam Virginem in illo decreto; ergo Concilium non solùm eam excipit à contractione peccati originalis, sed etiam à contractione debiti; quia nihil quod de aliis enuntiauerat de Virgine intelligi voluit.

6. Tertiò probatur ex Patribus: Diuus enim Cyprianus oratione de Natiuitate habet hæc verba: *Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimùm à ceteris differens natura communicabat, non culpa.* vbi pondera ly, *Nec sustinebat iustitia, vt communibus lassaretur iniuriis*; ergo nullum erat ius, aut lex (ex qua iustitia dependet) per quam Virgo illis iniuriis esset obnoxia: & ly, *plurimùm à ceteris differens natura communicabat, non culpa*; ergo beata Virgo cum reliquis hominibus solùm communem naturam habuit, non legem in ordine ad culpam originalem.

7. Præterea D. Augustinus in Expositione Symboli, & Oratione Dominica, vt habetur in illius Milleloquio ait: *Conueniens erat, vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.* & in lib. de Natura & gratia cap. 33. *De Virgine Maria cùm de peccatis agitur nullam habere volo quæstionem*; ergo neque quæstionem de debito. Et D. Ildephonsus in lib. de Parturitione & virginitate Mariæ ait:

Alio-

Alioquin quid est quòd legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum quod in ea fuit possedit Spiritus sanctus. Et ex Ricardo de S. Victore habentur in Officio Conceptionis composito à Leonardo de Nogarolis hæc verba: *Non decuit vt caro Mariæ qualicumque foret obnoxia culpæ.* Et similia referunt in Officio edito à Bernardino de Bustis: *Beatus venter Mariæ, qui nulli vnquam fuit culpæ obnoxius.*

8. Sed clarissimè omnium D. Anselmus in Officio Nogarolis lectione 4. sic habet: *Vas electionis sanctus Paulus omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtique sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio: sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo considero, sicut te non intra omnia, sed supra omnia quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione deuinctam fuisse opinor.* ergo quia beata Virgo fuit, & est super omnia creata, non clauditur, neque comprehenditur lege ligâte reliquum genus humanum.

9. Denique Cardinalis Cussianus libro 8. Exercitationum, & sermone *sicut lilium* pag. 192. ait, *Beatam Virginem non indiguisse liberatore à seruitute peccati.* Et D. Dominicus in Tractatu de Corpore Christi ait: *Sicut terra, ex qua Adamus formatus fuit, numquam alicui maledicto fuit subiecta, ita etiam Virgo beata,* &c.

10. Quartò probatur ratione, quia maior puritas est non contraxisse debitum peccandi originaliter, neque in se, neque in Adamo, quàm illud contraxisse; sed puritas Virginis debet esse maior, quæ sub Deo nequit intelligi: ergo cùm nulla sit circa hoc repugnantia, debemus asserere beatam Virginem nullum contraxisse debitum. Antecedens probatur à simili; nam Paulus ad Hebr. 7. exprobrat Leui, quòd in Abrahamo parente suo, seu prout in lumbis eius erat, decimas Melchisedech exsoluit; sed similiter posset exprobrare Virgini, quòd existens in Adamo, & in lumbis eius peccauerit, si ibi teneretur eâdem lege quâ ille non peccare, quod est multò maior & peior exprobratio, quàm exprobratio Leui: ergo. Vnde etiamsi præseruata fuerit ab ipso peccato, licebit ei accommodare id quod Baldus in cap. finali de translatione Episcoporum circa medium ferit: *Spurius,* inquit, *legitimatus, aut aliquâ aliâ ratione legitimatus similis est agro curato à vulnere, cuius aliqua semper remanet cicatrix.* ergo, &c.

Denique probari solet quintò, quia quando Deus pactum iniuit cum Adamo, & legem stabiliuit pro se, & posteris eius, vel inclusit Virginem in lege, vel non; si non, habeo intentem; si inclusit, ergo cùm efficaciter voluerit ipsam includi, debuit eius efficax voluntas adimpleri; ergo non potuit præseruari à peccato. patet consequentia, quia aliàs Deus esset mutabilis, quandoquidem sicut eius voluntas quòd in re contraherent iustitiam originalem si Adamus non comedisset de ligno prohibito, & in executione illam contraherent non ratione alterius, sed ratione illius voluntatis; ita eius voluntas fuit quòd in re contraherent posteri carentiam talis iustitiæ, & in re illam contrahunt ratione eiusdem voluntatis; quæ carentia est peccatum originale; quod non admittent nobiscum piè sentientes. 11.

Secunda & ex diametro in oppositum sententia affirmat in beata Virgine fuisse omne debitum tam scilicet proximum, quàm remotum peccandi originaliter, siue debitum proprium sit in propria persona, vt volunt Auctores statim referendi; siue in persona Adami, vt vult Ægidius de Præsentatione loco à nobis relato disp. 1. quæst. 6. vbi latè egimus de omni debito peccandi originaliter. Hanc sententiam docet Bellarminus tom. & lib. 4. de Amissione gratiæ, & statu peccati cap. 16. §. *denique obnoxia*: & vt veriorem probauit Suarez 2. tom. ad 3. partem disput. 3. sectione 4. §. 3. & Caietanus in Tractatu de Conceptione Virginis cap. 2. & 3. Vasquez 2. tom. ad 3. partem disput. 115. latè noster Corduba lib. 1. Quæstionum quæst. 44. conclusione 5. per totam. Faber Pytigianus, & communiter antiqui Scotistæ in 3. Sentent. dist. 3. & plures alij quos refert & sequitur Ægi- 12.

Ægidius quæst. 4. art. 2. §. 4. & ante casum Toleti suprà relatum erat quasi communis apud Auctores, & Scriptores; an autem fuerit Scoti, statim dicat.

13. Hanc sententiam probat primò Corduba ex Scriptura, quia omnes illæ locutiones, *Omnes in Adam peccauerunt*, &c. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*, includunt propter vniuersalitatem beatam Virginem: sed asserendo quòd ipsa fuerit à peccato originali præseruata non possunt explicari, nisi asserendo quòd non fuit præseruata à debito, & à peccato contracto in Adamo: ergo.

14. Et confirmatur, quia aliàs beata Virgo non potuisset verè dici redempta à Christo; nam vt refert Augustinus in Epistola 157. quæ est ad optatum secundùm Epistolam Zosimi Papæ, *Nullus, nisi qui peccati seruus, efficitur liber; nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuit antè captiuus*. Cùm ergo hoc definiat Pontifex, debemus in Virgine concedere aliquam seruitutem, & captiuitatem, scilicet saltem in Adamo, & in debito.

15. Secundò probat Ægidius quæst. 4. artic. 3. §. 3. ex Patribus: Gilbertus enim Porretanus in Commentariis ad Boëtium in lib. de duabus naturis ita habet: *Maria scilicet (& ceteri omnes) ex primorum parentum prævaricatione peccato & morti subiacebat*. Et Augustinus lib. 2. contra Iulianum cap. 10. contra Pelagianos sic scribit: *Solùm Christum, quia sit natus ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excipit* (scilicet ab Ecclesia) *ceteris omnibus ex Adam sub peccati obligatione nascentibus*.

16. Eusebius Emissenus homil. 2. de Natiuitate Domini ita ait: *A peccati veteris nexu per se non est immunis, neque ipsa genitrix Redemptoris. Solus ille licèt ex debito renascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur*. Nota illud, *licèt ex debito nascatur*.

17. Denique hoc ipsum probatur ex pluribus aliis Patribus asserentibus, *Christum non sumpsisse carnem peccati: eam tamen sumpsisse ex materna carne peccati*. Ita Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 24. *Aut de massa peccatrice sumptam esse*. Ita Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 16. Vnde Hugo de sancto Victore lib. 2. de Sacramentis 1. p. cap. 5. affirmat Filium Dei de carne obnoxia peccato assumpsisse carnem à peccato liberam. Quòd autem significetur peccatum peccati explicat Ambros. sermone 6. in Psalmum 118. dum ait, *Carnem peccati ideò dici peccati carnem, quia hæreditario est damnata maledicto*. Ergo.

Tertiò probat, quia aliàs etiamsi beata Virgo non habeat in primo instanti suæ conceptionis gratiam iustificantem, adhuc non contraheret originale peccatum. Patet consequentia, quia non tenebatur lege Adami, & consequenter carentia iustitiæ originalis non erat carentia formæ debitæ; & sic neque priuatio, in qua peccatum originale consistit. Consequentia autem ista non est admittenda; ergo, &c. 18.

Et confirmatur, quia si aliquis homo crearetur à Deo, iste non contraheret peccatum originale, propterea quòd iste non tenebatur lege Adami; ergo similiter contingit Virgini, si illius lege non tenetur. 19.

Quartò denique probat, quia nullis meritis Christi præcipuè passibilis potuit beata Virgo præseruari à lege peccati originalis. Patet consequentia, quia in sententia D. Thomæ Christus adhuc quoad substantiam non fuit prædestinatus, nisi post præuisum peccatum originale. Et in sententia Scoti licèt ante illud fuerit prædestinatus quantùm ad substantiam, non tamen quantùm ad modum, quia post præuisum peccatum originale decretum fuit à Deo, quòd Christus mortem crucis subiret, vt hominem sub peccato captiuum liberaret. Sed si beata Virgo fuit præseruata à debito, & non inclusa in lege, hoc debuit fieri antequam Adamus peccasset; tunc scilicet quando Deus legem prædictam statuit, & pactum cum Adamo fecit. Ergo talis præsentatio facta esset independenter à meritis Christi passibilis, quod est alienum à Scriptura & Patribus solùm admittentibus gratiam reconciliatiuam prouenientem ex meritis mortis crucis. Legatur Ægidius quæst. 3. arti- 20.

articulo 4. §. 3. à numero 6. & deinceps.

21. Tertia, & vltima sententia, & media admittit in Virgine aliquod debitum peccandi originaliter; non tamen admittit omne debitum, quod est in reliquis posteris Adami: & notanter dico, *peccandi originaliter*, quia prima sententia licèt nullum includat debitum peccandi originaliter, contra quam opponitur ei secunda, admittit tamen debitum incurrendi in lege ratione filiationis communis, & propagationis naturalis ex Adamo, quod appellant debitum debiti: vnde hæc sententia tertia contra primam docet habuisse aliquod debitum peccandi originaliter; & contra secundam, quòd non habuerit omne debitum, quia licèt habuerit remotum, siue hoc fuerit ante peccatum Adami, siue post ipsum, non tamen habuit debitum proximum, siue hoc contrahatur in propria persona, siue tantùm sit in persona Adami iuxta diuersas sententias suprà adductas disp. 1. quæst. 6. ita docent plures, quos suppresso nomine refert Ægidius quęst. 4. art. 1. §. 1.

22. Probatur autem hæc sententia media, quia secundùm ea, quæ adducta sunt in prima sententia, debemus Virginem immunem, & liberam asserere à lege peccati originalis; & secundùm ea, quæ adducta sunt pro secunda, debemus ipsam asserere dependentem omnino à meritis Christi vt redemptoris per merita passionis & crucis: sed vtrumque hoc non potest conciliari, nisi aliquale debitum, licèt remotum admittamus in Virgine, & negemus debitum proximum: ergo ita dicendum est.

23. Et confirmatur primò, quia vel debitum proximum contrahitur in propria persona, vel contrahitur in aliena, scilicet in Adamo; si in propria, ergo nequit præseruari ab originali, nisi præseruaretur à debito proximo, quia non stat necessitas contrahendi priuationem gratiæ simul cum actuali contractione ipsius gratiæ; si in aliena, ergo neque similiter potuit præseruari ab originali, quia peccare in Adamo, & peccare in se ita connexa sunt, vt propter primum absque aliquo alio omnes posteri Adami contrahant secundum; ergo non potuit præseruari ab originali, quin præseruata extiterit à debito proximo peccandi originaliter, licèt aliàs contraxerit debitum remotum, propter quod liberata à peccato, & præseruatiuè redempta dicatur.

Et confirmatur secundò, quia peccatum originale est priuatio iustitiæ debitæ; ergo si beatissima Virgo præseruata fuit ab illo, ablata fuit ab ea priuatio iustitiæ debitæ; ergo sicut ei aliquo modo erat iustitia originalis debita, ita propter peccatum Adami erat ei aliquo modo debita hæc priuatio; ergo habuit aliquod debitum. 24.

In hac re dico primò: Beatissima Virgo præseruata fuit à debito proximo, & in propria persona exercito contrahendi peccatum originale. Hanc cõclusionem reperio apud Scotum nostrum, meo videri, expressam in 3. dist. 3. quæst. 1. §. *si autem teneatur.* vbi loquens de præseruatione Virginis à peccato originali etiam loquitur de præseruatione à debito isto his verbis: *Si autem teneatur pars negatiua quæstionis, ad omnes auctoritates in contrariam partem respondetur, quòd quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ originalis, & ex demerito Adæ caret eâ; & ideò omnis talis habet vnde contrahat peccatum originale; sed si alicui in primo instanti creationis animæ detur gratia, ille licèt careret iustitiâ originali, numquam tamen est debitor eius, quia merito alterius præuenientis peccatum datur sibi gratia*, &c. ergo cùm in sententia Scoti data fuerit beatissimæ Virgini gratia in primo conceptionis instanti, sequitur quòd in sententia Scoti beatissima Virgo numquam fuerit debitrix originalis iustitiæ, ita vt hoc debitum ei imputetur: quare non ait Scotus, quòd post datam gratiam non est debitor iustitiæ originalis; sed ait, quòd numquam est debitor eius: ergo in eius sententia beata Virgo non habuit in se debitum peccandi originaliter, quod omnium 25.

omnium optimè vidit ex Scoto Salazar cap. 13. quòd autem hoc debitum censeri debeat proximum, & dici in propria persona exercitum, iam probauimus disput. 1. quæst. 6. videatur.

26. Hanc conclusionem ad minus probant argumenta pro prima sententia: specialiter tamen sic probo primò, quia debitum priuationis iustitiæ originalis destruitur per collationem gratiæ habitualis, & commutatur in debitum habendi illam; ergo in instanti, quo collata est beatæ Virgini gratia habitualis, destruetur debitum carendi iustitiâ originali; ergo pro eodem instanti habuit debitum carendi iustitiâ originali, & non habuit debitum carendi iustitiâ originali, quod est verificare duas contradictiones; ergo eo ipso quòd beata Virgo in illo primo instanti non habuerit peccatum originale, neque similiter potuit habere debitum proximum carendi instítiâ originali.

27. Neque obstat si dicas idem argumentum fieri posse in baptizatis; nam similiter quando destruitur in ipsis peccatum originale, destruitur similiter debitum proximum, & exercitum habendi illud: ergo pro eodem instanti sicut debitores, & non sunt debitores.

28. Respondetur nihilominùs, quia sicut in ipsis non sunt simul pro eodem instanti gratia & peccatum, sed in instanti in quo est gratia verificatur modò non est peccatum, sed ante hoc instans erat; ita similiter neque in illo instanti est debitum, sed ante illud instans erat. In conceptione autem Virginis non possumus plura instantia considerare sicut in baptizatis, sed tantùm vnicum instans, in quo non possunt contradictoria verificari.

29. Secundò sic probo, quia necessitas contracta in propria persona contrahendi peccatum originale (quæ est formaliter debitum proximum, & exercitum) & actualis contractio ipsius peccati originalis, vel sunt inseparabilia intra se, vel non; si primum habeo intentum, quia non potuisset Virgo carere actuali contractione peccati originalis, & non carere etiam debito: si secundum tunc loquitur, quòd non sit aliqua sufficiens ratio, ex qua probemus reliquos posteros Adami contraxisse peccatum origiuale, & non tantum debitum. Patet sequela, quia si locutiones generales Scripturæ tantùm obligant nos ponere debitum in Virgine, & non obligant ponere peccatum; similiter tantùm obligabimur ex eis ponere in posteris reliquis Adami debitum, & non ponere peccatum originale. Sequela autem est manifestè contra decreta Conciliorum, & contra doctrinam Augustini impugnantis Pelagianos, qui tantùm admittebant debitum in hominibus, & omnem rationem culpæ abolebant, quia dicebant Christum ab omni nos liberasse, & redemisse, contra quos decernitur omnes posteros Adami contrahere non solùm debitum, sed etiam peccatum originale: debemus ergo asserere, hæc esse inter se semper coniuncta: vnde non posito vno, non potest poni aliud. Hæc ratio tantùm est efficax contra eos, qui nullum liberant à peccato originali propter vniuersalitatem locutionis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, nisi solùm beatam Virginem Mariam.

Maior autem est difficultas, An 30.
peccauerit in Adamo beatissima Virgo Maria? circa quod dico secundò vtrumque esse probabile secundùm ea, quæ adduximus pro prima, & secunda sententia: sed quòd peccauerit in Adamo, & in illo habuerit debitum peccandi originaliter, conformius est doctrinæ Scoti: nam vbi suprà versiculo *per illud patet* habet hæc verba: *Per illud patet ad rationes factas pro prima opinione, quia Maria maximè indiguisset Christo vt redemptore; ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præuenta per gratiam mediatoris; & sicut alij indiguerunt Christo, vt per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum; ita illa magis indiguit mediatore præueniente*

niente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, & ne ipsa contraheret. Nisi etiam velis hæc verba interpretari de debito remoto, quod habetur ratione propagationis communis, & appellatur debitum debiti, quod habuit beata Virgo per conceptionem, per concubitum viri & mulieris, in quo conuenit cum reliquis posteris Adami, ratione cuius obnoxia erat, vt posset comprehendi sicut reliqui in lege de transfundendo peccato, non autem fuit comprehensa ratione Christi mediatoris, quod etiam apparet probabile in Scoto, præcipuè si attendantur illa verba, *Ne esset ab ipsa aliquando contrahendum.* itaq; ait, quòd illa, scilicet beata Virgo Maria, magis indiguit Christo mediatore praeueniente peccatum, non solùm *ne ipsa contraheret*, sed etiam *ne esset ab ipsa aliquando contrahendum*, id est ne haberet necessitatem, seu debitum aliquando contrahendi illud, scilicet neque in propria persona, neque in persona Adami, quia si in persona Adami illud contraheret, aliquando contraheret.

31. Hæc conclusio probatur ex solutione argumentorum vtriusque sententiæ oppositæ. Vnde si teneas cum secunda sententia quòd peccauit in Adamo, respondebis ad primum dupliciter, primò quòd aliquando dicitur aliqua lex non constituta pro aliquo, non quia non sit constituta, sed quia in effectu non obligat propter aliquod speciale priuilegium dispensans executionem legis; & ideò potuit dici Esther Reginæ & Virgini beatissimæ, *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Secundò, quòd lex non fuit constituta pro Virgine in propria persona, & sic non contraxit debitum proximum, benè tamen in persona Adami, in cuius lege contenta fuit.

32. Ad secundum respondetur, quòd tota controuersia, quæ tunc vigebat in Concilio Tridentino circa præseruationem Virginis erat circa peccatum originale, non circa debitum; vnde quando voluit non contineri Virginem in illo decreto fuit circa contractionem peccati originalis, non circa contractionem debiti.

Ad tertium respondetur ex testimoniis Patrum sicut ad primum, quòd vel loquuntur de lege quatenus inducit in re ipsum effectum; & vt sic intellecti, tantùm intendunt eximere Virginem beatissimam ab ipsa macula peccati originalis: vel loquuntur de lege applicata formaliter personæ Virginis; & sic intellecti, tantùm excludunt illam à debito proximo, non autem de lege prout applicata virtualiter & implicitè in Adamo. 33.

Ad quartum respondetur, quòd sicut nulla fuit indecentia, quòd Christus Dominus (qui est Sanctus Sanctorum, & nihil impurum potuit continere) descenderet ex Adamo, & ex progenie peccatrice; ita neque est aliqua impuritas, quòd Virgo peccauerit in Adamo, dummodo in se non peccauerit; neque improperium filij spurij adductum à Baldo potest Virgini applicari, quia ipsa in propria persona numquam fuit, neque debuit esse filia spuria, sed potiùs ingenua ex adoptiuis filia Dei, & legitima, naturalisque eius alma mater. Ex similitudine autem desumpta ex Paulo, tantùm infertur, quòd præferri debeat Christus Dominus Virgini, sicut sacerdotium Melchisedech sacerdotio Leuitico: quod verissimum est, quia Christus non continebatur in lumbis Adæ, quantùm ad debitum contrahendi peccatum originale, sicut continebatur beatissima Virgo Maria; quare hæc indiguit ipso Præseruatore. 34.

Ad quintum respondetur concedendo quòd inclusit Deus Virginem in lege, & concedendo quòd eius voluntas quia efficax debuit adimpleri ex ea parte, quà inclusa est in lege; non tamen propterea impræseruabilis manebat à peccato originali, quia ex alia parte, & ex titulo maternitatis voluit efficaciter Deus ipsam ab actuali contractione peccati liberare, & dispensare cum ipsa, non quantùm ad obligationem, quam iam voluit supra ipsam cadere in Adamo, sed quantùm 35.

tùm ad contractionem peccati, & hoc propter summam auctoritatem, quam apud se reseruat, quod etiam contigisse in aliis rebus his similibus probauimus in disputatione 2. quæstione 1. parte 3. in fine, & contingit sæpè de facto in paruulis, qui decedunt sine baptismo, nam ex vna parte vult Deus efficaciter eos baptizari, & confert auxilium sufficiens, in eo quòd dat causis virtutem ad edendum puerum in lucem, & tandem iam editus accedat ad fontem baptismatis; & ex alia parte non vult efficaciter quòd accedat, quia concurrit cum causis corruptiuis, & moritur antequam ad baptismum accedat. Ecce qualiter Deus ex vna parte vult efficaciter vnum, & ex alia parte vult efficaciter oppositum. Potuit ergo Deus Virginem comprehendere in quantum naturalem filiam Adami, & ipsam constituere filiam moralem: & ex alia parte, in quantum matrem nolle ipsam pati executionem talis legis: præcipuè cùm hæc duo diuersa sint potentia, terminare diuersas Dei voluntates.

36. Sed obiicies: Ex voluntate illa, quâ Deus voluit ipsam Virginem teneri lege Adami, voluit ipsam peccare in se peccante Adamo: ergo comprehensâ Virgine in lege, etiam debuit comprehendi in actuali contractione peccati, supposito quòd Adamus peccauit. Antecedens patet ex verbis, quibus Deus condidit legem: *De arbore scientia boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis, morte morieris.* id est; in quacumque hora comederis tu, & posteri tui in te virtualiter contenti, & à te naturaliter propagandi, morte peccati moriemini; sin autem minimè: ergo si posteà vult quòd aliquis non moriatur morte peccati, mutatur Deus.

37. Respondetur concedendo, quòd ex volitione, quâ vult Deus eos sic obligari, infertur alia saltem permissiua, quâ permittit eos contrahere peccati mortem, nisi accedat alius titulus, qualis est maternitatis, qui licet relinquat Virginem comprehensam in lege, vt sit subiectum capax redemptionis, tamen petit eam excipi ab executione legis per infusionem gratiæ & iustitiæ; mutatio autem Dei contingeret, si res esset eadem, & se haberet eodem modo. Lege Salazar cap. 10. à numero 5.

Si autem teneas cum prima sententia, quòd beata Virgo non peccauit in Adamo. Respondebis ad primum secundæ sententiæ beatam Virginem non fuisse exclusam ab illis locutionibus generalibus, sed non inclusam in illis, quia omnes illæ intelliguntur & de contractione debiti, & de contractione peccati, & nullo postero Adami excluso ab vtroque (vt ex professo docet Ægidius quæst. 5. art. 3. per totum, & art. 5. quare satis inconsequens apparet, dum vbi suprà, vt de fide, docet Virginem inclusam in lege, & in Adamo peccasse; sed qualiter de Ægidio sentiat Salazar, vide cap. 19. §. 1. num. 25.) Cum Virgine autem non loquitur, quia tantùm habuit propter excellentissimam eius dignitatem pro capite morali Christum Dominum, non Adamum, siue inferiorem, quod intelligimus sic factum ex Scriptura sic insinuante in pluribus testimoniis, & ex aliis quæ adduximus disput. 2. quæst. 1. Præterquam quòd probabiliter dici potest, quòd cùm Adamus habuerit notitiam Christi futuri, etiam eam habuerit eius matris futuræ; & quòd non solùm Deus, sed etiam ipse Adam noluit talem matrem comprehendere quantùm ad contractionem peccati in illo pacto, quod pepigit Deus cum ipso. 38.

Ad confirmationem respondetur, quòd illa doctrina est vera de omnibus non inclusâ Virgine, & de redemptione subleuatiua, de qua ibi loquebantur Zosimus, & Augustinus; imò & si aliquid probaret, etiam probaret, quòd beata Virgo contraxisset non solùm debitum, sed etiam peccatum. 39.

Ad secundum ex auctoritatibus Patrum respondetur, quòd vel loquuntur de obnoxietate in debito remoto ante peccatum Adami habito, quia si Virgo non esset futura mater comprehenderetur in lege, & in peccato, sicut reliqui posteri Adami; vel loquuntur de obnoxietate ex modo propagationis ad distinctionem ingenuitatis Christi 40.

sti ex modo suæ propagationis; vel loquuntur negando Virginis immunitatem à debito per se, sicut habuit Christus, sed non per accidens, qualem ipsa habuit: vel denique loquuntur de carne peccatrice, non in propria persona, sed in personis totius progeniei, quæ peccatrix fuit & contractione peccati originalis, & aliorum peccatorum actuallium contractione.

41. Ad tertium, & eius confirmationem respondetur concedendo, quòd si beata Virgo non habuisset gratiam, neque habuisset peccatum originale, sicut homo immediatè à Deo creatus; tamen duplicem habuit gratiam, primam quia prædestinata est à Deo ad trahendum gratiam habitualem, imò & iustitiam originalem sibi coæuam propter dignitatem maternitatis, & hoc immediatè post prædestinationem Christi: secundam scilicet posteà quando Deus decreuit imponere legem Adamo, & posteris eius, quia non intelligebatur in ea ipsa sanctissima Domina, quam iam ad talem gratiam sibi coæuam prædestinauerat, quæ est gratia affectiua diuinæ voluntatis. Neque hoc admittere aliquod patitur inconueniens.

42. Ad quartum respondetur ex dicendis quæstione sequenti, vnde immeritò censuratur hæc sententia ab Ægidio vbi suprà, à Corduba, & aliis relatis à Salazar cap. 8. quem contra ipsos lege ibidem à numero 5.

43. Tertia vera sententia in quantum Virginem eximit à debito proximo nobiscum est; in quantum verò illam includit in debito remoto non qualicumque, sed peccandi originaliter, & consequenter illam includit tamquam comprehensam in lege, etiam est probabilis, quia hoc docet cum secunda sententia. Sed ad eius argumenta faciliter potest responderi ex dictis pro prima sententia, & ex dictis pro prima nostra conclusione, contra quam & aliàs nihil superest dicendum.

QVÆSTIO II.

Quibus Christi meritis præseruata fuerit beata Virgo tum à debito, tum à peccato originali?

EAdem est ratio vtriusque, & eisdem meritis, quibus præseruata extitit beata Virgo à peccato originali, præseruata existit à debito; quare cum communi Theologorum sententia, tamquam de fide, suppono Christi meritis redemptam fuisse Dominam nostram ab eis, à quibus fuit libera. Vnde Ambrosius in Lucam ad illa verba, *Ecce Ancilla Domini*. ait: *Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Et Dionysius Alexandrinus Epistolâ contra Paulum Samosetanum habet hæc verba: *Vna autem, & sola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens.* Et diuus Bernardinus Senensis in Sermone de Assumptione inquit: *Plus pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura*, &c. Et infrà: *Nam primogenita Redemptoris filij sui fuit beata Virgo.* Hoc ergo supposito, quærimus quibus meritis Christi fuerit redempta. 1.

2. Tota huius rei difficultas ortum habet ab illa quæstione materiei de Incarnatione, in qua quæritur an Christus Dominus prædestinatus fuerit à Deo ante præuisum peccatum originale, vel post? in qua Auctores diuisi sunt in tres classes; in prima sunt illi, qui asserunt tam quoad substantiam, quàm quoad modum prædestinatum fuisse ante peccatum originale. ita Suarez cum aliis. In secunda sunt illi, qui asserunt quoad vtrumque esse prædestinatum post illud. ita ex Thomistis plurimi. In tertia & vltima sunt illi, qui docent quoad substantiam fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati, quoad modum verò post illud. ita Scotus cum pluribus aliis. De qua quæstione latè egi in prædicta materia disputatione 4. quæstione 1.

 Qui-

3. Quibus prælibatis, Auctores primæ classis, quorum aliqui defendunt immunitatem Virginis à peccato, & non à debito, vt Suarez in 3. parte quæst. 27. disp. 1. sect. 3. & disput. 3. sect. 2. & 3. & alij immunitatem ab vtroque, vt Catherinus opusculo de Peccato originali cap. vltimo, & lib. 2. cap. 2. Ioannes de Pineda in Tractatu de Immaculata Conceptione in constitutionem Ioannis Aragoniæ regis Gundi. saluus, Sanchez Luzero in Tractatu de hac Thesi, cui subscribit Granados in simili Tractatu lib. 1. c. 3. §. 8. Raymundus Lulius ibidem, & Ioannes Baptista Lezaña ex Carmelitana familia in Apologia circa puram Virginis conceptionem, ex eo aiunt Virginis præseruationem fieri à meritis Christi quoad substantiam & modum, quia ipse præcedit prædestinatus vt medicina, vel præseruatiua tam in actu primo, quàm secundo; vel subleuatiua, sed in actu tantùm primo; sed est medicina per merita prædicta: ergo ex meritis illis præuisis potuit redimi, ne laberetur in peccatum, & etiam ne contraheret debitum.

4. Auctores isti sic ordinant decreta Dei, à quorum ordinatione resolutio huius difficultatis dimanat; in primo igitur instanti, aut signo suarum præfinitionum, Deus via intentionis Christum fore secundùm substantiam, & secundùm suas proprietates in indiuiduo decreuit; in secundo decreuit fore Virginem vt esset mater Dei, & tum eam elegit ad eum gratiæ & gloriæ cumulum, quem demum obtinuit; in tertio signo decreuit fore omnes alias creaturas, & mundum vniuersum; in quarto ex hominibus & Angelis prædestinauit aliquos, & circa alios se habuit negatiuè; in quinto Adamum & Euam fore decreuit omnium parentes tam physicè, quàm moraliter, intimando eis legem de non comedendo de arbore, &c. & in hoc signo aliqui Auctores excipiunt Virginem ab inclusione in lege, alij verò non: in sexto permisit lapsum Adami, & in hoc signo aliqui includunt Virginem, quia putant quòd tantùm ex eo contrahitur debitum, & obnoxietas peccandi in se, non tamen ipsum peccatum; alij verò, quia putant quòd vtrumque contrahitur, scilicet & peccare in se, & in Adamo, ideò excludunt Virginem ab illo: in septimo voluit Christum ipsum Adamum redimere, vel ipsum, & alios, in quo discrepant alij, &c.

5. Hæc sententia patitur eam difficultatem, quæ admittit tum quòd merita in intentione possint aliquid mereri, quandoquidem meritum est causa in genere causæ efficientis; nam agit, quia est non in genere causæ finalis, quæ tantùm agit vt fit, & meritum in intentione tantùm habet esse in genere causæ finalis: tum admittit quòd sit Christus prædestinatus vt causa meritoria, vel merita confusa abstrahentia à passibilibus & impassibilibus, quod est ponere in decretis Dei aliquam confusionem, vel per merita si distincta, sed quoad modum: vnde sequitur teneri Deum, vel velle permittere peccatum, vt posito peccato posset poni passio, & mors Christi, quæ sunt merita quoad modum; vel quòd ipsa passio in re ponatur absque positione peccati Adami, quia etiam si Adamus non peccaret, Christus moreretur; nam hoc erat à Deo determinatum secundùm hanc sententiam: quæ omnia plura inconuenientia continent, imò & falsa, vt in illa quæstione latè probaui.

6. Auctores verò secundæ classis, qui Virginem præseruant à peccato originali, & aliqui præseruant à debito proximo, ex eo aiunt Virginem fuisse ab originali præseruatam ex meritis Christi quoad substantiam, & quoad modum, quia in primo signo decreuit Deus creare Adamum in iustitia originali, & ipsum constituere caput morale quoad transfusionem iustitiæ, & peccati omnium suorum posterorum, etiam inclusa Virgine; in secundo permisit ipsum peccare; in tertio, præuiso iam casu Adami, & peccato eius iam propendente in posteros, decreuit Christum venire, & in carne passibili, vt per passionem & mortem crucis hominem liberaret; & tunc voluit præseruatiuè redimere Virginem, scilicet

licet ne illud peccatum, quod iam illi imminebat, incurreret, quando existeret in rerum natura, præueniendo illud per infusionem gratiæ habitualis in animam, ita Vasquez disput. 116. & plures ex Thomistis super 3. partem quæst. 27. & tunc etiam præseruatam fuisse à debito proximo dicunt aliqui, quia infusio talis gratiæ non solùm præoccupauit peccatum, sed etiam necessitatem, & debitum peccandi proximum, & in propria persona exercitum, sed non debitum remotum, quod iam contraxerat per inclusionem in lege, supposito peccato Adami; ita plures ex hac Complutensi Academia, qui subscripserunt huic opinioni.

7. Modus iste dicendi, præter difficultatem illam, quam deuorat, & transglutitur, scilicet Christum Dominum tantùm fuisse à Deo decretum occasione peccati, & hoc tantum flagitium occasionem fuisse tanti boni, non solùm in ratione redemptoris, iuxta illud, *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* sed etiam in se, & secundùm propriam substantiam, contra illud, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, &c. Quod de Sapientia incarnata explicant ad litteram Concilia & Patres admittit illam, quæ asserit Christum, & eius mortem fuisse à Deo tunc decretum solùm propter peccatum Adami prout tantùm contractum in ipso, non propter contracta peccata originalia & actualia reliquorum: quod videtur difficile. Et denique explicat Scripturæ locutiones vniuersales de debito, & de lege peccati originalis, quâ filij Adam obnoxij sint, ipsum contrahere, & non de ipsa actuali contractione: quod est difficilius iuxta ea, quæ diximus quæstione antecedenti, & docet Salazar cap. 16. à numero 3.

8. Vt ergo ex vna parte sentiat cum D. Thoma 3. p. quæst. 1. art. 3. Christum quoad substantiam & modum prædestinante post originale peccatum non solùm contractum in Adamo, sed etiam in reliquis posteris eius; & ex alia fugiendo inconuenientia adducta præseruet Virginem non solùm à peccato originali in se, sed etiam in Adamo: & consequenter à debito sic meditatus est signa diuinæ dispositionis Ferdinandus de Salazar cap. 17. à §. 3. & deinceps per plura probat capita; in primo enim signo, inquit, præuidit Deus Adami lapsum, & omnium suorum posterorum, quos Deus iam futuros decreuerat: in secundo decreuit Christum, & mortem eius, vt genus humanum redimeret: in tertio ex meritis Christi iam præuisis, non solùm quantùm ad substantiam, sed etiam quantùm ad modum prædestinata est beata Virgo, non solùm quantùm ad gloriam, gratiam, & maternitatem, sed etiam quoad existentiam; quapropter neque inclusa est in lege, quam Deus stabiliuit in primo signo, quia illa lex tantùm ferebatur pro tunc præuisis in existentia futuris; neque contraxit peccatum originale, quia aliorum lege non tenebatur; neque habuit aliud caput morale, nisi Christum Dominum eius filium.

9. Hic modus dicendi licèt satis aptus ad omnia inter se componenda ex his quæ intenduntur ab Auctore, eam tamen patitur difficultatem, quia eodem prorsus modo possemus plures alios homines præseruare, præcipuè eos qui ex meritis Christi precibus impetrati sunt à parentibus, quia isti non videntur decreti ante decretum circa aduentum Christi. Præterea admittit omnium beatam Reginam decretam quantùm ad omnia post omnes; & præcipuè ita eam obseruat non decretam ante Christum, vt per eius merita præseruet ipsam à debito, & à peccato, quod quantùm ad hoc eam facit omnino independentem à meritis eius, quia eo solùm ipso quòd non comprehensa fuisset in lege lata, antequam quidquam ageretur de Christo, conciperetur sine peccato originali, etiamsi Christus non haberet merita, neque pateretur. Et denique difficultates omnes, quas patitur sententia prædestinans Christum post præuisum peccatum originale, impertinenter admittit, quandoquidem etiamsi Christus fuisset quoad substantiam & modum prædestinatus ante peccatum, potuit

potuit eodem modo reſeruari à Deo decretum circa omnia, quæ ad Virginem attinent poſt peccatum, vt tunc decerneretur ab omni contagione innoxia, ſed omnia admittere non videtur congruum.

10. Scotus ergo licèt nihil expreſsè aſſerat circa hoc de Virgine, ex his tamen, quæ de Chriſto & prædeſtinatione ait in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & in Reportatis quæſt. 4. & diſt. 19. quæſt. 1. & in 1. Sentent. diſt. 41. & in aliis locis euidenter colligitur qualiter in hac materia ſit, in eius ſententia philoſophandum: inquit igitur Doctor quòd ſic ſe habuerunt ſigna in diuina prouidentia, in primo enim ſigno Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni, ad quod reliqua omnia creata bona ordinari opus erat; in ſecundo intellexit omnes alias creaturas, quam intellectionem fore viſionis, quæ ſupponit Dei decretum circa exiſtentiam illarum. patet ex his quæ habet in 1. diſt. 41. q. vnicâ, *§. poteſt aliter dici*, vbi ait quòd Petrus & Iudas propoſiti ad prædeſtinationem æquales in naturalibus voliti à Deo in eſſe exiſtentiæ offeruntur Deo, & tunc prædeſtinat Petrum, & habet ſe negatiuè circa Iudam. & in 3. diſt. 32. inquit Deum velle mundum in quarto ſigno. Neque contra hoc eſt id, quod ait in 2. diſt. 20. quæſt. 2. ſcilicet quòd ſi perſeueraret ſtatus innocentiæ, illi ſolùm eſſent geniti, qui nunc ſunt electi, quia loquitur de generatione & natiuitate à tali parente, ſcilicet ab innocente, vt ipſe expreſsè ait *§. dico quòd ſoli*; & aliàs contrarius eſſet ſibi ipſi quæſtione antecedenti, aſſerenti quòd homines in illo ſtatu non eſſent confirmati in gratia, potuiſſentque mortaliter peccare ſicut primus parens; ergo & damnari: vult ergo quòd ex nocentibus non naſcerentur electi.

11. Deinde in tertio ſigno prædeſtinauit hos ad gratiam & gloriam tam ex hominibus, quàm ex Angelis, & circa alios habuit actum negatiuum non prædeſtinando: inter prædeſtinatos autem, primò prædeſtinauit Chriſtum, & ad ſummam gratiam, & gloriam coæuas ſuæ animæ rationali, & ad vnionem hypoſtaticam ordinauit eius humanitatem, vt Angeli, qui poſt ipſum, & propter ipſum prædeſtinandi erant, non ſubeſſent tamquam morali capiti puro homini, ſed homini Deo: nihil autem tunc egit de prædeſtinatione corporis Chriſti ad gloriam, ſed potiùs dilata fuit vſque ad poſteriora ſigna; itaque in hoc ſigno ponendus eſt integer Chriſtus non ſolùm in intentione, ſed etiam in executione, & non ſolùm ſecundùm animam, vt immeritò imponit Scoto Salazar, ſed etiam ſecundùm totam ſuam humanitatem, & quia quæ ſunt priora in intentione poſteriora ſunt in executione: ideò ſicut ordine intentionis priùs prædeſtinauit Deus Chriſti humanitatem ad ſummam gloriam, qualem decebat Regi gloriæ, & illius Eccleſiæ triumphantis; & deinde ad ſummam gratiam ipſi coæuam, & omnibus modis conuenientem ſupremo Capiti morali vtriuſque Eccleſiæ; & tandem ad vnionem hypoſtaticam, cui hæc ſumma gloria, & gratia proportionabantur: ita in ordine executionis priùs prædeſtinauit ad vnionem hypoſtaticam, deinde ad gratiam, & tandem ad gloriam: quod totum vtroque ordine intentionis, ſcilicet & executionis decreuit Deus antequam gradum faceret ad prædeſtinationes Angelorum & hominum, & tunc præuidit Deus in Chriſto merita plurima non ſolùm ordine intentionis intenta, ſed etiam ordine executionis exhibita, quæ appellamus merita impaſſibilia, verbi gratiâ actus dilectionis Dei, gratitudinis, religionis, &c. quæ non concernunt ſtatum paſſibilitatis, & propter illa merita priùs voluit Deus omnes homines ſaluos fieri, quæ voluntas dicitur inefficax, & poſteà voluntate efficaci prædeſtinauit hos Angelos & homines, & meo videri ante omnes beatiſſimam Virginem Mariam, quæ tunc prædeſtinata eſt tum ad gloriam propè ſummam, tum ad gratiam eius animæ coæuam, tum ad maternitatem prout Dei, quidquid ſit. An anteà in ſigno antecedenti fuerit iam

iam decreta ad esse matrem illius humanitatis Christi.

12. In quarto signo pactum cum Adamo, & legem illam de non comedendo de arbore facere decreuit Deus (vbi Virginem excepit, vel non excepit, sed inclusit iuxta diuersas sententias quæstione antecedenti probabiles) tuncque permisit Adamum peccare, præuiditque eius peccatum, & posteros eius casuros in Adamo; quare statim in quinto signo præordinauit, seu præuidit de remedio, quomodo redimerentur per passionem Filij, & sic decreuit Christum pati, & crucis mortem subire: vnde tunc Christus *vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, vt ait Paulus ad Hebr. 10. id est sanctificationem illorum quos elegerat consummauit, quia antè tantùm electi erant ad gratiam, vt sanctificationem posteà electi fuerunt ad gratiam vt reconciliatiuam, & redemptiuam, siue subleuatiuè, siue præseruatiuè, & hoc fuit consummare in sempiternum sanctificatos, scilicet perficere sanctificationem in sempiternum decretum; qualiter autem omnis gratia per Christum collata possit, & debeat dici gratia redemptionis, vide apud Salazar cap. 23. §. 13.

13. Dicendum ergo nobis est secundùm prædictam mentem Scoti, quòd beata Virgo fuit præseruata tum à debito proximo, tum probabiliter loquendo à lege Adami, tum à peccato originali ex meritis Christi non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum; & non solùm in executione temporali, sed etiam in intentione æterna. Hanc conclusionem quantùm ad ordinem executionis probo, quia quando Deus in tempore Virginem sanctificauit in primo instanti suæ conceptionis ipsi infundendo gratiam habitualem, & quando pactum fecit cum Adamo, si tunc Virginem in illo non inclusit præcipuè quantùm ad partem odiosam, iam præuidebatur à Deo Christus moriturus, quantò magis Deum dilecturus, gratias acturus, &c. ergo propter merita Christi tam quoad substantiam, quàm quoad modum fuit Virgo ab omnibus his in executione temporali redempta. Patet consequentia, quia neque Christo, & omnibus eius meritis est hæc deneganda excellentia, neque beatæ Virgini: vnde meritò dicit Ecclesia, quòd ex morte Filij sui præuisa eam Deus ab omni labe præseruauerit.

Quantùm ad ordinem intentionis sic probo, & in primis, quòd præseruata fuerit per merita Christi quoad substantiam, patet ex eo, quia sicut Christus quantùm ad substantiam fuit antecedenter ad peccati contractionem, & ad constitutionem pacti, & legis à Deo prædestinantis, ita præcesserunt eius merita quoad substantiam, quibus mereretur ab ipso prædestinatio Virginis ad gratiam eius animæ coæuam, & ad præseruandum ipsam à lege (si fortè ab ea fuit præseruata) vt verum sit illud Pauli ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et paulò pòst: *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum.* In quibus significatur, quòd Christus fuerit non solùm causa finalis, sed etiam causa efficiens meritoria cuiusque generis prædestinationis ad quodcumque bonum nostrum, quantò magis beatæ Virgini: ergo, &c. 14.

Deinde quòd præseruata fuerit in intentione à peccato etiam per merita quoad modum probo, quia licèt priùs per merita quoad substantiam decreta fuerit Virgini gratia habitualis prout sanctificans, non tamen prout redimens etiam præseruatiuè, quia vt sic debuit præuideri peccatum iam contractum in Adamo, & imminens, seu propendens in Virginem proximè vel remotè, sed statim post hoc decreta fuerunt Christi merita quoad modum, & tunc potuit intendi præfata Virginis præseruatio à peccato, seu eadem gratia sanctificatiua, prout præseruatiua, propter prædicta merita quoad modum: ergo redemptio præseruatiua Virginis à peccato originali adhuc ordine intentionis fuit volita à Deo propter merita Christi etiam quoad modum. 15.

Neque obstat, si dicas, quòd eadem præseruatio non potuit intendi à 16.

à Deo ex duplici fine, neque propter duplicem causam efficientem meritoriam; ergo neque priùs propter merita Christi quoad substantiam, & posteriùs propter merita ipsius quoad modum.

17. Respondent aliqui, quòd in causis moralibus hoc non est inconueniens sicut in causis physicis: deinde alij, quòd neque in vtrisque: sed omnia hæc latè impugnaui disputatione 4. de Incarnatione, quæstione 1. iam citatâ, parte 4. Respondeo igitur quòd eadem præseruatio facta à duplici decreto, quorum vnum sit propter merita Christi quoad substantiam, & aliud propter merita quoad modum, nullum est inconueniens, sicut omnes prædestinati prædestinamur priùs ad gloriam in intentione independenter à meritis vt causis efficientibus, & posteà iterùm prædestinamur ad illam in executione dependenter ab illis, quia diuersitas decretorum non est regulanda præcisè ratione effectus producti (vt minùs benè volunt aliqui) sed ratione vel diuersi effectus siue moralis, siue physici, vel diuersi finis mouentis, aut causæ moralis inducentis, non aliter ac quis decreuerat in Toletum ire ratione visendi ipsum, & posteà eamdem viam decernit, quia scit ibi ægrotare amicum, & posteà iterùm decreuit propter aliam causam, &c. & ita potuit contingere respectu Virginis, cuius præseruatio & à peccato, & à lege potuit quasi priùs decerni propter merita Christi quoad substantiam, & posteà præuiso casu Adami, & Christo moriturо potuit iterùm per hæc merita quoad modum determinari. Prætereà respondetur quòd potuit beata Virgo prædestinari priùs per merita quoad substantiam ad gratiam vt sanctificatiuam, & posteà per merita quoad modum ad eamdem gratiam vt præseruatiuè redemptiuam, quæ aliquam formalitatem superaddit ad priorem propter respectum, quem includit ad peccatum à quo præseruat, & sic formaliter non fuit eadem prædestinatio, quia prior fuit ad gratiam animæ Virginis coæuæ, & ei sanctificatiuam; posterior verò fuit ad eamdem gratiam prout præseruatiuam, & redemptiuam.

Quòd autem Deus propter merita Christi ante præuisum peccatum originale prædestinauerit electos, & consequenter inter omnes primò Virginem latè probatur à Scotistis vbi suprà, nunc sufficiat aliqua attingere: & primò, quia ante peccatum originale fuit Christus, & Ecclesia, iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* quod dixit Paulus vt explicaret Sacramentum quod continebatur in illis verbis Genes. 5. ante peccatum ab Adamo dictis: *Propter quam relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* ergo ante peccatum Christus præextitit præuisus vt caput morale, & Ecclesia vt corpus eius; ergo in ipsam deriuabatur à Christo tamquam à capite gratia, & gloria: sed in corpore Ecclesiæ præcipuum membrum est beata Virgo; ergo ad omnem gratiam, quam habuit, fuit à Deo prædestinata propter Christum præuisum ante peccatum originale. 18.

Secundò ex Patribus; nam Irenæus ad illa verba Pauli ad Rom. 5. *In similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.* sic habet lib. 3. aduersus hæreses cap. 34. *Vnde & à Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem Fabricator omnium Verbum præformauerat, prædestinante Deo primum animal, hominem videlicet, vt à spirituali saluaretur, cùm præexisteret saluans; oportebat & quòd saluaretur fieri, vti non vacuum esset saluans;* ergo prædestinatio hominum facta est à Deo, propter Christum saluatorem præuisum, quando decreuit prædestinationem Adami: sed multò potiori ratione hoc est dicendum de Virgine: ergo, &c. 19.

Petrus Damianus in Sermone de Natiuitate Virginis fatur: *Hac eadem beata Virgo ante constitutionem mundi in Concilio æterna Sapientia electa, & prælecta*, &c. Vide alia plura, quæ adducit Salazar cap. 2. Neque enim necesse 20.

necesse habemus plura multiplicare encomia Virginis, vt sciamus ipsam omnibus debere præferri prædestinatis (quid non prædestinatis?) & ad omnia dona cuicumque alteri creaturæ collata prædestinatam ab æterno propter quæcumque Christi merita sibi possibilia applicari; nam vt optime ait Arnoldus Carnotensis in Sermone de Natiuitate Virginis, *Maria creaturis constat omnibus; quidquid enim singulis distributor iustus contulit, matri adornandæ congessit.* quare meritò diuus Epiphanius in Sermone de Laudibus Mariæ illam *cæli terraq; mysterium* appellauit, hispanè *cifra del cielo y de la tierra;* & quasi totum opus Incarnationis factum fuerit propter perfectionem Mariæ in Libro de Virginitate Mariæ cap. 2. sic deuotè pronunciat D. Ildephonsus, *Procido ante te solum opus Incarnationis* (alij Codices legunt) *Sola opus Incarnationis Dei mei.* ergo reliquis omnibus præferenda est beata Virgo in prædestinatione ad omnia dona sibi possibilia conferri ex quibuscumque meritis Christi Domini; cuius Incarnatio quasi tota applicata est, vt eam Deus modis omnibus perficeret, exaltaret, glorificaret.

Plura in contrarium adduci pos- 21.
sunt ex Salazar cap. 30. vbi ex Patribus probat Virginem conditam, & electam fuisse, vt genus humanum repararet mediante generatione Filij sui, & suis meritis disponentibus eam ad munus maternitatis; ergo non fuit condita, & præelecta ante præuisum peccatum Adami. Sed ad hæc omnia respondetur vnico verbo, scilicet non fore intelligenda de electione æterna, quâ eam Deus elegit ad existentiam, gratiam & gloriam ex primaria Dei intentione, sed de executione temporali, quæ facta est propter omnia illa bona, quæ referunt Patres: & notanter dixi ex primaria Dei intentione, quia ex secundaria iam suprà diximus, quòd post peccatum præuisum, & post Christum prædestinatum vt passibiliter redemptorem, iterùm ex meritis Christi quoad modum nouo Dei decreto innouatæ fuerunt omnes prædestinationes ad gratiam in reliquis hominibus prout subleuatiuè quoad originale redemptiuam, & in beatissima Virgine prout præseruatiuè. & hæc de hac Quæstione, & Disputatione.



DISPVTATIO IV.

ET VLTIMA

CIRCA DEFINIBILITATEM

OPINIONIS PIÆ.

VT autem conſtet quàm parata & expedita ad definitionem quam deſideramus ſit ſententia noſtra, quæ docet beatiſſimam Virginem immunem & præſeruatam fuiſſe pro primo conceptionis inſtanti à peccato originali, hanc vltimam inſtituimus Diſputationem, quæ rectè ſuccedit his, quæ à nobis diſcuſſa ſunt, vt ponderatis, & ad bilancem reductis fundamentis, quò magis noſtra ſunt cum veritate completa, eò magis appareat præfatæ definitionis materia.

QVÆSTIO PRIMA.

Quem certitudinis gradum habeat opinio pia?

1. PLVRA congerit circa hanc Quæſtionem Salazar cap. 43. ſed multò plura Ægidius de Præſentatione lib. 3. quæſt. 2. & quæſt. 4. art. 5. & quæſt. 8. per totam: in quibus ſi attentè legantur circa aliqua, iam in hanc partem, iam in illam videntur inclinare, & aliquando affirmare quod negauerant, & negare quod affirmauerant videantur; quare relictis variis ſententiis, & eorum Auctoribus, quos ipſi referunt, per concluſiones deciſiuas hanc reſoluemus Quæſtionem.

2. Dico primò: Sententia pia, quæ docet beatam Virginem in primo conceptionis inſtanti non contraxiſſe peccatum originale, nondum eſt ab Eccleſia definita. hæc concluſio eſt communis. & probatur, quia Concilium Tridentinum ſeſſione 5. decreto de peccato originali expreſsè decernit, obſeruandas eſſe conſtitutiones Sixti IV. circa hoc: ſed in prædictis conſtitutionibus afficitur cenſuris qui dixerit hanc vel oppoſitam ſententiam eſſe de fide, & reddit rationem cùm nondum ab Eccleſia fuerit definita: ergo. Secundò, quia ſi propter aliquam rationem fuiſſet definita, maximè quia Concilium Baſilienſe ſeſſione 34. eam definiuit; ſed pro tunc prædictum Concilium non erat legitimum, vt latè traditur ab Auctoribus: ergo.

Tertiò, quia definitio, quam infert S. Cecilius martyr in quodam Concilio Apoſtolorum, adhuc non eſt ſatis nota eius vera exiſtentia, & vt talis tradita & recepta in Eccleſia vniuerſali: ergo non eſt ſententia pia adhuc ſufficienter definita ab Eccleſia. 3.

Difficultas tamen eſt, An prædicta ſententia, licèt non ſit definita, ſit tamen de fide, quia plura ſunt quæ ita clarè & expreſsè in Scriptura continentur, vel per traditiones accipiuntur, quòd antequam ab Eccleſia definiantur ſint de fide, licèt Fides Catholica nihil credat quod non ſit ab Eccleſia Romana propoſitum vt de fide credendum? Neque quærimus an ſit de fide particulari, ſeu particularium reuelationum, quia optimè ſtat quòd aliquid ſit de fide hoc modo reſpectu alicuius, quod non ſit de fide reſpectu omnium, quia vel in ſpeciali illi reuelatum eſt, vel alteri, de cuius reuelationis credibilitate non 4.

dubitat

dubitat quis. vel alicui ita est manifestum ex Scriptura, aut ex Conciliis, &c. quòd immediatè, aut mediatè per euidentem consequentiam est ipsi nota diuina reuelatio; sed quærimus an prædicta propositio, licet non sit definita, sit tamen de fide, quæ scilicet ab omnibus possit credi.

5. Dico secundò, hanc propositionem præseruationis non esse de fide, quæ ab omnibus possit credi. Conclusio ista probatur, quia licèt hæc sententia contineatur in illis verbis Lucæ. 2. *Aue gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* & similiter significetur in aliis Scripturæ testimoniis, quæ adduximus disp. 2. quæst. 1. cap. 1. tamen non ita certò deducitur ex illis, vt non sit aliqualis formido de opposito: sed vbi formido est, non est fides, quia fides est assensus certus de aliquo articulo propter diuinam auctoritatem reuelantem: ergo, &c.

6. Confirmatur, quia ex constitutione Sixti IV. suprà adducta habemus expressè quòd neutra sententia est de fide, quia neque sententia negans, neque affirmans est certa certitudine fidei. Ex hoc oritur statim controuersia, An assertio, quæ vnam, vel alteram opinionem vocat hæresim, aliqua digna sit censura? circa quam vide Ægidium vbi suprà §. 3. plures enim putant esse dignum censurâ hæresis, hæreticumque deberi appellari, quia profert contra id, quod definitum est à Sixto IV. in suprà dicta constitutione; alij verò cum Ægidio aiunt non esse dignum ita grandi censurâ, qui condemnat partem affirmantem ponentem in Virgine peccatum originale, sicut qui condemnat partem negatiuam. Hic enim meretur dici hæreticus, ille verò non tantùm audax & temerarius, quia Pontifex in prædicta constitutione diuersis verbis, & his diuersis notis se habet circa hunc, ac circa illum.

7. Dico tamen tertiò: Qui vnam, vel alteram sententiam damnat hæresi, temerarius est, & inobediens, & excommunicatus, non tamen est hæreticus. ita docet Suarez 2. tom. ad 3. partem disput. 3. sect. 6. in fine, cui tandem post plura, quæ videtur dicere in contrarium, acquiescit Ægid. in fine §. tertij num. 20. Fundamentum est, quia Sixtus IV. vbi suprà non definiuit tamquam de fide vtramque problematis partem esse incertam, sed solùm simpliciter docuit vtramque ideò non esse infallibiliter certam, quia Ecclesia neutram huc usque de fide definierit; ergo qui aliquam partem huius controuersiæ dixerit esse ita certam, quòd sit de fide, tantùm est inobediens, & temerarius; & non dignus censurâ hæresis; erit tamen excommunicatus, quia excommunicatio imposita est à summò Pontifice propter reprimendas seditiones.

8. Et propter hoc patet ad fundamenta opposita, quia Ecclesia nihil definiuit, sed tantùm voluit reprimere diuersas audacias in fidelibus notam ad inuicem immerito imponentibus.

9. Deinde dico quartò: Neutra huius controuersiæ sententia est notanda censura erroris, aut temeritatis. Hæc conclusio probatur ex Extrauaganti Pij V. quæ incipit, *Super speculum.* vbi habet hæc verba: *Nos igitur quæ prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimùm illa, quæ à sacrosancto Synodo Tridentino denuò sint confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem prout vel magis piam, vel magis probabilem esse iudicauerit.* sed cui conceditur facultas sentiendi oppositum non censetur erroneus, vel temerarius: ergo neutra huius controuersiæ sententia notanda est censura erroris, aut temeritatis.

10. Quare dicendum est quintò, vtramque sententiam esse probabilem; nostram verò esse probabiliorem. Prima pars huius conclusionis manifesta apparet ex Extrauaganti suprà adducta, & etiam ex eo quòd neutra potest alteram damnare vt hæreticam, erroneam, aut temerariam; ergo vtraque gaudet probabilitate opinionis. Secunda conclusionis pars satis sit manifesta ex his, quæ in propria quæstione adduximus pro ea, ex fauore quo sancta

cta mater Ecclesia eam vbilibet celebrat, & celebrari præcipit, & audaces contra eam retundit. Ex quo oritur difficultas, An gaudeat maiori aliquâ censurâ, quàm maioris probabilitatis?

11. Circa hanc difficultatem Salazar vbi suprà §. 2. cum aliis ab eo relatis ibidem existimat sententiam piam esse moraliter certam, ita vt falsitati moraliter subiacere non possit: quid autem sit esse moraliter certam, explicat per hoc quod similem certitudinem præ se fert cum aliis, quæ certitudinem & infallibilitatem habent, si conferantur horum, & illius rationes, & fundamenta; nam si conferatur cum natiuitate Virginis, cum assumptione, cum præseruatione à peccatis actualibus, &c. quæ in Ecclesia habent certitudinem, non videtur peioris conditionis. Ægidius verò lib. 3. quæst. 6. art. 1. §. 9. non solùm moralem certitudinem, sed etiam physicam videtur ei tribuere his verbis: *Ecclesia Romana, dum ex certa scientia Conceptionem beatæ Virginis sub titulo immaculatæ celebrat, statuit, & declarat sententiam, quæ tenet beatam Virginem sine originali fuisse conceptam, non solùm simpliciter esse veram; sed ita esse certam, vt à parte rei nullo modo sit falsa.* Cui modo dicendi licèt diuerso (vt ipse ait) fundamento consentit ipse Salazar §. 4.

12. Noster tamen Laurentius Portel in primo Tomo Dubiorum Regularium verbo *Conceptio Deiparæ* num. 6. refert in regno Portugaliæ anno 1619. mense Maij de mandato supremi & generalis Inquisitoris edicto publico ex decreto (sicut aiebat edictum) summi Pontificis Pauli V. condemnatam fuisse istam propositionem inter alias: *Festum Conceptionis immaculatæ etiam in particularibus Ecclesiis inconsulto Pontifice quondam institutum, sic eius immunitatem ab originali conuincit, vt ei falsitas subesse non possit: vnde quamuis eam de fide institutio eiusmodi festi despire non potuerit, inter veritates tamen ad fidem pertinentes collocauit, quare verum subiret martyrium, qui pro defensione eius moreretur.* An autem condemnatio hæc comprehendat assertiones suprà adductas posset disputari, præcipuè cùm facta sit anno 1619. & Ægid. typis mandauerit librum de Conceptione Virginis anno 1617. & Salazar anno 1618. existimo tamen eas non comprehendere, tum quia non loquuntur indoctè sicut adducta verba sonant, neque de festo Conceptionis inconsulto summo Pontifice; tum quia per expurgatorium de nouo editum à supremo Senatu Inquisitionis non sunt prædictæ assertiones abolitæ; tum denique quia grauibus, & satis probabilibus nituntur fundamentis: quare prædictam litem hac distinctione declaro.

Pro qua suppono, quòd aliqua sententia potest dupliciter accipi: primò quantùm ad assensum merè internum, quem doctus habet perpensis, & auscultatis, libratisque eius fundamentis etiam per comparationem ad oppositam: secundò quantùm ad manifestationem extrinsecam prædicti assensus. Quantùm ad primum optimè potest aliqua sententia, quæ tantùm traditur vt probabilis ab Ecclesia, & à summo Pontifice hoc non definiente, sed simpliciter docente, esse non solùm moraliter, sed etiam physicè certa, ita vt ei à parte rei non possit subesse falsum; & in hoc sensu intelligendi sunt præfati Auctores, in quo non deuiant à mandatis summorum Pontificum, qui neque præcipiunt, neque possunt præcipere contra actus merè internos: quare meritò noster Emanuel Rodriguez tom. 1. Quæst. Regul. q. 57. art. 2. affirmat Concionatores hanc sententiam non debere appellare opinionem, sed debere absolutè proferre hanc sententiam veram, quem sequuntur Granados in lib. de Immaculata Conceptione disp. 2. cap. 30. & Salazar cap. 43. §. 2. Abstinendum ergo est à nomine opinionis, quia interior assensus non est cum formidine partis oppositæ. 13.

Quantùm ad secundum meritò prohibita est assertio, quæ ait sententiam piam esse physicè certam, ita vt à parte rei non possit subesse falso, quia eâ semel positâ statim censuranda venit sententia opposita, saltem eâ probabilitate, quâ prædicta assertio asseritur; 14.

nam

niam ex veritate vnius apparet falsitas alterius; & si veritas oritur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, &c. falsitas erit contra Scripturam, Concilia, Patres, &c. quare propter euitandas graues Ecclesiæ perturbationes ex hac iaculatione censurarum ad inuicem exorientes meritò fit ecclesiastica prohibitio vsquedum Ecclesia definiat quid tenendum sit.

15. In fine tamen huius Quæstionis obserua circa defensionem opinionis D. Thomæ quod præter proprium motum exhibitum à Paulo V. anno 1617. quo sub pœnis à Sixto IV. impositis prohibuit, vt nullus in concione ad populum, vel in actibus publicis, intellige lectionibus, conclusionibus, disputationibus teneat, vel defendat opinionem D. Thomæ, neque de illa aliquo modo agat, seu tractet, idque propter scandalum fidelium (videatur Portel vbi suprà verbo *Prædicatores* num. 6.) præter hunc inquam proprium motum extat alius posteà exhibitus à Gregorio XV. anno Domini 1622. die 2. Iunij, in quo sub excommunicationis sententia, & sub aliis pœnis mandauit, ne opinio D. Thomæ etiam in priuatis colloquiis vel scriptis practicetur, vel defendatur; & quòd omnes recitantes diuinum Officium illâ die Conceptionis dicant ipsum sub nomine conceptionis, & non sub nomine sanctificationis, quicumque illi sint clerici, vel regulares.

QVÆSTIO II.

Vtrùm sententia pia vltimò sit ad definitionem disposita?

1. MEritò sententiam, quæ negat in beata Virgine peccatum originale, appellamus piam, quidquid cum Caietano in Tractatu de Conceptione *§. ex omnibus autem dictis* alij velint asserentes non continere veram pietatem, sed existimatam, prætereà pietatem quidem esse, sed non secundùm scientiam; prætereà suam quidem sententiam esse probabilem, nostram verò tolerabilem censeri posse; nam virtus pietatis est secundùm Theologos, quæ colit parentes, & alios habitos loco parentum; & nostra sententia colit Virginem loco parentis habitam, iuxta illud, *Monstra te esse matrem.* Prætereà in Bulla concessa à Sixto V. & relata ab Emanuele Rodriguez in Bullario fol. 1143. vbi conceditur Minoritis posse recitari Officium cum Octaua in Festo Conceptionis ait Pontifex: *Nos tam pium & laudabile propositum fouere volentes*, &c. Tum denique quia est materia voti, & iuramenti, vt latè probat Portel vbi suprà, quæ non potest esse nisi materia virtutis, imò & de meliori bono. Quærimus ergo; An hæc sententia pia sit vltimò ad definitionem disposita? Et notanter dicimus vltimò, quia non solùm quærimus de dispositione remota, sed etiam de proxima.

Prima ergo in hac re sententia ait neutram sententiam posse pro aliquo tempore definiri. ita asseruit Canus lib. 7. de Locis Catholicis cap. 3. conclusione 4. Et probat primò, quia neutra hactenus definiri valuit: ergo neque postmodum definiri poterit. Probat consequentiam, nam quæ hactenus reuelata non fuit, deinceps nequit spectari reuelatio; sed neutra vsque modò reuelata fuit: ergo. 2.

Secundò probat, quia Ecclesia vtramque declarauit esse probabilem; ergo definiuit neutram esse ex fide certificabilem: sed quæ sic non est certificabilis, non est definibilis; ergo. 3.

Sententia secunda asserit, quòd si aliqua ex duabus oppositis sententiis definienda sit, illa tantùm definienda veniet, quæ affirmat bêatam Virginem peccatum originale contraxisse. ita expressè colligo ex Medina 3. parte quæst. 27. art. 2. conclus. 2. *§. sed circa hanc conclusionem.* vbi pro ea citat Caietanum in Tractatu de Conceptione Virginis. & hanc sententiam probarunt plures ex Thomistis Dominicanis, qui ante Sixtum IV. scripserunt, inter quos est Bandelus Spina, &c. Et probant primò, quia omnes Sancti antiquæ Ecclesiæ in ea sententia conueniunt: ergo Patres Ecclesiæ nouæ non possunt contra eos defi- 4.

definire, aliàs eos omnes condemnarent.

5. Secundò, quia opinio pia nullas habet pro se scripturas authenticas, nullas antiquas reuelationes; sed Ecclesia in definiendo res fidei non vtitur nouis reuelationibus, neque aliquid definit quod in Scriptura non contineatur; ergo.

6. Tertiò, quia si propter aliquam rationem eam definiret Ecclesia, maximè propter fundamenta opposita, & præcipuè propter consensum orbis; sed his omnibus habitis, neque Sixtus IV. neque Concilium Tridentinum, neque aliqui nostrorum temporum summi Pontifices illam voluerunt definire; ergo ideò est, quia si aliqua sententia definienda veniat, non pia, sed opposita erit.

7. Tertia opinio duo ait opposita contra primam, & secundam relatam: contra primam, quòd sententia pia sit definibilis: contra secundam, quòd quando ad Ecclesiæ definitionem deuenjatur, hæc erit definienda, non aduersa. Hanc sententiam expressè, & in terminis docent Ægidius de Præsentatione lib. 3. quæst. 8. art. vnico, §. 1. Salazar cap. 43. §. 6. vbi probat, quòd non solùm remotè, sed etiam proximè sit vltimò disposita ad definitionem sententia pia; imò neque exspectari debere Concilium generale congregandum, sed posse summum Pontificem hoc præstare, proptereà quòd Patres Ecclesiæ in Concilio congregantur, vt communiorem sensum Ecclesiæ aperiant & declarent, quod præstant suis suffragiis, quibus definitiuam tradunt sententiam posteà à summo Pontifice declarandam, & toti populo Ecclesiæ vt de fide proponendam, quod excusari potest quando communis totius Ecclesiæ sensus notorius, & apertus omnibus est, vt contingit in præsenti puncto, siue communis iste Ecclesiæ sensus sumatur ex Patribus, & Principibus populi Christiani, vt sunt Episcopi, &c. siue ex communi plebe fidelium, vt sunt reliqui ab illis. Hanc ergo sententiam & nos amplectimur, quam diuersis conclusionibus distinctam probabimus.

Sit ergo prima conclusio contra primam sententiam: Definibilis est sententia pia. ita Suarez 2. tomo ad 3. p. disput. 3. sect. 6. §. *dico tamen primò*. Vasquez ibidem disput. 117. cap. 14. §. *hæc verò primum*, num. 142. qui duo Auctores asserunt etiam oppositam sententiam esse definibilem, sed difficilius: eam tamen absolutè docet Pytigianus ad 3. Scoti quæst. 1. art. 6. conclusione 1. Ægidius & Salazar vbi suprà; & satis in eam inclinat Oyeda in sua Informatione pro immaculata Conceptione cap. vltimo, folio 53. pag. 1. 8

9. Et probatur primò, quia illa opinio pertinet ad fidem, & est denuò proximè definibilis, quæ vt patet ex testimonio sancti Cecilij ab Apostolis iam fuit definita, vt latè probat Ægidius lib. 3. quæst. 5. art. 3 sect. 4. per totam; sed sic se habet nostra sententia; ergo.

10. Secundò, quia illa quæstio ad fidem pertinet, quæ facit verum & genuinum sacræ Scripturæ intellectum; sed sic se habet quæstio de conceptione, nam ex definitione illius intelliguntur quò sensu sint accipiendæ locutiones Scripturæ vniuersales de peccato originali loquentes, & loquentes de Christi redemptione; ergo.

11. Et confirmatur, quia natiuitas sancta beatæ Virginis est veritas ad fidem pertinens; ergo & conceptio immunis ipsius Dei Genitricis etiam potest pertinere ad fidem.

12. Tertiò probatur, quia hæc conclusio supponitur à Sixto IV. Alexandro VI. Paulo V. &c. quatenùs iubent vt nullus harum opinionum hæresi damnet oppositum, donec à Romana, & Apostolica Sede altera fuerit definita.

13. Quartò, quia in Concilio Basiliensi actum est de definitione illius; & quamuis sessio illa, in qua hoc iudicium prolatum est, legitima propter schisma non fuerit, tamen Patres illius Concilij sententiam istam eò deductam censuerunt, vt de illius definitione, & declaratione iam tunc agi posset; imò & hoc fecisse ex instructione, quam Legati à summo Pontifice habuerunt, scribit Gabriel in 3. dist. 3.

dist. 3. quamuis emissa definitio ideò non fuerit legitima, quia vigente schismate edita fuit.

14. Quintò denique probat Suarez, quoniam hæc veritas est supernaturalis plurimùm referens ad Christianam pietatem, quandoquidem Virginem liberat ab omni peccato etiam originali, imò & pertinens ad diuinum cultum, vt patet ex celebratione festi Conceptionis sub nomine præseruationis, auctoritate Romanæ Ecclesiæ non solùm instituta, sed etiam confirmata, quam etiam ipsamet Ecclesia ipsi populo fideli concionibus persuadet; sed quæ sic sunt supernaturalia, pertinentque ad Christianam pietatem, & ad diuinum cultum, sunt definibilia, vt fuère natiuitas eiusdem beatissimæ Virginis Mariæ, præseruatio ab omni peccato mortali & veniali, assumptio in corpore ad cælum, quæ sine errore negari non possunt, vt docet Ægidius suprà §. 2. num. 7. ergo sententia pia definibilis est.

15. Vnde ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad primum, quòd sententia pia ante hoc tempus valuit definiri; imò & de definitione eius actum est in Concilio Basiliensi, licèt propter schisma non sit valida eius definitio; & ab Apostolis est definita, vt constat ex verbis D. Cecilij, licèt de Concilio isto Apostolorum non satis constet Ecclesiæ; quare à summis Pontificibus meritò dicitur, quòd veritas ista definita nō est, id est certò, & ita vt euidenter omnibus cōstet. Neq; de hac definitione agendum est tantùm propter reuelationes nouas, sed etiam propter antiquas, & propter sacræ Scripturæ testimonia, in quibus vt probauimus continetur hæc veritas.

16. Ad secundum respondetur, quòd Ecclesia non definiuit vtramque sententiam tātùm esse probabilem, quandoquidem eius certitudinem distulit vsque ad futuram Ecclesiæ definitionem, & declarationem, sed tantùm simpliciter docuit vtramque esse probabilem; id est, quòd Doctores Ecclesiæ se haberent circa vtramque sententiam, tamquam circa opinionem probabilem, vt nullus alteram sugillaret censura hæresis, sicut nequit sententia quæ est in statu opinionis censurari.

17. Sit secunda conclusio, Beatissimam Virginem contraxisse peccatum originale nequit de fide definiri: quare quando ad definitionem deueniatur, absque dubio definietur, eam ab originali labe fuisse præseruatam: ita Pvtygianus & Salazar vbi suprà, & Ægidius §. 3. Et probatur primò, quia ex grauissimo testimonio sancti Cecilij constat piam sententiam ab Apostolis fuisse definitam, quamuis temporum iniuriâ talis definitio ex hominum memoria deciderit: ergo neque oppositum poterit ab Ecclesia definiri, neque non eius definitio potest stare pro sententia pia. Secundò, quia Ecclesia non potest errare in his quæ pertinent ad pietatem, & diuinum cultum: ergo neque definire contra id, quod circa hoc decreuit, stabiliuit, fouit, docuit, & ad ipsum allicere procurauit, qualiter se habuit instituendo festum Conceptionis vt prædicetur, celebretur, & ad ipsum per confraternitates, per institutiones religiosis monialium, per indulgentiam gratiarum, &c. allicere ad hoc mysterium puræ conceptionis curauit.

18. Tertiò probatur, quia Ecclesia ita est pro parte ista, quòd in Officio, quod pro Conceptione Minores Fratres recitamus, in Oratione ita èxposcit vitam æternam, sicut assentit veritati huius sententiæ: id enim significat illis verbis: *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filiò tuo habitaculum præparasti, quæsumus vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessiòne ad te peruenire concedas.* Nota ly *vt sicut*, & compone cum ly *ita nos*. Quomodo ergo post hæc posset in contrarium abire, & suam sententiam tamquam omnino falsam mutare?

19. Et confirmatur, quia si à parte rei nequit hæc pia sententia esse falsa, vt Ægidius & Salazar probant; ergo neque poterit alia quàm ipsa definiri, quia nequit definiri nisi verum; ergo quando ad definitionem accedatur, non opposita, sed nostra sententia pia definietur.

20. Quartò probatur à Salazar, & à priori, quia illa sententia proximè definibilis est, pro qua stat maior Ecclesiæ pars; sed pro sententia nostra stat maior Ecclesiæ pars, siue nomine Ecclesiæ Doctores & Pastores illius intelligamus, siue etiam intelligamus ipsorum fidelium partem; ergo Maior probatur, quia ideò Concilium congregatur, vt Patrum in ipso congregatorum suffragiis constet, quid tota Ecclesia, vel maior Ecclesiæ pars sentiat circa partem definiendam: vnde Episcopi in legitimo Concilio sub obedientia Pontificis manentis & directionem ab ipso acceptam per omnia sequentes in declaratione sensus Ecclesiæ vniuersalis decisiuam, & definitiuam sententiam habent, vt ex materia de Conciliis latè tradit Salazar §. minor non indiget probatione, quia per se patet ex dictis: ergo.

21. Et confirmatur, quia non est minoris virtutis, & auctoritatis Ecclesia iunior, quàm Ecclesia antiquior ad definiendum de fide id, quod vel tota Ecclesia, vel saltem maior pars Ecclesiæ docet; ergo non minùs est definibilis pia sententia, in qua maior Ecclesiæ pars conspirat, quàm aliæ sententiæ, quæ antiquitùs, licèt aliquando, & ab aliquibus sub dubio extitêre, tamen propter consensum maioris Ecclesiæ partis fuerunt definitæ.

22. Quintò denique probatur, quia vt aliquod dogma sit proximè definibile, tantùm requiritur cognitio, & deprehensio alicuius medij infallibilis, ex quo certò constet illud esse reuelatum à Deo; sed huiusmodi est sensus communis Ecclesiæ manifestatus vt decet, siue in Concilio, siue extra, & hoc conuenit in præsenti casu; ergo. Maior patet ex materia de fide, quia illud est de fide, quod est reuelatum à Deo; ergo cognito, & deprehenso medio, in quo hoc constet, erit proximè definibile. Minor probatur ex pluribus Scripturæ testimoniis, in quibus promittitur Ecclesiæ Spiritus sancti assistentiâ, ne erret in rebus fidei. Vnde Paulus in 1. ad Timoth. 3. Ecclesiam appellat *columnam & firmamentum veritatis.* Et Ioan. 14. dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum, dabit vobis Spiritum veritatis; ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et in 1. Ioan. *Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia*, &c. Omitto plura alia. Vnde Bellarminus de Ecclesia lib. 3. cap. 16. & Valencia 2. 2. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 17. dicunt omnes Episcopos & Pastores Ecclesiæ etiam extra Concilium non posse erroneam aliquam doctrinam amplecti. Ergo.

Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Et ad primum iam patet ex adductis à nobis Patrum testimoniis cap. 3. pro immaculata Virginis Conceptione qualiter Patres antiqui (fortè paucis exceptis) etiam sint pro opinione pia: prætereà licèt non starent, sufficeret quòd staret Ecclesia eam celebrans, quæ secundùm doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 10. artic. 12. præferenda est auctoritati etiam Augustini, Hieronymi, aut cuiuscumque alterius Doctoris: vnde si D. Thomas modò viueret in via, non est dubium quòd hanc sententiam doceret. 23.

Ad secundum similiter patet ex ibidem adductis qualiter Scripturæ authenticæ reuelationes antiquæ, & cetera veritatis momenta sint pro sententia nostra. 24.

Ad tertium respondetur, quòd Ecclesia vt prudens mater, & propter speciale gubernium Spiritus sancti (cuius altitudinem nequimus inuestigare) quo regitur, hanc vsque adeò non definiuit; sed non quia non definibilis sit, præcipuè his temporibus, in quibus inuentum est testimonium D. Cecilij suprà adductum: præterquam quòd iam definiuit sententiam piam Concilium Basiliense, licèt propter schisma non sit validè facta definitio. Concilium autem Tridentinum ideò noluit hoc efficere in illo Decreto, quia tantùm intendebat definire ibi contra Pelagianos negantes in vnoquoque peccatum originale. & etiam quia Deus in dies magis ac magis illuminat Ecclesiam, & fortè expectat, quòd nullis contradicentibus, & ægrè ferentibus Ecclesiæ determinationem, eam possit præstare. Hæc, quæ hucusque in hac Quæstione diximus, 25.

mus, tantùm debent accipi in sensu probabili, ne à nobis contraria sententia patiatur censuræ iniuriam.

QVÆSTIO III.

Vtrùm sit verè Martyr, qui pro hac Virginis immunitate mortem subiret?

1. QVæstio ista conducit tum ad maiorem sententiæ piæ honorem, tum ad maiorem ostensionem veritatis, quæ pro ipsa stat: & pro explicatione ipsius suppono cum communi sententia Theologorum, martyrium consistere in passione pro veritate fidei, vel pro veritate alicuius virtutis aliquo modo eam referendo in Christum; qualiter beatus Ioannes Baptista fuit verus Martyr, cùm passus fuerit propter suadendam virtutem castitatis, & propter increpationem vitij oppositi. ita communiter docent Scholastici in 4. dist. 47. & D. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 5.

2. Prima ergo sententia docet verum Martyrem fore, qui pro hac Virginis immunitate mortem subiret. ita docet expressè Ægidius de Præsentatione lib. 3. quæst. 9. art. vnico §. 4. & pro ea citat Aluarum Pissaña de Palacios in suis Discursibus pro immaculata Cõceptione discursu 2. punct. 2. in fine: & probat, quia ille est verè Martyr, qui pro bono alicuius virtutis mortem subit, dummodo illam in Christum aliquo modo referat; sed qui patitur mortem pro defendenda Virginis immunitate, hoc exhibet in obsequium virtutis pietatis, & pro aliqua veritate, quæ colitur ab Ecclesia in gloriam Dei Christi, & Virginis beatæ; ergo.

3. Et confirmatur, quia hoc est efficere opus non solùm in obsequium virtutis pietatis, sed etiam pertinens ad fidei pietatem, ad quam Ecclesia allicit; ergo est verum martyrium.

4. Secunda & opposita sententia hoc negat. ita expressè tenet noster Portel in Dubiis Regularibus verbo *Conceptio Deiparæ* num. 6. vers. *tertiò tandem error*, & num. 7. vers. *secundò dico.* *Castillo de Preseru. V. Matris.*

Et probat primò, quia in edicto publico supremi Senatus Inquisitionis regni Portugaliæ, quod suprà retulimus quæstione 1. huius Disputationis, inter alias propositiones condemnatur ista, *Quare verum subiret martyrium, qui pro defensione eius moreretur.* Secundò, quia virtus, pro cuius defensione moriens dicendus est Martyr, debet esse virtus certa, & omnino indubitata, cui ex parte materiæ vel subiecti non possit subesse falsum; qualis est castitas immunitas Ecclesiæ, &c. Si autem virtus aliqua nitatur opinioni, tunc licèt actus exercitus circa talem virtutem putatam sit quidem pius, laudabilis & meritorius saltem ex bona fide operantis, non tamen erit actus virtutis certæ, & indubitatæ: sed moriens pro defensione Conceptionis non exercet actum virtutis certæ, & indubitatæ, cui ex parte materiæ vel obiecti non possit subesse falsum: ergo.

Et confirmatur à simili, quia supponamus quòd homo iustus requiritur ab hæreticis vt faciat certum opus, quod aliàs est licitum, & potest fieri, vel saltem non certò constat esse peccatum, iustus autem renuit illud efficere, quia inuincibiliter ignorans putat esse peccatum, & tandem moritur pro omissione illius actus; iste licèt mereatur & efficiat actum virtutis quasi ex parte subiecti, tamen quia ex parte obiecti non est vera virtus, non est Martyr; sed hoc contingit in nostro casu: ergo. 5.

In hac re pro dicendis ex nostra sententia nota aliud esse velle mori pro veritate huius sententiæ piæ, aliud velle mori pro defensione huius sententiæ piæ: primum enim est velle mori pro re respectu totius Ecclesiæ vsque modò dubia, licèt fortè respectu huius vel illius non sit dubia, sed certa, vel moraliter, vel physicè secundùm diuersas sententias suprà relatas in hac Disputatione quæstione 1. Secundum verò non est velle mori pro re dubia, sed pro re certissima, quia omnino certum est quòd sit actus virtutis defendere beatam Virginem à peccato originali, vt supposuimus; & probauimus in principio 6.

tem Doctoris, quem damnabat, cuius mens fuit dicere taliter morientem mori pro defensione fidei, quia ipse asserebat hanc veritatem per celebrationem huius festi esse collocatam inter veritates fidei, vt patet ex verbis suprà adductis, quod Ecclesia modò obuiat vt dicitur. Secundò, quòd sunt absolutè intelligenda, si explicentur non de morte pro defensione, sed pro veritate defensa, quia cùm probabilis tantùm sit, & nondum sit definita, non potest pro ea esse verum martyrium. & vtramque hanc solutionem non improbauit Portel secundùm ea quæ ibidem docet.

11. Ad secundum respondeo concedendo, quòd virtus, pro qua moritur quis, debet esse virtus certa ex parte materiæ, seu obiecti: nego tamen, quòd virtus, à qua elicitur & imperatur prædicta defensio, non sit vt sic certa, quandoquidem obiectum studiositatis est ostendere veritatem, quam defendit secundùm probabilitatem, vel certitudinem, quam in se habet; & obiectum pietatis est exhibere cultum, & obsequium parentibus; & hoc totum certò relucet in defensione talis sententiæ; est enim actus ex obiecto & circumstantiis honesto, & consequenter ad aliquam virtutem determinatam spectans; veritas tamen defensata non est obiectum formaliter specificans virtutem, sed tantùm materialiter se habet.

Ad confirmationem respondetur tantùm probare de illo qui moritur pro veritate probabili, vel pro errore, qualiter moritur ille, qui moritur pro vitando illo, quod existimat peccatum; quia si moreretur pro actione non committendi peccatum, pro aliqua virtute moreretur; & dum de hoc constaret, verus censendus foret Martyr. & hæc de hac quæstione, disputatione & materia cedat vtinam ad laudem altissimæ Triadis beatissimæ Virginis Mariæ, in cuius obsequium eam elaboraui B. P. N. Franc. Antonij Didaci Catherinæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum. AMEN. 12.

LAVS DEO

IN ÆTERNVM.





INDEX

INDEX

Omnium, quæ continentur in hac materia de Præseruatione BB. Virginis Mariæ à peccato originali.

DISPVTATIO PRIMA

De peccato originali.

QVÆSTIO PRIMA.

QVid fuerit in Adamo iustitia originalis?

QVÆSTIO II.

Vtrùm ex natura rei, an autem ex Dei pacto iustitia originalis debita fuerit posteris Adami?

QVÆSTIO III.

Vtrùm ex peccato Adami deriuetur aliquod peccatum in posteros?

QVÆSTIO IV.

In quo sita sit essentia originalis peccati?

PARS PRIMA.

Vera & communis sententia proponitur, & probatur.

PARS II.

In quo sit satis obiectionibus contra nostram, & communem sententiam?

PARS III.

Vtrùm peccatum originale sit sufficienter voluntarium, & qualiter per originem traducatur?

PARS IV.

Vtrùm peccatum originale sit verè & propriè peccatum?

QVÆSTIO V.

Vtrùm peccatum originale tantùm traducatur ex Adamo, an etiam ex Eua, & ex quo peccato?

QVÆSTIO VI.

An detur debitum incurrendi peccatum originale, & quod, & quotuplex sit?

QVÆSTIO VII.

Vtrùm peccato originali debeatur sola pœna damni, an etiam pœna sensus, & qua?

DISPVTATIO II.

De immunitate beatissimæ Virginis Mariæ à peccato originali.

QVÆSTIO PRIMA.

VTrùm beatissima Virgo Maria concepta fuerit sine peccato originali?

PARS PRIMA.

Proponitur sententia affirmans, quòd fuerit concepta cum peccato originali.

PARS II.

Proponitur vera sententia negans, asseriturq; quòd concepta fuerit sine originali peccato.

CAPVT PRIMVM.

Ex testimoniis Scripturæ veritas præfata suadetur.

CAPVT II.

Ex Conciliis, ex Pontificum decretis, & ex reuelationibus eadem veritas comprobatur.

CAPVT III.

Ex Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus veritas nostræ sententiæ ostenditur.

CAPVT

CAPVT IV.

Ex congruentiis moralibus, scholasticisq́; rationibus eadem veritas comprobatur.

PARS III.

Respondetur ad argumenta in opposi-tum adducta pro contraria sententia.

QVÆSTIO II.

Vtrùm beatissima Virgo concepta fuerit in iustitia originali?

DISPVTATIO III.

De præseruatione beatissimæ Virginis Mariæ à debito incurrendi peccatum originale.

QVÆSTIO PRIMA.

VTrùm beatissima Virgo Maria præseruata fuerit à debito incurrendi peccatum originale?

QVÆSTIO II.

Quibus Christi meritis præseruata fuerit beatissima Virgo Maria, tum à debito, tum à peccato originali?

DISPVTATIO IV. ET VLTIMA.

Circa definibilitatem opinionis piæ.

QVÆSTIO PRIMA.

QVem certitudinis gradum habeat opinio pia?

QVÆSTIO II.

Vtrùm sententia pia vltimò sit ad definitionem disposita?

QVÆSTIO TERTIA, ET VLTIMA.

Vtrùm sit verè Martyr, qui pro hac Virginis immunitate mortem subiret?



1552

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
QVÆ IN HOC VOLVMINE
DE INCARNATIONE
ET PRÆSERVATIONE
CONTINENTVR.

A.



Blata suspicione erroris Arij, quod posset Christus absque addito dici creatura vtrumque est probabile in sententia Scoti, fol.421. n.3.

Acceptatio non supponit totum valorem in opere, nisi in Christi operibus fol.28.n.9.

Acceptatio eo ipso quod præstat ius, præstat valorem, fol .29.n.2

Acceptatio antecedens, applicata gratia habituali, vt esset semen gratiæ & gloriæ pro alijs non esset illi violenta, fol.55.n.18

Acceptatio, respectu meriti, non se habet vt conditio per se, fol.59.n.15

Actualiter non timuit Christus malum culpæ & pœna, fol.252.n.14

Actus charitatis beatorum, est liber quoad exercitium fol.265.n.12

Actus adorationis non solum est externus, sed potest etiam esse internus, & mere spiritualis, fol.428.n.4

Ad scientiam per se infusam, non datur habitus per se infusus distinctus à speciebus, fol.320. n.4

Ad visionem beatam datur habitus, qui non dicitur lumen gloriæ, quia hoc se tenet ex parte obiecti, sed dicitur habitus visionis, & requiritur propter actum, fol.322.n.2. & fol.323.n.15

Adoratio quid sit, fol.424.n.1

Adoratio, quæ in Deum reducitur est triplex, latria, dulia, hyperdulia, fol.425.n.3

Adoratio prout respicit Deum constituit virtutem religionis, &c. fol.426.n.8

Adoratio debita humanitati, sic præcisa non est latria sed hyperdulia summa, fol.438. n.15

Adoratio virgini debita propter eius sanctitatem, & virtutes, est hyperdulia prope summa, fol.439.n.4

Adoratio imaginum componi debet ex nota interiori sicut exteriori, fol.448.n.48

Adoratio latria, hyperdulia, dulia, & honoraria sunt diuersæ speciei tamen ab eodem habitu adorationis oriuntur, fol.452.n.63

Adamus, & Eua in statu innocentia habuerunt iustitiam originalem & gratiam habitualem, fol.459.n.1.& 2.

Angelus, anima separata, & corpori glorioso coniuncta potuit cognoscere euidentia morali, & in attestante cognitione naturali argumentiua mysterium Incarnationis iam existens, fol.15.n.4

Angelus naturali lumini, & absque reuelatione non potuit cognoscere aliqua cognitione clara & euidenti, sine mediata, sine immediatà mysterium Incarnationis iam existens, fol.17. n.11

Antequam Deus procederet ad prædestinationem cæterorum, prædestinauit Christum ad dignitatis capitis, fol.97.n.32

Anima Christi Domini indiguit simpliciter gratia habituali ad tres illius effectus habendos, fol.221.n.8

Anima Christi non indignit existente actuali ad operationes beatificas, bene tamen ad pertinentes ad statum viatoris, fol.237.n.4. & 5.& 7.

An cum libertate exercitij posset esse demeritum, fol.266.n.16

Anima Christi Deum clarè vidit in hac vita mortali, fol.289.n.3

Anima Christi indiguit lumine gloria ad videndum Deum, fol.310.n.11

Angelus potest haurire species ab obiecto materiali, fol.310.n.34

An habuerit debitum remotum, & an peccauerit in Adamo, vtrumque est probabile, fol.530.n.30

An quadrat opinio pia aliqua censura maioris, quam maioris probabilitatis, fol. 542.à n.11

Arduitas requisita ad spem consistit in contingentia, fol.242.n.11

Assum-

Assumpsit similiter veram animam rationalem fol.174.n.9

B.

Beata Virgo de facto non meruit de condigno, de digno, neque de congruo munus maternitatis, fol.201.n.5

Beata Virgo vt Dei Mater non est adoranda latria, si maternitas eius scholastico modo sumatur sed latriperdulia, fol.440.n.10

B.Virgo Maria, concepta fuit in iustitia originali in primo sua conceptionis instanti, fol. 519.n.17

Beatissima Virgo praeseruata fuit à debito proximo, & in propria persona exercito contrahendi peccatum originali, fol.529.n.25

Beata Virgo fuit praeseruata, tum à debito proximo, tum probabiliter loquendo à lege Adami, tum à peccato originali, ex meritis Christi, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, & non solum in executione temporali, sed etiam in intentione, & extentione aeterna, fol.537.à n.13

C.

Causa principalis efficiens Incarnationis est tota Trinitas, fol.187.n.1

Christus Dominus pro aliorum peccatis satisfecit, fol.55.n.2

Cuius satisfactio fuit condigna, fol. 65.n.5.& fol.19.n.17

Christus satisfecit de toto rigore iustitia specialis, Fol.83.n.2

Christus fuit primus omnium praedestinatorum & qualiter, fol.96.n.30

Christus fuit praedestinatus ad minus, redemptoris post praeuisum peccatum originale, Fol. 106.n.76

Christus est vna sola persona verbi in duabus naturis substantialiter existent, Fol. 117. n.13

Christus Dominus assumpsit verum corpus humanum, fol.173.n.3

Conuenientior modus loquendi duas in Christo concedit substantias, (sicut & naturas) tres tamen cum addito, Fol.175.n.18

Christus non meruit sua vnionem hypostaticam, Fol.192.n.1

Christus non potuit adhuc de potentia absolute mereri suam Incarnationem non solum in intentione, sed neque in exeentione, Fol.193. n.4

Christus meruit circumstantias subsequentes, Incarnationem, Fol.198.n.2

Circumstantias visionis, & Annunciationis Christi, meruit Christus, Fol.207.numero 7.

Christus secundum quod homo, non fuit formaliter, & actu gratias Deo sanctus, & iustus ex vi vnionis, hoc est neque ex Deitate, neque ex personalitate, neque ex vnione ipsa, Fol.223.à n.10

Christus operabatur ex dictamine rationis naturalis, fol.247.n.8

Christus Dominus vsus fuit gratia linguarum, Fol.253.n.4

Christus est caput eorum fidelium qui sunt tam in Ecclesia militants, quam triumphanti, Fol.256.n.3

Christus secundum quod Homo est actu caput infidelium & damnatorum, Fol.257.n.7. & 8.

Christus non solum est caput hominum secundum eorum Animas, sed etiam secundum corpora, fol.ibid.n.10

Christus secundum quod Homo est caput Angelorum, Fol.258.n.2

Christus non est caput creaturarum irrationalium sicut dicitur & est caput hominum, & Angelorum, Fol.260.n.8

Christus meruit per actum charitatis, Fol.263. n.6

Christus meruit per actum dilectionis secundum ad scientiam ipsius infusam, Fol.264.numero 9.

Christus incipit mereri à primo instanti sua conceptionis, Fol.271.n.9

Christus non meruit in instanti mortis, Fol.271 n.9

Christus durauit in actuali merito absque cessatione ab instanti conceptionis vsque ad finem vita, fol.273.n.17

Christus non meruit sibi gratiam habitualem, & reliquos habitus cum ipsa infusos, Fol.273. n.3

Christus meruit exaltationem sui nominis, Fol. 276.n.14

Christus meruit primis parentibus iustitiam originalem, Fol.283.n.26

Christus meruit nobis non solum gratiam habitualem, sed etiam omnia antecedentia dona ad iustificationem, Fol.284.n.6

Christus non fuit Beatus per increatam Dei operationem, Fol.289.n.1

Christus cognouit in verbo per eamdem visionem qua ipsum videbat omnes creaturas tam possibiles quam actuales quas videt verbum, non solum habitualiter, sed etiam formaliter, & actu, Fol.294.n.12

Christus habuit scientiam in proprio genere, Fol.298.n.2

Circa idem obiectum ex Scoto est scientia per se infusa & scientia per se acquisita, Fol.300. n.12

Christus cognouit per scientiam per se infusam Deum vt vnum quantum ad, An est, Fol. 302.n.2

Christus per scientiam per se infusam cognouit Deum vt vnum, & Trinum quantum ad quid est, Fol.304.n.10

Christus cognouit per scientiam per se infusam obiecta

obiecta sensibilia & materialia, Fol.308. n.27
Cognouit Christus per scientiam per se infusam obiecta materialia, & spiritualia naturalia, fol.311.n.39.
Christus cognouit scientia per se infusa obiecta hac supernaturalia, & quare, Fol.311.numero 43.
Christus cognouit per scientiam in se infusam singularia determinata pro quauis temporis differentia, Fol.311.n.49
Christus non indiguit, licet posset uti hac scientia cum conuersione ad phantasmata. Fol. 326.n.15
Cognitio intuitiua Christi fuit minus perfecta quam Angelorum, Fol.328.n.25
Christus nihil didicit ab homine, vel ab Angelo, fol.335.n.29
Christus in quantum homo, non habuit omnipotentiam participatam, fol.336.n.2
Christus vt homo fuit Rex temporalis omnium Regnorum, sed non iurisdictione ordinaria, sed altioris ordinis, Fol.342.n.3
Christus potest dici Rex spiritualis Ecclesia, fol. 345.n.6
Christus fuit verè, & propriè sacerdos, fol. ibid. n.1
Christi sacerdotium, secundum ordinem Melchisedech, fuit aeternum, pro aeternitate Dei sumptum pro dignitate sacerdotali, & pro actu sacrificandi vsque ad finem mundi, fol. 347.n.13
Christus est filius Dei naturalis, Fol.349.numero 1.
Christus secundum quod Homo non est formaliter, sed tantum materialiter filius Dei naturalis, fol.365.à n.68. & fol.368.n.60.& fol.380.à n.113
Concilia & Patres solam agnouerunt in Christo filiationem naturalem increatum, & non aliam, fol.366.n.17
Christus in quantum Homo non est filius Dei naturalis formaliter per donum vnionis, fol. 370.n.88
Christus secundum quod Homo, non est filius naturalis totius Trinitatis, Fol.374.à numero 101.
Christus secundum quod Homo, non est Filius Dei naturalis, quia sic Patri similis in natura humana, fol.377.n.110
Christus vt Homo fuit propriè & strictè seruus Dei, fol.390.n.6
Christus vt homo verè, & propriè orauit ad Deum dum erat viator, Fol.392. numero 4.
Christus in calo non solum orat impropriè, sed etiam verè, Fol.394.à n.12
Christus assumpsit corpus naturale subiectum passionibus, Fol.403.n.2
Corpus Christi non fuit deforme, sed pulchrū Fol.403.n.6
Christus voluntariè assumpsit defectus naturales in actione aliqua, vel passione constitutos, Fol.404.numero 12.
Christus non solum habuit tristitiam circa suam mortem in appetitu sensitiuo, sed etiam in rationali, Fol.409.n.17
Christus in quantum Homo potest dici creatura, Fol.423.n.3
Christus in quantum homo est persona & falsa, ibid.n.7
Christus Deus & Homo debet adorari, adoratione latria, Fol.450.n.1
Christi meritis, fuit Virgo redempta ab his, à quibus fuit libera, Fol.533.n.1

D.

Datur in indiuiduo, Deitatis substantia absoluta, Fol.137.n.2
Dantur similiter in personis tres substantia absoluta, Fol.ibid.n.3
Datur in posteris Adami debitum peccandi originaliter, Fol.488.n.4
Debitum hoc est necessitas coatrahendi peccatum originale, Fol.ibid.n.10
De potentia absoluta potuit Deus acceptare actum merè naturalem elicitam ex motiuo honesto naturali vt de condigno meritorium ad vitam aeternam, Fol.36, numero 5.
De potentia absoluta posset homo purus satisfacere pro suo peccato mortali & qualiter, fol.44.n.40
De potentia Dei substantia communis indiuidua Deitatis potest terminare naturam creatam, Fol.141.n.25
Dentes, vngues, capilli sunt corporis partes verbò vnita, Fol.180.n.23. & 24.
De facto humanitas Christi non meruit hypostatice vniri, Fol.190.n.1
De fide est quod in Christo Domino propter vnionem hypostaticam fuerit aliquod donum creatum pertinens ad eius sanctitatem, Fol. 227.n.5
De diuersis Christi appellationibus, & ex qua natura, Fol.287.à n.1
De obiecto supernaturali non includente ordinem ad aliquid increatum potest dari species naturalis, Fol.311.n.42
De fide est nullum in Christo fuisse peccatum neque originale, neque actuale, mortale, aut veniale, Fol.397.n.1
De potentia Dei Christus vt homo potuit adhuc peccare in sensu composito, & supposita vnione ad verbum, Fol.401.n.20
De potentia Dei potuit in ipso esse ignorantia positiua, Fol.40.n.5
Defectus aliquos corporis anima qua communes assumpsit Christus, Fol.405. numero 1.
De potentia absoluta potuit fomes esse in Christo, Fol.407.n.10

De alijs prædicationibus adiectiuorum, fol. 418 à n. 14

De potentia Dei iustitia originalis posset esse forma iustificans, fol. 465. n. 39

Debitum proximum debet appellari exercitum debitum vero remotum signatum, fol. 490. n. 21

Dilectio Dei meritoria non solum debet esse libera prout respicit bona extrinseca Dei sed etiam prout respicit ipsum Deum, & consequenter vt sic debuit esse meritoria, fol. 264. n. 2

Discussio de exceptione Virginis à locutionibus generalibus scripturæ, an sit exclusio vel non inclusio, fol. 511. à n. 81

Diffinibilis est proxime, sententia pia, fol. 544. n. 8

Dona Spiritus sancti non sunt habitus distincti ab habitibus virtutum, fol. 349. numero 2.

Dupliciter potest aliquod medium esse proximus fini, fol. 98. n. 38.

Duplex potest esse illatio, & qualiter, fol. 356. n. 35

Duplex est timor, vnus contra securitatem, alius contra fortitudinem seu audaciam, & sic vltimus fuit in Christo, Fol. 413. numero 32.

Duplex est hoc debitum, vnum remotum, aliud proximum, seu secundum quid, & simpliciter, fol. 489. n. 15

E.

Ecclesia Angelorum est eiusdem rationis cum Ecclesia hominum, & Christus eadem ratione caput vtriusque, fol. 259 n. 5

Entitas producta per Incarnationem est relatio extrinsecus aduenient, Fol. 128. numero 17.

Enuntiationes quæ fiunt per communicationem hanc sunt propria, Fol. 417. numero 10.

Eodem numero natura nequit simul terminari à pluribus personis, Fol. 144. n. 5

Eodem modo sunt corporis partes pituita bilis atra, &c. Fol. 180. n. 21

Equiualentia rei ad rem est duplex vna arithmetica, alia geometrica, Fol. ibidem numero 4.

Erant heretici Nestoriani non illatiue in re sed directè, Fol. 356. n. 34

Exemplum verisimilius ad mysterium Incarnationis de subiecto & accidenti, de partibus ad totum, Fol. 7. n. 16

Est tantum duplex, vna congrua, alia condigna Fol. 26. n. 3

Est tamen maxima secundum rationem materialem, Fol. 134. n. 6

Est tamen de fide, quod hoc donum permanens sit gratia, Fol. 228. n. 8

Est propria prædicta propositi, intellectâ de humanitate in abstracto ex parte subiecti, Fol. 387. n. 13

Et venit reducenda ad prædicamentum habitus; & non ad prædicamentum passionis; Fol. 130. n. 30

Etiam fuit beata ab instanti conceptionis, Fol. 289. n. 4

Et fuit tristitia in appetitu rationis, secundum portionem superiorem, Fol. 409. numero 19.

Et qualiter prædicitur Christus & homo, Fol. 417. n. 13

Et virtus Moralis, & pertinet ad iustitiam, Fol. 426. n. 6

Etiamsi sunt in Deo diuersa attributa, & ab ipso nobis collata diuersa beneficia, circa hæc tantum est vna species latria, Fol. 430. numero 12.

Ex eo quod Christus videat infinitas creaturas non videt infinitum in actu, Fol. 298. n. 34

Ex creaturis possibilibus solum cognouit Christus per hanc scientiam omnes species, non tamen omnia indiuidua, Fol. 317. numero 70.

Explicatur error Felicis & Elipandi circa adoptionem Christi hominis, Fol. 352. numero 18.

Exstinctio fomitis proueniebat in Christo tum ab extrinseco, tum ab intrinseco, Fol. 407. n. 7

Ex adoratione latria Eucharistiæ Sacramento exhibita, necessario infertur realis præsentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus, Fol. 455. n. 8

Ex peccato intemperantiæ & inobedientiæ comestionis fructus arboris scientiæ boni & mali, traducitur in posteros peccatum originale, Fol. 486. n. 19

Exercitum contrahitur in primo conceptionis instanti, Fol. 490. n. 22

Ex congruentijs moralibus, scholasticis quæ rationabilibus eadem veritas ostenditur, Fol. 508 à n. 67

F.

Felix & Elipandus, duas in Christo adstruunt personas, Fol. 353. n. 21

Felix & Elipandus constituebant duos filios personaliter oppositos, Fol. 358. numero 43.

Fit satis argumentis contra adoptionem & pro filiatione naturali, Fol. 380. numero 118.

Fuit conueniens naturæ humanæ, & vniuerso, Fol. 18. n. 8. 9

Fuit conueniens reparationi generis humani, Fol. 19. n. 11

Fuit

Fuit convenienti semper factum. Fol.20. numero 12.
Fuit tamen quantum ad modum possibilitatis decreta in remedium peccati Fol.91
Fuit in Christo virtus liberalitatis, & magnificentia fol.248.n.13
Fuit actus timoris prout respicit maiestatem Dei saltem de potentia absoluta, potentem permittere malum culpa, & infligere malum pœna.fol.251.n.12
Futurum contingens prout; in causa neque cognoscitur scientia per se, neque per accidens infusa.fol.314.n.56
Futurum contingens in se specificatiuum acceptum potuit a Christo cognosci per scientiam per se infusam.fol.ibid.n.57
Futurum contingens etiam reduplicatiue acceptum cognitam fuit à Christo per hanc scientiam,fol.315.n.61
Fuit proprijs actibus adquisita à Christo Domino, fol.331.n.11

G.

Gratia habitualis Christi neque in esse gratia, neque in esse qualitatis est infinita in actu phisice, fol.229. numero 5.
Gratia habitualis Christi de potentia ordinaria non potuit augeri.fol.232.n.1
Gratia existens fuit debita Animæ Christi tantum ex congruentia. fol. 238. numero 8.
Gratia & gloria essentialis Angelorum fuit ex meritis Christi Domini concessa ipsis à Deo. fol.277.n.4

H.

Habuit Christus gratiam fidei. fol. 254. n.6
Habuit gratiam prophetia. fol. ibid. numero 8.
Habuit scientiam per se acquisitam. fol. 299. n.3
Habitus scientia acquisita non sunt ipsæ species, sed quadam qualitas facilitans potentiam.fol 330.n.5
Habuit Christus dominium excellentia super omnes res Mundi, fol. 344.n.3
Habitus iustitia originalis & habitus gratia sunt realiter distincti, neque repugnat dari priuationem vnius, & non alterius.fol. 460 n.6
Habitus iustitia originalis prout distincta à gratia habituali est multiplex. fol. 461.numero 17.
Hæc Existas producta per incarnationem non est qualitas.fol.127.n.
Hæc visio de facto fuit in Christo summa ab effectiue, non autem de possibili, quia potuit esse Maior in angelo.fol.292.n.3.
Hac visio ad omnia hæc non erat comprehensiua Dei.fol.295.n.19
Hæc scientia non solum attingit obiecta Materialia, spiritualia supernaturalia non includentia ordinem ad aliquid increatum, sed etiamsi illum includant, dummodo creatum sit alias clare cognitum. Fol.329.n.2
Hac scientia in Christo debuit esse abstractiue diuersiua sicut in reliquis hominibus,Fol,335 n.26
Humanitas Christi non fuit instrumentum phisicum ad patranda Miracula,sed tantum Morale.Fol.338.n.5
Hæc prædicatio,Deus factus est homo, est propria.Fol.419.n.2
Hoc debitum iuxta Regulas iuris ciuilis,& potest appellari ciuile, & Naturale, & pratorium & quare,Fol.489.n.11.
Hi haretici negabant communicationē idiomatum in Christo.Fol.335.n.31.
Hi defectus non fuerunt Christo coacti. Fol.405 n.13.
Hic actus adorationis Internus est actus intellectus,Fol.429.n.8.
Humanitas verbo vnita adoratur Latria quā Deus,sed vt obiectum quod per se secundariū, Fol.431.n.6
Homo iustus satisfacit de condigno pro peccato Mortali sed in actu primo, Fol.44.n.39
Hoc non tollit quod fuerit prædestinata in remedium aliorum peccatorum, sed non primo & principaliter,Fol.113.n.13
Homo est capax filiationis Dei adoptiua, Fol. 349.n.2
Hoc peccatum non transfunderetur si alio peccato peccasset Adam.Fol.486.n.22.

I.

Idem quod de Virgine est dicendum de Patribus progenitoribus Christi. Fol.206.numero 28.
Idiomata naturarum Christi communicantur ad inuicem Fol.415.n.39
Idipsum est dicendum de hoc,Deus factus est hic homo,Fol.410.n.4
Idem est dicendum de hac propositione, Christus incepit esse,Fol.422.n.7
Idem est dicendum si precissio fiat per voluntatem.Fol.437.n.13
Idem est dicendum de Christo vt homine. Fol.385.n.6.
Ille prior actus est timor reuerentialis; sed inadæquatus.Fol.252.n.16
Imago Christi potest, & simul cum prototypo adorari latria, & potest,per se vt quod adorari in adorato prototypo in recto, sed non exclusiue in obliquo,inferiori tamen adoratione Fol.449.n.51

a 3 Immor-

Imo suppositâ cognitione claræ termini increati, potest naturaliter cognosci prædictum obiectum supernaturale, Fol.312. numero 46.

Immortalitas status innocentiæ, non esset impotentia ad mori, sed carentia, actus moriendi, Fol.465.n.33

Impugnatur diversi modi adstruendi peccatum originale, secundum diversos Auctores, Fol.471.n.5

In Christo fuit virtus pœnitentiæ secundum formalem rationem ipsius, Fol.248.numero 15.

In Christo fuisse septem dona Spiritus sancti est de fide, Fol.249.n.4

In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, Fol.253.n.1

In anima purgatorij & lymbi potest reperiri Prophetia, Fol.255.n.13

In quo dissentiat in hoc Scotus à D. Thoma, Fol.300.n.10

In quo differat species intuitiua abstractiua, Fol.305.n.15

In Christo fuit scientia per se adquisita tam abstractiua, quam intuitiua, Fol.329.numero 1.

In quo conueniant, & differant dolor, & tristitia, Fol.411.n.23

In Christo fuit vera, & propria admiratio, & quare, Fol.414.n.37

In illo fuit vera ira, amor & odium, desiderium & fuga, dilectio tam in appetitu, quam in voluntate, non tamen fuit spes, Fol.415.à n.39

Intercessit cum Adamo pactum Dei quod si non commedisset de arbore sibi prohibita, transfunderet in posteros iustitiam originalem, Fol.467.n.9

In qua conceptione contrahatur peccatum originale, Fol.496.n.1

In doctrina Scoti, qualiter sit in his decretis philosophandum, Fol.536. à numero 10.

Incarnationis nomen non est fugiendum propter nouitatem ipsius, Fol.3.n.2

Incarnationis per vocem non significatur verbum assumpsisse solam carnem, sed etiam totam naturam humanam, fol. ibidem numero 3.

Incarnatio fuit vtilissima ad reparationem hominis, fol.ibid.n.18

In satisfactione Christi Domini reperta fuit vera, & specialis iustitia erga Deum, Fol.76 n.3

Incarnatio verbi non fuit primario à Deo intenta in remedium peccati, vnde etiamsi Adamus non peccaret Christus veniret, fol.91 n.10

In quo signo voluit Deus omnes homines saluos fieri, Fol.97.n.33

Incarnatio quantum ad substantiam non dependet à duplici causa finali, & quare licet sint duo decreta circa ipsam, Fol.108. numero 75.

Incarnatio est actio productiua alicuius entis, fol.126.n.9

In Christo fuit duplex voluntas, sicut, & duplex operatio, fol.213.n.4

In Anima Christi fuit gratia habitualis etiam secundum omnes effectus, Fol.220.numero 4.

In Christo neque fuit fides actualis, neque habitualis, Fol.239.n.2

In quo differat amor amicitiæ, ab amore concupiscentiæ, fol.241.n.2

In quo differant affectus commodi, & affectus iustitiæ, fol.ibid.n.3

In Christo non fuit actus vera & propria spei Theologalis, Fol.242.n.9

In Christo fuit desiderium efficax circa gloriam corporis sui, exaltationem sui nominis & consummationem Sanctorum, fol.243. numero 17.

In Christo fuit charitas, Fol. 245. numero 26.

In Christo fuerunt omnes virtutes morales quæ non repugnabant, aut cum statu beatifico, aut cum vnione hypostatica, fol.ibidem, numero 63.

In Christo ab instanti conceptionis fuerunt virtutes morales in gradu heroico, & perfectiori modo possibili, Fol.246.n.6

Iustitia originalis vt constituebat suum statum erat habitus, Fol 406.n.7

Iustitia originalis etiam prout à gratia habituali distincta erat supernaturalis quoad substantiam, Fol.463.n.25

Iustitia originalis prout à gratia habituali distincta non constituebat hominem Deo gratum gratitudine speciali, qua daret ius in ordine ad gloriam, fol.465.n.38

Iustitia originalis fuit debita posteris Adami, non ex natura rei, sed ex Dei pacto, fol.466 n.4

L.

Licet fuisset ad hominis reparationem simpliciter necessarium verbum incarnati, non tamen mori, fol.25.n.15

Licet in Christo daretur actualis assensus fidei infusa non necesse debuit habere positiue piam affectionem, fol.240.n.8

Locutiones quæ fundantur in communicatione idiomatum sunt vera, quia idiomata sumpta in concreto supponunt directè pro supposito verbi, fol.416.n.4

M.

Maius peccatum est originale, quam veniale, Fol.50.n.16

Ma-

Magis inclinat Scotus in sententiam quæ docet quod retenta unitate suppositi Christus secundum quod homo, sit formaliter filius Dei adoptiuus, fol.353.à n.46
Manifestum fuit Adamo, quod hoc pactum, non solum erat pro se, sed etiam posteris, fol.468.n.15
Messias in lege promissus est verus homo & verus Deus, fol.12.n.2.3
Mysterium Incarnationis fuit conueniens Deo fol.18.n.4
Merita Christi Domini tribus modis fuerunt infiniti valoris,fol.64.n.3
Merita Christi Domini habuerunt valorem negatiue,fol.72.n.47
Merita puri hominis summi sancti quæ possent dari de possibili non æquarunt valorem meritorum Christi Domini, Fol.75. numero 57.
Merita Christi Domini non potuerunt habere præmium propriè & rigorosè acceptum, sed in lata significatione, Fol. ibidem, numero 60.
Meruit tamen de condigno illam adquirendam per nutritionem, similiter & per resurrectionem,Fol.193.n.2
Meruerunt tamen complacentiam decreti Incarnationis quæ futuri caret incarnationem si non esset iam decreta, Fol.197. numero 8.
Meruit tamen de condigno videre Christo obsequia matris.Fol.204.n.20
Meruit tamen gloriam sui corporis & dotes eius,fol.275.n.9
Meruit similiter omnibus prædestinatis primā electionem ad gloriam & gratiam, fol.283. n.27
Multo minus fuerunt infinita physice etiam cum respectu ad verbum diuinum, fol.68. vsque ad 72.

N.

Natura Angelica potuit assumi à verbo diuino, Fol.166.n.2
Natura humanitus existens cum propria personalitate non potest assumi à verbo, fol.171. n.1
Natura humana non existit in verbo violenta & quare,fol.ibid.n.4.& 7.
Natura humana Christi existit propria existentia creata & non verbi,fol.208. numero 3.
Nequit homo purus satisfacere de condigno pro suo peccato mortali de facto & quare, fol.38.à n.11
Neque obstat rigori iustitia quod fundetur in gratia in radice,fol.85.n.8
Neque est modus substantialis absolutus,vel relatiuus,fol.127.n.14
Neque propterea impediretur personalitas redire in communicabilitatem quam ex se habet,Fol.142.n.19
Neque beata virgo neque creatura aliqua fuit causa instrumentalis Incarnationis verbi, Fol.188.n.7
Nequit Christus dici duo masculine,neque neutraliter,fol.211.n.1.& 4.
Neque similiter potest dici quod Christus est aliud & aliud,fol.212.n.10
Neque similiter potuit augeri de potentia Dei absoluta,fol.233.à n.7
Neque meruit gloriam essentialem suæ animæ, fol.274.n.5
Neque per cognitionem intuitiuam, neque per abstractiuam cognouit omnia existentia pro quauis temporis differentia & quare,fol.318 à n.77
Neque est conueniens quod si appellantur passiones,fol.406.n.2
Neque est incongruum virginem sic adorare in praxi,fol.441.n.16
Neque transfunderet si solum affectu interiori comedendi de arbore prohibita peccasset, fol.487.n.24
Neque est de fide, quæ ab omnibus posset credi, fol.541.n.5
Neutra sententia est notanda censura erroris, neque temeritatis, fol.541.n.9
Nequit definiri contraria sententia, Fol.545. n.17
Nulla fuit prioritas temporis in qua à verbo assumerentur partes absque toto,fol.181.n.2
Non repugnat de potētia Dei quod aliqua creabilis creatura posset esse causa efficiens principalis incarnationis, fol.181.n.2
Non potest ratione aliqua euidenti ostendi impossibile esse mysterium Incarnationis,fol.7. n.2
Non potest euidenter ostendi ab intellectu creato, etiam angelico viribus naturæ relicto possibilitas Incarnationis,fol.6.n.4
Non fuit simpliciter necessarium Deo hominem reparare etiam supposito lapsu,Fol.22.n.6
Non obstat satisfactioni condignæ quod innitatur gratia in radice,fol.32.n.26
Non debet esse eadem persona satisfactionis, quæ fuit iniurians,fol.34.n.32
Non negat Scotus auxilium speciale, sed illud appellare in cursum generalem, & quare, fol.36.à n.3
Non pendebat ex acceptatione Dei,bene tamen quantum ad ius,fol.58.à n.13
Non fuerunt infinita moraliter,fol.65.numero 11.
Non fuit decreta incarnatio dependenter à remedio peccati tamquam à medio vnico,fol. 94.n.20
Non minus est probabile quod constituatur duplici negatione actualis & aptitudinalis communicationis,fol.155.n.14
Nulla gratia habitualis, aut similis qualiter dispositiua præcessit in natura humana Christi ad vnionem neque ex necessitate,neque ex congruentia,fol.189.n.11

Non repugnabat de potentia quod similis dispositio praecederet, fol. 190. n. 15
Non tamen repugnat de potentia Dei quod de condigno hoc meruerit, Fol. 191. numero 7.
Non potuit dari unio hypostatica per modum anticipatae solutionis, Fol. 194. numero 8.
Non meruit circumstantias antecedentes quae directe respiciunt Incarnationem, sed eas & concomitanter quae non directe respiciunt, fol. 199. n. 5. & 6
Non tamen est de fide quod sit habitus. Fol. 227 n. 5
Non meruit de facto continuationem & perseverantiam unionis hypostaticae gratiae & gloriae essentialis. fol. 276. numero 16.
Non adstruit Scotus species infusas universales in repraesentando determinatam pro obiecto terminato, Fol. 301. n. 14.
Non fuit peculiariter Rex Iudaeorum iure hereditario vel alio titulo. Fol. 343. numero 3.
Non est de fide quod in Christo ut homine non fuerit ignorantia privativa, fol. 401. numero 2.
Non assumpsit morbum naturalem, Fol. 403. numero 3.
Non fuit in Christo Domino, Fol. 406. numero 4.
Non potest dici quod Christus in quantum homo sit Deus. Fol. 423 n. 5.
Nomen Iesu sive scriptum sive prolatũ est adorandum eadem adoratione qua Christi mago adoratur & eodem modo, Fol. 442. numero 1.
Non solum non est superstitiosum, sed utilissimũ uti signo crucis in actionibus in quibus eo utitur Ecclesia. Fol. 444. n. 31
Non praestat hoc signum suos effectus ex opere operato sed operantis, Fol. 445. numero 33.
Non ab Eua, sed à solo Adamo traducitur peccatum originale, Fol. 484. n. 3.
Non est improbabile quod Eua sit causa partialis peccati originalis, fol. ibid. n. 9
Non tamen debetur illi poena sensus, Fol. 493 n. 12.
Nostra sententia pia nondum est ab Ecclesia definita, Fol. 540. n. 2.

O.

Omnia, quae Christus, cognouit scientia per se infusa non cognouit unico actu, fol. 274. n. 4.
Omnia quae Christus efficaciter voluit facta sunt fol. 341. n. 19
Oratio Christi efficax, semper fuit à Deo exaudita, Fol. 393. n. 7.
Oratio inefficax, est vera Oratio, quae non fuit exaudita, fol. ibid. n. 9
Organisatio Corporis Christi praecessit tempore breuissimo animationem eiusdem, sed non quantum ad eductionem formae corporeitatis. Fol. 186. n. 12.

P.

Partes non habent partialem subsistentiam neque subsistentia totius componitur ex subsistentijs partium. Fol. 161. numero 8.
Partes substantiales quãdo existunt separatae habent suam propriam, & specialem subsistentiam. Fol. ibid. n. 13
Patres non meruissent de facto substantia Incarnationis. fol. 196. n. 1
Patres non meruerunt accelerationem Incarnationis prout hac significat abbreuiationem temporis iam statuti, bene tamen de finibilis à Deo, fol. 207. n. 3 & 6
Participant fructum orationis suae, & sui sacrificij, fol. 346 à n. 40.
Passio Christi Domini Principaliter fuit intenta in remedium peccati Originalis prout in Adamo contracti, fol. 112. n. 10.
Partes substantiales, materiales separatas potuit verbum Diuinum terminare. fol. 169. numero 18.
Permissio peccati originalis habebat connexionem cum medio gratia auxiliatricis conferenda ex meritis Christi, fol. 100. numero 43.
Persona verbi terminauit naturam humanam secundum subsistentiam relatiuam, fol. 138 n. 8
Personaliter in suo conceptu formali dicit aliquid reale & realiter distinctum à natura fol. 154. n. 6
Per gratiam collatam ex meritis Christi nullatenus potuerunt illam mereri, fol. 192. numero 4.
Per quos actus meruerit Virgo Maternitatem vulgariter dictam fol. 25. n. 27
Pertinuit ad eam per modum meriti non formaliter sed obiectiue, fol. 272. n. 15
Peccatum Originale essentialiter consistit in priuatione iustitiae Originalis debitae naturae humanae. fol. 496, n. 29
Peccato Originali debetur poena Damni, fol. 492. n. 2.
Poena quae pro Originali patiuntur in hac vita ad duo capita, seu genera reducuntur, & quae fol. 495. n. 24.
Per hanc priuationem, intelligitur priuatio omnium donorum collectiua, quae in omnibus potentiis, tam sensitiuis quam, rationalibus erant, imo & gratia habitualis. fol. 477. n. 36
Peccatum originale in paruulo est voluntarium,

tarium, duplici modo, & quali, fol.481.numero 57.
Per originem inficitur homo, non physicè, sed indirectè, & per resultantiam, fol.482.numero 61.
Peccatum originale est vere, & proprie peccatum & malum morale, fol.482.numero 66.
Peccatum originale, & actuale conveniunt univocè in ratione peccati, fol.482. numero 70.
Pia affectio & habitus si datur in aliis, fuit in Christo ex motivo fidei, imo maius quam in aliquo alio, fol.240.n.9.& 10.
Pluralitas in concretis substantiuis de prædicamento substantia, neque est sumenda ex pluralitate forma, neque suppositi, sed ex eo quod significatur per se ex vi vocis, fol.151. n.12
Possibile fuit naturam humanam uniri verbo, fol.4.n.4
Potest equivalentia oriri, & ex natura rei acceptatione, fol.ibid.à n.5
Potest homo purus & iustus satisfacere de condigno pro suo peccato veniali ad minus per contritionem, fol.47.n.6
Potest similiter satisfacere pro eo de toto rigore iustitia, fol.49.n.14
Potuit verbum assumere naturam accidentis, fol.168.n.11
Potuerunt illam mereri de condigno ex gratia collata ex mera liberalitate Dei, fol.ibid. n.2
Potuit tamen de potentia Dei sanctificari per aliam formam à gratia, fol.225.n.19
Potentia humanitatis Christi propter unionem ad verbum, non fuerunt Physice potentiores quam si forent in proprio supposito creato, fol.337.n.7
Potest quis mori absque infirmitate, & sic potuit Christus mori, fol.405.n.16
Propter hanc terminationem specialem verbi non dicuntur reliqua persona, esse speciali modo in humanitate Christi, fol.141.numero 21.
Prædicta natura haberent contractionem idiomatum, fol.149.n.2
Præmium in oratione præmij est maius bonum quam bonum meriti, fol.28.n.10
Probabile est quod personaliter creata constituatur aliqua entitate positiua morali, fol. 154.n.8
Probabile est quod persona creata non possit terminare alienam naturam, fol.164.numero 6.
Prius natura assumpsit partes ut quo, quam totum, fol.183.n.9.& fol.184.à n.4
Probabile est secundum doctrinam Scoti quod virtutes morales possint esse per se infusa, fol. 246.n.5
Prophetia in Christo fuit per modum habitus & circa omnia præterita, præsentia & futura, fol.255.n.14
Prius ratione assumpsit verbum totum ut quodque partes, fol.182.n.5
Probatur ex scriptura hæc sententia, fol.360. à n.49
Probatur ex patribus, fol.362.n.55
Probatur rationibus, fol.ibid.à n.56
Probabile quod gaudium proueniens à visione & fruitione beata fuerit suspensum in Passione Christi, fol.408.n.15
Propter temperamentum ad pondus fuit maximus dolor Christi, fol.411. numero 28. & 30.
Præmissione facta per intellectum potest humanitas Christi adorari, non adorato verbo, propter sanctitatem, & gratias in eo existentes, fol.435.n.5
Propter contractum, & quasi reliquia Christi solum est adoranda illa crux, vel particula illius (qua lignum crucis communiter appellatur, in qua Christus pependit, fol.443. n.28
Præter habitum iustitia originalis, status innocentia requirebat auxilia interna & externa protectionis, fol.464.n.30
Pro eodem temporis instanti non fuit B. Virgo Maria, simul cum gratia habituali, & peccato originali, fol.496.n.2
Probatur ex concilijs, ex Pontificum decretis, & ex reuelationibus, fol. 503.à numero 37.
Probatur ex Patribus, & Ecclesia doctoribus, fol.506. à n.51

Q.

Quando fuisset simpliciter necessarium Deo hominem reparare, non tamen ad id fuit necessaria verbi Incarnatio, fol. 23.n.10
Qualiter se habet acceptatio in opere meritorio, fol.27.n.7
Qualiter satisfactio condigna debeat esse ex bonis proprijs, fol.30.à n.56
Qualiter debeat fieri ex bonis alio titulo non debitis, fol.31.à n.19
Qualiter non supponit gratia creditoris, fol.ibid. à n.22
Qualiter persona offensa teneatur acceptare satisfactionem, fol.33.n.27
Qualiter interdum, & hominem possit reperiri vera iustitia, fol.34.n.35
Quare de facto opera hominis peccatoris non sint de condigno satisfactoria aut meritoria, fol. 46.n.46
Qualiter Christus sit unum esse, vel plura, fol. 210.n.14
Qualiter sit intelligenda potentia demonstrata, fol.234.n.11
Qualiter Christus dicatur membrum, Fol.257. n.11

Quali-

Qualiter Christus meruit per opera ad quæ tenebatur ex præcepto, fol.263.n.29
Quam falso philosophantur Thomistæ circa libertatem Christi Domini in adimpletione præceptorum. fol.266.à n.30
Qualiter merita Christi pendeant à morte, fol. 273.n.19
Qualiter diuina essentia se habeat, & non se habeat vt species impressa creaturarum, fol. 296.n.25
Quare scientia, per se infusa Trinitatis non sit abstractiua. fol.307.n.21
Qualiter species infusa Trinitatis sit naturalis, & qualiter supernaturalis etiam quoad substantiam, fol.ibid.n.23
Qualiter sit dicenda scientia quæ dependeret à specie adquisita, & ab habitu infuso, fol.323. n.18
Qualiter fuerit Christus ab Angelo conseruatus in oratione illa Pater si possibile est, fol.336.n.31
Quare Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, fol. 348. à numero 14.
Qualiter sumantur hæc tria, minorum subiectus seruus, fol.388.n.1
Qualiter accipiatur à Scoto portio superior, & inferior, fol.410.n.22
Qualiter vniuocè prædicetur Deus & Homo, fol.417.n.12
Qualiter sit hæc vera, Homo factus est Deus, vel hic Homo factus est Deus, fol.420. numero 7.
Quare Adam peccando infecit totam naturam, & non reparauit pœnitendo, fol.481. n.58
Quam antiquum sit lectorum conuentus Complutensis S. Mariæ de IESV defendere hanc præseruationem Virginis, fol. 500, numero 21.
Qualiter diuersi auctores, ordinent diuersa Dei decreta, fol.534.à n.3
Quæ scientia per se infusa, & quæ per accident, fol.298.n.1
Quæ sit perfectio specierum infusarum Christi, quæ nequeat attingi à virtute Angelica, fol. 301.n.16
Quæ obiecta ex istis Christo fuerint concessa cognosci, fol.319.n.79
Quæcumque crux ex quacumque materia vt repræsentat Christum in ea pendentem est adoranda, fol.443.n.27
Quæ sit natura Iustitiæ originalis, fol.462.n.18
Quinque fuerunt signa in diuina prouidentia, fol.95.n.26
Quid intellexerant Monothelitæ nomine voluntatis, fol.214.n.6
Quid nomine operationis, fol.ibid.n.8. & 10.
Quid debeat intelligi per operationem Theandricam, fol.217.n. 24
Quid requiratur ad libertatem exercitij, fol. 265.n.15
Quibus meritis, Christi meritis meruerit Angelus, fol.281.n. 19
Quid illis profuerit mors Christi, fol.ibid.n.20
Quid sit adoptio, & quas requirit conditiones, fol.349.à n.3
Quid sentiēdum de auctoritate concilij Francfordiensis, fol.353.n.20
Quinque inferuntur ex hac doctrina, fol.386. à n.9
Quid sit fomes peccati, fol.406.n.3
Quia affirmatiuam vel negatiuam sententiam circa peccatum Originale Virginis damnat, hæresi temerarius est, & inobediens, & excommunicatus, non tamen est hæreticus, fol. 541.n.7
Quod Messias iam venerit, qui fuit Iesus, fol. 10.n.2
Quomodo adimpleta, Prophetia circa Messiam in IESV, fol.11.n.5
Quod talia opera sint satisfactoria de congruo, fol.46.n.46
Quomodo debeant distingui debitum legale & morale, fol.77.n.6
Quomodo accipiatur modus passibilitatis ad quē Christus Dominus post præuisum peccatum fuit decretus à Deo, fol.98.n.36
Quomodo influant merita in genere causæ efficientis, & quomodo in genere causæ finalis, Fol.196.n.13
Quomodo in Christo fuerit contrarietas voluntatum, Fol.218.à n.30
Quomodo dicatur B. Virgo GRATIA PLENA, Fol.236.n.19
Quod secundum Scotum voluntas non potest velle malum sub rationem mali, nec velle bonum sub ratione boni, Fol,266.n.18
Quomodo actus scientia per se infusa excedat actum eiusdem Angelorum, Fol.227.n.18
Quomodo Christus sit prædestinatus Filius Dei, Fol.384.n.1
Quod hæc propositio sit in propria intellecta de Christo, vt sic ex parte subiecti prædicationis Fol.385.n.5
Quod hæc humanitas non accipiatur in statu possibilitatis, Fol.388.n.20
Quomodolibet Christus in Eucharistia, & sacramentum Eucharistiæ accipiatur, semper debet adorari adoratione latriæ, Fol.453.à n.1
Quomodo ista debita explicentur à diuersis, fol. 489.à n.15
Quod B. Virgo concepta fuerit sine originali peccato, & quam propria sit Scoti hæc sententia probatur, Fol.499.à n.17
Quod nostra sententia debeat dici pia, Fol.543 n.1

R.

R*Atio meriti se habet in opere vno sicut forma absoluta in materia, & sicut relatio in fundamento, Fol.27.n.8*

Red-

Reddere hæc obsequia, vulgariter appellatur maternitas, quæ accepta scholasticè tantum sumitur, pro primogenuisse, fol.204.n.20
Religio, pietas, obseruantia, vniuocè conueniunt in ratione adorationis, fol.427.n.10
Reliquiæ Christi, & Sanctorum sunt eodem modo adorabiles, ac ipsorum imagines, fol. 453.n.65
*Repertus est in Christo verus timor etiam in voluntate, fol.*412.n.32
*Respondetur argumentis in contrarium, fol.*511 *à* n.80

S.

Satisfactio est redditio voluntaria alias indebiti, fol.25.n.2.
Satisfactio de toto rigore iustitiæ coincidit cum satisfactione condigna, ita vt sint vna, & eadem, fol.35.à n.37
*Satisfactio Christi orta ex speciali iustitia procedebat, & eliciebatur ab habitu specialis iustitiæ commoratiua, fol.*82.n.22
Saluantur locutiones conciliorum, & Patrum, si dicamus quod hæc relatio sit accidens, fol. 129.n.27
Sanguis & vera Corporis pars, & hypostaticè vnitus, fol.177.n.6
Scotus concedit scientiam & species per se infusas in Christo Domino, fol.299.n.6. & 8.
Scotus non negauit quod cognitio intuitiua possit ferri per speciem impressam obiecti, fol. 305.n.13
*Scientia & species per se infusa non potest esse intuitiua, fol.*313.n.50
*Scientia per se infusa potest fieri à Christo cum discursu, fol.*225.n.11
Scientia per se acquisita non fuit in Christo, partim acquisita, & partim per accidens infusa, fol. 331.n.10
*Sententia Scoti de prædestinatione Christi ante peccatum statuitur, & probatur ex scriptura Patribus, & rationibus, fol.*101.*à* n.45
Secundum quam rationem soli Christo conueniat esse caput morale Ecclesiæ, fol. 261. n.7.
Sed licet fuerit adquisita quantum ad species, & actus, non tantum quantum ad habitum qui fuit infusus, per accidens ab instanti conceptionis, fol.333.n.16.
*Sententia affirmans Virginem cum peccato originali probatur à suis auctoribus, fol.*497. *à* n.4
Sententia, quæ Virginem liberat à debito contrahendi peccatum originale libera est à censura, fol.525.n.3
Similiter Christus satisfecit de toto rigore iustitiæ lata, fol.84.n.6
Si sumatur prout significat diuersos transitus habet diuersos terminos formales, fol. 122. n.7
Si sumatur secundum id, quod ex vi vocis significat. Incarnationis est caro, & humanationis est humanitas, fol.123.n.8
Si idem numero effectus procederet à duplici causa totali efficienti, non esset efficax argumentum, quo per principia naturalia probamus vnitatem Dei, fol.146.n.19
*Si concretum est adiectiuum, vel substantiam de prædicamento accidentium, vnitas est sumenda ex vnitate suppositi, & pluralitas ex pluralitate, fol.*150.n.6.*&* 8.
*Similiter est probabile quod constituatur vnica negatione, fol.*159.n.28
Similiter est probabile quod eam possit terminare, fol.165.n.8
Similiter est de fide, quod hoc donum sit permanens, fol.227.n.6
*Si ponatur habitus spei propter rationes genericas fuit in Christo, non autem si ponatur propter rationes specificas, fol.*244. *à numero* 23.
Similiter meruit per actum secutum ad visionem Dei, fol.264.n.11
Similiter meruit iudiciariam potestatem, fol. 276.n.15
Similiter hæc meruit Christus antiquis Patribus, fol.286.n.16
*Similiter cognouit ex effectibus per scientiam per se infusam, fol.*301.n.3
Similiter cognouit Deum vt Trinum quantum ad, An est, fol.303.n.6
*Similiter cognouit eadem scientia obiecta supernaturalia quæ includunt ordinem ad aliquid increatum, fol.*312.n.45
*Similiter potest vti compositione, & diuisione, fol.*326.n.14
*Si aliter diceretur, destruitur argumentum ex Scriptura, quod Christus sit Filius increatus Dei & sic Trinitas, fol.*371.n.90
*Si foret necessario dicendum, quod Christus secundum quod Homo sit formaliter Filius Dei naturalis quomodo sit Philosophandum, fol.*379.n.115
Si per impossibile humanitas Christi separaretur à verbo diuino, debebat adorari tamquam aliquid quod fuit ipsius sicut adorantur Reliquiæ Sanctorum, fol.434 n.1
*Si autem maternitas vulgari modo accipiatur est B. Virgo Maria adoranda adoratione latriæ, fol.*440.n.11
*Si filius Adam peccaret, posteri illius contraherent peccatum originale ex illo, fol.*485. n.11
*Si Adam peccaret, postquam in iustitia originali genuisset filios, si non destituerentur tali iustitia, fol. ibid.n.*14
*Signatum probabiliter dicitur fuisse ante peccatum Adami, sed probabilius quod post, fol.*491.*à* n.73
Si aliquis subeat mortem pro veritate sententia pia, non est vere martyr, bene tamen si illam subeat pro defensione illius, fol. 558. n.7

Spe-

Species abstractiua etiam terminari potest præsentia obiecti,fol.205.n.13
Sufficit alteritas moralis vt satisfactio fiat ad alterum.fol.ibid.n.30
Sub duplici titulo est Deus adorabilis adoratione latria,fol.429.n.10
Status Iustitia Originalis constabat quatuor bonis,fol.516.n.2
Status Innocentia conseruaret homines immortales,fol.464.n.31.

T.

TAm gratia vnionis,quàm gratia habitualis aque primo & per se sunt gratia capitis in Christo,fol.261.n.4
Terminus totalis Incarnationis est vnum subsistens in duobus,& ex duabus naturis,fol.115 n.4
Terminus formalis Incarnationis est vnio, si sumatur Incarnatio vt actio productiua, fol. 122.n.6
Terminus à quo est carentia termini ad quem & hac neque est priuatio neque negatio, fol. 124.n.17
Tres conditiones,quæ requiruntur ad meritum, fol.262.n.2
Tristitia in quo consistat, & qualiter fuerit in Christo,fol.407.n.11
Tria fuerunt obiecta tristabilia, & tripliciter voluntas tristatur,fol.409.n.20
Transfunderetur tamen ex opere indifferenti, vel peccato veniali posito à Deo pro conditione.fol.487.n.25

V.

VAlde probabile est quod primum Angelorum peccatum fuit inuidia excellentia Christi, & nominis Iesu, fol.279. n.11
Verbum potuit assumere quamcumque naturam substantialem irrationalem, fol.167.n.7
Verbum non potest terminare partem aliquam actualiter existentem in toto, fol.170.n.21
Verbum assumpsit Corpus & Animam, non separate diuisa, sed inter se vnita, fol.175. n.14
Verus dolor fuit in humanitate Christi,fol.411. n.23
Veritas Catholica docet, propter peccatum Adami traduci in omnes homines aliquod peccatum vnicuique proprium cum ipsa natura in origine,fol.469.n.4
Virtus prudentia fuit infusa Christo in primo conceptionis instanti,fol.247.n.11
Visio Beata ipsius potuit de potentia Dei separari ab vnione, fol.291.n.9
Visio B. Christi fuit eiusdem speciei cum visione aliorum beatorum, imo & Angelorum, fol.291.n.1
Visio infinitarum creaturarum in essentia non est infinita,fol.297.n.30.
Virtus adorationis non est Theologalis, fol.425. n.5
Vnico ita consideretur secundum formalem rationem vnionis non est omnium maxima,fol. 133.n.5
Vnio hypostatica est maior in ratione doni, quam visio beatifica.fol.135.n.11
Vna persona diuina plures potest assumere naturas,fol. 149.n.1
Vnitas concreti substantiui sumenda est ex irritate folius forma, fol.150.n.6
Vnus Beatus non potest alteri Prophetare, fol. 255.n.11
Vt crux adoretur debet esse instituta ad repræsentandum crucem Christi, non latronum vt sunt Cruces à dextris & sinistris posita in Caluarie,fol.443.n.26
Veraque sententia est probabilis, nostra verò probabilior, fol.541.n.10
Vulnus lancia pertinet ad nostram salutem, fol.272.n.11



Pag.	lin.	col.	Errata,	corrige.
1	17	1	*Ventratione*	*veneratione.*
1	28	1	*Suscipiendum*	*suspiciendum.*
3	23	2	*Quando*	*ergo.*
4	41	2	*Substantia*	*subsistentia.*
6	12	1	*Dependentiam*	*independentiam.*
6	36	1		*Adde &.*
7	10	1	*1. D.*	*primo dico.*
8	22	1		*Adde &.*
11	1	2	*Quartus*	*secundus.*
12	37	1	*Liberaliter*	*literaliter*
14	41	2	*Et*	*esse.*
13	1	2	*Eum*	*cum*
15	26	2	*Excludens*	*excludimus*
15	27	1	*Includens*	*includimus*
16	46	1	*Ambiu*	*Ambros.*
16	1	2	*Vt*	*de*
16	8	2	*Cognouerit*	*cognouerint*
16	41	2	*Antiquitatem*	*ambiguitatem*
17	43	1	*Vniuersi*	*vniuerso*
17	50	2	*Mente*	*mentem*
18	11	1	*Specie*	*species*
19	22	1	*Ergo*	*erga*
19	25	2	*Homine*	*homini*
19	42	2	*Externa*	*aterna*
20	31	1		*adde verbi*
20	32	1	*Assequitur*	*assequuntur*
21	38	2	-	*adde talem*
22	9	1	*Quod*	*que*
22	34	2	*Quod*	*quia*
24	47	1	*Pro*	*per*
23	34	1		*adde §.*
25	42	1	*Epist.*	*cap.*
26	30	1	*Et*	*est*
30	12	2	*Scot.*	*sect.*
34	24	1		*adde est*
34	36	1	*Tot*	*tract.*
35	2	1		*adde quod*
35	41	1	*Debitor*	*creditor*
35	55	1	*Coincidat*	*coincidit,*
36	10	1	*Antecedentia*	*antecedentia.*
37	18	2	*Aliquod*	*aliquid.*
38	38	1	*Tit*	*tract.*
38	15	2	*Profunderetur*	*confunderetur.*
38	27	2	*Reddat*	*reddatur.*
43	34	1	*Intrinsecum*	*intrinseco.*
43	54	1	*Extrinsecum*	*extrinseco.*
44	20	1	*Tunc*	*nunc.*
45	42	1		*adde Eccles.*
45	27	2	*Aliquid*	*aliquod.*
47	5	1	*Vna*	*sua.*
47	41	2		*adde qua.*
51	16	1	*Differentia*	*dissidentia.*
52	21	1		*adde condigno.*
51	29	1	*Condigna*	*condigne.*
52	2	1	*Est*	*esse.*
52	47	2	*Sanctificatiua*	*sanctificatiuam.*
52	48	2	*Reconciliatrix*	*reconciliatricem.*
52	49	2	*Redemptiua*	*redemptiuam.*
53	31	2	*Et*	*vt.*
53	32	2	*Tit*	*trac.*
55	21	1	*Supernaturaliter*	*praternaturaliter.*
57	19	1	*Alia*	*alia*
58	38	1		*adde cum.*
60	5	2		*adde Dei.*
61	17	1		*adde vel.*
61	18	1	*Falsus*	*falsum.*
61	23	2	*Indignationem*	*indignitatem.*
61	24	2	*Quod*	*quid.*
61	42	2	*Et*	*esse.*
61	27	1	*Propter*	*prater.*
62	40	1	*Prafecta*	*perfecta.*
63	25	1	*Infinitum*	*infinitus.*
63	37	1	*Quia*	*quin.*
63	13	2		*adde esse.*
64	10	2	*Proprie*	*principio.*
64	42	2	*In*	*ad.*
65	16	1	*Saluandum*	*soluendum.*
65	30	1	*Habet*	*habent.*
66	37	2	*Alium*	*aliud.*
66	56	2		*adde n. 18.*
67	44	1	*Quod*	*quia.*
67	7	2		*adde moralem.*
68	51	2	*Est*	*&.*
69	16	1	*Quod*	*quando.*
69	4	2		*adde non.*
70	6	1		*adde iuxta.*
70	44	1	*Tit*	*trac.*
70	25	2	*Monothenitarum*	*monothelitarum.*
72	35	1	*Quarta probatur*	*n. 12. quarto probatur §*
73	9	1		*adde infinita.*
73	35	1	*Passibilis*	*possibilis.*
73	47	1		*adde erat ex scriptura respondeo quod.*
74	3	2	*Infinita*	*infinitus.*
74	48	2	*Consumbiles*	*consumptibiles.*
78	24	1	*Directus*	*directum.*
78	42	1		*adde afferebat.*
80	24	1	*Meritum*	*exigens.*
81	43	2	*Qui*	*quod.*
82	32	1	*Ibi*	*sibi.*
82	35	1	*Ergo*	*erga.*
83	3	1	*Pro*	*per.*
83	16	1	*Possent*	*possunt.*
84	46	2	*Proprio*	*principio.*
84	50	2	*Cabrera*	*Cabrera.*
84	52	2	*Tit*	*trac.*
85	16	2	*Intentione*	*Intensione.*
85	10	2	*Intentione*	*Intensione*
85	18	2	*Intentione*	*Intensione.*
85	32	2	*Aliquod*	*aliquid.*
86	7	1	*Intentio*	*intensio.*
86	19	1	*Intentio*	*intensio.*
86	18	2	*Tit*	*trac.*
88	16	2	*Pro*	*per.*
91	43	1	*Gartaret*	*cartaret.*
91	50	1	*Tit*	*trac.*
92	3	2	*Visibibilis bis*	*visibilis bis.*
92	31	1		*adde sententia.*
93	9	1	*Nerui*	*noruiter.*
94	44	1	*Vnione*	*vnionis.*
95	32	1	*Gloriam*	*gratiam.*
95	7	2		*dele seu in diuersos actus*
95	18	2	*Subiecta*	*obiecta*
95	10	2	*Procedit*	*procedit.*
96	28	1	*Sed*	*seu.*
96	20	2	*Ipsorum*	*ipsarum.*
96	27	2	*Procedetur*	*procedetur.*
97	10	2	*Petermenant*	*determinans.*
97	32	1	*Ne*	*ni.*
98	13	1	*Quod*	*quid.*
98	48	1	*Per*	*pro.*
99	5	1	*Proximus*	*proximi.*
99	10	2	*Physice*	*physica.*
99	42	2		*adde sect.*
101	10	1	*Sunt*	*sicut.*
103	20	2	*Ibi*	*illi.*
104	50	1	*Quod*	*quid.*
105	55	2	*Illa*	*illo.*
106	3	1		*adde non.*
106	48	1		*adde non.*
106	17	1	*Coniuncti*	*communicti.*
106	56	2		*adde dicitur.*
107	29	1	*Alterum*	*alium.*
110	2	1	*Gloriosa*	*glorioso.*
110	37	1		*adde dixi.*
110	2	2		*adde si*
112	22	1	*Visionem*	*passionem.*
114	26	2	*Nicephenus*	*Nicephorus,*
115	31	1	*Transubstentiationem*	*transubstantiationem.*
115	35	1	*Transubstentiatur*	*transubstantiatur.*
116	3	1	*Intellige*	*Intelligere.*
116	3	2	*Quartus*	*secundus.*
117	14	1	*Solutione*	*soluere.*
117	15	1	*Solutione*	*soluere.*
117	33	2	*Diuisa*	*diuersa.*
121	26	1	*Extrinseca*	*extrema.*
122	14	2	*Similiter*	*similis.*
122	42	2	*Quod*	*quia.*
123	6	2	*Illam*	*illam*
126	5	2	*Gabriel*	*Gabrielis.*
126	24	2	*Primam*	*primum.*
126	35	2	*Secundam*	*secundum.*
126	56	2	*Natura humana*	*natura humana.*
127	47	1	*Per*	*propter.*
128	48	2	*Qua*	*quo.*
133	37	1	*Vade*	*vers.*
135	18	1	*Et tam*	*etiam.*
143	16	2	*Vnicum*	*vnicus.*
144	41	1		*adde quia.*
149	46	1	*Posse*	*possunt.*
149	51	1	*Assumeret*	*assumerent.*
149	25	2	*Duplices*	*duplex.*
152	12	1	*Dies*	*duo.*
155	35	2	*Ex*	*in.*
157	18	1	*Hecitatem*	*hecceitatem.*
158	40	1	*Sicut*	*scilicet.*
159	12	2	*Hecceitas*	*haecceitas.*
158	21	2	*Hecceitate*	*haecceitate.*
158	31	2	*Constitutum*	*constitutiuum.*
160	4	1	*Hecceitate*	*haecceitate.*
160	33	2	*Hecceitate*	*haecceitate.*
161	1	2	*Perseitas*	*perseitas.*
161	3	2	*Parte*	*parte.*
161	31	2	*Municafsilitas*	*municabilitas.*
161	39	2	*Extrinseca*	*extrinseco.*

Pag.	lin.	col.	Errata,	corrige.
161	48	2	Iatrinseca	intrinseco.
164	31	2	Vnde	vers.
165	50	2	Basolis	ha elem.
168	29	1	Capaci	incapaci
168	9	2	Extrinseca	extrinsecè.
169	15	1	Ferfectas	perfectas.
169	26	1	Perfectatem	perfectatem
169	43	1	Recipiantur	reperiantur.
169	52	1	Sustentificantem	sustentificationem.
174	8	1		adde enim.
175	18	2	Alias	duas.
177	31	1	Tit	tract.
188	40	1	Periarchon	periarchon.
183	14	1		adde sicut.
181	46	2	Personalitate	prioritate.
184	38	1	Dico.	dico
186	38	1	Thomo	Thomas.
186	11	2	Primum	Petrum.
187	26	2	Supernaturali	Supernaturale.
188	15	1	Peperit	Pepererit.
190	32	1	Supposito	Suppono.
190	23	2	Et in	Quia.
191	14	1		adde requiritur.
193	25	1	Humanitatem	humanitatem.
197	29	2	Ipsa	qua
199	35	2	Quod	quid
201	13	1		adde Deus.
202	31	2		adde sumit.
203	16	1	Hecceitatem	hecceitatem.
209	47	2		adde tura.
214	9	2	Intelli	intelligi.
218	40	2	Efficax	inefficax
220	45	2	Vagaentum quidem	vnguentum quod est.
223	9	1	Dico	duo.
223	44	2	Robur	noba.
226	3	2	Anathismi	anathematismi.
230	40	2	Intentionem	intensionem.
230	46	2	Intentionem	intensionem.
233	22	1	Et	vt.
233	14	2	Gataretus	Tartaretus.
236	3	1	Et iam	etiam.
236	43	2	Adeone	Actharum.
237	21	2	Cum	tum.
237	32	2	Hypostatice	hypostatica.
231	17	2	Crudelitas	credulitas.
239	27	2	Nostro	nostra.
242	8	2	Supposito	supposito.
243	31	2	Supposito	suppono.
243	58	1	Sponte	specie.
249	4	1	Supposito	suppono.
249	10	1	Aguat	aguntur.
249	21	2		adde vnionem
251	45	1	Reijciunt	obijciunt.
252	48	2		adde L.
253	17	2	Facit	fecit.
255	10	1	Apposita	opposita.
259	13	2	Et	vt.
260	11	2	Hoc	hac.
260	36	1	Acquisitas	requisitas.
260	42	1	Facilior	facilius.
261	17	1	Prater	propter.
261	35	1		adde non.
261	40	1	Auctoritate	auctores.
263	13	2		adde non.
273	9	2	Scito	fatu est.
278	21	2	Alexandrinus	Alexander.
274	37	2	Perfectissima	perfectissime.
279	44	1	Dicendam	obiectum
279	37	2	Per	erga.
280	19	2	Propria	propriè.
294	19	2	In	non.
299	12	2	Visionem	visionem,
291	39	1	Quastiones	quia.
301	14	2	Ipsam	ipsas.
297	20	1	Beatus	eleuatus.
299	30	1	Et videntur	euidenter.
299	28	2	Refertque	refertur que.
304	21	1	Fuit	erit.
304	11	1	Supercitata	supracitata
307	18	2	Sed	sicut.
309	5	2	Quod	quo.
310	7	2	Efficiens	sufficiens.
313	46	2	In	ex.
314	34	2	Illa	illa.
314	33	2	Illam	illud.
315	11	2	Intuitiua	intuitiuà.
315	47	2	Relationes	rationes.
316	38	1	Scotus	Scotum.
316	50	2	Scilicet	sciet.
317	29	1	Contingentia	contingentias.
321	19	2	Aliquid	aliquod.
328	34	1	Sic	hic.
324	11	2		adde &.
325	11	2	Cognitionibus	cognationibus.
327	8	2	Cap.	quasi.
329	18	1	Negatiue	negatiue.
330	19	2	Infusa	infusa.
330	44	2	Realibus	rationalibus.
331	6	1		adde est.
335	24	1	Infusa	infusa.
335	26	1	Immissione	immissione.
341	33	1	Ad	id.
342	34	1	Tit	Tract.
343	45	1	Ea	eius.
342	7	2	Solutiones	solus vnius.
343	44	1		adde tamen.
343	11	2	Adamauit	acclamauit.
352	48	1	Hac	hic.
353	22	2	Ita	ista.
354	26	1	Sed	sicut.
354	41	2	Superque	super Dei.
354	42	2		adde que
355	22	1	Quid	quod.
360	13	2	Enim	est.
361	23	2	Terminet	terminat.
363	19	2		adde qua.
368	8	1	Et	vt.
370	1	2	Vt	at.
370	25	2	Quia	quod.
375	4	1	Augustinus	Augustinum.
376	11	1		adde sancto.
378	40	1		adde secundum.
381	1	2		adde quia.
382	14	2	Ciuile	ciuili.
383	50	1	Difficultatis	definitione.
383	42	2		adde qui.
386	9	1	Perseuerari	perseueraret.
386	11	2		adde &.
386	16	2		adde maximum.
388	31	2		adde parte.
391	14	1	Non	nam.
393	31	1	Sed	sicut
394	8	2		adde à me.
394	35	1	Persecutionis	prosecutione.
395	19	2		adde non.
397	15	1	Dico enim quod	sed.
397	29	2	Cum	eum.
398	6	1	Corpore	capita.
398	40	2	Quod	quid.
399	29	2		adde modo.
400	27	1	Supposito	suppositio.
400	40	1	Erga	quia.
401	5	1	Te	parte.
401	45	1		adde destrui.
401	32	2	S	parte.
402	35	1	Possibili	possibile.
402	57	1	Panem	panes.
402	18	2	Patiatur	patiebatur.
402	24	2	Ibidem	eisdem.
403	4	2		adde est.
403	16	2	Sicut	sicut.
404	8	2	Proximam	primum.
404	4	1		adde potius.
406	19	2	Affectiones	passiones.
407	14	1	Tam	tum
407	15	1		adde ab intrinseco.
408	20	2	Literam	literam.
408	25	1	Tantam	tamen.
408	33	1	Quia	quod.
408	43	2	In	ex.
412	38	2	Intentione	intensione.
413	16	1	Qui	quo.
413	27	2	Spes	species.
413	25	2	Aliquid	aliquod.
414	51	2	Fuit	fecit.
417	43	1	Propria	proprio.
422	38	2	Sumantur	sumantur.
424	15	2	Hecceitatem	hecceitatem
425	46	1	In	tamen.
425	36	2	Scilicet	sicut.
429	4	2	Ordinans	ordinanto.
436	22	1	Erant	erunt.
436	19	2	Adiecta	addicta.
438	44	1	Absoluta	absoluta.
438	46	1	Partibus	patribus.
443	22	2	Quia	quia.
445	40	2	Fuit	fecit.
447	31	1	Prototypum	prototypus.
447	13	1	Imagines	imagines.
448	40	2		adde sequuntur.
450	32	2	Adherere	asserere.
451	24	2	Aliqi	alias.
452	27	2	Aliqua	aliqua.

Pag.	lin.	col.	Errata	corrige.
451	30	2	*Eum*	*cum*
452	24	2	*Imperatiua*	*imperatiuè*
451	28	2	*Vebu*	*verbu*
460	1	2	*Intensio*	*intensio.*
460	15	2		*adde hac.*
461	31	2	*Rationem*	*rationi.*
464	4	1	*Persecutionem*	*prosecutionem.*
464	33	1	*Sapientia*	*sapere,*
464	41	1		*adde non.*
465	41	2	*Distincta*	*distincte.*
466	9	1	*Posse*	*possunt,*
473	42	2	*Hoc*	*homine.*
473	47	2	*Formale*	*formalt.*
474	48	2		*In reatu.*
474	29	1	*Mu ti*	*multa.*
474	50	2	*Tit.*	*erac.*
475	36	1		*adde & sic.*
475	52	1	9	*parte,*
475	12	2	*Refutate*	*refutata.*
475	37	2		*adde facit in.*
478	43	2	*Partum*	*partem.*
477	21	2	*S*	*B.*
477	26	2		*adde consistit,*
477	37	2	*Et sanctitatem sed*	*sed sanctitatem & sic*
477	45	2	*statu*	*statum.*
483	49	1		*adde & malum.*
485	38	1		*adde si.*
487	4	1	*Obiecto*	*subiecto.*
487	40	2		*adde parte.*
488	39	2		*adde priuationum.*
489	42	1	*Insulte*	*insulse.*
490	41	1	*Obligauit*	*alligauit.*
490	51	2	*Existente*	*existens.*
491	16	2		*adde dua.*
491	14	2	*Probabiles*	*probationes.*
499	6	2	*Pelbaltus*	*Pelbartus.*
502	24	1	*Incipit*	*incepit.*
502	44	2	*Intentione*	*intensione,*
503	9	1	*Ille*	*illa.*
505	40	1		*adde taliter.*
505	30	1	*Ponderata*	*ponderato.*
505	39	2	*Duabus*	*duobus.*
506	16	1	*Specialissima*	*specialissimè.*
506	20	1		*adde granatensi.*
506	31	2	*Ab*	*ad.*
507	9	2	*Vide*	*Vide*
507	31	2	*Peccacu*	*peccatu.*
508	14	1		*adde Christi,*
510	21	1	*Matris*	*matri.*
510	11	2		*adde fidem.*
510	29	2		*adde sit*
510	30	1	*Oyeda*	*oxeda*
511	5	2	*Referunt*	*referuntur.*
513	28	2	*Explicatur*	*explicantur.*
514	4	1	*Vigebat*	*vig:bat.*
514	52	2		*adde nisi post ingressũ*
515	35	2	*Tenere*	*teneri.*
519	17	1		*adde abisse.*
521	41	2	*Qua*	*qua.*
521	33	1	*Praeterea*	*Propterea Ena.*
524	13	1	*Obstas*	*obstet.*
524	20	1	*Quam*	*qua.*
524	6	2		*adde à.*
524	34	2	*Carentia*	*carentiam.*
525	12	2		*adde defendit.*
525	26	2	*Ioarsam*	*Loarsam.*
525	14	2	*Visentinum*	*Vicentinum.*
526	41	1	*Transfundenda*	*Transfundendi*
527	8	1	*Referunt*	*referuntur.*
527	4	2	*Serit*	*aserit.*
528	5	1	*Dicat*	*dicam.*
528	7	2	*Peccatum*	*per carnem.*
530	35	1	*Sicut*	*sunt.*
530	4	2	*Loquitur*	*sequitur.*
532	33	1	*Matinali*	*matinali.*
532	25	2	*Sine*	*fui.*
535	38	1	*Vera*	*vero.*
534	20	1	*Vel*	*per.*
537	22	1	*Sanctificationem*	*sanctificatinam.*
537	28	1	*Decretam*	*decretam.*
537	35	2	*Pradestinantu*	*pradestinantus.*
540	10	2	*Completa*	*complexa.*
540	21	2	*Infert*	*refert.*
541	45	1		*adde sed.*
541	51	2	*Bandelus*	*bandelus.*
544	13	2	*Oyeda*	*ozeda.*
546	25	1	*Manentu*	*manentes.*
547	20	2	*Dubitate*	*dubitata.*
547	22	2	*Indubitate*	*indubitata*
548	5	2	*Honesto*	*honestus.*

F I N I S.